



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



THEOLOGICÆ ELENCHICÆ
NOVA SYNOPSIS;

Sive

INDEX CONTROVER-
fiarum Fidei ex Sacris Scripturis,

JACOBO TIRINO JESUITA
concinnatus,

&

CENSURA PERPETUA


Auctus, Emendatus, Refutatus,

PER

SAMUELEM MARESIUM, S. Th. D.

ejusdemque Facultatis Professore[m] Ordinarium in A-
cademia Provinciali Groningæ & Omlandiæ.

TOMUS SECUNDUS.



GRONINGÆ.

Apud JOANNEM NICOLAYM ANNO M.DC. XLVII.

4 Polem

2007-2

<36616394220019

<36616394220019

Bayer. Staatsbibliothek

4 Poline
2.07. - 2

THEOLOGICÆ ELENCHICÆ
NOVA SYNOPSIS;

Sive

INDEX CONTROVER-
fiarum Fidei ex Sacris Scripturis,

à
JACOBO TIRINO JESUITA
concinnatus,

&

CENSURA PERPETUA
Auctus, Emendatus, Refutatus,

PER

SAMUELEM MARESIUM, S. Th. D.
eiusdemque Facultatis Professore[m] Ordinarium in A-
cademia Provinciali Groningæ & Omlandicæ.

TOMUS SECUNDUS.



GRONINGÆ;

Apud JOANNEM NICOLAVM ANNO M. DC. XLVII.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis ac Ho-
noratissimis VIRIS,

DOMINIS

PRO CERIBUS
ET PATRIÆ PATRIBUS

trium Triarchiarum Omlandæ,

Salutem in Domino;

Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Honora-
tissimiq; DOMINI;

SI quis in Fœderati Vestri Belgij hodie-
nam faciem oculos conjiciat, multijugem ejus foeli-
citatem celebrare debet; maximè quod sit Urbi-
bus frequens, Emporijs abundans, Opibus dives,
Mercaturâ celebre, Victorijs inclytum, Armis potens, Excul-
tum literis, Togâ & sago sive belli & pacis artibus nobile, In-
expugnabile situ, & Neptuni, Martis ac Minervæ pretiosissimis
ornatum muneribus: Interea tamen non erit expers solliciti illius
timoris qui solent amorem comitari, si cogitaverit ab altera parte
res humanas, illi similitimas Oceano quem accolimus, solâ suâ
instabilitate & inconstantia constantes esse, & rarò absq; graviori
tempestate abire feruentiores ætatis dies. *Rebus cunctis*, inquit
Tacitus, *inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum*
vices ita morum vertantur; & Virgilius,

— *sic omnia fatis*

In pejus ruere ac retro sublapsa referri.

Adeo verum est illud Arnobij, *Stati temporibus rerum vicissitudines*

(†) 2.

sunt, atque ut in maritimis fluctibus modo secunda res affluunt, modo rursus refuunt, malis reciprocantibus prospera; Hinc commemorantur Ambrosio Urbium cadavera & terrarum exposita funera; & nihil in Rebus publicis Felicitatis æternæ putabit qui cum Modestino Jurisconsulto, ipsam Carthaginem aratrum passam meminere. Nunquam periculosiori loco sunt homines, juxta Medicorum filios, quam cum ad Athleticam perducti valetudinem sua bona suspecta habere debent; Nunquam etiam magis metuendum rebus humanis, quam ubi videntur Prosperitatis suæ Apogæum consequutæ, & illam quadantenus usque ad Columnas Herculis produxisse: Omnis secularis felicitas vitrea est, dum pellucet frangitur: Videtur tum ei imposita recedendi necessitas, cum ulterius procedendi spes & facultas deficiunt; prout Astronomis observatum punctum solstitiale, tropicum esse Soli, qui regredi incipiat cum cessat progredi: Nec suos patitur Luna labores, nisi cum plena est; neque majores portendit Mare procellas quam cum lentam & ignavam Malaciam patitur. Hodie Belgij Provinciæ Fœderatæ sibi gratulantur de illa Pace quam omni studio & ope cogitur redimere Hostis ille sævissimus, qui ut Eas sub jugum revocaret, pertinacissimum istud bellum excitavit & ferè per integrum sæculum continuavit, in quo, judice Campanellâ, plus auri fuit profusum quam habent laterum, & plus effusum sanguinis quam earum canales vehunt aquæ; Hac enim, ut ajunt, pace, Ærario publico mole tanti belli exhausto consulitur, Commercia restituntur & extenduntur, sitque Belgica tanquam Europæ centrum, circa quod dum fixum manet & immobile, omnia sunt in motu; adeo ut aliæ nunc Nationes Ipsæ in portu naviganti, credantur exhibituræ idem illud ferox ac triste Bellonæ Theatrum, quod Ipsa illis antea tamdiu aperuit. Attamen ut quondam ad jacta secundi Templi fundamenta per Judæos ex Babylone reduces, jubilis lamenta inter populum miscebantur, illis lætantibus de operis Maximi felicitibus auspicijs,

auspicijs, his indignantibus quod illud viderent infra Spes suas &
 priscam Majestatem subsidere, ita nunc non desunt Viri prudentes
 & Patriæ studiosi qui inter aliorum plausus de Pacis Almæ reditu,
 noxios angues latere vereantur in hac herba & metuant Danaos
 etiam dona ferentes; Si præsertim Hostis callidus, nec insuetus cum
 Lyfandro Vulpinam jungere pellem ubi deficit Leonina, hac arte
 Belgas à Socijs & Forderatis divullerit, ut non tam in Pacem con-
 sensisse, quam Vires, quibus junctis imparem se sentiebat, infregisse,
 & Trojanum suum equum apud eos introduxisse videatur: Sed ut
 hac in parte securioribus nobis esse liceat, nisi rotæ fatalis immineat
 conversio ac debeat Pace perire quod Bello partum est, efficit ex-
 perta Sapientissimorum Reip. Nauclerorum Prudentia, quâ sic
 cum Hoste transigant de Pace, ut tamen Sociorum nec causam
 deserant, nec excidant gratiâ, & semper meminerint nihil temerè
 credendum Hosti reconciliato, cui præter cæteras artes Politico-
 rum Necessitati ad tempus cedentium, & iras magis dissimulantium
 quam deponentium, etiam illud Sacrorum suorum sacerrimum re-
 tineat Axioma, sæpissimè Belgico sanguine quasi per Rubricam
 Historiarum suarum monumentis consignatum, *Fidem non esse ser-
 vandam Hæreticis*. Quamquam neque sic evanescit adhuc timor
 omnis Meliorum & qui ex animo pro Jerosolymorum pace pre-
 cantur; Nam eo magis malè metuunt Ecclesiæ ex ista Pace, quod
 nivea hæc albedo possit eos spiritus disgregare quos atra Tyrannis
 in unum coegerat, & soleat Satan Pacis externæ occasione, in-
 termam & domesticam quietem pulsare ac convellere: Ad-
 hæc ira ferè cum hominibus comparatum est, ut ipsis, sicut
 Philopœmeni, publica Pax nihil sit aliud quam Meditatio Belli;
 & Sectarios quoslibet, Pontificios præsertim, cristas nunc sup-
 perbius erigere & multa sibi per hanc Pacem polliceri in Erro-
 rum suorum restitutionem, & Orthodoxiæ si non integram sup-
 pressionem, saltem ingentem depressionem, res est in propa-
 gulo; Putant siquidem bonam Causam nunc jacere in Germania
 desertam;

sunt, atque ut in maritimis fluctibus modo secunda res affluunt, modo rursus resfluunt, malis reciprocantibus prospera; Hinc commemorantur Ambrosio Urbium cadavera & terrarum exposita funera; & nihil in Rebus publicis Fœlicitatis æternæ putabit qui cum Modestino Jurisconsulto, ipsam Carthaginem aratrum passam meminere. Nunquam periculosiori loco sunt homines, juxta Medicorum filios, quam cum ad Athleticam perducti valetudinem sua bona suspecta habere debent; Nunquam etiam magis metuendum rebus humanis, quam ubi videntur Prosperitatis suæ Apogæum consequuntur, & illam quadantenus usque ad Columnas Herculis produxisse: Omnis secularis fœlicitas vitrea est, dum pellucet frangitur: Videtur tum ei imposita recedendi necessitas, cum ulterius procedendi spes & facultas deficiunt; prout Astronomis observatum punctum solstitiale, tropicum esse Soli, qui regredi incipiat cum cessat progredi: Nec suos patitur Luna labores, nisi cum plena est; neque majores portendit Mare procellas quam cum lentam & ignavam Malaciam patitur. Hodie Belgij Provinciæ Fœderatæ sibi gratulantur de illa Pace quam omni studio & ope cogitur redimere Hostis ille sævissimus, qui ut Eas sub jugum revocaret, pertinacissimum istud bellum excitavit & fere per integrum seculum continuavit, in quo, judice Campanella, plus auri fuit profutum quam habent laterum, & plus effusum sanguinis quam eorum canales vehunt aquæ; Hac enim, ut ajunt, pace, Erario publico mole tanti belli exhausto consulitur, Commercia restituantur & extenduntur, sitque Belgica tanquam Europæ centrum, circa quod dum fixum manet & immobile, omnia sunt in motu; adeo ut aliæ nunc Nationes Ipsi in portu naviganti, credantur exhibituræ idem illud ferox ac triste Bellonæ Theatrum, quod Ipsa illis antea tamdiu aperuit. Attamen ut quondam ad jacta secundi Templi fundamenta per Judæos ex Babylone reduces, jubilis lamenta inter populum miscebantur, illis latantibus de operis Maximi fœlicibus auspicijs,

suspicijs, his indignantibus quod illud viderent infra Spes suas &
 p̄ncipalem Majestatem subsidere, ita nunc non desunt Viri prudentes
 & Patriæ studiosi qui inter aliorum plausus de Pacis Almæ reditu,
 noxios angues latere vereantur in hac herba & metuant Danaos
 etiam dona ferentes; Si præsertim Hostis callidus, nec insuetus cum
 Lyfandro Vulpinam jungere pellem ubi deficit Leonina, hac arte
 Belgas à Socijs & Fœderatis divulserit, ut non tam in Pacem con-
 sensisse, quam Vires, quibus junctis imparem se sentiebat, infregisse,
 & Trojanum suum equum apud eos introduxisse videatur: Sed ut
 hac in parte securioribus nobis esse liceat, nisi rotæ fatalis immineat
 conversio ac debeat Pace perire quod Bello partum est, efficit ex-
 p̄ta Sapientissimorum Reip. Nauclerorum Prudentia, quâ sic
 cum Hoste transigant de Pace, ut tamen Sociorum nec causam
 deserant, nec excidant gratiâ, & semper meminerint nihil temerè
 credendum Hosti reconciliato, cni præter cœteras artes Politico-
 rum Necessitati ad tempus cedentium, & iras magis dissimulantium
 quam deponentium, etiam illud Sacrorum suorum facerrimum re-
 tinet Axioma, sæpissimè Belgico sanguine quasi per Rubricam
 Historiarum suarum monumentis consignatum, *Fidem non esse ser-
 vandam Hereticis.* Quanquam neque sic evanescit adhuc timor
 omnis Meliorum & qui ex animo pro Jerosolymorum pace pre-
 catur; Nam eo magis malè metuunt Ecclesiæ ex ista Pace, quod
 nivea hæc albedo possit eos spiritus disgregare quos atra Tyrannis
 in unum coegerat, & soleat Satan Pacis externæ occasione, in-
 ternam & domesticam quietem pullare ac convellere: Ad-
 hæc ita ferè cum hominibus comparatum est, ut ipsis, sicut
 Philopemini, publica Pax nihil sit aliud quam Meditatio Belli;
 & Sectarios quoslibet, Pontificios præsertim, cristas nunc su-
 perbiis erigere & multa sibi per hanc Pacem polliceri in Erro-
 rum suorum restitutionem, & Orthodoxiæ si non integram sus-
 pressionem, saltem ingentem depressionem, res est in propa-
 gulo; Putant siquidem bonam Causam nunc jacere in Germania
 desertam;

desertam; Actum esse de Ecclesiis in Anglia, per Hierarchicorum, Independentium, Brownistarum, Enthusiatarum & similium turbonum factiones; Res Reformatorum in Gallia tenuissimo pendere filo, si præsertim in illos, ob Sacrorum communionem cum Fœderato Belgio, hujusce pacis Invidia popularis ibi venerit derivanda; Deliria, Paradoxa & Schismata quibus ardet proximus Ucalegon, & quorum scintillæ jam trans mare cœperunt evolare, brevi Ecclesias Belgij correptura, nec deesse passim novaturientis ingenij homines qui Incendio, ubi cœperit, oleum liberaliter sint affusuri; Se vero tunc, quasi ad messem auream invitatos, sibi invicem dicturos quod habet Historia Sacra, *Ad prædam ô Moabitæ.* At cum etiam sperare debeat qui metuit, quantum lubricitas ingeniorum humanorum, & rerum sublunarium vicissitudo ac Euripus, & erecti in spes tumidas Adversariorum animi, & insidiosa plerumque Prosperitas, mihi sollicitudinis induunt, tantum contra hos metus addunt fiduciæ, firmissimæ Dei promissiones de Ecclesia conservanda & tam potenter munienda, ut nec ipsæ Inferorum portæ adversus eam prævalere queant: Mergitur illa quandoque instar suberis, sed non submergitur; Jactatur sed non disjicitur; Sic luctatur ut tandem eluctetur; Non deseret Deus opus illud tot pertextum Miraculis quod cœpit in Belgio, & Beneficia Beneficijs contegere perget ne perpluant; Vixdum forte est Fœlicitatis publicæ Æquinoctium, quod nos ejus Solstitium Æstivum arbitramur; Summus ille Moderator Olympi, cujus inexhausti sunt thesauri, eam adhuc *Plus Ultra*, juxta Caroli V. Symbolum, producere potest; Nec patietur unquam Errorem & Idolum præscas suas sedes postliminò recipere, & de salutari sua Veritate præmeditatos agere triumphos, aut illud nobis nostræ Trojæ eripi Palladium in quo Salus omnis Reip. sita est. Amphictyonum Fœderatæ Belgicæ, (quod vel Exemplo Vestro, NOBILISSIMI AMPLISSIMI Q; DOMINI, ausum confirmare) ea est in rebus agendis

Dexter

Dexteritas, is quoque Zelus & in Pietate Fervor, & tam grata Beneficiorum cœlitus in Se Suosque Majores effusorum Memoria; ut queant faciliè Corvos istos hiantes deludere, & totum hoc magnæ molis Negotium Pacificationis sic dirigere, ut cedat potius in Emolumentum & Firmamentum Religionis Orthodoxæ, quam in illius Luxationem aut Detrimentum. Ad hæc video quatuor superesse Ecclesijs Belgicis Propugnacula & Munimenta, quæ non faciliè, quicquid hic sperent ac moliantur earum Adversarij, quibunt expugnari; quibusque stantibus, Tranquillæ sævis manebunt in undis, & horum assultus atque conatus ex alto deficiant. Primum est Veritatis quæ est secundum Pietatem Amor & Studium, tam in Magnatibus quam in Plebe: Etsi enim soleant rebus secundis & prosperioribus adduci vitia, ut Vere Ciconiæ & Hirundines, sic tamen omnibus foetet Error & Superstitio, ut aliud Hospitium sibi suisque blanditijs quærere debeat: Equidem *in etate hominum*, ut inquit Comicus, *plurima sunt transfennæ, ubi decipiuntur dolis*; Ast ita præmunitum est Belgium contra Seductorum dolos & transfennas, ut magis debeant esse solliciti de suis reliquijs, etsi vix & ægrè, ductandis ac retinendis, quam de Gregibus Domini imminuendis aut evertendis. Alterum est ingens in Belgio Numerus Ecclesiastarum Eruditissimorum, Facundissimorum & Orthodoxiæ tenacissimorum, quem in Castris Ecclesiæ, cum Macedonicâ Phalange & Argyraspidibus Alexandri Magni in illius Exercitu, ceu invicto ejus robore, conferre queara: Tot Argis Vigilantissimis Gregi custodito, nihil à Mercuriorum Fraude & Fistulâ imminet periculi. Tertium est Vestrarum Ecclesiarum inter se arctissima Compages & Unio firmissima, tum in Fide & Doctrina per communes Formulas consensus Orthodoxi in una Confessione, in eadem Catechesi, in iisdem Canonibus Doctrinalibus Synodi Dordracenæ, quibus omnes earum Rectores subscribere tenentur; tum in Cultu & Ritibus, per communem Liturgiam;

411

tum in Regimine & Disciplina, per Classes, per Synodos Pro-
 vinciales, per Synodales Correspondentias, imo per Natio-
 nalia Concilia sicubi opus fuerit: Jam autem *Vis unita fortior*; &
 quamdiu auream hanc lorica, sacrum hunc castum phrygio-
 nico opere consummatum, Ecclesie Vestrae retinuerint, frustra
 de illis stupro incestandis earum. Adversarij cogitabunt. Quar-
 tum est Scholarum & Academiarum bene constitutarum frequen-
 tia; Ex illis enim jugiter sanior doctrina in Hedenis Dominici
 alveos derivatur, & in illis ut in Vulcani Templo, imo in sacro
 Regni Cœlorum Armamentario, ea semper cuduntur Tela &
 Fulmina, per quæ Heterodoxia omnis facile debellatur, & ab
 Ecclesie mœnibus fœliciter depellitur. Nec sine Numine fit
 quod honestâ Provinciarum æmulatione, illa Virtutis & Verita-
 tis Seminaria sensim multiplicentur; cum etiam hac ratione omnia
 in æquilibrio maneant, dum se mutuo observant Professores
 Publici, nemoque ex illis temerè audet tantisper extra oleas va-
 gari, Æmuloꝝ suorum veritus redargutionem & censuram.
 Frequentiores equidem sunt *ὑπὸ πάλῳ* inter eos, quam si
 omnes sub eodem Regimine & Magistratu Academico versaren-
 tur: Sed viceversâ difficilius inter se possunt conspirare in dispen-
 dium Ecclesie & Veritatis; Imo illa ipsa eorum jurgia cedunt U-
 triusque conservationi, eo quod dissidentes majori cum solertia
 vitare debeant *ἀμείλιαν τῆς ἀνομιᾶς*, ut dicitur Basilio, & præcavere
 omne id quod sibi apud reliquos Heterodoxie notam inurere vi-
 deretur: Sæpè fateor nimium *altercando, Veritas amittitur*, ut ait ille;
 Sed & reperitur persæpè Litteratorum contentioꝝ; & Laurei
 isti baculi mutuo suo attritu flammam excitant, per quam rebus
 antea obscurioribus lux major infertur. Ac sicut Philolophi Mora-
 les Iram statuunt esse Fortitudinis cotem, ita Litteratorum & A-
 cademicorum Hominum rixæ sunt illis in cotem acuminis, & ple-
 rumque eorum sterteret Ingenium, nisi tali aculeo excitaretur:
 Hanc libertatem dissentendi ab alijs, & eos coarguendi sicubi cœ-
 spitave-

Sp̄taverint, qui velit ipsis ablatam, eorum operam longè minus uti-
 lem reddet Ecclesiæ: Aufer apibus suum aculeum, tunc nec mella
 fundent: asperius frænum generosiores equi respuunt, & scitè à
 Phædro dictum, *Regnare nolo, liber ut non sum mihi.* Quoniam
 autem, **NOBILISSIMI & AMPLISSIMI DOMINI,**
 in hac Vestra Academia ad Orthodoxiam propugnandam & pro-
 pagandam & ego sum constitutus, Officio & Conscientiæ deesse
 putarem, nisi eo conferrem omnia mea studia, quæ privatim
 quæ publicè: Quos & quot labores in hac mea Professione susti-
 neam, dum Spartam mihi divinitus concreditam exornare
 studeo, nolim apud Vos operosius deprædicare; cum probè
 mihi sim conscius nihil à Vobis cæterisque meis Dominis Cle-
 mentissimis, ulterius in me hætenus desiderari posse, & Vestrum
 omnium exinde Favorem ac Amorem, me non commeritum
 modò esse, sed etiam consequi debuisse. Iniquius & de me & de
 Vobis sentiam, si id vocem in dubium. Sesquiannus circiter abiit,
NOBILISSIMI & AMPLISSIMI VIRI, ex quo pri-
 mam hujusce Theologiæ Elencticæ partem contra promiscuos
 hominum temporum Errores, Pontificios maximè, emisi in pu-
 blicum: Nunc tandem sub Vestris & Auspicijs & mihi omni
 cultu Venerandis Nominibus, prodit hæc altera pars, æquè
 dicata Utilitati ac Ædificationi publicæ; **JACOBVS TIRI-**
NVS Jesuita, summæ inter suos Celebritatis, & ex illis homini-
 bus qui Gregorio Nazianzeno dicuntur *πλήθει τῶν θεολόγων φιλόσι-*
μίμων, mihi suppeditavit Occasionem & Methodum hujus scrip-
 tionis; Normam verò & Canonem illa ipsa Veritas, quæ di-
 citur Magno Basilio *ἡ κράτιστον τῶν ἀγαθῶν;* sicut *ὁ ἕχρατος ὄρος τῆς*
πορείας, ὁ λιῦδος. Tueantur alij Scriptores ea placita quæ plau-
 sibiliora censeant suo ævo, non quæ veriora, ut de ijs illud Op-
 tati Milevitani possit usurpari, *Omnia pro tempore nihil pro veri-*
tate, mihi sanè semper potior erit, ut Hilario Pictaviensi, fides
Evangeliorum, quam temporum. Nec solum Romanensium præ-
 postera

(††)

postera Dogmata hic voco ad censuram, sed etiam Sociniano-
 rum, Anabaptistarum, Ubiquitariorum, Brownistarum, In-
 dependentium, & generatim omnium eorum qui Reformata-
 rum Ecclesiarum communionem averfantur: Imo & nonnun-
 quam castigo lapsus eorum qui cœtera nostri attamen vel Novi-
 tatis, vel Subtilitatis laudem captantes, aliquid crudius & mi-
 nùs conveniens τῆ ἐπιύψωσε τῶ ὑγιαίνόντων λόγων, in forum pro-
 truserint: Talionis legem & ἀμοιβὴν ab ipsis & alijs non detreeta-
 bo, adsit modò juramentum Calumniæ, (uti dicitur Juriscon-
 sultis;) quod & ego præstare paratus sum: Nec enim me profi-
 teor ἀναμαρτῆδον; *Homo sum, humani nihil à me alienum puto.* Ex
 parte omnes cognoscimus, & ex parte prophetamus, ut Gen-
 tium monet Apostolus; Aliorum respectu mea facio verba Au-
 gustini; *Ego solis eis Scriptorum qui jam Canonici appellantur didicit
 hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum scribendo errasse
 audeam credere, &c. Alios autem ita lego ut quantalibet sanctitate
 doctrinaque polleant, non ideo verum putem quia ipsi ita censuerunt,
 sed quia mihi per alios Authores Canonicos vel probabiles rationes,
 quod à vero non abhorreat persuadere potuerunt;* Sed & mei respectu
 dicam cum eodem meo Lectori, *Noli meis litteris quasi Scriptoris
 Canonicis inservire;* Item, *Negare non possum nec debeo, sicut in
 ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis quæ pos-
 sint justo judicio & nulla temeritate damnari.* Quare ut eorum in-
 dici gratias libenter agam, sic ausim coram Deo senum scruta-
 tore profiteri, nihil mihi semper fuisse vel porrò futurum an-
 tiquius quam receptam in Ecclesijs nostris, secundum Dei ver-
 bum & sui in Orthodoxia consensu formulas publicas, Doctri-
 nam tueri, ac omne Singularitatis studium, ex quo *novus author* pos-
 sem haberi, studiosissimè fugitare. Quod si quis mihi objecerit
 nihil me hîc dicere quod priùs dictum non fuerit, id lubens con-
 cesserò, quia malim potius Vetera & certa tueri, quam Nova
 & periculosa paradoxa Ecclesiæ obtrudere: Addam tamen & me
primum

primum esse ex Orthodoxis qui Tirinum aggressus sit, & novis
 quos necere annitur nodis novo cuneo opus fuisse, & auream
 hanc esse regulam Augustini, *Vtile est plures libros à pluribus fieri
 diverso stylo, non diversa fide, etiam de questionibus iisdem, ut ad
 plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.* Quod
 vero sub Augustissimis Vestris Nominibus, **NOBILISSIMI**
 & **AMPLISSIMI DOMINI**, hunc qualemcunque meum
 laborem prodire voluerim, magnæ me ad id moverunt rationes:
 Primò enim publicum aliquod debui præstare redhostimentum
 communis illius Vestræ erga me Benevolentix, cujus continua-
 tionem semper demereri conabor. Deinde cum Nobilissimo &
 Amplissimo hujusce Civitatis Magistratui præcedentem tomum
 inscripserim, hic omni jure Vobis debebatur, ut gemello huic
 ingenij mei foetui A verruncos & Tutelares præficere Illustri ac
 Præpotentis hujusce Provinciæ *δορυφόρος*: Helenæ solitarius ignis
 in malum omen sumitur à nautis; Si vero illuxerint ipsis Castor
 & Pollux, prosperam sibi navigationem pollicentur. Præterea
 illa ipsa quam hic propugno Causa, & Vos meritò sibi Patronos
 exigebat: Hæc est enim Causa Dei, quam Vobis omnibus esse
 cordi, mihi compertissimum est: Multos inter Vos possim enume-
 rare Antiquissimæ & Generosissimæ prolapiæ Viros, quorum Ma-
 joribus solemne fuerit *Res gerere & captos ostendere Civibus hostes*,
 qui tamen potiozem Nobilitatis suæ laudem in Studio purioris Re-
 ligionis per suos propagatæ & per seiplos porro propagandæ collo-
 cent; Libertatis illius & Temporalis & Spiritualis quâ nunc Fœ-
 lix hæc Provincia fruitur, Primitiæ & Exordia Vobis debentur;
 Rura Vestra peragraverat Euangelium, priusquam in Urbem
 reciperetur publicè, & Illa adhuc sub jugo gemebat, cum Vos
 auram & aerem liberiozem respirare coeperatis. Adhæc cum ex
 Vestra Academia hi fructus prodeant, Vobis meritò, **NOBI-
 LISSIMI & AMPLISSIMI VIRI**, offerri debuerunt;
Uream Vestram quoque dicam causa est in promptu; Civitas ei
 præbet

præbet Hospitium, sed Vos cum illa sumptus necessarios ad ejus conservationem suppeditatis: Ut commune est utrique membro illius Studium, sic Decus ex illa utriq; commune fit; ac sicut Urbis Cives non parum emolumenti consequuntur ex affluxu Studioforum, sic etiam illud redundat in Agrarios, propter rerum suarum promercialium distractionem, prout alimentum in corpore per singula illius membra æquabili quadam proportione solet distribui. Communibus quoque Vestris & Civitatis auspicijs anno hujus sæculi decimoquarto fuit erecta, Aureo illo Programme, quo Illustres ac Præpotentes Domini Ordines, Reipublicæ Christianæ fidem suam in sancto hoc instituto tam solemniter obstrinxerunt, ut metui non debeat Vos unquam de illa vel deserenda vel imminuenda cogituros, quamdiu Honoris & Conscientiæ leges, apud Vos ut lapis asbestus inextinguibiles, vigeant, & ille qui hæcenus Virtutis, Veritatis, Pietatis Spiritus hos Vestros porro reget artus. Imo si quis foret tam ἀμύτος & invitis Gratijs in lucem editus, ut Litteris & Academiâ opus non esse diceret, Vestrum nemo est qui talem Alphonfi Sapientissimi regis Adagio, cujus etiam illud Augustum Vestrum Diplomâ meminit, non statim refutaret, *Vocem hanc non tam hominis quam bovis videri.* Hostis esto Ecclesiæ & Reipublicæ qui de hoc *Ecclesia simul ac Reipublica* perutili consilio, uti ibidem appellatur, unquam refingendò vel per somnium cogitaverit. Numinis & Conscientiæ profanè securus, qui putet posse retractari Votum hac in re Deo solemniter truncatum, his verbis; *In has res bonam eorum censuum partem quos Majores nostri, homines liberales pro modo rerum suarum, animo quidem bono & religioso, sed errorum tenebris implicito ac lapsante, in ἀσκήσια Monastica quondam contulerunt, convertemus, asque in usus impendemus longè meliores.* Fidei publicæ nulla teneatur Religione, qui non servandum censeat quod Edicto publico Ill. ac PP. Ordines tunc promiserunt Deo & Ecclesiæ; *Academiâ in hujus Provincia Metropoli GRONINGA* se aperturos, in qua cura-

rent

rent, tres Superiores quas dicunt Facultates, Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam, deinde Philosophiæ partes omnes, Logicam Ethicam, Physicam, Historias, Disciplinas Mathematicas, Græcam Hebræamque linguam, denique ea quæ in alijs publicis Scholis seu Academjs tradi-solent, cum Disputationum convenientium exercitijs, doceri publicè; Atque his docendis regendisque Disputationibus, Professores doctrinâ insignes, numero sufficientes, liberalibus stipendijs ornatos, ac ad diligentiam in faciendo officio monitis & beneficijs excitatos, favente Deo adhibituros, ac in eo totos futuros, ne quid in hac parte instituto desit. Juxta hanc Legem, **N O B I L I S S I M I & A M P L I S S I M I D O M I N I**, pergetis proculdubio quo pede cœpistis, & quoad Vos dabitur semper operam ut Vestræ Academix, suæ Facultates integre, Facultatibus ipsis singulis sufficientes numero Professores sui remaneant. Hoc debetis Deo & ipsius Nomini: Tot enim cumulati ab ipso Beneficijs non potestis solemnius Vestram Gratitude[m] erga ipsum contestari, cum maximè per Academias ejus Ecclesiæ consulatur & Orthodoxia ac Salutaris Veritas propugnetur. Hoc debetis Vestræ Belgicæ Fœderatæ, cujus summoperè interest plures istiusmodi extare solemniores Virtutis ac Pietatis Officinas, in quibus post Bellum triumphatum Pacis artes sanctiores purè & solidè doceantur. Hoc debetis tot Ecclesijs in vicina Germania immani bello pressis & afflictis, ut possint à Vobis mutuari ignem illum sacrum Orthodoxiæ & Eruditionis, quem utriusque Hostes domi suæ omni molimine eunt extinctum. Hoc debetis numerosis & florentibus Vestræ Omlandæ Ecclesijs, ut habeant semper penes se jugè fidorum & industriorum Operariorum ad vineam Domini Seminarium, ne eos teneantur aliunde accersere. Hoc debetis Vestris Familijs & Filijs, ut sub suorum Parentum oculis in hoc Musarum ἀσκησιῶν ad illam Virtutem, Pietatem & Eruditionem præformentur, absque quâ illas pro filijs Vestris agnoscere nolleris. Hoc debetis Vobismet ipsis, quorum plerique Academico lacte educati & sic Reip.

(++) 3

'admini-

administrandæ præparati, hanc tum Filiz tum Matri suæ Academiae φιλοσοφίας exhibere tenentur. Trajanus Cæsar dictus fuit *Herba paretaria*, quod passim ædificijs publicis nomen suum inscribendo, aliquam inde ad posteros Celebritatem captaret: At longè celebrius fit & latius propagatur per Academiam *Omlandicum* nomen, & quicquid Utilitatis ex illa redit ad publicum in Groningæ & Omlandiz laudem communem refunditur: Et cum prima Academiae hujusce fundamenta debeantur duodecennialibus inducijs, quibus quasi *Belli ferijs ad Pacis artes* curas Vestras voluistis convertere, Pace nunc confectâ Vestræ erit Pietatis, Liberalitatis & Munificentiz, illam augere & ornare novis Dotibus & Privilegijs, & totos in eo esse *nequid hac parte instituto desit*; sed, juxta idem Diploma, *Jura quoque & Privilegia instituto idonea, & bono publico congrua docentibus pariter & discipulis*, tribuantur, & quæ hætenus attributa sunt conserventur. His & similibus Pietatis studijs, **NOBILISSIMI & AMPLISSIMI DOMINI**, de Rep. Christiana optimè ut hætenus merebimini, & cum Deus eorum quoque procuret Honorem, qui de ipsius Honore promovendo sunt solliciti, eum experiemini Vestris ac totius Reip. Consilij ita faventem & propitium, ut Pacem solidam, securam & honorificam consequuti, eam ad Vestros Posteros cum Benedictione Divina transmittere possitis.

In hoc Voto & Omine desino, Vos, Vestros, Vestraq; omnia Deo Optimo Maximo ex intimo cordis penetrali commendans, Me vero Meaq; Studia Vestræ porro Benevolentiz & Protectioni; mansurus quoad vixero

Nobilissimi Amplissimique Domini

u. Groninga à Museo meo.
xxi. Februarij
æ 648.

VV. NN. & AA. Dominationum
Devotissimus cliens

SAMUEL MARESIUS.

In alteram partem ANTI-TIRINI

D. SAMUELIS MARESII,

S. Theol. Doctoris Celeberrimi, Colle-
gæ plurimum honorandi.

Num te, MARESII Celebris, mens avia ducit?
Annon aversum spiritus intus agit?
Certa cum Belgis famâ pax advolat alma;
Siccine ad arma redis? fervida bella geris?
Non inter Belgas Bella, Arma, Minasque vereris?
Gallus & Hispanum strenuus insequeris?
Scilicet has inimicitias indixit Jova,
Fictâ à quo Serpens pace fefellit Evam.
Hinc bellum geritur bellum Dominoque Deoque,
Tax isti bello nulla petenda venit.
Nulla est pax Ario, Mennoni, nullaque Papa;
Solis in Christo Fratibus illa sacra est.
Sic tibi, MARESII, contra sunt cœpta Tirinum;
Sic finita eadem sunt quoque bella tibi.
Ut primis igitur cœptis sum fausta precatus,
Sic nunc hinc fini gratulor, atque precor,
Sint Gallo, Belga, Germano, Anglo, pia bella!
Cæsibus atque sacris aurea pax vigeat!

Deproperabat

ABDIAS WIDMARIUS S. Theol.
D. & Professor ord. ac p. t. Acade-
miæ Rector.

ALIUD!

ALIUD.

Nil coepisse iuvat, nisi clausula ritè sequatur:
Illud enim multis competit, hæc minimè.

i. Reg. Accincto ergo tibi cum sem bona multa precatus,
xx, ii. Cur non discincto gratuler ex animo?

*Fac Deus ut reliquum Vita tibi seruiat uni,
Fratribus & profsit! Cætera vana puto.*

MATTHIAS PASOR SS.Theol. ac Philos.
Doctör & in utraque Fac. Professor ordinarius.

Reverendo, & Clarissimo VIRO,

D. D. SAMUELI MARESIO S.S.

Theologiæ Doctör, ejusdemque in Celeberrima
Groningæ & Omlandia Academia
Professori primario,

in lucem emittenti

Alteram ANTI-TIRINI partem.

Ingenij Vires loquitur tua docta Minerva
MARESI; integritas candida mente subest.
*Integra te Pietas ornat, probitate resurgens;
Integer est Animus, Relligioque tua.
Invidiam tibi clara parit sensusque animique
Integritas, suffert invidiam integritas;
Quin superat; fremitusque excelso in æthere fixa
Despiciens humiles, intemerata sibi est.*

Honorando & amicissimo D. Collegæ
fudit

ANTONIUS DEVSINGIVS.
Med. ac Phil. Doct. & prim. Med.

ALIUD.

A L I U D.

SAMUEL MARESIUS

κατ' ἀναγκασμῶν

SI VEL MARE, ASSUM!

Quid juvat infandis caput objectare periclis?
Inque *Tyro* totum velle domare Babel?
Quod Macedo rex ausus id est, vis Herculeæ orbi
Monstrorum domitrix institit, ausus idem es?
Jam Beli gens cuncta ruent ad mœnia, ad arma;
Et *Tyriis* proavis Afer adesse volet?
Quot populi *Babylona* colunt, quotq; orbis & orcus
Sufficient, in te mox sua spicula ferent:
Quos opibus ditare suis, quos pascere sueta
Mercibus ante *Tyros*, juncta caterva fremet:
Vel conjurato succurret miles ab Istro,
Vinctus & invitus moverit arma Deus:
Iupiter ipse vibrans fulmen terrebit, at undas
Neptunus tumidas eriget usque minax:
Tu contra cordate offers tutum ægide pectus
Hostibus, indutus cœlitus arma Dei.
Nil moror, in me, inquis, cunctus confluat *Avernus*,
Vejovis hinc tonitru, Belus at inde minis;
VEL MARE Neptunus totum SI concitet, ASSUM!
Hicce satis clypeus fluctibus unus erit!
Excipiam generosus eos cunctosque retundam,
Diffiliet scopulo hoc spuma repressa sali.
Sic tibi contingat! tibi sic sit dextra Jehovæ
Justitiæ vindex atque tuæ atque suæ!

Dn. Collegæ & Amicæ Conjunctissimo honorem & as-
sectum præstiturus applaudebam ἀποχρῆσας!

T. ANDRÆ Hist. & L. Gr. Prof. Ord.

(###)

ΕΠΙΝΙ-

EXIMII THEOLOGI

VIRI *supra invidiam Magni & crescentis*

D. D. SAMUELIS MARESI

In hac celebri Academia Professoris latè
CeleberrimiCum abfolveret debellare & castris exuere TIRINUM
olim Miffionariorum in Belgio primipilum.

Seranda Iani Tempia, curet Belgica,
Hostique finem cum jacer donet suo;
Cerpenda Iova bella suppetent tamen,
Quæ Cananaus usque & usque sentiet
Ασπὸρδα punctus ense sacri Flamini.

Post Martiali corde tutum pileum,
Ferro minaci Belgico Caduceum
Vt porrigatur, atque Pax detur FOCIS;
Haud lentius tamen duellum pro tuis
ARIS movendum Belgium! quin acrius,
Tuos enim statuminent Ara Focos.

Et Ecce jam tropæa duplica Tua!
Nam clancularios Tibi in sinu tuo
Animabus exstruens dolos, & trans fretum
Suos Sinones hinc & inde misistans
Tyrannidis illa factioque Iberica,
Hic spectat Emiffariorum Principem.
Illo vibrabat quò suas minacias
Ancilio teloque sacro, confici.

Profligat ipsum nobile illud Symbolum
Cum Celtica, tum Belgica MARESIUS,
Illud tremendum Sepricollis jam diu
In urbe Nomen, quod LATEINI triplicem
Regnum Coronam, cum throno Tyrannidis

Nutare

* 2. Sam.
23. 8.

Nutare fecit, & tremore percussit.

*Inter * Davidis principes Triarios
Quos Iova suscitâverat gentis suae
Exterminandis hostibus * Misramidis
Ductabat ordines Joscheb qui Baschebeth
Dictus Latinis Confidens in pulpito.
Contra recentes loci Philistaeos die,
Quis abnuat verum Joschebum Principem,
Exuscitatum calidus MARESIUM;
Qui Moysi imò pulpito Petri insidens,
Inter duorum Testium rarum gregem,
Adversus illam Babylonem mysticam
Partes tuetur sic suas, ut supparet
Ejus vocati ad calculum, non tot fient,
Quot esse dicunt divitis Nili ostia:*

* nomen speciale
Philistaeorum.

*At verus inclutusque Joscheb duplici
In pulpito claret, micat MARESIUS.
Namque in Lycæi pulpitis prout cluit
Cherubinus, alta doctus Arca foederis
Arcana, quâ peritiâ tum Væjovem
Quiritium, tum cuncta monstra qua genit
Horrenda Noctis quarta Filia Hæresis,
Ad incitas redacta cogit lineas;
Sic in sacrarum fornicum suggestibus
Iures supernè devolasse quempiam
Seraphim, resolvere ora quando audis eum,
Ut inde sacrum nectar effundat suum:
Nam flammea illa lingua quam sortitus est,
Cum Patriarchis lætoris foederis,
Verum Periclem fulgurantem non modò
Sed Nestorem mellifluum, sed (unico
Ut cuncta verbo) Gallicum verè Herculem
Ostentat ipsum, compedire qui potest
Magnetico Eloquentia thyrsosua
Quascunquæ mentes pervicac mortalium,
Sanctè per aures corda suffurans Deo.*

(†††) 2

Hic

Hic Belgia ô gens! Hercules te Belgicè
Quod si ligaret entheato Eloquentio
Sic deperires ipsa compedes tuas
Vt ejus ori pendula haud divellier
Nec vindicari. vinculis velles tuis.

GRONINGA gloriare depòstum cūi.
Hoc grande creditum, cūi splendet jubar-
Hoc, fœnerando plurimum lumen Tibi.
Est sidus illud quod sacris mysteriis
Tuo in Lycéo mutuatur tantam facem
Quantâ beatum non adhuc, unquam fuit;
Nec quippe tam favens adhuc tam commoda.
Gynofura tibi consecrata fuit;
Qua nunc per aquor ducitur Theologia
Vt illud emetirier pedum viâ
Possit, per illam Dadalam, Cleantheam,
Industriam MARESII qua cœlitus
Sacris Alumnis instruendis destina est.
Nam quod rei est ut eloquar præsiscine;
Devota pubes qua sacris hoc tempore
Ab ore pendet entheo MARESII,
Umbrata quamvis non adhuc genas, tamen:
Evadit annuâ die peritior
Quam nuperi juvenca temporis (licet
Vestita malas) integrâ trieteride.

Motiiva non sunt ergò cassa queis cohors:
Omnis studentum te crepat Decus suum,
Lumen suum Te utroque gestat lumine.

Et ecce demereri ipsam denuò
Cum litterariâ simul Republicâ,
Isthâc in Alimâ dum paris factum novum,
Fœtumque nostro Seminario sacrum,
Fœtare qui proventibus latissimis
Ipse undiquaque gaudiò spectabitur.

His His sacratis te dato laboribus.
Gogæ Averni monstra quò condant caput,.

Adversus

Adversus illa certe certamen bonum.
Lernæa magnum nomen Herculi tulit,
Romana majus Hydra do. abis Tibi ;
Hic latiores laureas Campus eret
Quam Circus ille spineus quò te cient
Erebrò Theones nomini invidi Tuo.
Qui commovere moliantur perperam,
Quem Fama, Virtus asserunt immobilem.
At si careres amulis, Virtus suâ
Careret umbrâ, qua carere non minus
Deceret ipsam, quam Tabellam Zeuxidis.
Sat sis Tibi cedrina scripta quòd tua
Latum Bonumque fœnerent nomen tibi
Bonumque Nomen Scripta transferbant tuum
Æternitati Palladisque flammeo.

Hoc exile monumentum devoti & obstricti animi
extare Voluit Præceptoris meritissimo

Ipsius usu & mancipio totus

IOH. MELCHIOR STEINBERG.

A L I U D.

* **V**T rara gignat monstra terra Gallia,
 Nixu frequente prodit Hercules tamen.
 Suos ad exterum vocandos Augiam.
 Ergo recisa post tot ora pristinas
 Excetra cum Papana vibraret minas,
 In te TIRINE pullulante gutture.
 Recente, quo superba Septimontij
 Pellex vomebat toxicum Ditis nigri.
 Exsurgit Alcides novus de Celticâ
 Tellure monstrum Belgicæ propaginiæ
 Novissimum dolone destruens sacro.
 Non Belga, non divisus orbe Belgico

* vide Hier.
 in princip.
 Lib. contra
 Vigilant.

(†††) 3.

Britan

Britannus heic vel Teuto quærit anxie
 Num (quando belli clara laude Francia
 Tropæa figat undecunque gentibus
 Latè - propinquis *Lilium* trementibus)
 Manere Francum visa sit victoria
 Ab hoste veritatis atque mystici
 Achille non inglorio certaminis ?
 Seu tale talem flagitarit prælium
 Heroa, cujus expeditior manus
 Turpis LATINI strage pridem reddita
 Vel hybridam maculasset adversarium ?
 Sed dum *Ἰσχυροῦ* Jesuiticæ luis
 Extorquet pervico Duci MARESIUS,
 Incilat increpatque tarditudinem
 Suam Jehovah quisquis armiger cluit,
 Cum Circus ille gloriæ vel omnibus
 Certissimam sponderet antè lauream.
 Triumphat interim soluta nupero
 Ecclesia tremore (sive Gallico
 Alcide, sive Belgico cæsum cadat
 Commune monstrum) poscit & doctum suos
 Pæana vates, ne qua de Mendacij
 Parente palma transeat silentio.

Ergo TIRINI vapulantis inclute
 Magister, ipsa quamvis indolis Tuæ
 Virtus decore sat refulgeat suo,
 Nec ulla ranci flagitet præconia
 Apollinis, famæve palpum; Te tamen
 Concede cantet nostra lingua iambicâ
 Subnixa libertate, Tete nuncupet
 Impunè nostra Musa *Romuli Iovis*
Lethale vulnus, Teque *Cardinum* vocet
 Vel *carduorum nominis Papistici*
Falcem, flagrumque Iesuitici gregis,
Te veritatis vindicem triarium,
Te Primipilum, Te ducem agminis sacri

Tuâ

Tuâ sinente dicitur modestiâ;
 Vel si Thalia nostra per fastigia
 Dum tentat ire summa gloriæ Tuæ,
 Obnubiletur mole ineluctabili
 Victæque noscat artis impotentiam;
 Saltem MARESI gratias gratas Tibi
 Remetiatur purior cœtus Dei,
 Provolvatur atque Gratiudinis super
 Altare pignus quolibet perennius
 Ære, profana ne qua oblivio premat
 Vix æstimandi muneris memoriam.
 Saltem Tuo subjecta territorio
 Juventus hæc de TIRINO præfule
 Cleroque & ipsa Septimontij Lupâ
 Tropæa, summo ceu forent ancilia
 Delapsa cœlo, exosculetur intimè.
 Saltem (quod unum vota præter vatibus
 Apollo dicitur ipsemet) præfagium
 Furore mens succensa promat entheo.

Hæc charta quæ pro Sospitatore & Vade
 Mortalium decertat ense Spiritus,
 Non pascet unquam fordida blattæ gulam,
 Non tabe putri squallidoque diffluet
 Unquam situ, nec hanc furore percitus
 Quisquam profano lancinare turpiter
 Præsumet; ipsa namque tanti criminis
 Rerum sequetur impigrè Rhamnusia.
 Hæc charta litterariæ rei cluet
 Ornamentum ingens atque maximum dabit
 Morsis dolorem, gaudium faventibus.
 Quin hæc papyrus *bella* quin *arma* & *minas*
 Spirabit illi quisquis in Ecclesiam
 Tentare *bella* & *arma* gestit & *minas*.
 Sed quo redit præfagij compendium,
 Hujusce fama mustei libri fores
 MARESIANÆ pandet usque gloriæ

Quz

Quæ diditur pridem per orbis angulos.
Dum stabit Antichristus in Christi gregem,
Spargetque Veritatis & mortalium
Juratus hostis execranda dogmatum:
Dum Jesuiticam maligne proferes
Layola pestem; dumque innoxium pecus
Lupus necabit & leo lupum premet,
MARESIUM corona prælij comes,
Sacerque præan subsequenter impigro
Gressu; nec illa mentis altæ pignora
Transcripta seculo tollet ulla temporum
Oblivio, vel lædet impetus Stygis.

Sic auguratur & simul vovet meus
* Aperta, sicque consecrat novus cliens
Tibi MARESI Carmen haud quidem Tuo
Dignum nitore & aure, ceterum
Pignus pusillum ingentis observantiæ.

* Epithet.
Apollinis
quando va-
ticipinatur.
vide Fest.

JOACHIMVS BORGESIVS I.F.
Groning. Frisus.

PRÆFA.

PRÆFATIO

AD

LECTOREM.

ANte paucas adhuc septimanas, *Amice Lector*, vix suppetebat mihi ad hoc opus, quod sentiebam vergere ad umbilicum, idonea te compellendi in limine materia; Etenim ad primum Tomum mihi visus sum sufficienter mei in hac scriptione instituti & consilij reddidisse rationem: Et malim alios iudicium de hoc meo labore ferre, quam pluribus referre quid in eo exarando operæ meæ fuerit: Ad illa enim generalia & plerumque in Præfationibus usurpari solita pigebat me convertere, de tædio quod aliàs plus satis occupatus quàm privatim quàm publice, debuërim devorare in hac tela pertexenda: item de venia deprecanda quod propter temporis mihi mille in partes conscissi angustias, non dederim aliquid politius, ornatius, selectius & Erudito ac fastidioso hoc nostro sæculo dignius. Illicò enim ad ista videbam posse regeri, festinato opus non fuisse; cum Resp. Christiana citra ullum dispendium lucubrationibus meis & tot aliorum quos tenet insanabile scripturiendi cacoethes, facile curere possit; Eà nunc librorum multitudine orbem repleri, quæ naufragam pariat potius quàm ædificationem; Ita quendam magni nominis & Celebrem Theologum ante quadriennium *Exercitia & Bibliothecam Studioſi Theologia* circumſcripſiſſe, ut vel illis aliquid adijcere, vel in hanc novam ululam inferre ſcriptionem, ſit digitum ſextum addere pedi, & quod in *traſſ. Samedri* Iannes & Iambres dicebant Moſi in *Ægyptum* invehenti præſtigias, uti rebantur, paleam Rameſes venalem inferre; Adhæc non amari nimium diligentes, nec opera ſupererogationis hodie probari; Habere me meum *Hoc Age*, quo nite deſungi ſatis ſit; nec prudentis eſſe ſe nimijs & ultroneis laboribus extruciare, ſibi que duplicare lateres, eſſi nihil adijciatur paleæ; Exitiſſe ante me in hoc Athenæo viros longè maximos, quorum nec dignus ſum τὰ ὑποθήματα κατὰ δόξαν, qui Profeſſionis ſuæ exercitijs ordinarijs contenti, ejusmodi cruces extraordinarias ſibi non fixerunt; ac præcocius Gallici ingenij truſtibus annumerari poſſe quod unum ego librorum quinquecentij ſpatio ex hac Academia emiſerim, quam à meis Deceſſoribus, viris longè Sapientioribus, per quinque luſtra factum fuerit; Prudentiſſe eſſe ſummæ non temerè prodire in publicum, cum benè vixerit qui benè latuerit; hunc enim de omnibus iudicare & à nemine iudicari; Eum qui ſuas meditationes extrudit foras imitari eos Hollandiæ ruſticos qui in ſuis Encæſſijs cultrum publico loco deſigunt quaſi in vexillum expetiæ pugnæ, ex
(t) qua tamen

P R Æ F A T I O

qua tamen non se solent absque vulneribus ut datis sic etiam persæpè accep-
 tis extricare ; Denique me dum publici utilitatem & Spartæ quam nactus
 sum ornamentum vehementius quæro, otij literarij delicias, quibus frui
 pariliter cum alijs possem, negotiosis occupationibus corumpere, ex qui-
 bus nihil aliud sim relaturus quam sæculi ingrati ordinarium præmium, scilicet
πληγὰς ἀντὶ σῴζων. Cum itaque (si solito alijs Scriptoribus inore præfa-
 rer) hæc omnia præsentirem mihi verè posse reponi, ad quæ deberem me
 confitentem reum profiteri, & Europam Poëtarum referre, quæ postquam
 imprudens se dorso Tauri raptoris commisisset, medij per æquora ponti pavi-
 da ferebatur, *lituique ablata reliquum frustra respiciendo*, illud optare faci-
 liùs quem repetere poterat, planè pendebam animi, & pænè mihi necessi-
 tatem imposueram non præfandi. Sed dum ejusmodi distineor cogitati-
 onibus, commodum evenit ut prodiret D. *Gisberti Voëij Theologi Ultrajecti-
 ni, Selectarum Dissertationum Theologicarum pars prima* ; Quam primum Novella-
 rum publicarum Tritones, hujus Neptuni lætum adventum sonante suâ
 conchâ toti Belgio cœperunt denunciare, ejus copiam nostræ huic Boreæ
 fieri ardentibus exoptavi vocis ; ac primum illius quod huc illatum fuit ex
 emplar, ut incompectum erat, mihi statim procuravi, ea spe quod ibi re-
 perturus essem omnium illorum Problematum explicationem aut corre-
 ctionem quorum prolixum *Syllabum*, idem Author antea emisit ; Inpri-
 mis avebam videre, quo sensu hic affirmasset *Deum ante mundi creationem alicubi
 fuisse* ; quod plusquam Marcioniticum, Socinianum & Vorstianum est. *Posse da-
 ri creaturam que sit ubique* : quod ex Becano Jesuita desumptum apprimè inser-
 vit sustinendæ Transsubstantiationi & Consubstantiationi. *Quædam attributa
 inesse Deo quasi in esse secundo*, id est accidentaliter : *Res à Deo non cognosci quod
 ita sint, sed ita esse quod eas noverit*. *Dicæ Amicorum Iobi etiam thetica, non esse au-
 thentica*, quod & asserunt Pontificij ac Sociniani. *Deum futura contingentia
 nec in suis ideis, nec etiam in causis ipsorum, nec immediatè in seipsis cognoscere*. *Patrem
 (licet ita loquatur cum multis è Veteribus Catechesis Ecclesiarum Galliæ)
 non posse dici principium totius divinitatis*. *Christum post resurrectionem revera non edisse*.
*Licet omne individuum sit incommunicabile unum numero & singulare, posse tamen esse
 tribus commune* ; non nescio quid hic debuerit dicere, sed tantum quid & quo-
 modo dicat attendo. *Peccatum originale esse plenam & omnimodam imaginis divinæ
 privationem* ; unde sequetur in homine peccatore nihil plane imaginis di-
 vinæ superesse, adeoque nec illius everse aut violatæ reum magis esse qui
 hominem quam qui bestiam occiderit. *Unitatem mundi non posse ratione natura-
 li demonstrari*. *Nihil nisi ineptum præter patrum Dei beneplacitum adferri posse cur ho-
 minibus gratia facta sit, diabolis non*. *Deum posse aliquem reprobare absque ulla prævisione
 peccati & ante omne decretum peccati permisivum*. *Objectum electionis ad salutem non
 esse hominem miserum & lapsum*. *Non liquere cur diabolus serpentem potius adhibuerit
 quam ovem vel asinum ad tentationem*. *Omnia præcepta moralia quæ ad Decalogum per-
 tinent,*

A D L E C T O R E M.

*rim non esse juris divini naturalis, nec talia censenda axiomata practica omnia que lumen naturalis innotescant. Christum qua Mediatorem non esse adorandum. Bene electos dei iustificatos antequam nati sint; licet Iustificatio apud Paulum vocationem sequatur quæ sit in tempore. Infantes excommunicatorum non esse baptizandos; contra canones disciplinæ Ecclesiasticæ. Deum univertalia. qua talia non cognoscere; & sexcenta istius generis, (hyperbolicè non loquor) quæ mihi semper valdè paradoxæ & prolixum absurditatum firmam post se trahere visa sunt. Tandem aliquando, inquebam apud me, vir ille Doctus nobis suppeditaverit illius suæ Steganographiæ clavem auream, & nanciscemur hoc in opere, & Mæmonidis More Nebachim, & Gale Razia Rabbi Haccadosch. Mihi tamen dum hac spe non fui ad blanditus, cum illa paradoxæ nec emollita nec explicata ibi proflent; & multo plura æquè heteroclitæ denuò illo contineantur volumine, quod non tam videtur exhibere Selectas disputationes Theologiæ Orthodoxæ, quam obscuram & indigestam molem Anomaliarum Theologicarum. Liceat mihi æquè iudicium ferre de eius scriptis ac ipsi de meis; Nobilis Salmasius festivè scripsit de quodam Eloquentiæ Professore, qui operi suo Historico virum armatum cum gladio stricto præfixerat, melius eum facturum fuisse si facem ei dedisset in manu, cujus luce Lector per obscuras & æstetatas ejus logodædalias viam reperiret; Sentiebat enim vir Magnus fatius esse Scriptori tacere, quam Taciti præposterâ imitatione, intelligi non posse; Eandem facem debuisset D. Voetius huic suo nupero operi præfixisse: nam dum infinitæ vult videri lectionis & prodigiosæ memoriæ, quæ in pœnis semper vividior est quam in viris, sic omittit quæ sunt luminis & iudicii, ut à limine libri Cenotaphium debuerit pingi spinis & sentibus cinctum, cum tali inscriptione, *Hic jacet D. Voetius sepultus in tenebris, expectans lumen iudicii*, loco illius suæ effigiei quam Pallas Ultrajectina (Heroïnæ Schurmannam intelligo) eo epigrammate condecoravit, quod utur dignum illo amore quo fertur in D. Voetium, tamen modestiæ D. Voetii forte fuisset non admittere: nec enim moribus suis hætenus se vivam virtutis præstitit imaginem, nisi forte quo sensu homo in imagine pertransit Psal: xxxix, 7. nec *hominem* debet tribui ingenium ei, qui si suo se metiatur pede, hominem se noscet à quo nihil sit humani alienum. Prima obscuræ istius farraginis in quæ conjeci oculos folia, ultima erant operis, quæ *Paralipomena* inscribuntur: Ibi mecum nomen sæpiusculè occurrere cum deprehendissem, primum subijt mirari qui potuisset locus isthic fieri Marefiano nomini, quod tam sollicitè is author antea excluserat ex sua Bibliotheca, (de quo etiam gloriatus inter suos dicebatur) quasi ineptus libellus foret *liber viæ*, aut ipsi jura Canonizationum in orbe Theologico competere; Sed postmodum deprehendi affectatam illam mei mentionem non alio spectare quam vel ad turbandam amicitiam quæ mihi cum Cl. & Experientissimo D. Desingio Medico nostro primario, Collega meo honorando intercedit, ejusque famam tra-*

P R Æ F A T I O

ducendam, vel ad quærendum in meo & nonnullorum aliorum Celeberrimorum virorum exemplo, planè heterogeneo & dissimili, patrocinium aliquod illi suo imperui, quem necdum deponit, quo Nob. Cartesio dicam personalem scripsit Atheismi, eumque ceu clancularium omnis impietatis Doctorem & paria cum Vaninio facientem traduxit. Inde dilapsus ad libri primordia, prolixum ibi reperij prologum, non *galeatum* modo qualis Hieronymianus, sed omni genere probrorum & contumeliarum ac conviciorum in Cartesium & me nominatim cataphractum, & ita deprehendi Maresium utramque novi illius operis paginam facere, & eodem puncto hunc circulum absolvi quo duci cœperat: In operosa præsertim illa *Præfatione* mordaciter elevatur meum *Systema Theologicum*, quasi ex alijs authoribus melioribus etiam malè descriptum, quia novaturiens ad res Theologicas cum hoc novo authore non adfero ingenium, sed malo vetera tueri, quam de novis & selectis inventis gloriari; & post valde prolixum atque artificiosè consutum injuriarum centonem, eum ad *Kappa* ignominiosum mihi inurendum destinari expressè significatur: Tum sane judicavi idoneam hanc mihi fore præfationis alicujus materiam, nec posse mihi vitio verti si ad instar D. Voetij operi grandiori & quod forte feret ætatem, aliquid assuam illa de lite quam viro illi placuit hætenus mecum exercere: Nec velim illius tantum exemplo me tueri, cum aliàs sentiam pessimè ut plurimum facturum qui illud fuerit imitatus; Sed cum in hac Elenctica mea Theologia, perosque eos impetam adversarios quibus solemne est causâ relicta & missis argumentorù momentis invehi in personas, & plura in eam rem contumeliosa contra me hætenus illis suppeditaverit D. Voerius maledicis & injuriosis suis in me scriptis, partim suo partim alieno nomine editis, quæ plausibiliter mihi possent objici, utpote profecta ab homine ejusdem mecum Confessionis & Conditionis, uti jam ante cœptum fieri, necesse est duo significem; Primò, eo quod inimico jurato non credatur, illum cum manipularibus suis intestabilem esse contra me, in quem huc usque capitali odio fertur & plumbeas iras gerit; Secundò, illius implacabilis odij non aliam ipsi subesse causam, quam ut Fimbriæ olim contra Scævolum, quod graviter ab eo vulneratus, totum corpore ferrum non receperim, sed post pulsatam meam patientiam toto triennio omni genere injuriarum privatim & publicè, tandem ad Innocentiæ meæ Defensionem me accinxerim, & voluptatem illam quam mendacia & calumnias in me conijciendo ceperat, aliquot veritates ipsi graves reponendo, imminuerim. Litis inter nos occasio fuit anno 1642. Procerum Sylvæducensium causa, quos ipse Thesisibus suis virulentis & Satyricis, ut aliorum ejus ingenio ad hanc rem abutentium livori & malevolentia velificaretur, disertè, ex professo & iniquissimè exagitaverat; ego vero, sic ipsis rogantibus quod tunc sub eorum esset imperio, modeltissimè juxta scientiæ & conscientia meæ dictamen, defendi.

A D L E C T O R E M.

fendi, nullâ emissâ voculâ, quam salvâ dissentiendi libertate, potuisset in argumentum odij vel contumeliæ rapere; Interea tamen tanti illi fuit suæ infallibilitatis opinio, ut bidental movisse visus fuerim, quod ausus essem ei contradicere, & exinde quâ privatim quâ publicè, eam cœpit ordiri persecutionis contra me telam, quam solas Parcas abrupturas credo; Taceo varia ejus molimina in meum caput, quæ tamen frustra fuerunt, tum in Synodo Gallo-Belgica, tum in Ecclesiæ ipsius cui tunc inserviebam viscèribus, privatis consilijs & scriptis publicis fovendo illius hominis Schisma & Donatismum, cui prius videbatur suam Disputationem indulgisse: Taceo ejus conatus, omni criminationum genere, ad vocationem meam in hanc Academiam, quæ me nec presente nec sciente procedebat, sufflammandam & disturbandam: Sed duo extant scripta publica quæ statim mihi opposuit, in fellea & acerba, ut molliùs ac mitiùs cû Turca vel Sudeo homo Christianus & Theologus acturus fuisset; Nec enim aliter utrobique describor quam ut publicum quasi catharma & generis humani probum & dedecus Ecclesiarum Reformatarum, laxusque Casuista qui calamum, linguam, conscientiam venalem habuerim & mercenariam Tertulli eloquentiam pretio conductus elocarim, ad innocentiam, veritatem, orthodoxiam, disciplinam impugnandam, Magnatum vitia incrustanda, superstitionem & idololatriam propugnandam, atque mundi carnis & idoli excelsa sustinenda ac reparanda. Priori quod sub Titulo *Retorsionis contra Tertullum* adoptandum dederat cuidam Cornelio Lemanno Gloriosissimo & Ignorantissimo bipedum, (qui tamen ei suum nomen palam præfigere non ausus fuit, utpote tunc adhuc cis impudentiæ Rubiconem consistens quem tandem superavit,) nihil repolui, contentus illius publicâ proscriptione per Ampliss. Magistratum Sylvæducentem: Posterius longè operosissimum & intricatissimum, *Specimen vocæ*, & sub suo nomine evulgavit; posthabitâ Magistratus Sylvæducentis publicâ & multorum privatâ intercessione, qui illius editionem pacis studio sufflammare conabantur. Imo ad honestas litteras Ampliss. Magistratus Sylvæducentis Philippicam in me prolixam & peracerbam reposuit, in qua pro sua humanitate me *Atheistâ & Libertinâ* annumerabat. In Specimine illo à causa transiens ad personam, nullum omisit injuriarum genus quo depecularetur famam hominis exteri, & cui sæpè suam peregrinitatem objicit, licet citâ jactantiam id ausum dicere, me meliùs de Ecclesijs Belgij hucusque mericum fuisse quam ipsum: Si quis Specimen Sophisticæ, Sycophantiæ, Maledicentiæ D. Voetij videre velit; & quomodo albo rete honestatem meam oppugnet, & congerat eum in finem quicquid Græcia mendax audet in historijs, hoc ipsius *Specimen* excutiat; Satis esto tam lætam isthic esse calumniarum legetem, ut ferè non aliunde Ieluitaster quidam, sub ementio Gutertboræ nomine, corraferit virulentissimam in me satyram, laudato in testem D. Voetio, & Speciminis sui paginis citatis ac verbis recitatis.

P R A E F A T I O

quò me tanquam *Falsarium*, *vulnerate exstimationis hominem*, *scandalozarum scriptionum authorem*, *heterodoxum*, *pseudozum*, *calumniatorem*, *mendacem*, *pietati & Religioni contumeliosum*, *Pacis Ecclesiae & Reip. turbonem*, *veritate*, *charitate*, & *prudentiâ destitutum* &c. traduceret. Illi tamen *Specimini* quod prodijt sub initium Martij 1643. *πὸ δὲ* *Sac.* respondere nolui; sed huc delatus adulto Majo satis habui *Epistolium Apologeticum* modestissimum ei opponere, in quo dissimulatis omnibus illius injurijs, concordia Christianæ gratiâ, hac in lite Sylvæducenti magis facti quam juris, receptui canebam, & hanc ferram me nolle cum ipso recipros care solemniter profitebar, quo nos & tempus nostrum ad meliora & Reipub. Christianæ utiliora servaremus. Sed cum sit ejus ingeaij ut nunquam condonet ei quem semel offenderit, licet mea exta hac ratione super ipsius altari effudissem, litare tamen vel eum placare non potui. Perseveravit enim in veteri illo iracundiæ & odij fermento, & multoties de reconciliatione iater nos tentatus, *ἀπορροῦ* remansit: Hinc privatim unum ex meis Collegis, suum quondam Achatem, in me inscium, immerentem, mea satagentem diutissimè studuit concitare, uti postea constitit tum ex hujus confessione, tum ex illis mutuarum inter eos litterarum fragmentis quæ D. Voetius in sua *Pietate* parum pia, ac in *Tribunali* suo verè *iniquo*, ad dissidia ferenda inter Clariss. hujusce Academiæ Professores, propalavit: Imo per illum ipsum aliquem ex Rev. Pastoribus hujusce Provinciæ ad stylum in me stringendum excitare voluit, ut patefactum à Cl. D. Schoockio in *Modesta sua Defensione*, pag. 51. Publicè verò in omnibus ferè suis Disputationibus aliquo saltem Corollario me perstringebat; more scariorum qui brevibus pugionibus ex improvise eorum petunt jugulum, quibuscum justis armis decertere non auderent; Adhæc Apologeticæ meæ *Epistolæ*, quæ nihil præter pacem & ipsius honorem spiraverat, prolixum de novo scriptum valde contumeliosum, sub nomine *Appendicis* opposuit, in quo injurias priores secundis contegebat ne perpluerent; eaque de novo congerebat quitus me Ecclesijs Belgij suspectum & in munere ad quod recens vocatus eram, quantum potis esset, inutilem conabatur reddere: Eodemque ferè tempore, nec proculdubio citra communicationem cum ipso, altera illi *unius philyræ* prodijt scriptio Gallico Idiomate, quâ ex genio Voetiano D. Lecherperius Palinodiam pueriliter cantabat & priorem suam sententiam in causa Sylvæducentium, non sine multis in me acerbius dictis, retractabat. Ad-ditus & alter libellus à D. Voetio, ipsius inscriptus nomine, sub titulo *Excerptorum* ex Albaspino Pontificio scriptore, quo eidem causæ suæ desperatæ contra me, flectere cum nequisset superos patrocinium ex Acheronte quærebat: Ad ista omnia continui me & conticui, atque animi ipsius impotentiam meâ patentia superare tentavi. Quinetiam, cum eadem illa ætate

A D L E C T O R E M.

state anni 1643. ea Satyra Iesuitica, de qua modo dicebam, sub titu-
 lo *Mæris adventitij in me prodijisset*, continens centonem atrocissimorum
 conviciorum ex *Specimine D. Voetij* maxime confutum, nihil ei pro tem-
 pore volui reponere, ne cogeret aliquid dicere de D. Voetio quod mi-
 nus conveniret illi secum paci quam tam ambitiose exoptabam. Verum nec
 ita potui animum ejus pervicacem vel delinire vel expugnare: nam in-
 stans suis principijs, quo meam operam Academix huic in recenti mea
 vocatione, quam impedire nequiverat suis artibus, inutilem redderet &
 me per ora virum traduceret ceu heterodoxum & jam communi calculo
 Scholarum in Belgio damnatum, in illa eadem causa Sylvæducentium (a-
 deo res illi erat cordi, & sentiebat in conscientia nondum disjectam esse
 meam Defensionem arietibus *Restorionis & Speciminis*, verè ad hanc rem
 stramineis) quæstionis statu malâ fide & vitiosè ac sophisticè more suo as-
 signato, favorabilia contra me clanculum partim sibi ipsi dedit, partim frau-
 dentèr alibi emendicavit suffragia. Hæc judicia manuscripta huc de-
 lata & ubique in meum caput disseminata vidi & sprevi, sperans hoc supe-
 rato decumano fluctu, malaciam tandem me consequururum: Imo quo
 tempore D. Voetius C. Macconio p. m. suum judicium extorquebat, prio-
 ri quod dederat in Sylvæducentium favorem planè contrarium, ego ipsius
 arbitrio, ad quod se obrulerat, reconciliationis meæ cum D. Voetio
 committebam negotium; Sed is ab hac Marpesia caute nihil consecui
 potuit. Anno sequenti 1644. cum videret hæc judicia manufacta
 non efficere in Synodis varijs, per quas in unius Maresij contu-
 mæciam, illa curabat circumferri, quod animo destinaverat, procuravit tan-
 dem, ipsorum auctoribus omnibus inconsultis & plerisque ex illis impro-
 bandis, ut describerentur typis: etiam ad id suscipiendum, frustra tamen,
 sollicito C. D. Schoockio Collega meo, quem eo anno Academix nos-
 stræ Rectorem, non uno modo annexus est, ad turbas hic ciendas, con-
 tra me in illa sua causa & sociorum suorum concitare. Verum neque il-
 la *Judicium & additi Postmoniti* acerbioris in me satis expressè conscrip-
 ti, editione abduci potui ab eo patienti silentio quod eo ulque mihi in-
 duxeram; negotij illius decisione & curâ relicta Venerandæ Synodo Pro-
 vincix Geldricæ, ad quam propriè spectabat. Retrospicat quæso parum-
 per ad ista *Amicus Lector*, & seipsum interroget, num tam prolixam in-
 juriarum seriem tamdiu mecum ferre & dissimulare potuisset. Succe-
 dit ordine annus 1645. quo Recturam gessi hujus Academix: Eo con-
 tigit mense Martio ut ad Senatum Academicum devolueretur causa *Carte-
 so-Schoockiana*, eo ordine & modo qui exhibetur in edito hac de re
 Academix nostræ Testimonio, alio ex Collegis Rectore: Tunc autem cœ-
 pit D. Voetius nunquam, instar simiarum ad specula in quibus sua deformi-
 tas apparet, in me furere, ex iniqua & falsa suspitione quod D. Schooc-
 kium,

P R Æ F A T I O

kium (quocum nulla mihi intercede-
 bat familiaritas, utpote quem suis
 artibus statim ab initio meæ huc vocationis à me abalienaverat, quod est
 in propatulo;) seduxissem ad eam *Declarationem* in Iudicio faciendam ejus-
 que subministrandas probationes, ex quibus consticit D. Voetium non sa-
 tis recto pede, ut mollissimè loquar, versatum fuisse in negotio Philoso-
 phiæ Cartesianæ & procuranda à Magistratu suo Epistolæ Cartesij ad se
 condemnatione subrepticia, hoc potissimum argumento, sicut ha-
 bet sententia Ampliff. Magistratus Ultrajectini data in Septemb. 1643. &
 edita ab ipso Voetio vel ejus filio in libello qui inscribitur *Vergebanger*
Procedueren, quod ipse Voetius, nec *author* nec *factor*, nec *corrector* aut *coope-*
rator extiterit Scriptorum in famam Cartesij emissorum; ac nominatim
Admirandæ methodi, de qua hic potissimum questus fuerat; cum tamen ex
 Declaratione D. Schoockij constaret contrarium; & D. Voetium, qui pars
 maxima fuerat hujus libelli conviciosi sub nomine Schoockij promulgati,
 huic voluisse extorquere falsum testimonium, jurandum etiam ex formula
 utriusque scientiæ & conscientiæ contraria, quam huc sua manu eius in
 finem descriptam per quendam Waterlatium miserat: eundem illum suum
 Secretarium qui antea suo & herili nomine huc destinaverat mittere ducenta
 exemplaria sui Speciminis in mei contumeliam. Cum autem nullum esset
 celum aliud ad manum quod in me D. Voetius ideo intorqueret, ipsis die-
 bus Canicularibus, quibus efferari solent canes in rabiem, quo me peregr-
 grinum, nautarum, aurigarum ac cauponum Belgij invidiæ exponeret,
 vel immediatè per se vel mediatè per alium, ut est Briareus centimanus,
 (saltem non diffitetur in sua impia *Pietate*, se *conscio* id factum fuisse, neque
 etiam id negat in nupera sua *Præfatione*;) curavit eadem *Judicia* hæcenus
 Latinè promulgata reddi Belgicè, addito in eorum clavem famoso illo li-
 bello qui *hojt verhael* inscribitur, quem & Ultrajectini Proceres, &
 Magistratus Sylvaducensis utrinque proscripserunt. Ita ad finem usque Au-
 gusti 1645. perpetuis laceffitus injurijs D. Voetij privatim & publicè, ni-
 hil eo usque emiseram quo vel illas injurias me sentire testarer: Quod
 enim in *Syftematis* mei Theologici partim corpore partim præfatione obi-
 ter, ipso non nominato, inspersi, nec ad ejus contumeliam spectavit,
 & mei fuit officij, juxta quod quælibet sphalmata vel in Traditiva vel in
 Doctrina aliorum, adjuventucis præmunitionem teneamur annotare. Sed
 cum sensu etiam crimini mihi verti æquè ac Ovidio, quod in facerrima illa
 Augustalia sacra D. Voetij per Declarationis Schoockianæ foramen ausus
 essem introspicere, & ideo studiose famosum illud *hojt verhael* per to-
 tam Provinciam hanc disseminari, non sine magna mei invidia apud ho-
 mines plebeios, ab exteris plerumque plus fatis alienos, tandem ita
 judicante Senatu Academico, suadentibus quibusdam é Proceribus &
 Curatoribus nostris, aliquid reponere decrevi: Nutantem adhuc, multa me
 ed impule=

A D L E C T O R E M.

ed impulerunt; videlicet quod circa idem tempus *Munus adventitium* Ie-
 suitarum ex Voetiano *Specimine* præcipuè conflatum, huc denuo remissum
 esset ad Urbis & Academiæ Senatam, sub involucris chartæ puræ, sed
 quorum superscriptio mihi semper visa est certissimè manus esse, utcumque
 dissimularæ, unius tamen ex conjuratis D. Voetij socijs contra me; Quod
 viderem totius triennij ferream patientiam nihil mihi ad pacem profuisse,
 sed potius veteres dissimulando injurias novas accersivisse; Quod ex lit-
 tere D. Voetij ad D. Schoockium nostro Senatui communicatis, quorum
 omnium apographa authentica penes me habeo, sentirem ipsum mihi tim-
 iditatem & *nasum cererum* exprobrare & pusillanimitati patientiam illam,
 quæ eousque usus fueram, tribuere; Quod audirem à D. Schoockio me
 tanquam *scelustum* per Voetianos traduci Ultrajecti, ob malas D. Voetij ar-
 res ab ipso D. Schoockio hic in judicio reiectas; Quod etiam eo tempore
 quo patienter & silenter concoquebam omnes Voetij injurias, tamen tan-
 quam *versipellis* & *omni fide indignus* ab ipso describebar apud Collegam
incum, quem nec re nec verbo in mea vita læseram, imo non ante nove-
 ram vel de fama, vel de nomine, quam huc venissem; adeo sub hoc Ti-
 berio filere & loqui æquè periculosum est; Quod post D. Schoockium
 arresto violento propter ea quæ hic declaraverat detentum, præter alias
 D. Voetij & sui Collegæ querelas huc illuc in me disseminatas, suis judi-
 cialibus in Schoockium scriptis mordacissimè ac nominatim coram suo Ma-
 gistratu me illius sceleri (sic enim vocant) implicabant, eo quod ut loques-
 bantur, ab ipsis olim correptus ob Papisticas quasdam Idolomanias & super-
 stiones, me per D. Schoockium ulcisci voluerim; Quam procul sim à
 Papæis superstitionibus Dei beneficio satis liquet; Illarum demum rei
 sunt quicum D. Voetio asserunt, Monachales & Pharisaïcas *præcisitates à ve-
 ra pietate separari non posse* ut nullus sit pius qui Præcisianus, precisus etiam un-
 guibus & capillis ad cutem, usque non fuerit; *Bona opera esse causas physicas per
 se & propriè ditas vite æternæ*; *Libellum Thoma à Kempis* (Monachi summo-
 pite Mariani), pluribus erroribus Papismi delibitum, & quintum Weige-
 laniorum ac Enthusiastarum Evangelium, ut à Cl. Becmanno benè observatur
Exerit. Theol. 21. Papiasmus non continere, sed veram Christianismi Asceticen, (adeo
 ad Monachatum factus est D. Voetius ut etiam Asceticam Theologiam ceu
 quintam in curru rotam apud nos velit introducere) *nihilque x̄sum post sacras lit-
 teras simplicem, efficacem, divinum*; *Magistratum posse bona conscientia res totà naturà suà
 super* (cujusmodi videntur esse D. Voetio usuræ omnes, qui nec aliunde
 quam ex jure Pontificio suam hanc doctrinam hausit) *majoris mali vitandi gra-
 tia permitti*; quo sanè argumento constat lupanarium Romanorum permis-
 sionem publicam defendi à Jesuitis; *Christum quæ Mediatorem non esse adoran-
 dum*; id enim statui non potest nisi ab eo qui cum Stancaro & Pontificijs ne-
 gaverit Christum etiam quæ Deum Mediatorem esse, & cultus religiosos
(11) varij

P R Æ F A T I O

varij faciat ordinis, siquidem impium sit omnem omnino cultum Christo quæ
 Mediatori abrogare; *Posse dari Creaturam quæ sit ubique; Patrem seipsum ac conditione
 generare filium; quod pro Calvino refutavi contra Tirinum tom. 1. Cont. 3. n. 2.
 Verbum EST in dicto Christi Hoc est corpus meum, non esse tropicè intelligendum, Iudicium
 contradictionis in rebus ad fidem spectantibus ex lumine rationis peti non posse; Bona Pfen-
 dæ Ecclesiasticæ in Papæ non esse Idolis consecrata, sed patrimonium Christi consistere, quod à
 supremo Magistratu alienari, in fiscum redigi, aut politicis usibus privatim vel publicè appli-
 cari nec possit nec possit; D. Voëtius id dicit patrimonium Christi quo se ha-
 bilem ostendat ad succedendum, pro sua cum Christo consanguinitate spi-
 rituali; quo etiam fortè argumento, opes ex bonis Ecclesiasticis acquisite
 potuerunt tandem circa scrupulum conscientie per foelix conjugium in ip-
 sius familiam derivari: quanquam id juris deberet potius competere Col-
 legis Sylvæducentibus, quos solet, dum sibi lepidus videtur, tanquam Chri-
 sti a vunculos & B. Mariæ fratres traducere. Multo plura istius commatis pos-
 sim objicere D. Voëtio Papalia paradoxa, quibus Orthodoxam Theolo-
 giam infecit dum impensius quam par est & absque iudicio lacum Asphalti-
 titem Scholasticorum derivare studet in fontem Siloe, & ferruminatione
 barbararum & inauditarum distinctiuncularum, quas nec ipse intelligit,
συγκλωθεῖν τὰ ἀσύγκλωστα. Cum itaque his tandem moverer argumentis
 ad Orthodoxiæ & Famæ & Familiæ meæ Defensionem, calamum arripui &
 exeunte anno 1645. tripartitam emisi Apologiam sub titulo *Vltimæ patienti-
 æ experientia*; quam *ἐπιγραφήν* ideo ridet D. Voëtius cum suis, quod op-
 tasset me semper incudem sub suo malleo fuisse, & Stoicam *ἀναρθησίαν*
 erga se induisse dum ipse Cynicam maledicentiam adversus me protervè
 exerceret; Libri illius prima pars continet iteratam editionem tum *Defensio-
 nis Sylvæducentium*, tum *Epistola meæ Apologetica ad Specimen D. Voëtij*;
 Secunda *Apologiam pro Iudicio R. R. Deputatorum & Ven: Synodi Gelricæ* in
 negotio Sylvæducentis, oppositam præiudicijs contra editis Latinè & Belgi-
 cè in gratiam D. Voëtij; Tertia *Depulsionem præcipuarum injuriarum & ca-
 lumniarum*, quibus tamdiu occasione illius causæ à D. Voëtio ejusque af-
 fectis impetitus fueram: Hic vero ea protuli honestæ & illibatæ meæ con-
 versationis à xxx. & quod excurrit annis testimonia omni exceptione mayo-
 ra, qualia nunquam retulit, nunquam meritis est aut merebitur D. Voë-
 tius. Est ille liber in plurium manibus, qui si quid durius aut inclementius
 in ipsum dictum habet, longè tamen subsidit infra acerbiter contumelia-
 rum quibus me ultra triennium immisericosditer vexaverat: Nec
 potui ibi non retulisse aliquid de negotio Cartesiano hinc apud nos transa-
 cto, quanquam professus solemniter fuerim nolle me illam causam facere
 meam, *ubi. pat. pag. 410.* tum quod ultima vulnere mihi per D. Voëtium in-
 flicta illi causæ deberem; tum quod viderem me nominatim ei implicari cor-
ram*

A D L E C T O R E M.

ram Ampliff. Magistratu Ultrajectino in lite Voetio-Schoockiana; tum quod per calumniam impudentem mihi passim imputabatur quod factum & dictum fuerat à D. Schoockio; tum denique ut in D. Voetium crimen falsi quod calumniosè mihi impegerat in suo Specimine, & postea Jesuitæ ex ipso, jure & verè refunderem. Sic tamen agebam ut nihilominus pacem adhuc deprecarer & me ad omnia Christianæ reconciliationis, quam semper expectivissem, officia promptum & paratum ostenderem. Sed frustra fui: Nam D. Voetius sociato sibi, ut in lite contra D. Schoockium, D. Dematio, homine mihi ignoto, quem nunquam vel re vel verbulo offendi, licet multatariam ab eo læsus, cœpit cœlum terræ miscere, & instar Cæsaris omnes maledicentiarum nubes in unum cogere quas in me effunderet. Auspiciis felicitatis quam sub nomini sui filij emisit, tot intextam contumelias ut nulla sit linea quæ notabili in me convicio careat; Ibi enim passim dicor Elymas, Esau, Cajaphas, Alastor, Phariseus, Diabolus, Satan, Canis rabidus, Vaser, Impius, Improbus, Læsus Casusista, Falsarius, Stolidus, Furiosus, Fautor luxurie, Impotens, Superbus, Iudex rejectus, Subdolanus, Maledicus, Invidus, Malevolus, Nequus, Nequissimus, Pessonus, Calumniator, Mendax, Scelestus, Sceleratus, Scelestissimus, Sceleratus architectus, Sycophanta, Rhadamantus, &c. Famose illi libello reposui statim *Bona fidei sacrum cum Christiana παρρησια* ad C. V. D. Gijbertum Voetium, quæ potiores illius scripti criminationes modeste diluebam, pacem iterum offerebam & luculenter ostendebam quam iniquè & perperam mecum ageret, dum mihi uni imputaret Acta nostri Senatus Academici in causa Cartesio-Schoockiana, totius Collegij nostri communi consensu peracta, & iterum iterumque Nobiliss. & Ampliff. D. D. Curatorum p. t. calculo & autoritate comprobata; utri liquet ibi ex Academico testimonio dato medio Feb. 1646. Circa illud tempus Synodus Gelrica putabatur Sylvæducis conventura; Eò pacis refarciendæ ergo Ampliff. Magistratus Sylvæducis nos ambos honorificè invitavit; Ego superiorum meorum impetratâ veniâ citis quadrigis eò me contuli, nihil spirans præter pacis votum & consilia; presso eum in finem libello illo meo Apologetico qui tamen jam excusatus, animo cum penitus supprimendi si pax inter nos coaleretur: Sed nec Synodus potuit haberi, disturbata artibus Voetianorum qui officias suas sequebantur evanituras ad lumen tam celebris judicij, nec comparuit D. Voetius illorum consiliorum conscius & particeps, scriptâ ad Magistratum illum novâ epistolâ iterum peracerbâ contra me; imò dictum mihi fuit cogitasse eum de me arresto similiter detinendo Ultrajecti, si in transitu intercipi potuissent: adeo putat se isthic dominari, ut in injurias injurijs cumulare queat per eos quos injuriarum vindices Deus esse voluit. Cum autem necdum D. Voetio sibi impia sua *Pietas* satisfecisset, ejusdem farinae emisit paullo post sex suas disputationes: *de Theologia practica*, in Salmasium Schuytium & me speciatim conscriptas, in quibus omnia sua convicia in præcedentibus

P R Æ F A T I O

dentibus scriptis sparsa, sub signa revocavit, & Iuventuti Academicæ, quæ sic eam sub specioso titulo Theologiæ practicæ ad maledicentiam præformet, pro gratissimis ferculis reposuit; Si hæc est, D. Voetij, tua Theologia practica, eristica qualis erit? Ad illas Disputationes nihil dum publicè respondere volui, quia forte partem suam obtinebunt in *Theologo paradoxo*, quem habeo sub manibus, si tandem illum debeam emittere. Nec contentus D. Voetius hæc maledicentiæ suæ validiora tormenta publicè in meam famam direxisse, (sic enim per patrem & filium suum nobilitatus est, ut si non pro Tormentorum summo præfecto, saltem pro eorundem administro, *Gentilhomme du Canon*, queat haberi,) etiam egit per cuniculos, atque per Classem Gorichemensem, cujus nomine antea fuerat abusus in emendandis Theologorum judicij de causa Sylvæducenti, conatus est dissidia serere inter me & Venerandum Ecclesiæ Groninganz Presbyterium; Sed hic apud viros probos & prudentes, quibusque non ignotus Vlysses, ejus pulvis pyrius madidior fuit quam ut ignem conciperet: Litterarum illarum Gorichemensium eum fuisse conscium & fabrum per aliquem è suis in eo coetu emissarijs, (ut & earum quas in suo *Tribunali* postea repræsentavit, licet nunquam illas acceperim, tanquam sub nomine Francisci de Wael ejusque Socij, ad me missas) vel exinde constat quod & in suo *Tribunali* de illis gloriatus fuerit, & earum iterum (ut & aliarum ejusdem Classis ad nostram de quibus nihil dum accepi,) in *Præfatione* nuperi sui operis, magno cum apparatu meminit: Quod si aveat scire quid ad illas Gorichemenses litteras, acriori stylo exaratas quam talem coetum decuisset, nec non alias quasdam Lemanno suo concessas a Presbyterio Sylvæducenti, responderim, præter ea quæ monui hac de re in *Lingua abortiva*, poterit explicari à Venerando hujusce Civitatis Presbyterio, in cujus Archivo meæ notæ ad illas postquam mihi fuerunt communicatæ, asservantur: Et tales sunt quarum me non pudebit si juris publici debeant fieri. Sed necdum finis fuit: Nam iterum novam scriptionem publicam idem homo eodem anno & sub eodem Filij sui ementito nomine emisit inscripam *Tribunal iniquum*, ubi revera seipsum in arte maledicendi superavit; ac sicut solent grandiores naves scapham minorem post se trahere, ita grandius hoc maledicentiæ volumen pone sequebatur unius philyræ scriptiuncula ejusdem planè commatis, quæ alicujus se in titulo Nobilem vocitantis *Judicium* de meis scriptis promittebat, sed tale promebat cui pronuntiando non aliud *Tribunal* quam *iniquum* inservire debuit. Vtrique mox opposui *Linguam abortivam* quod iterata hæc mea Apologia destinaretur refutandæ Diabolicæ illi calumniæ, quam iteratò D. Voetius mihi struebat ex testimonio infanz mulierculæ, quæ dicebat me sibi olim levi colapho justè inflictò, causam extitisse tertio mense post colaphum abortionis ejus in qua foetus bimestris unicum hoc membrum agnitum fuerit & sepultum, nempe lingua, reliquis in uteri sui sarcophago

A D L E C T O R E M.

Cophago absumptis : **Hic** fateor acriori in eum usus stylo sum quam antea ; ac liberalius vomitum suum omnem in illius vultum rejeci, rei indignitate permotus & quod viderem hominem Theologum, & qui etiam dum vivus est Divus fit & canonizatur pro novo Sanctulo à se & à suis, id mihi obijcere de cujus vanitate & falsitate erat in sua conscientia satis persuasus, atque mulierem dubiæ mentis seducere per suos emissarios ad falsum testimonium sibi præbendum, & suo Tribunali inferendum contra me, cur illa ipsa cum suo marito solemni recantatione eorum manu subscriptâ septennio ante in judicio arbitrario de illa injuria satisfecerat: Pressi tamen aliquamdiu opus jam, editum, expectans num aliquis caduceum injiceret: Sed cum per negotia Reipublicæ, consilia quæ jam de concordia inter nos refarcienda Eximij aliquot Viri pacis Ecclesiasticæ & Academicæ studiosi agitabant, tunc procedere nequirent, hoc ultimum fore rati scriptum eristicum inter nos, hanc gravatè consenserunt in illius evulgationem, eo justius quod cum in *Tribunali Voetiano* reus essem, mihi competeret ultima rescriptio. At D. Voetius interim non cessabat ; Nam circa idem tempus procuravit novum scriptum Lemanni in me & Proceres Sylvæduceses suumque quod magis est Magistratum, quod Afinus ille Cumanus, alterius emendicatâ vel præcio conductâ Latinitate, se & Voetio dignissimum, idest contumeliosissimum emisit ; additis ad calcem Jurisconsultorum quorundam responsis factis frigidis, & ad falsam hypothèsim, ut horum mos est, expetitis, quibus *Magistratus* sui in primam suam scriptionem decretum putat infirmari ; Id ~~omne~~ contra quam se suâ manu obstrinxerat, cum per R. R. Deputatos Synodi Gelricæ Magistratui & illis Proceribus reconciliatus fuit. Sed ita debuit in se manu seditionis & perturbatæ quietis publicæ reum peragere. ex *Transactis*, ut eam vocat, cui ipse subscripsit formula, quam exhibuit *Vlt. p. pag. 130.* Ac in versatili Theologia D. Voetij hæc omnia licent bonâ conscientiâ, & tam facile potest quis juxta illius rescripta esse foediæ fragus ac periturus, quam atrocissima quæquæ in alium conjecta convicia excusare à phrasi Scripturæ, quæ etiam Deum ipsum *Leoni, Lupo & Furi* confert. Vide *Vlt. pat. pag. 405.* Illi tamen scriptioni Lemanniano-Voetianæ respondere quicquam sum dedignatus, quod nolim cum larvis luctari, satisque mihi det ille Afinus supplicij quod plateas eas cogatur quotidie relegere quæ adhuc instar Echo sonum retinent & repetunt ebuccinatæ suæ infamæ, auctoritate publicâ : Nullæ sunt arundines in paludibus Sylvæducesibus quæ leni suo susurro non significant quales hic Midas aures habeat. Necdum potuit D. Voetius suis præsentationibus & commendationibus eum inde extricare ; Volunt Amsterodamenses, Leydenenses, Harlemenses, Pastores, quales sui sunt, de meliori nota commendatos ; Si tamen aveat nosse *menum de illo cuculi ovo* & foetu quem excludere voluit judicium, extat *satis proluxa mea ad Amicum quem Sylvæducesem privata in hanc rem*

(113)

epistola,

P R Æ F A T I O

epistola, quam si petierit dari publico in sui honorem, quo ad me non intercedam: Eum interim commendando inspectioni suæ Synodi, aut si potestas ligandi Ecclesiæ data ei coercendo non sufficit, vincula Hippocratis erunt adhibenda quibus suo cum Chabanzo firmiter constringatur, huicque furiosorum bigæ, hominum depositæ simul mentis & Conscientiæ, auriga præficiatur D. Voetius, quæ rectâ vehatur ad S. Mathurinum aut ad S. Hubertum ceu viciniorem: Si trigâ magis delectetur & voluerit tertium addere, primum hujus Tragoediæ architectum, per me licebit. Necdum tamen istis omnibus potuit D. Voetius exfariari: nam cum ipse & sui Collegæ, *Rem judicatam* uti eam vocant, circa usuras trapeziticæ inscripserunt omnibus Belgij Ecclesijs, in sua ad eas *Epistola* liminari, sæpius me nominatim perstrinxerunt, in causâ populariter odiosa & de qua quid sentiendum sit aut statuendum ex Scripturis sacris & æquitate naturali, ipsimet nec capiunt nec intelligunt; adeo dissonas ex illa Academia video circa hanc rem prodire sententias: His insuper in Colophonem additus exeunte eodem anno 1646. iterum sub P. Voetij nomine alter in me libellus, inscriptus *Causa Deserta*: compendium & ἀνακεφαλαιώσιν continens per modum coccyssmi, præcedentium omnium suorum conviciorum; ubi iteratò traducor per lutulentas illas chartas tanquam *Falsarius, Scelestus, Sceleratus, Papiçans, Desertor Ecclesiæ, Mendax, Creensum Diffator &c.* & centies refutatæ & protritæ criminationes, mihi ab hominibus oris illoti & meretricij reponuntur, quibus me vel invitum, in illam arenam quasi obtorto collo retrahere studebant; Ad quæ omnia post innocentiam meam satis superque vindicatam, conticinium opposui, cum nihil mihi restet quam dicere cum Augustino lib. 3. *contra Crescon. cap. 30.* *Ad existimationem hominum magna testium qui me noverunt suppetit copia; ad Dei vero conspectum sola conscientia, quam contra vestras criminationes cum intrepidam geram, non me tamen sub oculis omnipotentis justificare audeo, magisque ab eo esfluentem misericordiæ largitatem quam judicis severum examen expecto.* Sub id tempus Illust. ac PP. Ordines Groningæ & Omlandiæ mandaverant Nobb. & Ampliff. DD. Curatoribus ut honestè sapiendæ illi liti quæ inter D. Voetium & alios quot Professores hujus Academiæ exorta erat invigilarent; Cum in hac cogitatione versarentur allata est *Causa Deserta*, quæ cum indignatione visâ, me ab una parte ad silentium haud difficulter disposuerunt, eum eorum consilia semper mihi sint futura pro imperio, & ab altera scripserunt ad Nob. & Ampliff. Magistratum Ultrajectinum, 24. Nov. 1646. Diu esse quod inter D. Voetium & me viderent varia edi scripta eristica, non doctrinam modo sed famam & mores spectantia; Et peroptasse diu ut illi malo aliquod remedium posset reperiri; Sed omnem ferè spem abjecisse viso cum summo fastidio, hoc ultimo scripto, quod vocant patriâ linguâ *ren al restoodden ende ombesonnen Blacume Boeckken* / quo *bonos & famosa primarij sui in primarij bde Facultate Professoris sanime reverentia maliciose proscinderecur;*

A D L E C T O R E M.

videretur; Offerre nihilominus, juxta id quod in mandatis habebant Con-
 siderentiam super hac re cum Amplitud: suis, ubi & quando ipsis luberet;
 modo interea prospicerent & *sanctè* curarent observari ne quid à suorum
 parte mediare vel *immediatè* ederetur; sed *bonà fide prohiberetur, supprimeretur, aut*
in totum relinqueretur, uti hic futurum spondebant; Ad hæc respondent
 DD. Ultrajectini 5. Decembris sibi quoque placere studium pacis; Cum Voetij
 negotium fuisse communicatum; Patrem pertendisse non minus D. De-
 matium hanc causam spectare quam se, utpote æquè secum læsum Actis
 Academiarum nostrarum; *Causam Deseriam*, quam ita perfringi ægrè ferat Filius,
 solle Patrem, ut nec alios libros, sub alieno nomine in me editos sibi im-
 putari; Interim armistitium futurum, (nulla temporis vel conditionis ex-
 ceptione aut limitatione additâ) & offerri Ultrajectum in locum conventus:
 Ad has iterum nostri referunt 29. Decemb. nonnisi mei & D. Voetij recon-
 ciliationem sibi esse ab Ill. & PP. nostris Ordinibus demandatam, nullâ fa-
 ctâ in eorum Rescripto D. Dematij mentione; Putare se negotio inter nos
 ambos composito, cetera ulterò sequutura; Offerre ad id suam operam
 vel hic Groningæ, vel Swollis, idquè intra finem Ianuarij mox ineundi.
 Quod si Nob. & Ampliss. Magistratui Ultrajectino per suos Professores li-
 casset nullo modo ad pacis consilia inclinare, nihil facilius fuisset: Nam
 revera Dematio vel juniore Voetio ad id opus non erat, cum nonnisi ap-
 pendices voluntariæ essent in hac causa, & principali composito accessoria
 per se evanescent; Si enim D. Voetius in isto congressu triumphasset,
 etiam hi servantes impedimenta victoriæ particeps fuissent; si verò causâ
 cecidisset, ipsi stare non poterant. Verum dum hi, ut verosimile est, re-
 moris suo Magistratui injiciunt, aut ipsemet Nobiliss. & Ampliss. Magi-
 stratus, suis de causis cunctatur, noster Tabellarius hac inanis & absque re-
 sponso remittitur; patiuntur DD. Ultrajectini elabi totum mensem Janua-
 rium intra quem nostri se continuerant ad causæ cognitionem; & tandem
 suis litteris scripsit VIII. demum Februarij anni 1647. petunt à Nobiliss.
 & Ampliss. DD. Curatoribus, velint in proximis Comitij obtinere suam
 Commissionis ampliationem & facultatem agendi quoque de Dematio &
 Paulo Voetio; eam si consequantur ventores huc suos Commisarios
 eum tribus illis suis Professoribus ad negotium terminandum. Nobiliss.
 & Ampliss. DD. Curatores, etsi non occulta subesset ratio suspicandi Voetium
 non hic *sehorrod'èr* & consulto eum mora snectere, tamen 13. Feb.
 & illud post acceptas litteras, etsi præcedentes suas ramdiu neglectas ja-
 cuisse viderent donec elapsa fuisset spatium quod proposuerant, res-
 pondent se ad instantia Petrina Comitia de re tota relaturos, & quid de-
 cretum fuisset quam ocyus Ultrajectum perscripturos. Verum enim ve-
 ro, eo ipso tempore quo Comitia habebantur sub finem Februarij huc
 est allatus, novus D. Voetij foetus, nempe libellus in me famosus, sub
tululo.

P R Æ F A T I O

titulo *Epistola Isaaci Chabanæi*, editus Ultrajecti, apud Iohannem Waesberge ordinarium Voetij Typographum, nomine Urbis & Typographi expresso: Nova hæc Chabanæo-Voetiana proles, non aliò spectabat quàm statumendam Diabolicæ illi calumniæ quam jam ante D. Voetius mihi in præcedentibus suis libellis struxerat, & de qua me solemniter purgaveram in *Lingua afortiiva*, promulgatâ formulâ recantationis quâ mihi de illa Chabanæus & ejus uxor anno 1639. in judicio Arbitrario etiam sub suis manibus abundè satisfecerant. Quamvis autem non intercessissent consilio Nob. & Ampl. DD. Curatorum alia majoris molis negotia, tamen ipsis potuit sufficere hujus libelli promulgatio, ut sentirent nihil fidei vel sinceritatis à D. Voetio hic expectari posse. Quid enim est fidei publicè stipulatæ & pactæ violatio, si hoc non est? Quis unquam Deo & hominibus nequius potuit illudere? Hinc fuit stipulatum à nostris, ut *bonâ fide*, *getrouwelich*/ omnis scriptio utrinque suspenderetur, nec quicquam tantisper prodiret vel *mediatè* vel *immediatè*; In id consensit Ampliff. Magistratus Ultrajectinus, re communicata cum Voetijs & Dematio; Interea tamen D. Voetius securus Dei & hominum, eo ipso tempore quo suum Magistratum ad hæc videt publicè obstrictum, procurat ut in ipsius contemptum & mei contumeliam, non clam & cum aliquo pudore, suppressis nominibus Urbis & Typographi, sed palam & apertè his additis, hoc scriptum famosum prodeat in pedamentum & velamentum suarum calumniarum; Ut videlicet dici possit, Magistratus quidem Ultrajectinus nihil tale proditurum solemniter promiserat, & promiserat *ἀνευ δόλου καὶ ἀπατηῆς* ex veteri formula, sed id præstare in sua Vrbe vel non voluit, vel potius non valuit, quia non habet imperium in illas Belluas, & quanquam adhuc ægrè retineat imperij simulachra, tamen summa potestatis est penes Voetium demagogum, qui omnes legibus suis teneri vult, se nullius. Nec est quod dicat D. Voetius se quidem de seipso id promississe suo Magistratui, sed non de alijs; nam stipulatio DD. meorum hæc erat, ne quid *mediatè* vel *immediatè* prodiret; quibus verbis proculdubio respexerunt ad Voetianas minas in *Causa deserta*, partim de venturis hæc novis Gorichemensium litteris pag. 14. de quibus missis etiam nunc gioritur, licet necdum mihi visæ sint, partim de prodituro aliquo scripto nomine Chabanæi in defensionem falsi illius testimonij quod ab ipsius uxore extortum D. Voetius suo *Tribunali* inseruerat; Verba illius prostant *Causa deserta* pag. 13. *Manifestabunt totam illam causam ad quos illa peculiari jure spectat; & pag. 16. Docebit hoc nullus dubito matrona illius maritus &c.* Et res ipsa loquitur in unius D. Voetij gratiam adornatam scriptionem, ex illa sua Vrbe, per hunc suum ordinarium Typographum, & de qua jam mihi minatus fuerat, ipso nescio non prodijisse: Suntque penes me viri honesti & fide digni litteræ Ultrajecto scriptæ cum prodijt, quibus significatur pro certo unum ex DD. Profesforibus Ultrajectinis eam ad prælum correxisse: Reliqui autem omnes

A D L E C T O R E M.

tem omnes sunt honestiores, quam ut oculos & manus suas eo luto im-
 ficere voluerint. Et cum secundarum litterarum à Gorichemensibus scrip-
 tarum conscius & particeps fuerit, quandoquidem & illas venturas præ-
 dixit in *Causa def.* & eas venisse testatur in *Præfat. nupera*, cum etiam in hac ead-
 em *Præfat.* illius Chabanzanæ epistolæ autoritate nitatur & testimonium
 laudet contra me (adeo vitreæ sunt ejus fraudes quæ dum pellucet fran-
 guntur) eam citra ipsius conscientiam prodijisse nemini persuadebit. Ea me
 movit ratio, ut inutilissimi scripti mendacia putida refutaturus, scripse-
 rim & prælo commiserim sub finem Martij 1647. meam *Expostulationem ad*
D. Voetium, de violata fide publica, editione epistola virulentissima, quam emisit Vl-
trajecti, sub nomine Is. Chabanzani, cum brevi ejusdem Epistolæ consutatione & Para-
doxorum quæ Voetius in Theologia fovet Specimine. Nolebam enim me committere
 cum Chabanzo homine infami de jure & de facto, bipedum nequissimo,
 mendacij multiplicis & calumniæ solemniter convicto ac planè inestabi-
 bili & cujus linguam habeo sub clavi, ac mihi ea impudenter impingenti,
 quæ falsa & diabolicè calumniosa esse, non solum fide omnium honestiorum
 Sylæducentium & ex Actis ibi publicis, sed etiam in ijs quæ Galliam spectant
 totius Galliæ testimonio possim comprobare; Nuper adhuc Ecclesia Laodunen-
 sis, verissimum mihi perhibuit testimonium de causa & occasione vulneris, mi-
 hi illic ante 25. annos inflæti per scarium ad id subornatum ab adversarijs Ec-
 clesiæ, anno antequam Sedanù essem vocatus, & quadriennio antequam scirem
 esse in rerù natura uxorem quam duxi; tantum abest ut id vulneris retulerim
 prout isti calumniantur, quod fidè conjugalem alteri puellæ datam fefellerim
 & melius dotatam ei prætulerim; Sanè testantur isti homines malè se nosse
 statum, ordinem, disciplinam Reformatorum in Gallia, cum sola libidine
 mentiendi talia promunt. Quare (quod semper sum facturus in similibus,
 instar Medicorum qui causam mali expugnandam statuunt,) has om-
 nes sordes D. Voetij, licet fortè alienâ manu projectas, in illius faciem reji-
 ciendas & ab eo resorbendas esse putavi: Et sicut Camillus apud Livium
lib. 5. volui hunc vilem prædagogum manibus post tergum illigatis, ad
D. Voetium cum suo filio, remittere, quippe qui arma, ut ille, habeam non ad-
versus eam aculem cui etiam capitis urbis parcitur, non adversus capularios
 delinque senes & pueros imberbes, quos hæctenus post principia lati-
 tans mihi opposuit, sed contra se unum à quo omnium illorum quæ hucus-
 que passus sum hac in causa rationem semper sum exacturus. Pressi tamen
 ultrò hucusque illam Expostulationem, partim motu proprio, dum expe-
 cto num fortè Ampliiss. Magistratus Ultrajectinus suam fidem & auctoritatem
 illâ Chabanzo-Voetianâ epistolâ graviter læsam, sit vindicaturus ex Nobili
 officio; partim rogatu amicorum qui dictitarent, Satis me meæ innocentie
 & famæ dedisse, aliquid insuper dandum esse Paci & Edificationi publicæ,
 quæ talibus scriptis nulla ratione promoveatur; Chabanzo potius condo-
 lendum quam irascendum, qui cum sit in mancupio & potestate suæ uxoris
mentis

P R Æ F A T I O

mentis emotę, per eam evaserit vile mancipium libidinis alienę ; Prostra-
 re in *Lingua abortivă* eorum recantationem integram, ut ad ipsorum infamiam,
 vix amplius quid adjici possit, hoc maximę temporę quo Astręa caput
 inter nubila condit, & passim justitię nervi factionibus succissi sunt ;
 Mihi negotium esse cum hominibus maledicis, qui habent quęstui malę lo-
 qui melioribus, & qui silentio magis vincantur quam responsonibus ; Na-
 tos eos esse ad ocymum serendum, & palam Mystras se profiteri illorum sa-
 crorum quę olim nonnisi maledictis peragebantur, adeo ut putent id fore
 mali ominis si quid honesti sibi exciderit ; Cętera Deo esse committenda,
 qui innocentiam & veritatem aliquamdiu quidem premi, penitus ver-
 rō opprimi nunquam patiatur. Sed D. Voetius non contentus sui Magistratus
 fidem publicam illa ratione violasse, ulterius progressus est, suā illā
 violentā *Prefatione* nuperā cujus demum gratiā videtur grandem illam the-
 sium suarum molem in publicum emisisse, & in qua apertę proficetur resi-
 lire se ab eo silentio cui antea obstrictus fuerat ; ut omni jure arma mihi in
 manu nunc sint reposita ; nec justę possim culpam quod subinde in hoc opere,
 maximę circa finem, postquam illud ipsius novū & opus & facinus prodijt, The-
 ologica ejus paradoxa ad veritatis elucidationem obelo conficiam, & signem-
 scopulos subinde in ejus Theologia occurrentes, si fortę, quandoquidem impla-
 cabili est in me animo, possit ad Realia, personalibus missis, traduci ; quo saltem
 ex istiusmodi rixis aliquid utilitatis redeat ad publicum & ex silicibus nostris
 collisis rebus aliis obscuris aut ab ipso obscuratis, aliqua lux major affulgeat.
 Hac ratione paululum ejus deprimitur supercilium, & sentiet se non haberi
 nec habendum esse pro norma fidei & Canone Ecclesię (licet etiam prius ca-
 nonizatus quam natus fuerit) cum nullum sit Theologię caput, in quo aliquid
 monstri non alat ; Id etiam ad meum munus & nominatim hoc opus Elencti-
 cum spectat, ut noxias herbas vel revellam, vel saltem indicem : Nec
 aliud quam premo ejus vestigia ; Equum est ut tantum mihi concedatur in
 ipsius scriptis, quantum ipse prior sibi permisit in meis ; Et totius Eccle-
 się interest ut grassantibus erroribus & Inventuti incautę tam liberaliter
 propinatis, obviam eatur, & saniorum verborum hypotyposis quam varię
 labefactant reponatur in arce ; Ex illis quoque non relinquetur dijudi-
 candum lectoribus, utri nostrum conveniat illud elogium apud Cyprianum
*epist. 8. lib. 2. quod sit Curiosus semper ut prodas, adulator ut salvas, nunquam fidelis
 ut diligat ; sax & ignis ad constanda seditionis incendia, turbo & tempestas ad facienda
 fidei naufragia, tranquillitatis adversarius, pacis inimicus.* Quamvis autem ex ijs
 quę jam retuli, facilę concidant quę *d. Spew;* in suā nuperā *Prefatione* D. Vo-
 etius congerit, haud abs re tamen me facturum existimem, si paucula etiam
 annotaverim ad illam *Prefationem*. Primō sollicitę reperit quę in se acer-
 bius scripti & tres libellos enumerat præfixo nomine suo à me emisos, *Vi-
 cinę Patientię, Bonę fidei Sacrum, & Linguam abortivam.* At multo plura &
 acerbio-

A D L E C T O R E M.

acerbiora ab ipso passus fueram toto fere quadriennio, priusquam vel iterulam chartis illevissem ipsi contumeliosam : Iam enim in me prodierant, 1. Retorsio, 2. Specimen, 3. Appendix, 4. Retractatio Riveriana, 5. Excerpta ex Alaphino, 6. Iudicia cum postmunito, 7. hozt verhael/ cum tot alijs privatis injurijs nominalibus & realibus, quarum supra obiter memini, (nam longum esset ire per singula) cum appuli animum ad mei Defensionem. Postea verò in me nominatim prodire ex ipsius pharetra, 1. Pietas, 2. Tribunal inquam, 3. Nobilis Lecherperij Iudicium epistolare, 3. Causa deserta, 4. Epistola Rei Judicatae preta ad omnes Ecclesias Belgij, 5. Dissimulatio sex de Theologia Practica, 6. Cornelij Lemanni Brevis Responso, 7. Epistola Chabanai, & 8. hæc ipsius Prefatio, in qua incipit se prodere ; atque sic pro tribus libellis necessariæ meæ Defensionis datis, sexdecim libri *σημιτευλικοι* typis descripti in me sunt emissi, & septem ex illis priusquam mutivissem : Sed D. Voetius qui ad pedis pulsum cum Pompejo integras legiones Maledicorum in me potest concitare, optimè recordatur injuriarum quas putat accepisse, ast obliviscitur facilè earum quas intulit ; quia sibi omnia & in omnes licere arbitratur. Verum ita solet hominibus evenire, ut quam voluptatem ceperant malè dicendo eam malè audiendo amittant. Quare hic illud debeo usurpare ad eum & suos, quod habet Plautus : *Viam qui nescit qua deveniat ad mare, eum oportet annem quæret committi sibi ; Ego malè loquendi vobis nescivi viam ; nunc vos mihi amnes estis, vos certum est sequi ; Si benedixeris nostrâ ripâ vos sequar, si maledixeris vestro gradiar limite.* II. Solemniter protestatur falsa esse omnia quæ de se scripsi ; At protestari & mendicare nemini interdicitur ; Quanquam hic tardè venère Bubulci ; nam longè æquius ipsi nunc causam exprobrement desertam, quam ipse mihi ante annum, quod contentus absterfione graviorum calumniarum, sigillatim ad reliqua ejus convicia respondere noluerim. Eorū omnium quæ de ipso scripsi graves habui rationes, & sufficientes attuli probationes scubi opus fuit ; quanquam fateor talia sint quæ malle propter ipsum vera non esse : ubi mihi satisfecerit de tot injurijs mihi illatis, ad singula querelarum suarum de me capita distinctè respondebo : Interea rogo lectorem ut loca illa meorum libellorum legat ex expendat, nec ad lacinias quas profert D. Voetius in sua Prefatione simpliciter attendat ; ac tantisper ipsius protestationi meam reprobationem in contrarium oppono ; jam sumus ergo pares. III. Queritur de triplici genere injuriarum acceptarum, quarum aliæ politicam ei affuunt infamiam, aliæ a laziæ Ecclesiasticæ illum reum peragunt, aliæ ipsi heterodoxiæ notam inurunt. Sed quam vera sunt quæ ei in tribus hæc capitibus regessi, ad quæ probanda semper ero paratus, si sufficienter probata non videantur ex superioribus meis scriptis Apologeticis, tam certum est me hæc illi objecisse non animo injuriandi, (ipsi & mihi gratulabor si ea planè diluerit) sed retorquendi in ipsum atroces in illis tribus capitibus criminationes, quas sola calumniandi libidine, priusquam vel ver-

(111 2.)

bulö

P R Æ F A T I O

bulo cum læsisset, mihi publicè impegerat ; Nam quis ferat Græchos de seditione querentes ? Nihil dicam de ultimis ejus scriptis in quibus traducor tanquam Desertor Ecclesiæ, Falsarius, Reus criminum capitalium & quæ poenam sanguinis merentur, qui sceleribus *laqueum* sit meritum, Papians, Scandalosus &c. Sed priusquam aliquid in ipsum emisisset, me jam tanquam Laxum Caluistam, Falsarium, Scandalozarum scriptionum auctorem, Vænalis calami & conscientiæ hominem, Malarum causarum advocatum, Papismi & Idololatriæ patronum, à Synodis notatum &c. publicè descripserat, in *Retorsione*, in *Specimine*, in *Appendice*, idest ut ipse loquitur, *publicis & victuris chartis Professoris Theologi nomen & auctoritatem præferentibus*.

iv. Protestatur nullam se sententiam quod sciat à recepta in Ecclesijs Reformatis doctrina dissentientem propugnare. Sed Paradoxorum ipsius Specimen dedi aliquod tum in hac Præfatione, tum in hoc Opere, in Prodrorum *Theologi paradoxo* si illū mihi extorqueat: Et cum nominatim doleat Brownismum sibi impingi, hoc toti inclamo Belgio D. Voetium non ex alijs lacunis quam turbonum & Perseuistarum Anglorum suas ineptas præcitas de Sanctis, ut loquitur, de capitulis, de rerum ac collegiorum nominibus, de templis & templorum suppellestilibus derivasse. Dum enim ut est peritus linguæ Anglicæ, auidius lectitat libellos eâ linguâ editos, ad Weigelij & Thomæ à Kempis, (quo nihil unquam vidit divinius) Enthusiastomos ducentes sub purgatoris religionis prætextu, non animadvertit suam Theologiam practicam æquè illo fumo, ac theoreticam Scholasticorum non satis judiciose lectorum fuligine insici. Vir ille Doctissimus, qui sub nomine Honorij Reggii Kemnathensis edidit *Commentar. de statu Eccl. in Anglia*, pag. 38. Brownistarum erroribus annumerat, quod omnia templa structuræ Pontificiæ respuant & velint everfa ; statuunt ne quidem civili modo nominandos locos vel tempora *querunt ullum vestigium alicujus Sancti vel idoli ; & rejiciant, nomina templorum S. Andree, Pauli, Petri, mensis Januarij, Februarij &c. & dierum Solis Luna Martis &c. Hac omnia, inquit, illis sunt profana & illicita ; at illa ipsa paradoxa jam diu D. Voetius pro suis adoptavit ; nam statuit *Idololatriæ participatæ & interpretatiæ rem fore qui in templo precaturus plerumque se verterit ad Orientem, etsi tamen non attendat ibi esse aut fuisse chorum quo Pontificij certa quadam intentione se convertant inter orandum ; Homines non esse appellandos Idolorum nominibus, nequidem ad imitationem nominis in familia aliqua ante hæc imposti ; Abstinentium & phrasibus & adagijs in quibus occurrunt verba ominari, augurari, auspiciari, Sibyllæ folium, bonis avibus &c. Item ab authoribus Ethnicis utraque linguâ, imprimis Poetis Comicis & Satyricis in Academia aut Schola triviali explicandis ; Disturbanda & relinquenda insignia Familiarum, Collegiorum, Civitatum, Regionum, Navium, Scholarum, Edium, quæ imaginem idoli Ethnici e. g. Palladis, (sic Academia Leydensis Idololatriæ rea sit) Veneris, Iovis, Neptuni, continent : nec non insignia quæ præferunt vel Christum vel Spiritum Sanctum, at Trinitatem, idque vel propriè vel emblematicè seu hieroglyphicè, per agnum, cruce-**

aut

solum

scilicet (hinc seipso doctior factus D. Voetius Academiae Ultrajectinae prima insignia prioribus suis thesibus praefixa abrogavit) *columbam, triangulum cum radijs & nomine Dei, vel Sanctos Chimericos ut Georgium, Catharinam, vel verè Sanctorum adjuncta signa & symbola chimerica, e.g. Petri claves, ejusdem cathedram papalem, vel Angelorum aut Sanctorum imagines; Evertenda Tempora quae formâ sint Idololatriæ & idolum reserant heroglyphicè aut ejus imaginem nempe crucem; cujusmodi tamen vix alia sunt in toto Belgio; Nescias esse alicui propinare in ipsius sanitatem; Comam ad catenam usque eradendam; Calceum paulò longiorem pede non esse gestandum; Osculo matronam advenientem excipere, aut simili ritu ei valedicere non esse licitum &c.* Quam miras iste homo meditatur Reformationes in orbe, si nanciscatur Archimedis punctum in quo firmet pedem ad commotionem universi? Interim si illi auctor ut incipiat à seipso, & loco *pedis* quem habet in suo stemmate, ne videatur ad Sancti alicujus reliquias aut B. Virginis calceum spectare, assumat Tormentum grandius, cum hac inscriptione *Bonorum*. De Dogmatica illius Theologia hoc solum moneo, uel ex hoc ipso opere suo patere, quam ea sit obscura, intricata, Scholasticorum nebulis obfuscata, repleta paradoxis: Quamvis etiam in *Syllabo* pertendat ἐποχὴν esse illicitam in rebus fidei, sæpè tamen hic ipsum videas vel ἐποχὴν persuadere, vel multa problemata Theologica quos *libericè* disputanda relinquere, hac vel simili formula, *Disquiratur aut Disquiri permittitur*: quâ ratione Inventum rectâ ducit ad Pythionismum & Scepticismum in rebus sacris: Hunc morem perniciosum quem solus Theologorum sectatur in Belgio, imo dicam in Orbe Reformato, Illustrissimus ac Celsissimus Princeps Auracus, foelicissimæ memoriæ, & qui S. C. à consilijs fuerunt, in Collegij Auriaci Bredæ *stauis* condendis, meritò sunt deestati; nam inter illa statuta, hoc extat §. 12. *Theses Theologicae quolibeticæ ne proponuntur*. Quibus verbis paucis indicant non posse benè doceri Theologiam nisi ordine planè illi contrario quem homo hic singularis & Phoenix quolibeticus insistit: & quamvis multum in hac *Prefatione* gloriatur de sua didacticâ, nondum tamen vidimus multos ex illorū *Phoeniculis* evolasse. v. Prolixum texit Catalogum quarundam meorum de se assertionum, quas partim ut falsas negat, partim ut veras admittit, partim relegat ad Categoriam *non entium & homonymorum ante factam distinctionem*: At sicut Leo X. sub varijs titulis Lutheri propositiones damnando, debuisset speciatim enotare, quæ hæreticæ essent, quæ scandalosæ, quæ piarum aurium offensivæ, ira debuisset D. Voetius distinctionum suarum beneficio ambiguis meas explicare, & simpliciter falsas non recensere modo sed refutare: Ego enim pertendo tam vera esse omnia quæ scripsi de ipso dum me defendo & quæ mihi impacta volebat illi repono, quam proestor falsa, mendacia & calumniosa esse quæ per se & suos hætenus in me evomuit. Adhæc puerile est D. Voetij hac in parte artificium, & indignum ejus sinceritate qui *viva virtutis imago* vult haberi: Nam am-

P R A E F A T I O

bitiosè quidem ostentat quæ à me duriora se passum credit, sed subdole dissimulat omnes illas injurias quas prior intulit mihi, & quarum occasione, illa omnia quæ profert fuerunt in ipsum regerenda; Meas explicat festucas, ut ex illis major mihi creetur invidia, sed suas abdit trabes: vult gaudere Empiricorum privilegio, quorum foelices successus sunt in aprico, cum tefra eorum errata tegit. Sed nullum tam vœcordem nanciscetur Lectorem qui credat Maresium acerbiora illa in quemquam iactasse gratis; & si in totam causam inquirat, plus sibi hac ratione D. Voetius nocuerit quam profuerit. VI. Queritur quod quartum librum in se scripserim, *stantibus scribendi inducijs quas singularis Nobiliss. & Ampliss. DD. Curatorum Groning.-Omlandic. prudentia servandas curaverat*; At præterea quod librum illum hæctenus non emisi, sed tanquam gladium retinui in vagina, scriptus non fuit nisi postquam à D. Voetio & suis illæ ipsæ induciæ perfidè violatæ fuissent, Epistolæ Chabanæ-Voetianæ promulgatione publicâ, & novis Gorichemensium litteris ad nostros procuratis, ad incendium quod excitavit latius si pote esset disseminandum. Et quam parum illarum Induciarum religione teneretur, hac ipsa sua *Præfatione* etiam nunc palam fecit. VII. Quæ à Lemanno, Chabanæ, Filio suo & alijs in me scripta sunt pro sua causa, videtur, sed admodum obscure, nolle pro suis haberi: At 1. sua non negat *Specimen, Appendicem, Disputationes sex de Theologia Practica, Epistolam Liminarem Rei Indicata*, in quibus ea omnia prostant, quæ Chabanæus, Lemannus, filius ipsius latius diduxerunt: 2. *Rozberthael* se conscio editum fuisse, agnovit ipse sub filij nomine in sua *Pietate*: 3. *Restorationem* laudavit & propugnavit omni conatu in suo *Specimine*, & potest meminisse quod *Terulli* nomen quo ibi diffamor, ipse prior visâ *Optimum* defensione mihi destinaverit. 4. Cum filio suo in ædibus suis scribenti ea consignarit monumenta quæ emisit in publicum, & ipse adhuc in *Causa deserta* suo & parentis nomine loquatur, non debui parente relicto me ad filium convertere. 5. Illustres ac PP. DD. Ordines hujusce Provincie ac Nobiliss. & Ampliss. DD. Curatores, judicarunt non ex alia quam ipsius pharetra hos omnes libellos famosos in me agminatim prodire vel mediatè vel immediatè, dum meam Innocentiam & Famam illi Maledicentia tempestatî subducturi, cum unico D. Voetio reconciliationem esse instituendam censuerunt. 6. Dum D. Voetius ad Lemanni & Chabanæi scripta provocat, hoc est hominum intestabilem & secum contra me conjuratorum, magis magisque testatur nemini alteri quam ipsi ea esse imputanda; videntur isti inter se imitari duos illos adolescentes in fabulis, qui ut coco illuderent, negabant alter se quod querebat accepisse alter se habere. Denique cum D. Voetius in suis ad D. Schoockium litteris scriptis 3. Aprilis 1643. torum hunc nimbum mihi denunciaverit, nempe *post solia casuras in me arbores, & studiosos ac eruditiores ministros ad hæc certamina evocatum iri*, alium authorem

A D L E C T O R E M.

auctorem querere non debeo : Et eas antea dedi probationes tam perspicuas, suæ contra me conspirationis, cum Zuerio, Lemanno, Chabano, Lecherperio, Gorichemensibus, ut nemo prudens de illa possit dubitare. VIII. Putat omnes meas de ipso assertiones in suæ conscientiæ testimonium posse refundi, & nescio quid de *Purgatione Canonica* utrique nostrum imponenda obiter insinuat; Adeo nihil præter Canones, Canonizatus, Canonizationes somniat, homo iste Canonicus & ab utero Canonizatus, & uti præ se ferre videtur, Doctor etiam juris Canonici & in Medicina si voluisset; At ut purgationis cujushbet de ijs quæ mihi calumniosè impacta sunt ab ipso per se & suos hyperaspistas, non directo præstare juramentum bonæ conscientiæ & citra æquivocationes aut retentiones mentales, quales is olim D. Schoockio instillabat, si modo prius agnovissent se nullas ad ea confirmanda habere probationes, ita confido prudentibus Lectoribus, nec in Belgio hoc peregrinis, tam aperta esse pluraque omnia illa quæ scripsi de D. Voetio, ut nemo sit eorum qui de illis dubitet; Quod si tamen res ad judicium aliquod devoluatur, quod semper expetij, non deerunt insuper sufficientia documenta, quibus de veritate mea judicium conscientiæ plenè persuadeantur. IX. Nolit sibi objici ea propter quæ D. Leewio processum injuriarum moverat Roterdami, eo quod illa Lewius revocarit ex Irenarcharum judicio: At præterea quod lis adhuc pendebat eoram Magistratu ordinario, cum aliquid de illa inspersi *Lingua abortiva*, idquæ ex scripto typis Belgicè edito, & illam revocationem jactet D. Voetius magis quam prober, quanto minus ergo debuit ipse mihi objicere quod inter me & Chabanæum interceserat, de quo tam expressè mihi satisfactum fuit, ipso D. Zuerio nunc Achate Voetij, arbitro inter alios, & satisfactionis probè conscio illo Guillelmo van Camphen notario Voetiano Sylvæducis ad falsa testimonia conscribenda, cum tunc D. Zuerij famulus esset, imo ejus domum paullo post adulterio conspurcarit; An notariatum in illius virtutis heroicæ præmium sit consecutus, nescio; id scio & notarios & testes quos in me produxit D. Voetius, ipso jure infames & interstabilis esse; sed ad talem causam nobilitate instrumenta non possunt adhiberi; pares cum paribus facillimè congregantur. X. Vult contumeliosas illas & planè famosas scriptiones, quam Filio suo tribuit in me, ejus jussu dolari posse imputari: At ex longè justiori dolore me defendere potui, prior omni genere injuriarum diutissimè laceratus; nullaque subest ratio cur misericordior debeat quis esse in injuriis duplicantem quam in illas repulsantem. XII. Operosè asserit suum cum Ecclesijs Belgij consensum, in capitibus de usura Trapezitica & Bonis Ecclesiasticis: laudato de his *Manuscripto* quodam Ultrajecti condito; Sed tamen nunquam ab Ecclesijs Belgij extorquebit ut fingant usuras quæ non sint mordentes, idest quæ usuræ non sint & nihil admordeant.

P R Æ F A T I O

deant supra sortem principalem ; aut statuant omnem usuram ex tota rei natura esse vitiosam & illicitam ; aut afferant eam licuisse Israelitis erga externos magis tolerantia & permissione facti quam permissione juris , etiam in conscientia foro ; aut negent modum ulurarum , indefinitum in sacris litteris , à Magistratu definiti posse ; aut velint parem esse rationem contractuum quos inicit cum Trapeziticis , cum vectigalibus quæ Papa colligit Romæ ex Lupanariis . Nunquam ab Ecclesijs Belgij , imo nequidem ab Ultrajectina tota , obtinebit , ut subscribant suo illi operoso Manuscripto *de Bonis Eccles.* ubi docet Bona Pseud-Ecclesiastica olim à Clero Pontificio possessa in Belgio , nulla ratione alienari , secularizari , aut ad alios usus quam sacros & religiosos à Magistratu transferri potuisse ; Illa esse Christi Patrimonium quod attrectari à Magistratu seculari citra sacrilegium nequeat ; Quamlibet Ecclesiam Reformatam particularem in Belgio habere proprium ac directum dominium omnium illorum reddituum Ecclesiasticorum olim à Clero Pontificio possessorum in suo districtu ; Supremo Magistratu minus adhuc juris esse in illa bona Ecclesiastica , (sub quibus omnes Monasteriorum , Eleemosynariorum , Xenodochiorum tam veterum quam recentiorum redditus continentur) quam in privatas cujuslibet civis possessiones , quas citra tyrannidem & omnis juris violationem , vendere , alienare , aut suis usibus privatis vel publicis applicare nequeat ; Papatu consecrata bona Ecclesiastica , licet ad Missas celebrandas , & animarum ex purgatorio redemptionem efficiendam , Idolo dicata non fuisse ; nec potuisse in fiscum redigi à Magistratu ; Ill. ac P.P. Ordines Hollandiæ & Zeelandiæ , non nisi præfatâ Ecclesiæ veniâ & ex prævio illius consensu bonorum Ecclesiasticorum in suis Provinciis maximam partem in Reip. usum alienasse &c. Ex quibus omnibus inevitabiliter sequitur , nec alia D. Voetio mens , qui ima summis miscere studet , omnium bonorum illorum Ecclesiasticorum ut & Nosocomiorum , Gerontotrophiorum &c. administrationem , dispositionem & distributionem non ulterius permitendam esse Magistratu , sed vindicandam esse Ecclesijs locorum respectivis , earumque Ministris & Diaconis , non à Magistratu constitutis , sed legitime ab Ecclesia vocatis , ad quos solos bonorum verè & proprie Ecclesiasticorum , cujusmodi sunt quotidianæ piorum oblationes & eleemosynæ in sacris coetibus , administratio pertinet . Quam periculosam sementem turbaram inter Ecclesias & Magistratum hæc axiomata contineant , juxta quæ poterunt tandem Ecclesiæ , si Demagogi non desint , supremos Magistratus ad calculos vocare , & rerum suarum possessionem illis eripere , nemo non videt ; Aperient tandem oculos Celsissimi ac Potentissimi DD. Ordines Generales ad ista molimina , & prospicient ne serpant latius , hæcque Basilicorum ova conterent priusquam excludantur . XIII. Pertendit D. Schoockium in foro Ultrajectino interpositâ religione juramenti declarasse , quod de D. Voetio & suo collega D. Dematio nunquam dixerit ea quæ *acta Croningana præ se ferre videntur* , & ipsi ego publicè impegi . At præterea quod eorum quæ impegi D. Voetio veritas est in propatulo , si quis cum Sententia

A D L E C T O R E M.

Sententia Nob. & Ampliff. Magistratus Vltrajectini conferat testimonium quod jurandum D. Schoockio huc miserat, & quod D. Schoockius ideo noluit jurare quia noluit falsum testimonium dicere, gravem facit C. D. Schoockio injuriam (ut & cum illi hoc in eodem opere tribuit Satyram famosam in Cl. Barlæum scriptam, sub nomine *Philippi Fabri*) quasi aliud sollemniter declarat Groningæ, aliud juret Vltrajecti: Quod si tam liberaliter jam absoluisse D. Voetium & suum Collegam ab ijs quæ de ipsis declaravit Groningæ in causa Cartesiana, & propter quæ cum arreſto violento & parum Theologico detinuerunt Vltrajecti, non propter meam explanationem, quæ nondum erat in rerum natura, lis illa quæ inter eos etiamnum durat jam finita & sopita esse deberet. Donec autem D. Voetius eum ad suam Declarationem Groninganam recantandam judicialiter adegerit, & ostenderit eam non fulciri evidenter ijs munimentis quibus fidem ejus apud nos adstruxit, saltem vel D. Voetio fatente, *Acta Groningana* id præ se ferre semper videbuntur, quod ego ex illis *apertè et publicè* ipsi inpingenda censui. Præterea si id tantum præ se ferre videmur, ac expressè & evidenter non continent, mirum est D. Voetium & suum Collegam, propter umbram ~~dominat~~ & speciem injuriæ, (nam de eo quod tantum *videatur*, nota *Parmentidis* sententia, nec consentit qui tacet, licet consentire *videatur*;) non expectat prius explanatione verborum ambiguum, suum proximum violentè & obtorto collo ad judicium rapuisse. Sanè nostri Gladiatores, quos Gallicè vocamus *Tireurs d' esclaireissement*, moderatiùs agunt. Dicam amplius: D. Voetius in *Pietate & Tribunali* multus est ut probeat Cartesio non prodesse, nec sibi quicquam obesse, Declarationem D. Schoockij: Cur ergo cum tantopere & tamdiu vexat in foro Vltrajectino? Et quid causæ est quod me propterea odit cane pejus & angue, quia vel elinguem non feci D. Schoockium in nostro Senatu Academico cum illam emisit, vel ego ad eam non obsurdui? Ne verò D. Voetius sibi hic plaudent in suo commento de retractatione D. Schoockij, debet scire quod adhuc 10. Julij 1646. sub suo Chirographo quod est penes me, Cl. D. Schoockius in nostro Senatu Academico agnovit *ingennè & bonâ fide*, nisi antea fecerat, suam esse vel quoad verba vel quoad mentem in omnibus suis partibus Declarationem quæ ceu ab ipso edita in *Causa contra D. Cartesium* Indicio Academico ad eundem missa inserta est; adeo ut non nisi per calumniam & mendacium Senatus Academico, ac nominatim mihi qui tum Rector eram, odiosæ amplificationes ac violentæ & remotæ consequentiæ à D. Voetio in illa impetrarunt. Quam etiam declarationem totam velit & teneatur tanquam suam, veram & certam sustinere & comprobare, tum in foro Vltrajectino, tum propediem edito libello in quo & disertis verbis hoc ipsum esset expressurus, & sibi à D. Voetio contradictiones objectas sic conciliaturus ut omnibus satisfaceret; Adhæc recipiebat se ibidem declaraturum, & nihil sibi durum accidisse in hac tota cum D. Voetio *Conversa*, quam quod ipsum voluerit cum suis collegis *viris bonis, honestis,*

(††††)

P R Æ F A T I O

beneficis, pacificis committere, eorum nomina (nequidem ijs omiffis qui in Domino mortui sunt) per laudatos & famulos libellos Pietatis & Tribunalis traducendo, atque inter eos & se, (quod Diaboli proprium est) discordias & inimicitias serendo; Et non nisi præoccupatum pravis tum affectibus tum suspitionibus quibus suum animum continud replebat D. Voetius seque variè contra illos exstimulabat, quædam interdum liberiore calamo ad illum perscripsisse; Promittebat item ostensurum D. Voetium qui ante in foro Ultrajectino suos Collegas secum collulisse asseruerat, nunc niti in contrarium dum conaretur aequè falsò probare illos sibi Adversarios in Iudicio Cartesiano fuisse, ac in D. Voetium jure merito rejecturum quæcunque duriora propalasset & sibi imputasset scripta in suos Collegas: Nec non magis speciatim omnia explicaturum, tum quæ paullo ante dixerat in nostro Senatu proluxè ad se scripta ab illo fuisse ostendenda etiam Provinciæ nostræ Proceribus & DD. Curatoribus Academiæ contra D. D. Altingium p. m. ob sufflammatam Dissertationem suam de Magia, (unde liquet semper D. Voetium studuisse etiam priusquam huc venirem turbas in Academia excitare, contra ejus Professores animos Procerum concitando quantum potuisset) tum quæ spectarent consilia antea sibi ab eodem ratione obeundi muneris Professorij suggesta, quibus omnem dedit operam ut Academiæ nostræ particulam saltem per ipsum ad ideam suam componere posset; ex quibus congestum fuit quicquid unquam rancoris, inter se & suos collegas extitit; de quibus jam dixerit generatim Mod. Def. pag. 16. Quinimò pollicebatur se evidenter & luculenter demonstraturum quod jam per me Vlt. Pat. pag. 423. suâ manu denunciaverat, nempe quod D. Voetius non solum contra me ut versipellem ac fide omni indignum (his coloribus depingebat à D. Voetio priusquam vel vocola ejus offensiva mihi excidisset) ipsum sepsissimè munierit & quantum in se fuerat concitaverit, (Christianè sanè & Theologicè) sed etiam plurimos alios Reverendos Amplissimosque viros, (adeo est D. Voetius infensus omnibus bonis) ut nigros cavendos esse identidem monuerit; neque hoc solum sed insuper clarè ostensurum quod antea asseruerat Mod. Def. pag. 7. & 63. nihil in suis litteris occurrere quoad suos Collegas omnes & singulos, quod non possit sic ex proprijs D. Voetij epistolis diluere & confutare ut in caput illius redundet. Cætera hujus Chirographi non adjiciam: neque hæc refero ut magis D. Schoockium cum D. Voetio intricem, aut hunc illi reddam infensorem, sed tantum quo constet nec D. Schoockium unquam revocasse quæ hîc declaravit, & nonnisi cum grandi injuria D. Voetium mihi illam ejus Declarationem perpetuò imputare. Quod si D. Schoockius necdum emisit illud scriptum, videtur distulisse partim quòd refugiat ultra cum D. Voetio congregari & rem permittat aLEX Iudicij, partim quòd expectet ut caduceus injiciatur, partim quòd quidam RR. viri eum, ut ait, miserti D. Voetij, hortati sint ad silentium. xlv. Multa inserit de D. Dematio, quem comitem assumpsit in hac lite, instar puerorum qui sibi à lemurius metuentes nolunt soli per tenebras procedere. Sed quanquam graves habeam causas querendi de D. Dematio,

Dematio,

A D L E C T O R E M.

Denotio, qui capitales gratis contra me exercere inimicitias, quas etiam subinde exeri sua Corollarijs, (nam illa sunt sicq; Vltrajectinae) nec egit mecum ex Christi praecepto, (si enim videbar ipsi se laesisse, debuisset prius vel per se vel per quam communem intermedium & amicum mecum expoſtulare, quam hostilem contra me animum profiteri in foro Vltrajectino longè antequam mea *Vltima Praesentia* prodiret) tamen eam relinquo conscientiae suae iudicio, ut expendat num propter voculam *Impertinens* ad significandam intemperatam & vehementiorem instantiam in se minus conveniente, deberit illud ad iurgia & lites & odia Vatiniensia cum fratribus suis devenire; Meminerit quoque Salomonem ne nimium iusti finis nobis prohibere. Videtur ille homo affectus Sydere Voetiano iracundior factus & lentam lenemque suam pinguedinem, quod nolebar olea, tandem deposuisse, ut sylvae arboribus imperet. Hi sunt fructus praecipissimae illius *ἀρεσβείας*, quae hodie venditatur: Propriæ iustitiae & perfectionis iactantia homines facit delicatioris & impatientiores ad omnia; Quod si bonus ille vir ea à me aut per me debuisset ferre quae tuli ab ipso & D. Voetio, bellum credo civile & si potuisset etiam omnes furias in me concitasset, quandoquidem tantum excitavit strepitum ob unam voculam suo palato minus gratam, & ex qua potuit constare quod & homo factus sit. Firmiori thorace debuit mea patientia muniti contra calumniarum phalangem & ignita Satanae tela densissima, quae illi in me tamdiu contorserunt; Sed fortem & generosum ex Menandro cum esse cognovi qui possit *ἀνεπίστα*. Ita sanè affuevi Voetiorum & Voetianorum convicijs, ut non magis ad illa nunc commovear, quam vir prudens ad crepitacula morionum. Aequa posteritas sanius de tota hac Controversia iudicabit, & hac fiducia & bonae conscientiae testimonio fretus, Cels, ut ille, *invidia dummodo absolvat civis*. xv. Vellet in speciem ut apud Nobiliss. & Ampliss. DD. Curatores nostros opportune, *impertinens*, urgeam quo conventus hic promissus ad reconciliationem procedat; quandoquidem jam ferè annum integrum cum suo collega & filio expectaritis; Sed *gerrae sunt Siciliae*: Si enim is erat D. Voetio animus ad pacem quem praesert, cur inducias pactas tertium violavit, editione epistolae Chabaneanae, procuratis huc litteris Gorichemensium, hac ipsa Praesatione quam grandi operi, & uti retur, diu victuro praefixit? Cur cum spatium suae propositum mensis Ianuarij à Nob. & Ampliss. nostris Curatoribus ad conveniendum, non modo non comparuerunt DD. Vltrajectini, sed nequidem ante 8. Februarij responderunt? Aut cur ego magis urgeam illum conventum apud meos Proceres quam D. Voetius apud suos? Aut cur meis Dominis id negotij potius erit cordi quam suis? Nonne quod mei primi moverunt illi tandem secundi promovere tenerentur? An auctor herem meis Clementiss. Dominis postquam fides ipsi data tertium violata fuit, incuto illi mari se iterum committendi? Quid ipsis restabat significandum

(††††)

P R E F A T I O

candum DD. Vltrajectinis, postquam viderunt contra stipulatam & datam fidem, D. Voetio licuisse impune virulentissimum illud scriptum quod Chabanzæ nomen præfert Vltrajecti in lucem emittere ? Imo credo Nobiliss. & Ampliss. Vltrajectinum Magistratum, noluisse conventum istum urgere, tum quod videret non posse excusari illam fidei publicæ tam notoriam violationem, cui nunc in superpondium hæc accessit Præfatio, tum quod mallet hunc furculum relinquere in pede sui illius Leonis domestici, quo de sua ferocia discat remittere ; Relinquit ipsum datâ operâ sub hoc pœnalismo, ut cornuæ deponat ; imo fortè in sinu gaudet illum cum Camelo fabulæ, quod grandiora appetierit cornua, etiam paulatim auribus multari. Aliàs jamdiu quoque potuisset litem Voetio-Schoockianam terminasse, & si primis illis calidioribus DD. Curatorum nostrorum votis respondisset, totum negotium jamdiu sopitum fuisset: Sed neque opus est tanto apparatu ; Ad probationes idoneas eorum quæ dixi & scripsi me iterum offero ; Veniat huc D. Voetius, ut potuit processum injuriarum Rotterodami contra Lewvium instituire, atque me coram Magistratu meo conveniat ; vel si id non placet, obtineat per suos Superiores à meis ut facultas mihi fiat sub idoneo salvoconductu Vltrajectum proficiscendi, atque ibi coram Nobiliss. & Ampliss. Provinciali Curia, ad iudicium personalium inter me & se comparandi, & de Paradoxis quæ ipsi imputo publicè in Academia Vltrajectina differendi, tum opponendo tum respondendo, conditionem admittam, & veniam illicò *Lugdunensem Rhetor dicturum ad aram.* XVI. Excusat Præfationis hujuscæ suez editionem, quod in armistitium non consenserit, nisi ad duos aut tres menses, à quarto Decembris 1646. quo super eo negotio per suum Magistratum secum actum fuit ; atque id Magistratui suo placuisse (leges enim solet dare non accipere) verum ab illo tempore novem effluxisse menses, & me intereâ novum librum hîc typis mandasse, quilibet hic suppressus alibi tamen recudi possit ; At nec suppressus fuit meus liber, uti supra insinuavi, & tantum mihi juris fuit eum scribendi post tempus quod his inducijs D. Voetius dicit se definiuisse, quam Vltrajectinis fas fuit illo adhuc durante tempore novas suarum Maledicentiarum copias per Epistolam Chabanzo-Voetianam in me emittere : Deinde injuriam facit Ampliss. suo Magistratui, illi tribuendo quod cum nostris Nobiliss. & Ampliss. DD. Curatoribus non egerit bonâ fide : Si enim consenserat ipsi ut ultra illud tempus duorum aut trium mensum ad summum à 4. Decembris 1646. Induciæ non durarent, cur hoc nostris non significavit ? Cur tempus illicò præstitutum à nobis totius mensis Ianuarij, ne essemus in mora, elabi passus est, absque ullo responso ? Cur demum 8. Februarij 1647. cum jam expiraret tempus quod pactus erat Voetius, nihilominus petijt, ut in proximis Comitij non habendis ante 22. curarent Nobiliss. & Ampliss. DD. Curatores, suam commissionem ampliari, quo hîc suo tempore negotium componeretur ?

Aut saltem

A D L E C T O R E M.

Aut saltem eum non declaravit, se nonnisi duorum aut trium mensium ad summum inducias pacisci à suis potuisse, quo festinantius ageretur? Aut si putavit D. Voetius meum libellum cujus impressio non fuit absoluta ante 3. vel 4. Aprilis, elapso jamdiu illo tempore quod sibi præfixerat ac mihi per consequens multo magis, qui ultimus fueram impetitus per *Causam Desertionis* & quem ordo rescribendi tangebatur, cur non adijt suos Proceres ut de tota re inquirerent & fidem quam ante ipsis dederat de silentio servando relaxarent? Nam sanè ego meos adij cum prodijte epistola Chabano-Voetiana, & judicarunt fidem sibi datam ea ratione violatam fuisse, & fas mihi esse me defendere. Denique dicit hunc fuisse fructum defensionis fraternitatis Marianæ, cum debuisset potius ubi cecideram causam dare veritati, aut siquidem adhuc serè dubitarem, *methodo Theologica ipsam causam, omis- sis personalibus, alterius prosequi*; At me causam illam cecidisse falsum esse liquet semper, ex ijs quæ annotavi in *Vlt. Pat.* ad judicia de quibus tantopere gloriatur; quæ contra me nequiverunt procedere, cum Consultissimis illis viris status Controversiæ bonam fidem non fuisset propositus: & Veneranda Synodus Gelrica, ad quam hoc judicium propius spectabat, longè aliter de toto negotio tum per suos Deputatos tum per se pronuntiavit: Si vero D. Voetius quod hic à me vellet factum præstitisset, *methodo Theologica ipsam causam omis- sis personalibus* prosequendo, uti feceram in Sylveducensium prima defensione, nec *Retorsio*, nec *Specimen*, nec *Appendix* ipsius cum plaustris convictorum & merè personalium in me prodijissent; Sed ita suo ore debuit condemnari. *Tarpe est Doctori cum culpa redarguis ipsum.* Et jam receptui in illa causa per totum triennium cecineram, non diffusus illius bonitatis, sed pacis Christianæ studio, cum in me ulturus quod peccaverat suo judicio D. Schoockius, veteribus contumelijs tot novas adjecit, ut non patientiæ sed stuporis fuisset nihil respondere. Vera ergo totius istius litis origo in causa Schoockio-Cartesiana residet. Malè habet D. Voetium quod suæ artes malè apud eum, divina providentiâ sic dispensante, fuerint reiectæ, quem antea perdere annixus fuerat; Neque aliam plausibilem offensionis causam in suis Professoribus protulerunt DD. Ultrajectini quam Acta Senatus Groningani, quæ tamen si quis in hominibus pudor, si quæ recti conscientia superfit, nemini minus quam mihi tribuenda venient. Tandem ut finiam, Prosector coram Deo & hominibus me ad illas scriptiones eristicas contra D. Voetium nonnisi invitum accessisse & me meamque famam defendendi necessitate compulsus; Et si quæ acerbis mihi exciderunt, ut ex indignatione iusta potuit fieri (nec enim me profiteor planè ἀναμαρτυρῶ, aut expertem earum infirmitatum quæ ex Innocentiæ gravius & iniquius læsæ conscientia prorumpunt) ea sanè protuli non animo ipsum accusandi, diffamandi, traducendi, sed tantum illa quæ in me planè immerentem ab ipso conjecta fuerant, retundendi, refutandi, & in ipsius caput iusto cum dolore

P R Æ F A T I O

dolore retorquendi ; siquidem Christianam pacem , quam semper exoptavi & cum illo colere paratus fui ipsi hucusque nequivi extorquere ; Idem concordie desiderium & votum adhuc me tenet , & sicut paratum me profiteor ad omnes honestas & iustas reconciliationis conditiones , quoscunque Arbitros , vel Iudices fuerimus consequuti , ita mihi stat sententia porro cordatè & constantè resistendi ἀπὸ τῆς καρχαρόθυτοι , cui , ut cum Aristophane loquar , ἐπαιτὸν κήληρ κεφαλαὶ κολλᾶπων οἰμωζομένων ἰλιχμῶν πρὸς τὴν κεφαλὴν , φωνὴ ἧ χαράδρας ὀλιθρον τιτοκῦϊας : Mihi gratulor quod D. Voetius nunc in apricum prodire cœperit & confido ipsum vadimonium non deserturum ; Quod si perrexerit ut ante in me suos immittere Molossos , illis posthabitis , nullum præter ipsum sagittis meis scopum præfigam ; Coaxent quantum voluerint ipsius ranæ usque dum mediæ crepant , per me licet ; sed ab ipso uno poenas reposcam omnium eorum quæ sui in me emisarij peccaverint : Quicquid ejus delirarint Achivi , ipse plectetur . Quare cum eum nunc ad circum honestiorem (quod jam ante denunciaveram) annitar traducere , si pugnacem illum animum retinet & à pace alienum ac in odio obfirmatum , & verè ἀθεράπειτον πάθος ἢ καὶ δυνάμειν διορθώτηται , ut loquar cum Epiphanio , virum se prætet , & missis semel illis Personalibus , aut saltem sepôctis donec Tribunal aliquod simus consecuti in quo discutiantur , ad Realia veniat mecum , ac sua illa Paradoxa , propter quæ faciliè annumeretur ijs de quibus Paulus i. Tim. 1, 6. 7. quæ hic enotare cœpi tueatur ex Dei verbo , Theologiæ principijs ac sanæ rationis lumine , omisâ illâ Testimoniorum humanorum sylvâ , in quam nonnisi latrones & sibi malè conscij solent se recipere . Quanquam neque sic quicquam efficeret . Præterea enim quod error quantumlibet publicus in Theologia jus non facit , unum forte vel alterum reperiat qui in unoquoque Paradoxo sibi præluserit , ne novus Author habeatur : Sed nullum vel Orthodoxum vel Heterodoxum profeter , nisi omnes omnium Bibliothecarum Indices evoluar , cui uni tot absurda simul exciderint . Viderur ipsius ingenium simile hirudinibus vel cacurbitulis Chirurgorum , quandoquidem ex Authoribus quibus se applicat majori impetu quam iudicio , nihil aliud atrahit quam quod habuerint sanguinis corrupti & malorum humorum . Hæc illius σφάλματα , instar spicilegij ex plena messe , maxime in Theologia Elenctica subnotare fuit etiam meæ & Conscientiæ & Professionis : Nec ἀμοιβὴν hic detrectabo ; Imo eum rogo ut si quid in meis Scriptis porrò repererit suo iudicio Paradoxum & minùs Theologicè dictum (primi ejus conatus hac in parte minùs foeliciter ei successerunt) id auoret & redarguat , quo vel meam mentem explicem dilucidius , vel sententiam meam vindicem , vel errorem revocem & ipsi gratias agam , quod comiter viam monstraverit . Hic suæ Eruditionis explicandæ ampla est & se suaque vocatione digna materia : Bâ ratione Lectores semper

A D L E C T O R E M.

per doctiores recedent à nostris libellis, & Charitate illasâ illustrabitur Veritas : In hoc genere dissidij & Victor & Victus sibi gratulabitur, Veritate triumphante, cum in illis rixis quæ hætenus inter nos vigerunt, ejus culpâ, utrique tandem lugendum sit. Nec inde metui debet scissura in Ecclesia ; Convenimus enim, Dei Beneficio, in fundamento, ipsdemque Consensus Orthodoxi publicis formulis, Confessioni, Catechesi, Synodi Dordracenæ Canonibus subscripsimus, nisi quod ipse malit in quodam capite ab ea Synodo recedere, cujus tamen pars aliqua fuit, & fœnum ac stipulam pro auro & gemmis fundamento communi inædificare: Hos terminos nemo nostrum movebit; Cœtera etiam ad has lineas revocabuntur : Imo illa ipsa quæ improbo in D. Voetio, ipse problematis annumerat, de quorum multis solet Scepticè & quotlibeticè disputare. Faxo autem deinceps ut ibi nemo in me moderationem desideret, si ipse ad eam tantum mihi præloqueret, quantum antea stomachum quoque mihi movit assiduâ illâ bilis vomitione quæ suas chartas in me commaculavit : Quin ipsum obtestor per suam Salutem, commune nostrum Munus, & Ecclesiæ Edificationem cui omnia debemus, ut suolit ulla admittere amnestiæ & reconciliationis leges, & gratias mihi agere ob errores suos ac nevos indicatos, Theologica deinceps tractemus Theologicè, nostram opellam consecrantes ambiguè explicandis, obscuris illustrandis, dubijs resolvendis, falsis confutandis, & sic in pauculis ad rei summam non facientibus dissentientes in terris, ut unâ, Deo nobis nostras infirmitates condonante, victuri æternùm cum Christo Redemptore nostro in cœlis ; A M E N.

*Errata in hac Præfatione præcipua, quæ ob characteres
minutiores facilius irrepserunt sic corriguntur ;*

FOL. 111. a. l. 8. pro quorum lege quarum. *Ibid.* 2. a. l. 12. pro nomini lege nomine *Ibid.* 4. a. l. ult. post allatus, adde per parenthesis, (licet hic non publicè vernalis extiterit ante medium Martium) Fol. 111. a. l. 1. pro suæ lege sunt *Ibid.* 1. 32. pro capularios lege capulares Fol. 111. a. l. 7. pro inquam, lege, inquam.

Elenchus

*Elenchus primariarum Controversiarum que
hic tractantur.*

1. De Libero Arbitrio & Prædestinatione.
2. De Gratia.
3. De Justificatione.
4. De Merito.
5. De Oratione , Jejunijs & Eleemosynis.
6. De Sacramentis & Sacramentalibus.
7. De Baptismo.
8. De Confirmatione.
9. De Eucharistia.
10. De Sacrificio Missæ.
11. De Pœnitentia.
12. De Indulgentijs.
13. De Extrema Unctione.
14. De Ordinatione.
15. De Matrimonio.
16. De Immortalitate Animæ & Corporum resurrectione.
17. De Purgatorio & Inferno.
18. De Cœlo , Cœlitibus & eorum cultu.

CONTRO-



CONTROVERSIA XIII.

De

LIBERO ARBITRIO HOMINIS

& æterna Dei Præscientia, Prædestinatione
ac Reprobatione.

Respondente

ÆGIDIUS COOLS Flissingano.

NUM. I. **L**IBERUM ARBITRIUM est naturalis in homine vel Angelo potentia, (nempe voluntas) quæ positis omnibus ad hic & nunc agendum concurrentibus; possit prius natura ipsa suâ actione, quantum ex se est, agere & non agere. Sic Eccli: xv, 16. *Si volueris mandata servare, &c. soli voluntati tribuitur libertas (ut & alibi semper)*

Ibid. ut ostendatur v: 14. Deum reliquisse hominem, in manu consilii seu arbitrii sui, subditur v: 16. posse hominem si velit, servare legem; sin nolit, posse non servare: (quæ est libertas contradictionis, seu ad contradictionem:) item v. 17. posse ex duobus contrariis, igne & aquâ, vitâ & morte, bono & malo eligere utrum voluerit: & hæc est libertas contrarietatis, seu ad contraria. Num: xxx, 40. In arbitrio viri erit, sive faciat, sive non faciat; 2. Reg. xxiv, 12. Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris &c.

CENSURA. *Liberum arbitrium*) Hæc definitio multis laborat *nævibus*, quos prius quam retego, præmonendum est hanc facultatem quæ *Liberum arbitriû* dicitur posse considerari vel *in genere entis*, prout sonat *in natura intelligenti facultatem naturalem agendi* quod lubet, ut etiam ipsi Jurisconsulti libertatem definiunt *§. 1. Inst. de Iur. pers. & l. 4. ff. de statu hom.* id est *deliberatè & ἐκ προαίρεσως*, vel *in genere moris*, prout solet quæri *quid homo in illo vel illo statu constitutus possit moraliter ex illa naturali facultate agere boni vel mali*: Hac neglectâ distinctione, multa in

A

ta in hac doctrina committuntur *σφάλματα* ab iis naturæ propugnatoribus & gratiæ adversariis, qui hodie recoquunt crambem Pelagii, ut Jesuitæ, Sociniani, Remonstrantes & similes, qui eo quod de Libero arbitrio in genere moris statuamus nihil illud posse præstare boni, (ex quo præsertim peccato fuit mancipatum) absque speciali gratiæ divinæ auxilio, statim clamitant nos hominem homine exuere, ac si Liberi arbitrii existentiam in genere entis negaremus. Sed de his postea. Naturalem agnoscimus inesse homini & angelo eam potentiam quæ liberum arbitrium Latinis, Græcis liberaliori voce *αὐτεξέσιον* dicitur: Sed nec omnes causas quas affert Bellarminus *lib. 3. de Gr. & lib. arb. cap. 18.* istius facultatis homini & angelo concessæ probare possumus; Satis esto quod pertinuerit ad illam Dei similitudinem qua donabantur; Verum falsum est eo spectasse, ut possent mereri Dei beneficia, & sua merita augere quantum vellent: Id non putavit Bernardus cujus hæc sunt verba aurea *in oper. de lib. arb. Tolle liberum arbitrium non erit quod salvetur; Tolle gratiam non erit unde salvetur. Item; Non extra liberum arbitrium quaratur damnationis causa, quod non damnat nisi propria culpa; nec à Libero arbitrio quaras merita, quod sola solvat misericordia; Itaque Domini est salus imo ipse est salus, ipse & via ad salutem: Dei sunt munera tam nostra opera quam ejus premia.* Deinde neque possumus non improbare hanc definitionem Liberi arbitrii quam proponit Jesuita: Primum enim lubens petiero à Tirino, cur hîc dissentiat à suo Bellarmino, qui *lib. 3. de Grat. & lib. arb. cap. 3.* hanc ceu optimam & certissimam atque ex Thomæ doctrina collectam definitionem proponit, *Liberum arbitrium est libera potestas ex his qua ad finem aliquem conducunt unum præ alio eligendi, aut unum & idem acceptandi, vel pro arbitrio respuendi, intelligenti natura ad magnam Dei gloriam attributa.* Juxta quam sententiam arbitrii libertas circa sola media versabitur; cum tamen primò & per se & longè vehementiùs velimus ipsum finem qui mediis ipsis conciliat amabilitatem, necessitatem & ordinem; unde colligo ex hypothese Bellarminianâ, latius patere voluntatem, etiam vehementissimam, ipsomet libero arbitrio: Præterea Didacus Alvarez *lib. 12. de aux. disp. 115. §. 1.* statuit eam definitionem liberi arbitrii, qua dicitur esse *id quod positis ad agendum requisitis potest agere & non agere, neque apud Aristotelem*

scdm neque apud Magistrum, neque apud S. Thomam inveniri, sed tantum apud aliquos Nominales, quorum autoritas nobis tanti esse non debet, ut eorum definitio pro Canonica habeatur. Ad hæc ipsemet Tirinus postea duplicem vindicat libertatem arbitrio hominis, *contrarietatis & contradictionis*: attamen ea quam hic proponit definitio, quod sit facultas agendi & non agendi, posteriorem duntaxat involvit non priorem. Præterea receptiori Nominalium definitioni prout simpliciter proponitur per Ludovicum à Dola Capucinum *de modo concursuum Dei &c. parte 1. cap. 8. §. 3.* quod sit potentia *qua positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere & non agere*, Tirinus multa hîc voluit infercire de suis; quibus præveniat emollitiones & explicationes Thomistarum, Nominalium illam definitionem ut cunque admittentium in sensu diviso, non composito, & de simultate potentia, non de potentia simultatis. Verum quo magis directè agam, nego facultatem & potentiam creaturæ saper esse non agendi sic ut actum suum possit de facto suspendere, jam positis omnibus ad agendum hîc & nunc prærequisitis. Agnosco quod ea insit facultas Creaturæ intellectuali, ex qua, utpote cum non sit naturâ suâ (ut quæ naturaliter agunt) ad unum determinata, potuisset elici actus vel contrarius vel diversus ab eo qui elicitur positis omnibus ad agendum prærequisitis; imò ex qua sepositis illis quæ ad hoc agendum prærequiruntur, neque hoc de facto elici potuisset & ejus diversum aut contrarium debuisset elici; Verbi gratia, etiam cum actus fidei & penitentiæ per lumen gratiæ, aut actus amoris & acquiescentiæ in Deo per lumen gloriæ, elicitur ex voluntate creata, ea ipsa intelligitur esse voluntas quæ negato vel seposito illo gratiæ aut gloriæ lumine apta nata erat ad actus contrarios producendos, quos etiam sub peccato elicere ex seipsa debuisset; At ut creata voluntas omnibus actu positis ad agendum hîc & nunc prærequisitis, cujusmodi sunt Dei decretum de talis actus futuritione, motio efficax gratiæ, rationis practicæ judicium ultimum, à quo ipsam voluntatem determinari, non modo fuscè & eruditè demonstratum est à Johanne Camerone ad *Epistolam anonymi*, qui Episcopus creditur fuisse, sed etiam agnoscit & probat *Belarminus. lib. 3. de grat. & lib. arb. cap. 8.* possit de facto & ut ajunt in sensu composito actum suum suspendere aut facere contrarium ejus ad quod facien

faciendum ista prærequisita jam posita erant, tam absurdè fingeretur, quam absurdum est Deum suo fine posse frustrari per hominum liberum arbitrium, aut hominem facere posse contrarium ejus non solum quod Deus decrevit futurum, sed etiam quod ipse ultimo judicio rationis suæ practicæ (quod comparatum vulgo dicitur) hîc & nunc volendum & agendum esse statuit: Tunc enim homo desineret esse agens rationale, nec amplius esset ipsa voluntas *ἄπειρος νοῦσα*, appetitus intellectivus & rationalis, uti Aristoteli definitur. Hæc enim non minus intellectui debet subesse quam appetitus sensui: sed cessaret subesse intellectui, si ultimum ejus dictamen respuere & in contrarium se determinare posset. Quid quod ex hac doctrina sequitur, nequidem præciri posse à Deo actus liberos Creaturæ, si positis omnibus ad agendum prærequisitis possit per suum arbitrium vel actus suos suspendere, vel se ad oppositum planè determinare? Viderunt hoc Sociniani qui ideo maluerunt negare præciri à Deo actus liberos, quam hanc liberi arbitrii definitionem non retinere: in eo Ciceronem imitati, qui Augustino teste, homines dum vult liberos facere & independentes à Deo, facit sacrilegos. Nec capio quid illud sibi velit in hac Tiriniana definitione, quod voluntas creata positis omnibus ad agendum prærequisitis possit *prius natura ipsa sua actione agere & non agere*. Fateor equidem quod ordine naturæ & in signo rationis facultas hoc agendi, quæ tribuitur voluntati creatæ positione omnium prærequisitorum ad illud agendum, prior sit ipsamet sui actione, prout facultas hoc videnti in oculo, posito objecto, colore, lumine & speciei receptione, est naturâ sed non tempore prior hujus rei visione; Verum tamen 1. neque facultas hoc hîc & nunc agendi, competit voluntati creatæ priusquam quæ ad hoc hîc & nunc agendum prærequiruntur posita sint; Non potest homo resipiscere, redire, converti ad Deum, non posito auxilio præquisito gratiæ per quod operetur in ipso & velle & perficere. 2. Neque potest voluntas postquam hæc prærequisita posita sint hoc ipsū ad quod agendum ponuntur agere & non agere simul, sed potest tunc liberè agere id ad quod agendum illa sunt posita, & ab ejus diverso & contrario abstinere; sicut sepositis illis prærequisitis, potuisset è contrario & hoc facere & illo abstinere; Positâ gratiâ efficaci potest tunc

tunc homo non simul credere & non credere, sed simul & credere, & incredulitatem cavere; & hac sepositâ, nihil aliud potest quam fidem ut rejicere sic eam non admittere. Illa etiam particula quâ hic utitur Tirinus, *quantum ex se est*, vel superflue ponitur, si id ad intrinsecam & essentialem voluntatis conditionem pertineat ut possit positus omnibus ad agendum prærequisitis agere vel non agere, quia id semper ex illa esse intelligitur; vel contradictorie huic definitioni inferitur, ut dum ea facultas agendi & non agendi voluntati tribuitur in sensu composito, receptus tamen per hanc clausulam retineatur ad sensum divisum. Denique falso statuitur liberum arbitrium id esse quod voluntas: Nam arbitrari, unde arbitrium dicitur, non est voluntatis sed intellectus & iudicii: Libertas vero ex quo liberum censetur, sic formaliter tribuitur voluntati à Bellarmino *lib. 3. de grat. & lib. arb. cap. 1.* ut ejus radicem in ratione constituat. Quamvis ipsi hac in parte reluctetur Becanus *p. 2. Theol. Sch. tr. 1. cap. 2. q. 4.* qui rationem conditionem sine qua non libertatis istius exercendæ à voluntate statuit, radicem negat. Quid quod Durandus apud eundem Becanum *q. 3.* nixus definitione Theologorum sui ævi, qui liberum arbitrium facultatem *rationis & voluntatis* esse statuebant, non minus libertatem rationi quàm voluntati vindicabat? Et certum est electionem, in qua maximè libertas elucere statuitur, magis esse iudicii quàm voluntatis, cum illius sit expendere ex diversis mediis ad finem aut propositis aut conducentibus, quodnam sit aptissimum & convenientissimum; quo posito iudicio hoc mediū voluntas ita solet amplecti ut aliud ei preferre nequeat. Missis autem quæ hic ipsimet Pontificii inter se disputant, relata Bellarmino *V. S. cap. 7.* sitne liberum arbitrium actus ut vult Hervæus, an habitus ut vult Bonaventura, an potentia distincta à ratione & voluntate ut vult Aenensis, an ipsamet ratio & voluntas, sed ratio magis ut placet Durando, an sola voluntas, sed determinabilis ab ultimo iudicio rationis practice, ut ipse Bellarminus asserit post Thomam, Richardum & Capreolum (adeò hinc omnia sunt Scholasticis dubia & incerta) satis nobis esto liberum arbitrium perperam restringi ad solam voluntatem, cum non exerceatur absque *προαίρεσι* & rationis ac iudicii operatione: unde statuunt ipsimet Adversarii pueros & amentes ac furiosos, licet

maximè velint quicquid volunt, tamen quia abest usus judicii & rationis, nec liberos propriè esse, nec agere ex libero arbitrio; Quod longè certius definivimus in *Systemate nostro loco VIII. th. 47.* facultatem agendi quod lubet præeunte judicio & consilio, ut eâ ratione homo sit Dominus suo sensu actuum suorum imperatorum à voluntate; & ipsæ ejus volitiones h. e. ejusdem voluntatis actus elicitæ sint immunes à coactione & necessitate physicâ, quâ ad unum intrinsicè determinarentur, ut ignis ad urendum. Talem autem dum abrogamus necessitatem voluntati creatæ, aliquam ei tribuimus indifferentiam ad opposita, non quidem positivam per quam sit instar bilancis in æquilibrio eorum respectu, sed saltem negativam, quatenus non est physicè determinata ad alterum ex illis.

Sic Ecclesiast. xv, 16.) Hic locus ex Authore etiam Apocrypho, perperam adducitur ad probandum liberum arbitrium & voluntatem idem esse. Nam I. Nulla hîc arbitrii liberi, nulla libertatis, sed tantum voluntatis mentio: Ut hinc benè constet voluntatis esse velle, id est appetere & prosequi, id quod bonum est aut tale videtur, nihil ultra. 2. Si ex voluntatis nomine colligas libertatis sedem, debebunt libertas & voluntas esse adæquatæ; at hoc non dixerint Jesuitæ si sapiant: Nam cum libertas sit in electione & electio mediorum, ea non tam latè patet quàm voluntas, quæ etiam est finis & maximè illius, cum ipsum per se velit, cætera non nisi propter ipsum. Quid ergò voluntatem libertati adæquare, cum voluntas latius pateat, extendaturque ad finem qui sub deliberationem & electionem non cadit, adeoque nec sub libertatem? 3. Neque hoc in loco, licet quoque nitantur eo Bellarminus & Becanus ut probent libertatem esse formaliter voluntatis non judicii sive rationis, quicquam est ponderis; cum is qui dicit *Si volueris mandata servare, conservabunt te*, non dicat homini liberum esse velle id vel non velle. Propositio est hypothetica quæ ostendit salutis connexionem, cum mandatorum divinorum observatione, sed hanc non ostendit humanarum esse vel virium vel facultatum: Condicio nil ponit in esse. Tum hæc non de quolibet homine dicuntur, sed de homine integro & in statu innocentiae, ut ibi ipse Tirinus interpretatur his præsertim verbis; *Si volueris mea mandata servare*

servare uti facillimè potes & jure debes, & ita in perpetuum fidem, idest fidelitatem mihi placitam & gratam facere, ipsa vicissim mandata conservabunt te in hoc felici statu, nec te solum sed & omnes posteros; subaudi, Quod si nolueris illa servare, peribis, tu & posterius tui: En ergo apposita tibi bonum & malum, vitam & mortem. Ut autem à dicto secundum quid ad dictum simpliciter non valet argumentatio, sic non procedit à libertate indifferentiæ & ad utrumque in primo homine, ad eam nunc absolutè vindicandam cui libet homini. Objicit Becanus ex Bellarmino, quò forte respexit Tirinus in illa parenthesi (*us & alibi semper*) locum Pauli 1. Cor. VII, 37. Sed peperam, cum potestas voluntatis ibi non denotet intrinsecam illam libertatem quæ est essentialis libero arbitrio, sed extrinsecam facultatem & commoditatem exequendi quod volueris: Ita Tirinus ipsemet eo loco; *Habet autem potestatem sua voluntatis h. e. potest facere quod vult; quia nempe virgo se permittit parentis arbitrio.* At, inquiunt, Patres solent dicere liberum voluntatis arbitrium, ergò soli voluntati inest libertas: R. Falsam esse consequentiam: cum procedat à non causa ut causa: Dicitur liberum voluntatis arbitrium, non quod solius voluntatis sit libertas, sed quod arbitrii libertas, sic est communis utrique facultati, ut exeratur & exerceatur potissimum in actionibus voluntariis. At, inquiunt, si formaliter intellectus esset liber tria absurda sequerentur; 1. Hominem solo intellectu peccare posse, ante consensum voluntatis; 2. Hominem bis peccare in unoquoque genere peccati, semel judicando per intellectum, & semel eligendo per voluntatem: 3. Ignorantiam plane involuntariam non excusare à peccato. R. Primum istos homines esse valdè sollicitos ne nimium peccare se profiteantur, cum tamen delicta sua occulta nemo intelligat Psalm. XIX, 13. Deinde nisi hanc triplicem consequentiam hoc asserto valdè incerto, quod libertas requiratur ad peccatum; cum id quidè dici utcumque possit de libertate à coactione in peccato actuali, non verò de libertate à servitute & necessitate morali. Tertio continere hoc argumentum petitionem principii; vult enim probare intellectum non esse liberum, quia libertas nulla insit operationibus intellectivis, quod erat τὸ κρι-
νόμενον. Quartò quæ hic tria finguntur absurda, nihil si bene intelligantur absurditatis continere. Hæresim & errorem peccata esse facit
 ipsa

ipsa deceptio & mentis assensus falsæ conclusioni, qui in signora-
 tionis prior est voluntatis pertinaciâ in illo retinendo: ac sicut inci-
 piunt pisces à capite putrescere, ita peccatum incipit ab intelle-
 ctu, unde generali nomine peccata in Scripturis *ignorantia* dicun-
 tur. Nihil vero subest difficultatis quominus, bis ter-ve pec-
 cetur circa idem objectum ab homine, nempe tum errore in ju-
 dicando, tum appetitione in volendo: Ipse Jacobus ostendit in
 uno eodemque peccato considerari concupiscentiæ illicitum sive
 concubitum, conceptum & partum; & ex Scholasticorum hypothesi
 bis saltem peccatur in qualibet suggestione admittenda, primum dele-
 ctatione, deinde consensu. Nec excusat à peccato omnis ignorantia
 etiam ea quæ est involuntaria negativè & secundum quid, qualis ea
 foret quæ ex negligentia aut supinitate proficiscitur; nam Sapientis non
 est dicere non putabam, & lata culpa apud Jurisconsultos dolo æquipa-
 ratur, quamvis in ea nullus positivus actus voluntatis intercesserit; sed
 illa solum ignorantia excusat, si non à toto saltem à tanto, quæ est abso-
 lutè & positivè involuntaria, & ad quam præveniendam omnem de-
 bitam diligentiam adhibueris. Addo his quod ipse Becanus statuat
 intellectum formaliter esse liberum à coactione, quæ sola libertas, si
 benè expendatur convenit hominum arbitrio. Quod si libeat con-
 ferre quæ de libertate necessitatis, uti eam vocat, neganda intellectui
 habet idem Jesuita, cum iis quæ voluntati conveniunt, facile erit de-
 prehendere quam non magis hæc libera sit quam ille. Intellectus, in-
 quit, positis omnibus prærequisitis ad apprehendendum objectum, aut
 assentiendum propositioni, per argumenta quæ convincant veram
 esse, non potest suspendere apprehensionem aut assensum, & necessa-
 riò assentitur. At neque voluntas, positis omnibus ad appetendum
 requisitis, nempe boni præsentia & verâ cognitione ac ultimo judicio
 rationis practicæ potest non appetere. Item intellectus, inquit, non
 est liber quoad speciem actus, ut cuilibet propositioni assentitur vel
 non, prout libuerit, sed necessariò determinatur ad alterutrum, sive as-
 sentiendo si argumenta fuerint visa necessaria, sive opinando si probabi-
 lia judicentur. At idem etiam obtinet in voluntate; nam cum vult
 finem, & duo diversa media proponuntur, in illo bivio non potest
 hæcere

hære incerta, sed alterutrum admittit, vel necessariò & vehementiùs si necessariam cum fine connectionem ratio illi tribuat, vel remissiùs, si potius utile quam necessarium judicatum fuerit. Sed Durandi Sæctatoribus hanc sententiam contra Becanum & Bellarminum relinquo propugnandam.

Ibidem ut ostendatur) Quasi vero quicquid inerat libertatis in primo homine, de hac enim agere Syracidem ipse Tiriùs *ibi* agnoscit, conveniat Libero arbitrio in communi, aut falsò dixerit Augustinus *Ench. ad Beat. cap. 30. Homo libero arbitrio malè utens & se perdidit & ipsum. Quod si posse servare legem, ut eam poterat servare si voluisset primus homo, sit de libertate perpetua arbitrii, aut negetur homini in statu peccati inesse liberum arbitrium, aut illi tribuatur sat virium ad Deo obsequendum, contra quam univèrsa docet Scriptura. Si itidem posse peccare & deficere à Dei mandatis sit de libertate essentiali arbitrii humani, aut abrogent Jesuitæ Liberum arbitrium Christo secundum humanam naturam, aut statuunt ipsum non impeccabilem fuisse. Video quidem Becanum tractatu de incarn. qui est prior 3. p. Theol. sua Schol. cap. 13. q. 1. & 2. satis ægrè posse hinc se expedire: Interea quæ ibi habet sufficiunt nunc mihi contra Tiriùm: Libertas arbitrii (inquit q. 2. §. 1.) non necessario requirit facultatem peccandi; 1. Quia Deus habet liberum arbitrium & tamen non potest peccare (idem statui potest de Angelis & beatis in cælo) 2. Quia libertas arbitrii est quadam perfectio in homine & in Deo; at peccare est deficere à perfectione; ergò libertas peccandi non pertinet ad perfectionem sed ad imperfectionem. Fateor primò homini relicto in manu liberi sui consilii, competiisse simul utramque libertatem, contradictionis sive exercitii, & contrarietatis sive specificationis actus, fuisseque ejus liberum arbitrium *ισοπέπρον*, instar bilancis in æquilibrio, aut globi perfecti super planum utrinque flexilis: sed nego id esse de libero arbitrio in communi, cum dæmones in suo statu & homines gratià Dei destituti, sint inepti ad omne bonum, & è contrario Angeli & cælites sint omnis mali incapaces, citra libertatis illius quæ est de liberi arbitrii essentià destructionem. Est tamen quodam sensu hæc libertas exercitii & specificationis admittenda in libero arbitrio, sed planè alio quàm volunt Jesuitæ: Habet homo libertatem*

B

contra-

contradictionis sive exercitii, non quâ possit simul & indifferenter agere & non agere in omnibus, sed quâ sive exerceat actum quem exercendum iudicat, sive eum omittat quem putat omittendum, ibi agat liberè, hîc non agat & cesset liberè, quia agit aut cessat prout libet, & secundum suam προαίρεσιν. Habet itidem specificationis sive contrarietatis libertatem, non quod in sua facultate semper sit elicere actus vel bonos vel malos indifferenter, sed quod quocunque se applicet, vel ad benè agendum vel ad malè, vel ad hoc vel ad illud, actus suos specificet, tam bonos quàm malos, liberè citra violentiam & coactionem. Atque hinc liquet quàm perperam Jesuitæ & alii Pelagiani hanc duplicem libertatem exercitii & specificationis, seu libertatem à necessitate contradistinguant à libertate à coactione; quandoquidem omne agens ἐκ προαίρεσως eo ipso quod est liberum à coactione, liberè etiam actum exercet, suspendit & specificat; etiam cùm per necessitatem moralem & servitutum peccati est incapax omnis boni.

Num. xxx, 14.) Hîc locus Mosis nihil facit ad hanc quæstionem; tum quia non agit de interna arbitrii libertate, sed de externâ potestate mariti in uxorem, cuius vota vel rescindere vel firmare queat ut libuerit; tum quia nec voluntatis nec arbitrii textus ipse meminit, qui tantùm habet juxta originalem veritatem, *Vir ejus stabiliro illam*, nempe obligationem voti, *vel eam irritam facito*. Davidi verò 2. Sam. xxiv, 12. sic proponitur electio libera unius ex tribus illis malis, ut non minus ejus iudicio quàm voluntati permetteretur libertas electionis: quàm etiam iudiciosè non minus quàm liberè factam fuisse, ostendit ipsa Regis ratio & oratio; *Incidamus quæso in manum Iehova, nam miserationes ejus magna sum; in manum autem hominis ne cadam*.

Num. 2. Ex quibus (contra Lutherum, Calvinum, & reliquos omnes Sectarios) patet, ad LIBERUM ARBITRIUM nullo modo sufficere LIBERTATEM A SERVITUTE, seu peccati, seu legis, vel A COACTIONE & violentiâ (quia sic etiam pecora haberent liberum arbitrium, cum sine violentiâ ferantur sponte suâ ad pabulum:) sed omninò requiri etiam LIBERTATEM A NECESSITATE, id est, ut voluntas à nullo absolutè prænecessitetur, sed indifferens relinquatur & ex se indeterminata, ut possit eligere contrariam, vel saltem contradictoriam ejus quod agit: 1. Cor. VII, 37. *Non necessitatem habens, sed potestatem sue voluntatis*.

CENSU-

CENSURA. *Ex quibus contra Lutherum*) An satis seipsum hic intellexerit Tirinus valde dubitem. Nam I. Videtur etiam requirere ad liberum arbitrium libertatem à servitute seu peccati seu legis; Unde sanè sequeretur nemini mortalium competere liberum arbitrium; nemo enim est simpliciter *ἀρτυδύρος*, cum omnes legi subsint & illi teneantur obsequi; ac priusquam per Christum liberentur servi sunt peccati & iræ filii. II. Servitus legis potest dupliciter intelligi, ut nempe sit vel Maledictionis, vel Directionis illius; Priori sensu eadem est servitus legis quæ peccati; Nam per peccatum finis servi pœnæ & obnoxii maledictioni denunciatur per legem sui transgressoribus; quo sensu dicuntur Paulo qui sub lege sunt, esse sub maledictione Gal. III, 10. At posteriori sensu nulla est creatura intelligens quæ non subit directioni legis & imperio Dei, cui servire est regnare; Quapropter libertas à servitute legis, priori quidem respectu obtigit nobis per Christum Rom. VII, 4. Gal. III, 13. sed posteriori non pertinet ad libertatem humanam, quæ ipsismet Jurisconsultis juris & legum imperio circumscribitur: *Libertas*, inquit Justinianus *Inst. lib. 5. 1. de jure personarum.* (ex qua etiam liberi vocantur) *est naturalis facultas ejus quod cuique faceve liber, nisi si quid vi aut jure prohibetur.* III. Nec bona fide hic nostrorum sententiam expressit Tirinus. Liberum itaque, & ex illo libertas, ut plenius paulò omnia explicemus, multifariam dicitur: Nam aliquando liberum est idem quod Græcis *ἀρεθύρια* & *ἀρτυδύρια* dicitur. Hunc liberam gentem dicimus quæ suis legibus utitur, & liberum Baronem sive Dominum, *vryheer*, qui nullius est Vasallus, nullum supra se agnoscit Dominum: & sic libertas dependentiæ opponitur. Aliquando liberum idem sonat quod Græcorum *ἐλευθερία*, quæ propriè eorum est qui servi & mancipia non sunt: Et sic Libertas opponitur Servituti; quò spectant infinita Scripturæ loca, & illud Stoicorum paradoxon fuscè à Cicerone diductum *parad. 5. Omnes sapientes liberos esse, omnes verò stultos, servos.* Aliquando liberum philosophis est idem quod agens *ἐν προαιρέσει*, sive cum deliberatione & judicio; Aristoteli dicitur *αἰσίων κατὰ προαίρεσιν*, ut ex ipso monet Keckermannus *System. log. lib. 1. cap. 15.* Et sic Libertas opponitur Naturæ, sive, liberè agens, agenti naturali quod semper agit idem & eodem modo

modo & quantum potest. Aliquando liberum idem est quod *ἐλεύθερον*, idest illud quod fit sponte & ultro, sive absolute sive secundum quid, quale illius qui apud Poëtam *Iliad.* 8. aliquid facit *ἐκὼν ἀκούσσει γὰρ θυμῷ*; Et ita libertas opponitur τῇ ἀναγκῇ sive coactioni cuilibet, etiam in sacris nostris libris, ut in Epistola ad Philem. com. 14. & 1. Pet. v. 2. His positis docent Orthodoxi non quamlibet libertatem esse de essentia facultatis illius quæ liberum arbitrium in homine dicitur. Primò enim ad illud non pertinet libertas à dependentiâ; Nam absolute solum Deus est *ἀνεξάρτητος* & independens: & inferiorum dependentia à superioribus in statu œconomico, Politico, Ecclesiastico, non evertit credo in illis liberum arbitrium. Ipsi quoque voluntati duplex convenit dependentia, altera extrinseca à Deo, qui cor Regum & aliorum hominum sicut aquarum defluxus inflectit quòd vult Prov. xx, 1. altera intrinseca à iudicio rationis, quod est in microcosmo primum mobile, & à quo ipsa voluntas determinatur ad volendum. Secundò neque pertinere potest ad liberum arbitrium libertas à servitute; Non sanè ab externâ illa & corporali, quæ jure gentium est introducta; Quamvis enim Thomas Campanella Dominicanus *Moralium cap. 1. art. 2.* videatur servis abrogare quadantenus liberum arbitrium, tamen non putem eum hac in parte probari ab aliis Pontificiis: Cùm enim apud eos nulla fides, nulla pietas, nullum bonum opus, nulla salus consistat absque libero arbitrio, non possent denegare liberum arbitrium Onesimo, Blandinæ & tot aliis utriusque sexus, servilis quidem conditionis in Veteri Ecclesia, sed tamen virtutis Heroicæ & fidei exemplaris: Multò minus à spiritali & mystica quam homines serviunt sub peccato; Nam cùm tam *liberaliter*, ut loquitur Augustinus, serviant peccato, ac tam spontè & ultro obediant pravis suis affectibus, quin agant ibi *ἐκὼν* & liberè nemo ibit inficias: qua de re diximus antea *Tomo 1. Contr. xi. num. 10. & Cont. xii. n. 7.* Quod ergò Lutherus *servum* dixit arbitrium hominis sub peccato, non id factum quod vellet omnem omninò libertatem arbitrio humano auferre, sed tantùm voluit meritò illi demere libertatem à servitute peccati, ac illud ita peccato mancipatum describere, ut sit incapax omnis bonæ & salutaris functionis, quales describitur ab Augustino *Enchir. ad Lau. cap. 30. & prout*

proutidem Augustinus habet *lib. 3. contra duas Epist. Pelag. ad Bonif. cap. 8. Librum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet, ad justitiam verò nisi divinitus liberatum adjutumque non valet.* Quin Jansenius Yprensis Episcopus *lib. 3. de statu nat. lapsa cap. 5.* agnoscit Lutherum in servitute arbitrii asserenda consensisse Augustino, & illi è suis irascitur qui scripserat per annos mille & quingentos ignotum fuisse nomen servi arbitrii in Ecclesia; is autem est Bellarminus *lib. 4. de Grat. & lib. arb. cap. 6.* Quid igitur? Agnoscimus primò competere libero arbitrio esseque de illius essentia, libertatem à coactione, imò in hac potissimum illud consistere; Quæ enim fiunt ab hominibus *involucis* & sponte, fiunt liberè; & ea fiunt citra coactionem: unde fit quod *ἀναγκή*, ut coactionem significat, opponitur *τῷ ἐκβοιωῖ* in illis Scripturæ locis quæ supra citavi: Nec dubitavit Alphonsus à Castro *lib. 9. verbo Libertas*, eam à qua dicitur liberum arbitrium statuere illam esse quæ coactioni opponitur: Et Lombardus ipse *lib. 2. dist. 25. litt. I.* pro eodè sumit hac in materia necessitatem & coactionem; Nam propositâ triplici libertate à necessitate, à peccato, & miseria, subjicit, *A necessitate & ante peccatum & post, aequè liberum est arbitrium: Sicut enim tunc C O G I non poterat, ita nec modo*, ut jure Calvinus noster statuerit, fultus etiam autoritate Lombardi, *lib. 2. Inf. cap. 2. §. 7.* hæcenus dici liberi arbitrii hominem, *non quia liberam habeat boni aequè ac mali electionem, sed quia malè voluntate agit non coactione.* Nec obstat *ἐν τῷ αἰῶνι* Tiriniana, ad quam jam olim paucis respondimus *Disput. ad Confess. Begic. 27. th. 4.* pecora sic habitura liberum arbitrium, *cum sine violentia ferantur sponte sua ad pabulum*; Nam 1. Spontaneitas alia est diminuta & secundum quid & *ἐξ ὀρμηῆς*, qualis est bestiarum, maxime ferarum, quæ sic dicuntur *quod pro naturali desiderio huc illuc sine ratione ferantur*, ut placet Grammaticis, alia est plena, absolutè talis & *ἐκ προαιρέσεως* qualis est hominum liberè & ex rationis judicio vel sano vel corrupto volentium quicquid volunt: Apagesint ergo homines illi belluini magis quam belluli, qui spontaneitatem impetus & belluinam confundunt cum spontaneitate humana & libentiz: Nam *τὸ libet*, si credamus Aristarchis & juxta Varronem, sic dicitur à *labendo*, quod quæ placent in mentem prolabantur. Quare ut nunquã dixeris de bestia eam agere quod lubet, quandoquidem est destituta mente quæ est sedes liber-

libentia, licet sponte agat quod agit, sic perperam eandem facies spontaneitatem belluinam cum humana. II. Statuit nec plane malè Bellarminus *lib. 3. de grat. & lib. arb. cap. 15.* aliquam bestiis inesse imaginem & similitudinem Liberi arbitrii: Ea si quæ sit in eo potissimum sita est quod suâ sponte ad multa ferantur; Unde etiam *libertas naturalis* illis tribuitur à Justiniano *Instit. lib. 2. de ver. divis. §. 12.* Quare ut sua remaneat analogia inter exemplū & exemplar, prout imago illa liberi arbitrii in bestiis quæ *metaphoricè liberum arbitrium dici potest* iudice Bellarmino, in spontaneitate impetus sita est, sic etiam verum & propriè dictum liberum arbitrium hominis in spontaneitate libentia situm erit. Atque sic primò & potissimum arbitrii humani libertas consistet in ea immunitate à coactione quæ sonat spontaneitatem libentia vel *προαιρέτως*. Præterea ut aliquid amplius largiam adversariis pertendentibus cum nostro Tirino homini insuper competere *libertatem à necessitate*, & hanc multiplici sensu possemus concedere, si viceversa nobis concesserint Sophistæ multiplicem dari necessitatem etiam in summè voluntariis, nec semper necessarium repugnare voluntario: Sanè Deus qui seipsum necessariò amat, id facit tamen liberè; Non desinit viceversa liberè & voluntariè agere Satan quicquid facit mali, etiamsi necessariò sit malus nec possit benè agere: Neesse est fieri quæ Deus & decrevit & præscivit futurum; multa tamen sunt ex illis quæ liberè & voluntariè homines erant facturi: ut patet nominatim in crucifixione Christi *Act. 1v, 28.* Et sicut necessitas non peccandi, qualis fuit in Christo viatore, qualis quoque est in Angelis & in sanctis glorificatis, non tollit liberum arbitrium, quia potestas peccandi defectus est potius quàm perfectio in libero arbitrio, ut docet nos ipse Bellarm. *lib. 3. de grat. & lib. arb. cap. 6.* ita etiam potest moralis necessitas peccandi quæ ex lapsu hominis orta est, adeoque & impotentia benè agendi, cum arbitrii qualicunque libertate consistere. Adhæc cùm liberum & voluntarium adversariis idem sit, statuendum est nos in eo maximè liberos fore quod maximè volumus; Sed nil magis volumus quam ipsum finem ultimum: is enim propter se appetitur, cætera propter ipsum: Jam autem finem ultimum volumus necessariò, nec circa illum deliberationi aut electioni locus est, ut omnes agnoscunt: Quare etiam in eo quod maximè & liberrimè volumus,

summa

summa quædam necessitas est admittenda. Quid quod antea monuimus ex ipsomet Bellarmino, voluntatem sic esse appetitum intellectuale, ut determinetur ab ultimo judicio rationis practicæ? Eo enim posito, voluntas nequit actum suum suspendere aut in contrarium se determinare; tunc enim ὄρεξις τοσπὰ esse desineret. Ibi ergo naturalis quædam necessitas in naturæ ordine, imposita est voluntati ad nutum & iudicium rationis eliciendi actus suos volitionis aut nolitionis, appetitionis aut aversionis, prosecutionis aut fugæ; quod tamen libertati humanæ non repugnat. Cùm ergo tam multiplex necessitas cum libertate arbitrii concurrat, vitiosè & perperam, generaliter loquendo, statuit Tirinus omnino requiri ad liberum arbitrium *libertatem à necessitate*. Etenim non est liberum à necessitate hypotheticæ vel consequentiæ sive infallibilitatis eventus, quæ ex Dei decreto & præscientiâ resultat: Non est liberum à necessitate prædeterminationis divinæ (saltem juxta Thomistas) tam physicæ per generalem Dei concursum cùm causis secundis, quàm gratiæ, per specialem gratiæ efficaciam & operationem juxta quam operatur in suis quando ipsi placet & velle & perficere Phil. 11. 13: Non est liberum semper à necessitate morali vel impeccantiæ & bonæ operationis, qualis fuit in Christo viatore, & est in Angelis & Comprehensoribus, vel deficientiæ & operationis perversæ, qualis est in Dæmonibus & in hominibus sub peccato: Non est liberum à necessitate specificacionis circa ultimum finem, quia ut monet ipse Castanæus in *distinctionibus suis*, ad vocem *Necessitas, necessariò expetit summū bonum nec potest illud respicere*: Non est liberum à necessitate determinationis duplicis, tum externæ per objectum, tum internæ per iudicium rationis. Sed liberum potest dici 1. A necessitate coactionis; quia sive actus sit exercendus per libertatem contradictionis, sive specificandus per libertatem exercitii, semper id fit ab homine liberrimè & ἐκ τῆς οὐσίας, absque ulla coactione, quando enim homo cogitur ad aliquid faciendum, tum non est voluntas, sed noluntas, 11. A necessitate propriè physicâ, quæ est agentium naturalium & ad unum ex intrinsicâ suâ constitutione & naturâ determinatorum: prout ignis sic determinatus est necessariò ad exsiccandum, calefaciendum & urendum, ut repugnet ejus naturæ contrarium facere, sc: humectare & refrigerare. Etenim etiam positis aliis necessitatis speciebus, talis est

lis est facultas voluntatis humanæ, ut ex intrinseca sua constitutione & natura, apta nata sit æquè ad actus planè contrarios eliciendos, quos & de facto eliceret, vel elicere posset, nisi ad hos necessitaretur vel ex determinatione divina, vel ex morali sui constitutione ad bonum aut ad malum, vel ex objecti præsentia, vel ex dictamine rationis. V. g: Milites Pilati necessitabantur quidem ex determinatione divina ad non frangendum crura Christi, sed tamen seposito illo Dei decreto, quo constituerat os ipsius fractum non iri, nihil repugnabat quominus potuissent contrarium velle ejus quod voluerunt, & idem facere in Christo quod fecerunt in duobus latronibus crucifixis cum ipso. Sic illi quorum voluntas moraliter necessitatur ad malum per innatam corruptionem, aut ad bonum per efficacem operationem luminis gratiæ vel gloriæ, sepositis vel illà corruptione vel illo lumine possent ejus contrarium operari quod tunc operantur: adeò libera est semper voluntas à necessitate propriè physica & naturali, quæ eorum est quæ ex intrinseca sua natura, semper eodem se habent modo, & sunt ad unum specificè determinata.

Vi indifferens relinquatur) Breviter monuimus quàm multipliciter præ-necessitetur voluntas, etiam absolute, quandoquidem actu positus illis ad sic agendum prærequisitis & in sensu composito, non potest non agere; Sed ut minus convenienter rectæ rationi Tirus distinguit necessitatem à coactione, sic perabsurdè libertatem hanc quàm à necessitate statuit, facit libertatem indifferentia, qua liberum arbitrium sit instar stateræ in æquilibrio æqualiter se habente ad utramque partem. Nam 1. illa indifferentia vel *isopponia* ad opposita non potest habere locum ubi est necessitas illa moralis de qua supra, vel non peccandi & benè semper agendi, vel peccandi quicquid egeris & semper agendi malè: Nam ut Dei, Angelorum, Christi, Beatorum, libertas fixa est & immobilis ad bonum, ita dæmonum & hominum peccatorum, qui fide & gratiâ destituuntur, libertas est fixa & immobilis ad malum; ut licet ab hoc & illo peccato externo possit abstinere, nunquam tamen possit ab omni, aut unum fugere aliter quàm per aliud; instar ejus qui fumum dum vitat incidit in ignem, & ut loquitur Prosper *de ingrat cap. 27. in vulnera vulnere surgit.* II. Neque hæc indifferentia

fferentia locum habere potest vel ubi jam ponuntur actu pręrequisita ad agendum, vel ubi voluntas ab objecto verè bono & clarè cognito necessariò determinatur, vel circa finem ultimum qui sub deliberationem non venit: Nemo enim unquam deliberat num velit esse beatus, sed tantum quomodo poterit evadere beatus. III. Omnes Scholastici statuunt dari habitus morales qui sunt & vulgò definiuntur qualitates adventitię ad facilius operandum; ubi talis accedit habitus vel ad bonum vel ad malum, isti indifferentię locus non superest; quoniam ex habitu confirmato, promptitudo, propensio & facilitas major habetur ad unum oppositorum quam ad aliud.

Et ex se indeterminata) Agnosco voluntatis naturam in ideã & ex se indeterminatam esse & similem materię primę quam dicunt phisici capacem esse omnis formę; quo respectu indifferentia quędam, *negativa* scilicet ut sonat indeterminationem phisicam non tamen *positiva*, illi competit: sed determinatur ab objecto, à fine, à gratia, à peccato & nativa corruptione, à iudicio rationis, ut positus ad agendum pręrequisitis non possit eligere vel contrariũ vel contradictoriũ ejus quod agit.

Ut possit eligere) Et hęc se prodit ἀβελήϊα Jesuitę: Nam palmariam libertatem vult esse à necessitate; hanc statuit in indifferentia ad utrumque sitam; ipsam verò indifferentiam restringit ad electionem: quo sane valdè restringit libertatem arbitrii: Nam voluntatis libertas esto eorum circa quę indifferentem se habet, & indifferentem tantum se habeat circa ea quę cadunt sub electionem, hinc sequetur quod sicut electio est tantum mediorum non finis, agnoscente Bellarmino *lib. 3. de grat. & lib. arb. cap. 3.* ita etiam libertas pręcipua voluntatis versabitur tantum circa media. Et quid quęso absurdius quam eam libertatem tribuere voluntati ceu maximè propriam, quę tamen minimè reperiatur in iis quę potissimum volumus? Nos enim magis velle finem quam media notum est; & tamen illa libertas quam isti homines maximè deputant voluntati, non competit volitioni finis, sed tantum mediorum. Quod si medium deprehendatur ab intellectu practico necessarium ad finem quem necessariò volumus, an circa illud voluntas manebit positivè indifferens, ut possit eligere vel contrariũ vel contradictoriũ illius?

1. Cor. 711, 37. Non necessitatem) De hoc loco jam ante dictum: Nihil fa-

hil facit ad mentem Jesuitarum, cum hæc necessitas sit coactionis non quidem physicæ sed moralis. Ipse Tirinus ibi sic loquitur, *Non habens necessitatem, id est qui non cogitur filiam servare innuptam, v. g. ob inopiam, infamiam, vel quoniam nemo illam vult conjugem, vel aliis de causis*; ita quoque Cornelius à Lapide & Cajetanus: quanquam non ad mentem Apostoli, qui non requirit ad *ἡγάθηται* illam quâ virgo innupta servatur ut id fiat non ex aliqua necessitate, sive coactione morali, sed ex libera voluntate, quasi hoc sit virtutis, illud necessitatis; sed tantum hoc sibi vult Paulus, Parentem virginem suam servando bene facturum, si quod animo destinavit possit commodè exsequi, nec aliud suadeat vel ipsius virginis ingenium, vel alia aliqua domestica ratio. Ideo juxta Carthusianum, is de quo Paulus, non habet *necessitatem tradendi virginem suam viro, eo quod velit continere*. Glossa interlinearis similiter illud, non habens necessitatem, sic exponit, *Non curans vel sobolem, vel aliud hujusmodi, cum virgo velit continere*. Sic & Lyranus, *Non habet necessitatem tradendi eam nuptui, quod non videt eam ad hoc inclinari, nec timet de ejus lapsu verecundari*. Sic Emanuel Sa, *Necessitatem id est aliquid cogens; Sua voluntatis, id est faciendi de virgine sua quod velit, scilicet quia illa se ei commisit*. Plures non refero; Ex his liquet 1. Hanc necessitatem esse coactionem, saltem inoralem, adeoque hunc locum malè proferri pro libertate necessitatis distincta à libertate coactionis; 2. Eum censerì juxta Paulum habere necessitatem, non qui cogitur virginem suam innuptam servare, sed qui cogitur propter rationes domesticas aut ipsius virginis suæ ingenium eam elocare; neque hanc esse hereticorum interpretationem, ut calumniatur Cornelius à Lapide, sed eorum qui pro eximiè Catholicis habebantur in ipso Papatu antequam Jesuitæ ex puteo abyssi prodiissent.

August.
L de verâ
Relig. c.
14. & a-
libi pas-
sim.

Num. 3. Patet item, tale LIBERVM ARBITRIVM non esse homini sublatum per Adami peccatum (ut somniant ijdem sectarij,) sed etiam IN STATV NATVRÆ LAPSÆ cum illo PERSEVERARE. Et ad hoc probandum, inquit S. August: satis est, quod constat peccari ab hominibus: Peccatum enim usque ad eò voluntarium (id est, liberum, ut ipsemet exponit,) malum est, ut nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium. Et hoc manifestum est ad eò, ut nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.

Rursum,

Rursum, Si non voluntate malè facimus, nemo objurgandus est omnino, nemo monendus. Quibus sublatis, Scriptura omnis & lex Christiana, & disciplina religionis auferatur accessit. Porro servos suos meliores esse Deus judicavit si ei servirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.

Nec obstant, ut ibidem exposui, illa Prov. xvi, 1. *Homini est animam præparare, sed Domini gubernare linguam: Ier. x, 23. Non est hominis via ejus. Ef. xxvi, 12. Omnia opera nostra operatus es nobis. 1. Cor. xi 1, 6. Omnia operatur in omnibus.*

CENSURA. Patet item tale liberum arbitrium) De hoc diximus obiter ad *Cont. xi. Num. 10. Tom. 1. pag. 536. & 537.* Facultatem naturalem agendi quod lubet, sive ἐκ προαιρέσεως, nisi quis vi aut jure impediatur, non magis sublatam per peccatum pertendimus quam ipsas facultates intelligendi & volendi ad quas pertinet; sed facultatem moralem benè agendi & servandi legem & obediendi Deo in omnibus quæ præceperit, quâ pollebat primus homo, nos in illius lapsu amisisse & Scriptura testatur, quæ omnes ea ratione peccato & morti mancipatos clamat, & experientia comprobatur, & statuit Augustinus disertis verbis *Enchir. ad Laur. cap. 30. & Lombardus insinuat lib. 2. Sent. dist. 25. litt. H. Præter alias penalitates pro peccato illo incurrit homo penam in corruptione & depressione liberi arbitrii: per illud namque peccatum naturalia bona in ipso homine corrupta sunt; atque ibi citat Augustinum in hæc verba, Libero arbitrio, malè utens homo & se perdidit & ipsum: cum enim libero arbitrio peccaretur, victore peccato amisum est & liberum arbitrium; a quo enim quis devictus est, huic servus addictus est; ad quæ Lombardus, Ecce liberum arbitrium dicit hominem amisisse, non quia post peccatum non habuerit liberam arbitrium (nempe in genere entis & per libertatem à coactione) sed quia libertatem arbitrii (nempe indifferentiæ) perdidit, non quidem omnem, sed libertatem à miseria & peccato. Annon ipsimet Jesuitæ ex Thoma & post illum, vulneribus naturæ per peccatum inlicitis annumerant ignorantiam in intellectu & malitiam in voluntate, ut videre est apud Becanum *Theol. Sch. p. 2. tr. 2. cap. 9. q. 2. §. 2? Qui autem possent illa vulnera consistere cum libero arbitrio prioris Adami, quod post lapsum in ipso perseverare fingitur? Tale nominatum quod sit liberum, non solum à coactione, sed etiam à servitute & omni necessitate, quale describitur Tirino Num. præcedenti?**

Et ad hoc probandum inquit S. Augustinus) Sane ut liberè peccetur non requiritur libertas indifferentiæ & ἰσορροπίας, qualis erat in Adamo, sed sufficit libertas spontaneitatis, juxta quam etiam qui servi sunt peccati, nec aliter possunt quam malè agere, libentissimè & ultrà faciunt quæ mala sunt; *A quo quis devictus est*, inquit Augustinus V. S. *huic est servus addictus; Petri cerè Apostoli est ista sententia, qua cum vera sit, qualis quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quando peccare eum delectat? Liberaliter enim servit qui sui Domini voluntatem libenter facit, ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est; unde ad justè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, justitia cæperit esse servus.* Hoc est igitur quod sibi voluit Augustinus verbis Tirino citatis *cap. 14. lib. de ver. relig.* ex quibus nihil potest haberi quod nobis obsit: peccat liberè & voluntariè qui peccat, & omne peccatum suo sensu voluntarium, vel formaliter, vel subjectivè, vel antecedenter, vel consequenter, vel interpretativè, dici potest; & quamvis necessariò serviat qui servit, tamen id faciet liberaliter qui id fecerit alacriter & sua sponte, non coactè; Unde patet *necessitatem* hoc loci Augustino idem esse cum coactione, & libertatem vel liberalitatem in officio faciendo cum alacritate & spontaneitate; quod vel ipse Augustinus, ut sexcenta ejus loca alia prætermittam, in quibus liberi arbitrii servitutem, corruptionem; impotentiam ad bonum, necessitatem ad malum sub peccato explicat, satis testatur *Retr. lib. 1. cap. 13.* ubi hunc ipsum explicans locum qui citatur à Tirino, non solum ostendit quomodo etiam suo sensu sit voluntarium originale peccatum, cum quo tamen omnes necessariò nascuntur, sed etiam agens de lucà spiritus & carnis ait quod qui vincitur *concupiscentia consentit volens, & in eo non facit nisi quod vult, liber scilicet justitia servusque peccati.* Imò necessitatis voce coactionem intelligi ab Augustino minimè mirum, cum ipse Vulgatus interpret in N. T. sæpius verbum ἀναγκάζειν reddat *cogere & compellere*, ut Marc. vi, 45. Luc. xiv, 23. Act. xxvi, 11. Gal. ii, 14. & alibi, & quod dixerat Petrus i. v, 2. *μὴ ἀναγκασθε ἄλλὰ ἐκυσίως*, interpretetur *non coactè sed spontaneè*: Quod verò nequeat homini tribui in statu naturæ lapsæ liberum arbitrium, quale illi conveniebat in natura integra, ita ut nunc liberè quidem & citra coactionem feratur in malum, necessariò tamen,

tamen, ut non valeat ad quidquam verè boni, Scriptura Sacra iis omnibus locis testatur quibus nostram corruptionem sub peccato & peccandi necessitatem graphicè depingit Gen. vi, 5. viii, 11. Jer. xiii, 23. xvii, 9. Matt. vi, 18. Joh. viii, 34. 1. Cor. ii, 7. 8. 9. 10. 2. Cor. i, 11, 5. Eph. ii, 5. iv, 17. 18. v, 8. Rom. v, 8. vi, 17. viii, 6. 7. 2. Pet. ii, 9. & alibi. Vide etiã quæ Tomo 1. disputata sunt *ad Cont. xii. n. 7. p. 586. & seqq.*

Nec obstant ut ibidem) Insistit quidem Tirinus in his objectionibus sibi proponendis, vestigiis sui Bellarmini qui *lib. 4. cap. 11.* plerasque ex illis sibi sumpterat refutandas, quasi à nostris fierent ad omne liberum arbitrium, etiam quo sensu hætenus explicavimus, homini abrogandum; verum ambo laterem lavant, cum hæc loca non eo faciant ut probetur homini in statu naturæ lapsæ non superesse vires Deo obsequendi & libertatem indifferentiæ & *ισορροπίας* ad bonum & malum; sed tantum ut ostendatur nunquam homini competere libertatem independentiæ à Deo, cum divinæ Providentiæ, regimini & directioni sub sint ejus deliberationes & consilia; quod qui negaverit is cum Cicerone, apud Augustinum, homines dum liberos volet facere faciet sacrilegos. Salomon Prov. xvi, 1. nihil aliud sibi vult quam homines multas quidem versare in animo suo cogitationes, sed ne hiscere quidem posse aut linguam movere sine dispositione divina, ut benè observat noster Junius; à qua sententia ibi non abludit ipse Tirinus, asserendo hominis quidem esse animam præparare, sive *dispositiones cordis, non tamen (ut volebat Pelagius) sine concursu Dei, tum naturali seu generali in omnino, tum supernaturali seu per gratiam in rebus quæ ad salutem pertinent.* Sane si homo nihil boni & salutaris animo volvere potest sine concursu supernaturali gratiæ, nec poterit habere liberum arbitrium & facultates naturales ad bonum salutare, in statu naturæ lapsæ, in quo gratiâ Dei destitutus est. Idem sibi vult Salomon eod. capite versu 9. Cor hominis cogitabit viam suam, & Dominus parabit gressum ejus: quibus verbis non vult Salomon statuere deliberationem quidem & consilium à nobis, executionem esse à Deo, sed tantum quod occulta nostra consilia (quæ si bona sint & sancta non erunt aliunde quam à Deo, cum ex nobis ipsis nihil boni cogitare valeamus 2. Cor. i, 11, 5.) frustra erunt, nisi Deus eorum executioni faveat & illam promoveat sua benedictione.

ctione. Eadē est mens Jerem. x, 23. ad quem nihil annotavit Tirinus huc faciens, & quem Bellarminus perperam de sola executione intelligit; cum via hominis à Deo dirigenda primariò spectet ejus deliberationes & consilia: Quin apud Cornelium à Lapide ibi eum Jeremiæ locum, *Franciscus Suarez, alique Scholastici sic exponunt, Non est hominis via ejus, id est opera gratia quæ sunt ad vitam æternam non sunt in hominis potestate sive Dei inspiratione & auxilio, quia ad ea Deus hominem excitare debet prævenienti suâ gratiâ; si enim in naturalibus egemus directione Dei, multò magis in supernaturalibus.* Ea nempe est vis veritatis ut saltem aliquam sui, quamvis ambiguum & involutam, extorqueat confessionem, etiam ab iis qui aliàs ei minus favent. Esajæ xxv 1, 12. Deo tribuitur à piis quod omnia illa negotia peregerit quæ ad ipsorum vel castigationem, vel liberationem spectare videbantur; Nihil tamen obstat quominus laudem quoque tribuant Deo, omnium bonorum suorum operum, cum ipse sit qui in nobis operatur & velle & perficere Phil. ii. 13. Imo Thomas 3. *contra gentes cap. 89.* ex illo Esajæ dicto colligit quod *non solum virtutem volendi à Deo habemus, sed etiam operationem;* Et Adam Salsbourn ad eundem Prophetæ locum, *Ex hoc loco discimus non solum opus & donum Dei esse Justificationem impii, sed etiam bonum usum gratiæ Justificantis esse donum & Dei opus.* Interea concedo sic Deum opera nostra in nobis operari, ut etiam nos ea operemur, quia agimus, sed acti ab eo qui omnia operatur in omnibus; quem locum 1. Cor. xi 1, 6. Tirinus in Commentario nequidem tetigit, tantum abest ut ostenderit quantum suæ non obsit sententiæ. Prædeterminantes, uti vulgo dicuntur in communione Romana, hoc potissimum nituntur Pauli testimonio, ad quod mihi sufficient nunc verba Cajetani; *Dicendo in omnibus, insinuat quod de nostris intimis operationibus in nobis ipsis manentibus intendit, quales sunt diligere, sperare, ac credere in Deum & hujus modi. Optimè autem accommodat tanquam proprium principium operationum Deum, cujus est intimè efficere ipsa nostra opera non sine nobis, sed in nobis, non sine causis secundis sed in ipsis causis secundis; ad tollendam stultitiam eorum, qui subtraherent causis secundis proprias actiones, eo quod Deus efficit omnia.*

Num. 4. Neque solum circa OPERA NATURALIA (quod tandem

dem Lutherus & Melancthon retractantes concedunt,) sed & circa MORALIA, putà virtutes & peccata, habet homo hanc libertatem. Scripturæ enim, (quin & ipsi quoque hæretici in libris & pulpitis suis,) passim talia suadent, dissuadent, laudant, præcipiunt, prohibent, reprehendunt, deterrēt, invitāt, &c. quæ alioquin frustra nec nisi fictè fierent. Dicunt item hominem posse multa facere moralia quæ non facit. Eccli. xxxi, 10. *Posse transgredi & non est transgressus; Act. v, 4. Nonne manens tibi manebat, & verum mandatum in inâ erat potestatis? 3. Reg. III, 11. Quia postulasti verbum hoc & non dixisti, &c. Rursum docent, per solum hominem stare quo minus benè agat. Jer. xxxi, 1, 23. Quia non obedierunt voci Domini, omnia mala hæc evenerunt eis. Eccli. xv, 17. Apposuit tibi bonum & malum, &c. Gen. iv, 7. Nonne si benè egres, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit; Sed sub te erit appetitus ejus, & in dominaberis illius.*

Luth. in
Vist. Sa-
xonica.
Meläch.
in locis a-
no 1521.

Illud Es. xli, 23. *Benè facite aut malè, si potestis, non dirigitur ad homines (ut mentitur Lutherus,) sed ad idola & mortuas statuas. Istud Ioh. xv, 4. Sicæ palmes, non potest ferre fructum à semetipso, &c. tantum arguit necessitatem gratiæ Christi, ut opus sit meritorium vitæ æternæ.*

CENSURA. *Neque solum circa naturalia*) Malim hanc libertatem indifferentiæ tribui homini in actionibus adiaphoris sive indifferentibus, quam absolutè in naturalibus: naturalia enim à liberis solent contradistingui, & pleraque ex illis non cadunt sub deliberationem: Non est in hominis potestate situm esurire aut sitire quando libuerit: nec semper facultas loco motiva paret aut parere potest voluntati; ut taceam de genitalium motu inhonesto, de quo non semel queritur Augustinus. Sæpè etiam homo seipsum movet atque ita necessariò quod tamen nollet ire, ut cum ducitur ad patibulum; Et si quis in fame aut siti vehementiori edat aut bibat, id facit quidem spontè & citra coactionem, non tamen citra omnem necessitatem: Nec erit unquam in arbitrio voluntatis, cordis aut pulmonum motum naturalem sistere & comprimere: Ad hæc dubitari nequit quin naturales nostræ actiones pendeant à primo motore, à quo moti movemur. Cum ergo libertas humana ita sit limitata in naturalibus, limitatior ad huc erit concipienda in moralibus sub peccato.

Sed & circa moralia) Verum illud, quod quicquid homo vult aut facit morale in quolibet statu, id facit & vult liberè libertate spontaneitatis, absque qua voluntarium non esset; sed falsum est eum in statu naturæ lapsæ

lapsæ habere libertatem indifferentiæ positivæ ad opera moralia, ut illi tã æ quæ facile sit benè operari quã malè & virtutes quã vitia sectari. Nam primò nullæ plane vires supersunt in homine sub peccato ad opera verè moraliter bona & quæ fiant ex præscripto legis, tam quoad substantiam operis, quam respectu modi operationis. Hinc fit quod omnia irrogenitorum opera, etiam illa quæ virtutis umbram & speciem mentiuntur, sint peccata, nec alia possint esse, donec donentur regenerationis gratiã & fide absque qua quicquid fit peccatum est Rom. XIV, 23. Sed de eo jam egimus *in præced. Tomo ad Cont. XII, n. 5.* Secundò nec ad moralia secundum quid in foro externo societatis humanæ, cujus modi sunt Ethnicorum virtutes, par est in homine peccatore facilitas ac ad peccata: huc trahitur quilibet innato corruptionis suæ pondere; illuc si tendat Herculeos labores habebit exantlandos: facilis descensus Averni: at referre pedem, &, ut ait ille, superas remeare ad auras, hoc opus hic labor est. Si ad virtutes & vitia se indifferenter haberet homo per liberum suum arbitrium, non statueret ipse Aristoteles Juvenes non esse idoneos auditores philosophiæ moralis, cum præceptiones virtutum minùs queant admittere qui lubricæ ætatis affectibus vehementioribus abripi solent. Quod si obtineat Pelagiana hæc Tirini assertio, precibus fuis ad Deum nemini amplius opus erit, ut ipse in nobis faciat quod præcipit, cum citra ejus auxilium non minus virtutem queat homo amplecti quam vitium.

Scriptura enim) Primù gratias debemus Adversario quod agnoscat etiã libros & pulpita nostra easdem continere adhortationes ad virtutem & dehortationes à vitiis, quæ fiunt in Scripturis. Hinc enim sequitur saltem Theologiam nostrã moralem cù sacris litteris convenire, neque nos, ut sæpè calumniatur Jesuitæ, fibulam laxare vitiis aut hostes esse bonorum operum. Deinde non sequitur illas dehortationes à malo & adhortationes ad bonum frustra & fictè fieri, nisi homines ad quos fiunt etiam in statu naturæ lapsæ, polleant ejusmodi viribus arbitrij, per quas illas admittere & ad earum amissionem se componere possint. Nam primò sic denunciatur hominibus quid debeant, nō verò significatur quid possint: frustra autem Jesuitæ ex officii normã faciunt virium suarum mensuram. Ad hæc illæ adhortationes & dehortationes habent suum usum multiplicem;

plicem; In irrogenitis, ad eos convincendos, inexcusabiles reddendos, & utcunque externæ disciplinæ respectu continendos intra metas, ne societas humana in latrocinium abeat: In regenerandis, ad eos subigendos, Christo adducendos, & revera Deo progignendos per semen incorruptibile verbi sui: Nam vox ipsius externæ imperativa, accedente lumine fidei & gratiâ Spiritus Sancti fit internè operativa, & efficaciâ illarum admonitionum eorum sanctificatio promovetur; In regenitis & fidelibus, quibus jam insunt per gratiam habitualementes vires benè agendi, licet non plenè & absque omni difficultate, quæ de-erant à natura, sunt illis instar columnæ nubis & ignis Israelitis in deserto, quam per avia hujus vitæ sequantur, quo tuto perveniant ad Canaan cœlestem. Si verò ex eo quod fideles & regeniti per gratiam inhabitantem incipiunt obedire piis illis admonitionibus Sacræ Scripturæ & fructus proferre Deo gratos, velis colligere idem posse arbores malas & homines in statu corruptionis, ab eo quod verum est secundum quid argumentaberis ad id quod simpliciter pertendis esse verum, & à gratia ad naturam, quod nefas est.

Dicam item hominem posse) Hominem regenitum plus boni posse præstare quam præstat, ex gratia assistente & habituali quam est consecutus, ita ut si gravius aliquod peccatum commiserit, non possit ex virium impotentia & gratiæ defectu se excusare, ultrò concessero: quamvis enim non habeat facultatem & vires ab omni omninò peccato, etiam ex infirmitate, abstinendo, uti satis apparet exemplo Pauli Rom. vii, 15. 16. tamen eam adeptus est gratiam cujus beneficio queat etiam plus boni præstare quam de facto præstat & peccata altè conscientiam depauperant vitare. Dicam amplius: etiam homo irrogenitus posset plus boni illius moralis cujus capax est & quod tale est tantum secundum quid non verè & propriè, præstare, quam revera præstat; cum potuerit Catilina ad Fabricii aut Scipionis virtutem, Nero ad continentiam Spuri-næ conscendere. Sed negamus posse hominem irrogenitum & in statu naturæ lapsæ, quicquam boni verè moralis Deo grati & accepti præstare; nam arbor mala fructum bonum proferre nequit, & sine fide, quâ illi sunt destituti, impossibile est placere Deo Heb. xi, 6.

Eccles. xxxi, 10. Potuit) His locus non probat hominem irrogenitum

D

plus

plus verè boni præstare posse quam facit, sed tantum hominem regentum plus mali posse facere, ipsâ sæpe occasione ultrò ad peccandum invitante, quam revera facit, Dei reverentiâ & conscientiæ loro retentus, ut patuit in Josepho. Et quæ hæc est consequentia? Homo pius & dives *sine macula* & qui *perfectus est in auro* (nam de tali agit Syracides; at *Quis est*, inquit ille, & *laudabimus eum?* nempe, *Rata arvis in terris, nigroque simillima cygno;*) cum potuit transgredi, opibus supeditantibus ipsi *irritamenta malorum*, uti Ovidio dicuntur, tamen non est transgressus; ergo viceversa impius & irregentus, cum transgressus est & malè fecit ex innata sua corruptione, potuit tamen benè agere & opera sancta & Deo grata præstare? Ubi Tirinus mihi probaverit tantum fuisse virium naturalium in Nerone aut Caligula ad benè agendum & piè ac sanctè vivendum, quantum fuit in Josepho virium supernaturalium ex Dei gratia ad vitandum adulterii crimen ad quod illiciebatur eâ ætate, conditione, occasione, tum de sui argumenti pondere poterit gloriari.

- *Act. v. 4. Nonne*) Hic locus nec de viribus arbitrii agit, sed de jure quod Ananiæ in rem suam competebat, nec ex illius juris sui libera dispositione, colligi potest ipsum plus boni facturum fuisse, agrum suum vendendo quàm retinendo: Poterat enim vendi cum vitio, per eam ostentationem, quam nihil profuturam statuit Apostolus 1. Cor. xiii, 3. Si infumam alendis egenis omnia mea, & charitatem non habeam, id nihil proderit: Poterat & retineri citra culpam, per illud boni patrifamilias officium quod commendat Paulus 1. Tim. v, 8. Quod si quis suis & maxime domesticis non providet, fidem abnegavit, & infideli est deterior.

3. *Reg. iii, 11. Quia postulasti*) Hic locus est longè ineptior ad hanc quæstionem: Nam primo Salomonem fuisse regentum & sanctificatum, ipsa ejus precatio satis testatur. Deinde non sequitur ex eo quod potuisset Salomon petiisse potius terrena & externa quam spiritualia & interna, posse vice versâ impios & carnales homines potius spiritualia & cælestia appetere, quam terrena & carnalia: Illuc enim ducebatur Salomon gratiâ & Spiritu Dei, huc verò trahitur homo *luxuriosus* naturæ suæ pondere, ut etiam liquet ex Paulo 2. Cor. ii, 14. Adde quod cum hæc Salomoni in somnio contigerint, non possunt referri

fem ad liberum arbitrium : Nec sanè ipse Tirinus *ad eum locum*, assentitur, Dionysio, Lyrano, Salmeroni stantibus Salomonem in somnio libero suo arbitrio usum fuisse & meruisse.

Rursus docent per solum) Certè per solum hominem stat quo minus benè agat, tum quia ultrò & sua sponte & plenissima voluntate fertur in malum, tum quia impotentiam benè agendi ipse sibi imposuit & ultro accersivit, ut ita remaneat coram Deo ἀναπολογητός. Sed neutrum horum homini in statu naturæ lapsæ relinquit potestatem & facultatem aliquid boni præstandi. Non prius; quia inde potentia benè agendi non est tribuenda Dæmonibus, eo quod quicquid male faciunt, id sponte sua faciant, alacriter & liberrimè: Non posterius; qui enim consistat potentia bene agendi, cum illa morali impotentia ad bonum, quam homines suo peccato contraxerunt? Unde omnibus viribus defuncti describuntur Rom. v, 6. Neque contrarium hujus nostræ assertionis probant loca hîc Tirino citata. Jerem. xxxi, 23. mala pœnz merito dicuntur inflicta peccatoribus propter sua scelera, non quod illi potuerint in statu naturæ corruptionis benè agere (contra quam ipse docet Jeremias xlii, 23. Si mutare potest Æthiops pellem suâ, aut pardus suas maculas, & vos poteritis benè facere cum malum didiceritis) sed quia hoc est jus Dei ut qui talia patrant digni sint morte; neque in scelerum pœnis attendi debeat quid homines peccato mancipati sua culpâ potuerint nec-ne, sed quid debuerint ex officio; cum illis condemnandis sufficiat quod malum patrent deliberatè, ultrò, ac suâ sponte, contra quam sibi faciendum esse optimè noverant. Syracides Eccles. xv, 14. & seq. vel ipso Tirino *ibi* interprete, agit de primo homine, à quo integro ad hominem lapsum & corruptum, non valet argumentatio. Nec si homini corrupto apponitur vita & mors, bonum & malum, ut illud consequatur quod ipse elegerit, ideo tribuenda est illi libertas indifferentiæ positivæ & ἰσορροπία ad utrumque oppositorum. Deus quidem illi in suo verbo proponit bonum & malum, mandat insuper ut relicta morte & malo bonum eligat & vitam; ipse tamen ad omne bonum inutilis ac propensus ad omne malum, tum propter mentis tenebras, per quas verum bonum à falso nequit distinguere, tum per voluntatis

corruptionem juxta quam est averſus à Deo, tum denique per illecebras carnis quibus inſcatur ad peccandum, prout *trahit ſua quemque voluptas*, ut ſcitè Virgilius, conſtans eſt in eligendo malo, atque ſic theſaurizando ſibi iram in diem iræ Rom. 11, 5. Omnium ineptiſſimè huc profertur locus Gen. 1v, 7. Deus abduſturus Cainum à malo ſuo propoſito, tria ei oſtendit; Primum illi patere adhuc viam gratiæ Divinæ, ſi benè egerit, & oblationes ſuas in poſterum admiſſum iri ſi eas qua par fuerit pietate & fide obtulerit; Alterum non impune illi ceſſurum ſi durius quid in fratrem ſuum deſignaverit; *Noxa enim caput ſequitur* ut ait ille, & juxta Horatium, *lib. 3. Carm. Ode 3. Ratio antecedentem ſceleſtum Deſeruit pede pœna claudo*: Tertium nullam ſubelle cauſam cur fratri ſuo irascat, in quem jure ſuæ primogenituræ dominetur ut velit, & qui ſit paratus illi obſequi in omnibus, omnemque ſuam voluntatem & appetitum & operam ipſi ſubjicere; Ratio ipſa exigit ut ſic intelligamus; Nam 1. eadem phraſi hic utitur Deus in textu originali quam adhibuit Gen. 111, 16. in exprimenda mulieris viro ſuo ſubjectione; 2. Cum *חַמַּת* ſit fæminini generis, affixa masculina in *חַמַּתוֹ* appetitus ejus & *חַמַּתוֹ* dominaberis ei, ad Abelem potius quam ad *חַמַּת* ſive peccatum pertinere debebunt; Quamvis enim videatur eſſe enallage generis in participio adjecto *רַבָּן* cubans, tamen in ſequentibus deberent affixa potius ſubſtantivi genus imitari quam adjectivi; 3. Quandoquidem ibi peccatum ſumitur pro pœna peccati, non video quomodo hic poſſit appetitus peccati deſignare illâ peccaminofam concupiſcentiam, uti placet Cornelio à Lapide, quâ homines illiciuntur ad peccandum: Quare parum nos movere debet Phariſaica Thargum Hieroſolymitani paraphraſis, *In manum tuam tradidi poteſtatem concupiſcentiæ tuæ & tu dominare ei, ſive ad bonum ſive ad malum*, unde inter quatuor appetitus commemoratos in *Bereſchit rabba ſeſt. 20.* apud Buxtorfium in *Lexico Thalmudico ad vocem פָּוָה*, ſecundus eſt concupiſcentiæ pravæ erga Cainum & ſocios ejus, juxta illud & *ad te Cainum erit appetitus ejus, peccati ſcilicet*. Non agitur enim hoc loco de concupiſcentia Caini, ſed de appetitu alterius à Caino diſtincti; nec de concupiſcentia peccati in Caino, quia peccatum ibi ſumitur pro pœna non pro culpa, quo ſenſu peccato non poteſt concupiſcentia vitioſa tribui. 4. Neque

que unius Calvini hæc est explicatio quæ de subjectione Abelis hunc locum sumit, ut calumniantur Jesuitæ, sed LXX. interpretes sic quoque olim intellexerunt, & ex Veteribus Chrysostronus *hom. 17. in Gen.* his verbis; *Ne putes (inquit nempe Deus) licet tuum aversatus sim sacrificium ob pravam mentem fratrisque oblationem acceptam habuerim ob sanam intentionem, quod ideo primatu te destituam & primogenitura dignitatem à te auferam; nam licet honore ego illum persecutus fuerim acceptaque fuerint ejus dona, verumtamen ad te conversio ejus & tu ipsius dominaberis: atque post peccatum hoc permitto ut primogenitura privilegiis gaudeas; illumque sub tua potestate & dominio esse jubeo; Vide misericordiam Domini, quomodo furorem & insaniam ejus demulcere & verbis his impetum auferre nititur. Quippe motus mentis ejus videns & crudelem ac sanguinariam ejus voluntatem sciens, nunc premitigat ejus rationem vult, & serenitatem ejus menti inducere, subjiciendo ei fratrem, & potestatem ejus nihil minuendo. Quod si qui Veterum non de Abele sed de peccato id intellexerunt, illi tamen procul fuerunt ab hac Jesuitico-Pelagiana interpretatione. Ambrosius *lib. 2. de Cain & Abel cap. 7.* illud, *Et appetitus ejus ad te, sic explicat, In te revertetur crimen quod à te cepit.* Augustinus *lib. 15. de Civit. Dei cap. 7.* illud, *Et tu dominaberis ei, sumit potius imperativè quàm indicativè: Jam verò nemo nescit quàm malè ex hominis officio ad quod tenetur, ejus vires ad id præstandum colligantur: Quo argumento movetur Paræus, ut meritò pertendat nihil hic fore patrocini pro causâ Pelagianâ, etsi tota series contextus de peccato non de Abele intelligeretur: Quibus addo Musculi observationem illud *וְאֵת אֶתְּוֹתָיו* non significare & sub te appetitus ejus, sed ad te appetitus ejus, prout reddiderunt Græci *πρὸς σὲ ἢ ἀπὸς σοφῆς αὐτοῦ*, ut potius denotet in appetente respectum deferentiæ & obsequij, quam in eo ad quem respicitur facultatem continentiæ & imperij.**

Illud Is. xli, 23. Benè) Atqui homines in statu peccati omnibus viribus destituti Idolis non sunt absimiles; ut etiam de ipsis, saltem quoad benè faciendum, hoc carmen possit usurpari; nec sit potentiæ & perfectionis sed impotentis & defectus posse malè agere.

Istud Job. xv, 4.) Absurdè gratiam necessariam fingis ad merendum, cum gratia meritum excludat Rom: xi, 6. Nec dicit Christus nos extra se nihil merituos, sed generatim nihil valituros; Nam com: 3-

hæc leguntur, *χαρὶς ἰμῶν ἔδωκεν ἡμῖν*; ibi sanè non de merendo, sed de agendo aliquid boni & de fructibus proferendis agit, ad quod extra se & citra suam gratiam planè sumus inepti: Sanè ut hîc Toleti utar verbis *ad 15. Ioh: annot: 9. palmes non manet in vite ut facilius fructum proferat, sed ut simpliciter fructum edat, utique nullum facturum à vite separatus; Rursus non dicit, Sine me nihil facile potestis facere, aut nihil magnum; sed simpliciter, nihil, nec magnum nec parvum, nec facile nec difficile; sed nullo modo potestis facere. Idcirco aliquot Ecclesie Concilia contra tale dogma (Pelagianorum) usa sunt his verbis; similiter & Augustinus lib. 1. de gratiâ Christi contra Cæl. & Pelag. cap. 29. & tract. 81. in Ioh. & multis alijs in locis. Videatur Concilij Arausiacani can: 7. Ipsemet Tirinus ad eum locum illud, Sine me nihil potestis facere, sic interpretatur, id est, nullos potestis proferre fructus iustitiæ; Supponere verò cum Toletio, dari distinctionem inter opera mala, bona & frugifera, ut de his demum ultimis loquatur Christus, est perabsurdum; quia omnia bona opera sunt frugifera; & quicquid infrugiferum est quia à malâ est arbore malum est: quare Eph: v, 11. peccata appellantur opera infrugifera tenebrarum: & mirum est posse dari opera verè bona, quæ tamen juxta Tirinum non essent fructus iustitiæ & idonei ad consequendam vitam æternam. Quantò melius illi Catholici, uti dicuntur Toletio V. S. iplo licet ringente, qui hinc colligunt omnia opera infidelium, etiam ex suo genere bona, esse vitia & peccata, quia, inquit, in Christo non manent, & dictum est, Sine me nihil potestis facere? Ut quid verò Jesuitæ tantoperè nobis irascuntur quod negemus bona opera esse meritoria, quandoquidem & ipsi distinguunt inter bona opera & meritoria opera vitæ æternæ?*

Num: 5. Habet & circa OPERA SUPERNATURALIA: Nam & talia suadent, laudant, & imperant nobis Scripturæ: Ioël. 11, 12. & Zach: 1, 3. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* El. 1, 16. *Lavamini, mundi estote.* Ezech: XVIII, 31. *Facite vobis cor novum & spiritum novum:* Coloss: III, 9. *Exuite veterem hominem & induite novum:* Dicunt, vocatos à Deo, posse venire si velint, non venire si nolint. Prov: 1, 24. *Vocavi & renuistis.* Matth: XXIII, 37. *Quoties volui congregare, &c. & noluistis.* Act: VII, 51. *Vos semper Spiritui Sancto resististis, &c.* Licet enim opera supernaturalia tota sint à Deo & gratiâ Dei, non tamen totaliter: neque enim se solo producit illa Deus, sed unâ nobiscum,

com, per gratiam nos suam excitans, adjuvans & roborans. Rom: VIII, 26. Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: I Cor: xv. 10. Abundantiis omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum. Vnde I Cor: III, 9. vocat nos adiutores Dei.

Neque his obstant, ut ibidem docui, Ezech: xxxvi, 26. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum: & faciam ut in preceptis meis ambuletis. Ps. L. 12. Cor mundum crea in me Deus. I. Ioh: III, 9. Omnis qui natus est ex Deo, non potest peccare.

CENSURA. Habet & circa opera) Vitiosa est oppositio inter opera Moralia quæ verè & propriè talia sunt & Supernaturalia, cum illa omnia eo ipso nobis sint supernaturalia, quod activitatis nostræ spheram in statu naturæ lapsæ superent. Sed hominem Christianam nomen profitentem oportet esse perfictæ frontis qui erumpat in hæc Tirini assertionem: cui sufficiet opposuisse vel sola lemmata quorundam capitum in Bellarmino; Sic enim lib. 5. de grat. & lib. arb. cap. 7. hoc est lemma, Non posse ullis natura viribus ullam veram tentationem superari; & lib. 6. caput 2. hoc habet, Non posse hominem sine speciali illustratione Dei credere mysteria fidei; & caput 4. Non posse voluntatem humanam aliquid velle, in iis qua ad pietatem & salutem pertinent sine auxilio gratia Dei. Dices atamen Bellarminum ipsum postea libertatem arbitrii in supernatura libus propugnare. Respondeo, meum non esse illius *ἀναγωγία* vel excusare vel explicare. Mihi satis est quod cum istis axiomatis Bellarminianis nequeat consistere arbitrii libertas indifferentiæ ad spiritualia; quamvis non negem hominem cui datum per gratiam ad spiritualia animum applicare, id facere liberè & citra coactionem.

Nam & talia suadent, laudant) Atqui hæc Scripturæ testimonia ostendunt quidem quid sit officii nostri, non verò quid sit virium nostrarum: neque has ad eandem cum illo decempedam metiri licet: Dixerint licet Joel & Zacharias, Convertimini ad me & ego convertar ad vos, quia id est officii nostri, indè tamen non sequitur nostram conversionem nostrarum esse virium, aut ex libero nostro arbitrio pendere. Nam præterea quod eiusmodi adhortationibus utatur plerumque Deus ad operandum in suis quod illis imperat, qui negaverit conversionem peccatoris esse adscribendam in solidum, ipsius gratiæ operanti

operanti in nobis & velle & perficere, Phil. II, 13. cùm ex nobis ipsis idonei non simus ad quicquam boni cogitandum 2. Cor: III, 5. *Nempe, inquit ibi ipse Tirinus, quod vel bonum vel virtuosum sit, quodque de condigno vel de congruo juvet ad fidem, gratiam, conversionem vel salutem, is sanè convincetur ipsiusmet Scripturæ luculentis testimonijs; Sic Jer. xxxi, 18. Convertite me & ego convertar; Vnde, inquit ibi Tirinus, S. Augustinus & ex eo Tridentinum docet conversionem peccatoris incipere à gratiâ Dei.* Sic dicit ipsa Sponsa Cant. 1, 3. Trahe me & curremus post te; Sic ipse Christus, Nemo potest venire ad me nisi Pater traxerit eum Joh: vi, 44. ea nempe tractione quæ fit in funiculis humanitatis & funibus dilectionis Hof: xi, 4. per quam Deus legem suam inscribit cordibus nostris Jer: xxxi, 33. & quæ trahuntur efficacissimè homines, *non ut nolentes credant, inquit Augustinus lib. 1. contra duas ep. Pelag. cap. 19. sed ut volentes ex nolentibus fiant;* Sic Deus efficit ut ambulemus in mandatis suis Ezech: xxxvi, 26. 27. allicit Japhetum ut habitet in tentorijs Semi Gen: ix. 23. denique pellicit nos & fortior fit Jer. xx, 23. atque, ut habet Augustinus *Enchirid. cap. 32. nolentem prævenit ut velit, volentem subsequitur ne frustrâ velit.* Dixerit licet Esajas, Lavamini, mundi estote, tamen ablutionem & purificationem nostram ad quam ex officio tenebamur, esse gratiæ divinæ opus in nobis universa quoque docet Scriptura. Hinc David Psal. LI, 4. Multum ablue me ab iniquitate meâ & à peccato meo munda me. Hinc & Paulus I. Cor. vi, 11. Et hæc eratis quondam, scilicet fures, avari, ebriosi &c. sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Jesu & per Spiritum Dei nostri. Dixerit licet Ezechiel, Facite vobis cor novum, id tamen & à Deo petendum Psal. LI, 12. & à Deo solo expectandum, juxta ipsummet Ezechielem xxxvi, 26. • Dixerit Paulus, Exuite veterem hominem & induite novum, præterea quod alloquitur jam fideles & regenitos, à quibus ad homines irrogenitos & in statu naturæ lapsæ nulla est consequentia, tamen nemo sanus dixerit ex suo id pendere arbitrio absque Dei beneficio & gratia, ut vel peccatum exuat vel induat Christum.

Dicunt vocatos posse venire,) Agnosco & neminem venire nisi volentem, & neminem renuere nisi nolentem: Quin & illud concedi potest,

test, posse venire qui venire voluerit, quia velle venire, venire est. prout satura promittitur esurientibus & sitientibus iustitiam Matt. v, 6. Sed illud posse & velle venire, non est humanarum virium, aut liberi nostri arbitrii, sed gratiæ Dei discriminantis, à qua est & velle & perficere 1. Cor. iv, 7. Jac. i, 17. Ph. i, 29. ii, 13. An penes nos esset vel posse vel velle venire, cum homo animalis non possit capere ea quæ sunt Spiritus Dei 1. Cor. ii, 14. nec sit volentis aut currentis, sed miserentis Dei, Rom. ix, 16. & omnis nostra sufficientia sit ab ipso 2. Cor. iiii, 5. & sit *φρόνημα* carnis inimicitia adversus Deum, quod Legi Dei subijci nec velit nec possit Rom. vii, 7. Præterea Titinus hinc perperam colligit vocatos omnes extrinsecè, absque ulterioris gratiæ convertentis interna efficacia posse venire si voluerint, eo quod illi qui non veniunt nolint venire: Etenim non valet argumentum, Possunt irrogeniti nolle venire, renuere obsequi Deo vocanti, Spiritui Sancto ad salutaria invitanti resistere; Ergo pariter possunt velle venire, Deum vocantem sequi, Spiritus Sancti admonitionibus locum facere. Nam prius illud est morbi & imperfectionis hominum, quod posse & velle vitiosum est, illisque in statu naturæ lapsæ sic proprium ut nihil aliud possint aut facere aut velle; at hoc posterius est restorationis per gratiam & illius opus speciale in nobis cujus juxta Paulum Eph. ii, 10. sumus *ποίημα* opus, seu *figmentum*, creati in Christo Jesu in operibus bonis quæ præparavit Deus ut ambulemus in illis: Tunc enim, teste Augustino *Enchir. cap. 31. efficitur verè liberi cum Deus nos fingit, id est format & creat, non ut homines quod jam fecit. sed ut boni homines simus, quod nunc gratiâ suâ facit, ut simus in Christo Jesu nova creatura, secundum quod dictum est, Cor mundum crea in me Deus.* Illi de quibus agitur Prov. i, 24. renuerunt venire cum vocabantur ut & noluerant illi congregari sub alis Christi quos ad se humanissime invitabat Matt. xxii, 37. imò Spiritui Sancto externè mandanti & moventi ministerio Prophetarum & Apostolorum, pertinacissime resisterunt Act. vii, 15. Sed ex eo quod officium suum ultrò neglexerunt, ac potuerunt facere & velle quod malum erat, colligi nequit, Ergo eos ex sese potuisse officio suo rectè defungi, & facere ac velle quod bonum est: Illæ censuræ & redargutiones non ostendunt

E

quid

quid potuerint boni, isti homines, sed & quid debuerint ex officio & quam ultrò in illius regulas impegerint. Prov. 1, 24. agi tantum de vocatione externa patet ex com. 20. & 21. ubi dicitur Sapia foris clamitare & in plateis dare suam vocem, in summa turbarum ac ad fores portarum & in civitate quoque clamare; quod potissimum spectare vocem externam *Prophetarum Apostolorum, Doctorum & Concionatorum, ut nemo possit ignorantiam obtendere*, nec ipse Tirinus ad eum Salomonis locum difficitur. Similiter Christus Matt. xx 11, 37. loquitur de eâ invitatione ad se, quam ceu Minister Circumcisionis Rom. xv, 8. externo suo præconio Judæis intimabat. Neque Act. v 11, 51. agitur de alia resistentia quam quæ fit externæ promulgationi voluntatis divinæ. *Resistitis*, inquit *ad eum locum* Petrus Lintrensis, *scilicet nolentes credere quæ ipse vobis credenda annunciat per ministros suos, nolentes facere quæ ipse vobis facienda per eorum ministerium præscribit, nolentes ab iis quæ ipse vobis prohibet; sed semper nitentes in contrarium divinis mandatis aded ut vos talia nolle audire declaretis; & citato in eam sententiam Chrysostomo addit, Ipse protomartyr id quod hic dicit patres eorum Spiritui Sancto resistisse, exponit verbis proxima per hoc quod Prophetas sanctos fuerunt persecuti & occiderunt; Et paucis interpositis, negat audiendos eos esse qui locum istum intelligant de Spiritu Sancto per internas in spirationes loquente in cordibus hominum, tum propter rationes allatas, tum quia ipsa Domini verba his pene eadem Matt. 23. Jerusalem, Jerusalem quæ occidis Prophetas &c. expostore B. Hieronymo in commentario illius loci debent quoque accipi de auxiliis externis.*

Licet enim opera (supernaturalia) Si neget Jesuita idè tota opera supernaturalia esse à Deo *totaliter*, quia nostra sunt formaliter, subjective & elicitive, Dei verò originaliter, efficienter & productivè, neminem nostrum contradicentem habebit. Etenim actus fidei v. g. noster est formaliter, nam ab ipso sumus & dicimur fideles; noster est subjective quia habitus fidei inhæret menti nostræ; noster est elicitive, quia elicitur ab intellectu & voluntate nostrâ; nec Deus est qui credit in nobis, sed nos sumus qui credimus in Deum: Sed quod credamus & illos fidei actus eliciamus, hoc Deo in solidum originaliter, efficienter & productivè debet adscribi, qui Spiritu suo sancto mentem illuminat, movet voluntatem, cor aperit, fidei habitum ingenerat

nerat & efficacissimis inspirationibus elicit ex intellectu & voluntate nostra illius operationes & fructus. Hinc debet Deo ejusque gratiae tribui quicquid est discriminis inter te & alium 1. Cor. IV, 7. fides ejus speciale donum agnosci Eph. II, 8, Ph. I, 29. Act. XVI, 14. & totius boni nostri laus in ipsum refundi Eph. II, 10. ut pote qui & velle & perficere in nobis pro gratuita sua benevolentia efficit Phil. II, 13. Hinc Augustinus lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 18. Nisi obtineamus non solum voluntatis arbitrium quod huc atque illuc liberum flexitur (sic loquitur ibi ex Pelagianorum hypothesi) atque in eis naturālibus bonis est, quibus & male uti malus potest, sed etiam voluntatem bonam qua jam in eis bonis est quorum esse usus non potest malus, nisi ex Deo nobis esse non posse, nescio quomodo defendamus quod dictum est Quid enim habes quod non accepisti? Nam si nobis libera quadam voluntas ex Deo est, qua adhuc potest esse vel bona vel mala, bona verò voluntas ex rebus est, melius est id quod à nobis quam quod ab illo est. Quod si absurdissime dicitur, oportet fateamur etiam bonam voluntatem nos divinitus adipisci, quanquam voluntas mirum si potest in medio quodam ita consistere ut nec bona nec mala sit: Aut enim justitiam diligimus & bona est, & si magis diligimus magis bona, aut si omnino non diligimus non bona est. Quis verò dubitet dicere voluntatem nullo modo justitiam diligentem non modo esse malam sed etiam pessimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona est aut mala, & atique malam non habemus ex Deo, restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo; alioquin nescio cum ab eo justificamur, quo alio munere ipsius gaudere debeamus; Et hinc scriptum arbitror, Patet voluntas à Domino; Et in Psalmis, A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet: Et quod Apostolus ait, Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Quocirca quod à Deo nos revertimus nostrum est, & hac est voluntas mala; Quod verò ad Deum nos convertimus nisi ipso excitante & adjuvante non possumus; & hac est voluntas bona. Quid habemus quod non accepimus? Si autem accepimus quid gloriamur quasi non accepimus? Ac per hoc ut qui gloriatur, in Domino gloriatur, quibus hoc Dominus donare volens ejus misericordiae est non meriti illorum, quibus autem noluerit videri est; ipsa namque peccatoribus poenā debetur. Haec paulò fufius libuit ex Augustino referre, ut liqueat quo jure & titulo omnis boni nostri laus & gloria Patri luminum ejusque gratiae efficacissimae debeatur. Sed longè aliud est quod sibi vult hoc loco Tertius, qui gratiae quidem ex-

citantis, adjuvantis, roborantis in speciem meminit, sed tamen Pelagiano duntaxat sensu; dum non subordinat hominem Deo & ipsius gratiæ ut actus agat, quod tota docet Scriptura; sed Deo sociat & coordinat hominem ut *unâ* agant; Deo proponente homini per gratiam suam quod bonum est, & hominem seipsum ex seipso ad bonum illud pro suo arbitrio determinante & applicante. Istius tamen collateralitatis nuspiciam meminit Scriptura, nec eam probant testimonia hîc Tirino citata. Rom. VII, 26. non tam adjuvandi per cooperationem quam sublevandi per commiserationem, significationem habet verbum *συμμεταλαμβάνει* quo utitur Apostolus: nec enim Spiritus precum est cooperari infirmitati carnis nostræ, sed eam potius fulcire & sanare. Idèd Paulus ipsas etiam preces nostras & suspiria inenarrabilia, tribuit Spiritui Sancto, quem dicit postulare pro nobis, efficiendo nempe ut postulemus & gemamus, uti hunc Hebraismum *Kal* pro *Hiphil*, imitatur Christus in re simili Matt. x, 19. de quo nos alibi ex Augustino diximus: *Quin Tirinus ad hunc Pauli locum jugulum suum petit: Postulat (inquit) non se solo sed unâ nobiscum imò & per nos, dum nostram mentem & cor quasi sua jam membra & instrumenta (Nam per divinam inhabitationem, gratiam & adoptionem fecit illa sua) movet, illuminat, incitat, accendit, inflammat; tanta sapè vi etiam & ardore, ut etiam expertissimi stupeant, nec capere aut assequi possint; tantum abest effari vel enarrare possint; Subinde enim eos affectus desideria & vota inspirat, ea media & remedia suggerit, ea postulari facit in oratione quæ nec ante cogitata nec obvia fuerunt, nec scitur unde veniant aut quo tendant.* Hæc sanè omnia subordinationem quidem insinuant, coordinationem verò aut collateralitatem nullam. In altero loco ex I. Cor. xv, 10. non plus est præsidii: Nam 1. gratia hæc Dei de qua Paulus spectabat ipsius laborem in ministerio Evangelii, non verò suam regenerationem & sanctificationem: 2. Non dicit Paulus gratiam secum laborasse, ut ipse cum ea veniat in laboris & laudis societatem, sed è contrario id quod de se dixerat per quandam epanorthosim vult acceptum referre in solidum gratiæ quæ secum erat. Quare malè legit V. V. *sed gratia Dei mecum*, cum Græcè extet, *ἀλλ' ἡ χάρις τῆς Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοὶ*, idest, *sed gratia illa Dei qua mecum est, & de qua jam dixerat, gratiâ Dei sum id quod sum*: Nec verbum *ἐκωνίασε* hic est subim-

subintelligendum, ut volunt Cornelius à Lapide & Tirinus, quasi gratia Dei cum Paulo laboraverit, sed verbum ἐστὶ, quatenus quicquid fecit & præstitit Paulus in suo labore non sibi ascribi velit, sed gratiæ Dei quæ secum erat; prout Gen. xxxix, 2. dicitur Dominus fuisse cum Josepho, & cum Sannuele 1.Sam.ii, 19. & cum Davide 1.Sam.xviii, 27. Imò Tirinus cogitur agnoscere mentem Pauli esse non tam sibi quam gratiæ Dei id omne imputare. Cum ita etiam habeat Hieronymus lib. 2. *adversus Pelag. Vas electionis humilitate dejectus, imò conscientiam fragilitatis sua loquitur Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei; gratiam autem Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed omnibus illis amplius laboravi, non ego autem sed gratia Dei quæ mecum est: Dicit se plus Apostolis omnibus laborasse, statimque laborem suum ad Dei refert auxilium; non ego inquit sed gratia Dei quæ mecum est; sicut & in alio loco loquitur, Fiduciam autem talem habemus per Jesum Christum ad Deum, non quia de nobis ipsis sufficientes simus reputare aliquid quasi ex nostro; sed sufficientia nostra Dei est, qui & nos fecit dignos ministros Novi Testamenti.* Nec solus Hieronymus ibi legit, sed gratia Dei quæ mecum est, verum etiam Gentianus Hervetus interpres commentariorum Theodoretæ in Epistolas Pauli, sic verba græca reddidit in margine. Paulus igitur nullam hic collateralitatem aut cooperationem sui cum gratia Dei imaginatur, ut pertendit falsò Tirinus, sed tantum suboperationem, ita ut gratiæ *ceu digniori & principaliori operis causa laudem operis* ascribat, ut ex Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, Theodoro, Gregorio, Anselmo & Bernardo, ipse Tirinus ibi loquitur. Citationes ex illis autoribus non est quod expendam; in quibus Tirinus sui Cornelii à Lapide fidei se credit, hic verò alterius alicujus qui ipsi imposuit: Nam apud August. *lib. de grat. & lib. arbitr. ad Valent.* (non ut malè citatur à Jesuitis *de lib. arb.*) cap. 17. hic locus Pauli non citatur, nec quicquam habet vel Gregorius lib. 16. *moral. cap. 10.* vel Theodoretus *ad hunc locum* quod huc faciat. Chrysostomus verò, *Quod nihil est impetrat sibi, quod aliquid est non sibi sed Domino totum refert acceptum.* Unus Bernardus, *sub finem tract. de lib. arb.* in sistens lectioni V. V. eam tamen in commodum sensum trahit. *Per quos & cum quibus operatur Deus boni factus vel Angeli vel homines, qui quod vult Deus & agunt pariter & volunt;*

*Qui enim bono quod opere complent, voluntate consentiunt, opus omnino quod per eos Deus explicat, ipsis communicat: Vnde Paulus cum bona plurima qua Deus per ipsum effecerat enarrasset, Non autem ego ait, sed gratia Dei mecum; Potuit dicere per me, sed quia minus erat, maluit dicere mecum, presumens se non solum operis esse ministrum per effectum, sed operantis quodammodo socium per consensum: Sed ne quis ex illo consensu, ex illa societate, collateralitatem arbitrii cum gratiâ somniaret, paucis interjectis addit; Quid igitur? hoc totum liberi arbitrii? hoc solum ejus meritum quod consentit? Est prorsus. Non equidem quod vel ipse consensus in quo omne meritum consistit ab ipso sit; cum nec cogitare, quod minus est quam consentire, aliquid à nobis quasi ex nobis sufficientes simus. Verba sunt non mea sed Apostoli qui omne quod boni esse potest & cogitare & velle & perficere pro bona voluntate, attribuit Deo nostro, non suo arbitrio. Si ergo Deus tria hæc (hoc est bonum cogitare, velle, perficere) operatur in nobis, primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem nos pravenit; immutando etiam malam voluntatem sibi per consensum jungit, ministrando & consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum, internus opifex innotescit. Hæc benè Bernardus & conuenienter iis quæ extant apud Augustinum de grat. & lib. arb. cap. 17. Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volemibus cooperatur perficiens: propter quod ait Apostolus, Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum perficiet usque in diem Iesu Christi; Vt ergo velimus sine nobis operatur; cum autem volumus & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur; tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Igitur agnoscunt quidem Augustinus & Bernardus aliquam gratiam cooperantem, sed demum ad perficiendum id quò fertur & determinatur bona voluntas, per gratiam prævenientem & operantem: Ut revera semper subordinetur gratiæ liberum arbitrium, sive in volendo bonum quod fieri debet, sive in faciendo bono quod volitum est. Plus fortè esset coloris pro collateralitate liberi arbitrii in tertio loco citato à Tirino ex 1. Cor. II 1, 9. quem ita citat ac si Paulus nos *adjuutores Dei*, juxta V. V. appellaret, cum tantum dicat Apostolus ministerii sui respectu, se in eo Dei esse *συνεργόν*, idest ministrum: Ille adjuutores demum habeat qui infirmior ac debilior est, quam ut per se opus peragendum solus conficere possit; hoc sanè Deo non competit: Sed illi *συνεργοί* tribui possunt,*

sunt, qui in agro suo excolendo, in domo sua ædificanda aliquam præstent operam, saltem in externis, ipso per se rei summam peragente: Nam Paulus plantat, Apollos rigat, at Deus est qui dat incrementum. Quapropter Synergistæ nihil ex hoc loco subsidii consequi possunt: quia non est par ratio liberi arbitrii ad gratiæ concursum, quæ est externi præconii hominum ad opus ipsiusmet Dei in collectione & ædificatione Ecclesiæ; Hic homines sunt Dei *συνεργοί*, ut operæ architecto & patrifamiliæ operarii quos in messem suam mittit, sic ut quod externè faciunt sit distinctum ab eo quod Deus præstat internè. Minister dat panem Domini, Deus panem Dominum; Minister baptizat aquâ, Deus Spiritu & igne; Minister ferit aures sono externo, Deus cor aperit, ut credatur Euangelio. Sed non est aliud opus voluntatis quàm gratiæ in hominis conversione, etiam ex synergistarum sententia. Quin tantum abest ut hoc testimonio causa eorum adjuvetur, ut potius evertatur: Nam ut hi *συνεργοί* in opere ministerii se habent instrumentaliter ad Deum, tanquam ad agens principale, à quo proficiunt & omnis eorum aptitudo ad agendum 2. Cor. 111, 5. & opifici ad quod eos adhibet, pars longè nobilior; ita sanè liberum nostrum arbitrium omnem suam aptitudinem ad bonum habet à Deo, qui in illo & per illud ceu per organum à se sanctificatum sic dignatur operari, ut tamen quod est præcipuum in nostris bonis operibus ipsius gratiæ acceptum ferendum sit. Denique nolim hujus loci alium interpretem, quam Joannem à Gorcum, Estii & Cornelii à Lapide abbreviatorem, his verbis; *Agricola primarius est Deus; Famuli sunt Paulus & Apollo; Ager Corinthii; semen est gratia; fructus sunt bona opera; Deus colis materius per Spiritum; Paulus juvat exterius per vocem: Ita Anselmus.*

Neque his obstant) Imò plurimum: Nam cum primo loco, spondeat Deus se effecturum in suis, quod ipsis mandat apud eundem Prophetam XVIII, 31. eâ ratione palam facit, ipsius esse facere quod præcipit, si præstari debeat; ô Domine fac quod jubes, & jube quod vis. Eo spectant verba Augustini de Prædest. Sanctior. cap. 11. *Sicut quamvis donum Dei sit facta carnis mortificare, exigitur tamen à nobis proposito premio vite, ita donum Dei est & fides, quamvis & ipsa cum dicitur, Si credideris salvas eris, proposito premio salutis exigatur à nobis; Ideo enim hæc & nobis præcipiunt*

precipiantur & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur quod & nos ea faciamus, & Deus facit ut illa faciamus, sicut per Prophetam Ezechielem aperitissime dicit: Quid enim apertius quam ubi dicit, Ego faciam ut faciatis? Locum ipsum Scriptura, fratres charissimi, attendite & videbitis illa Deum promittere facturum se, ut faciant quæ jubet ut fiant. Non sanè ibi tacet etiam merita eorum sed mala, quibus se ostendit reddere pro malis bona, hoc ipso quod eos facit habere demerita opera bona, cum facit ut faciam divina mandata. Tiranus ad eum locum nihil annotavit, sed nos remittit ad Ezech: xi, 19. ubi extat eadem promissio cordis novi, illi parallela quæ legitur quoque Jer. xxx, 33. At quid ibi Jesuita? Primò Spiritum novum à Deo dandum interpretatur novam mentem, voluntatem, ac propositum exequendi per omnia jussu ac nutu Dei; Cor lapideum auferendum, dicit esse durum, intractabile, inexorabile; cor carneum in ejus locum indendum, molle, flexibile, obsequens nutibus Dei; Deindè subjicit; Hoc facit Deus aspirando homini gratias prævenientes, excitantes & cooperantes, quibus si libere consentiat homo, etiam ipse sibi facit cor novum & spiritum novum, ut infra monet idem Ezechiel; ita Augustinus, Hieronymus, Theodoretus & alii Patres. Sed hîc Tiranus & secum pugnat & cum rectâ ratione. Secum equidem: Nam si cor hominis in statu naturæ lapsæ est durum, intractabile & inexorabile, quæ illi poterit competere facultas ad bonum, vel flexibilitas & indifferentia ad opposita? Tum si Deus hæc dat homini per gratias, prævenientes, excitantes & cooperantes, quomodo suspendentur adhuc ex libero hominis consensu, cum ille ipse consensus illa ipsa nova voluntas iis annumeretur quæ danda sunt? Quis sanus dicat dare Deum homini consensum & voluntatem si consentiat & voluerit? Adhæc cum ex hypothesi Jesuitarum & Remonstrantium, gratia cooperans supponat consensum voluntatis, quomodo ad gratiam cooperantem potest id referri, quod demum futurum est in nobis si libere consenserimus? Cum rectâ ratione; Etenim cum Deus hoc loco suis promittat voluntatis renovationem & efficacem eorum deductionem in obsequium sibi debitum, non solum promittit ipsis gratiam sufficientem, uti dicitur adversariis, quâ possint renovari & ambulare in mandatis suis, si voluerint libere consentire, sed ipsis promittit gratiam efficacem, quâ certò & infallibiliter eorum voluntates immutentur

ventur & in obsequium sibi debitum flectantur ; quod non fit tantum morali suasionem, qualem hinc fingunt Semipelagiani omnes, sed potentissimâ per suasionem, quâ facit ut actu faciamus, estque *causa nobis non solum voluntatis, sed etiam volendi*, ut docet ipse Thomas 3. *contra Gent. cap. 59.* Videantur & de hoc loco Augustinus *de grat. & libero arb. cap. 16.* Prosper *contra Coll. cap. 2.* Fulgentius *lib. 1. ad Monimum*, Alvarez *lib. 9. de auxil. disp. 86. per totam*, qui moralem illam suasionem refutat multis argumentis ; quia 1. Deus facit ut faciamus, propriè non metaphoricè. 2. Augustinus non moralem sed propriam & physicam causalitatem hinc intellexit. 3. Pelagiani & Semipelagiani admiserunt etiam prævenientem gratiam interiorem quæ consistit in illuminatione intellectus & suasionem atque excitationem stupentis voluntatis, per quam Deus moraliter tantum seu metaphoricè facit ut velimus, & eam abnegarunt quæ verè efficienter id operatur. Atque sic, etiam iudice erudito hoc Dominico & Archiepiscopo Tranensi, ne Jesuitæ in suis Apologeticis scriptis contra Universitatem Parisiensem à Caussino & P. Le Moyne exaratis, id uni imputent Jansenio Iprensi Episcopo, paria cum Pelagianis faciunt Jesuitæ dum totum hoc dicunt à Deo peragi, ut Cornelius à Lapide facit *ad Ezech. xxxvi, 26. mentem vel terrendo vel suaviter alluciendo, ac affectiones piæ ei indendo*, quorum tamen omnium effectus ad bonum ipsum præstandum suspenditur ex libero consensu voluntatis, penes quam sit adhuc his omnibus positus, agere aut non agere. At, inquit, nos ipsi quoque facimus nobis cor novum ; Ergo illa innovatio pendet quoque ex cooperatione liberi arbitrii. R. Nusquam legi in Scriptura quenquam sibi facere cor novum, neque hoc præcipi *Ezech. xvi, 31.* quod sit penes hominem, sed quod debeat mutatis in melius moribus ex bono thesauro cordis sui promere vetera & recentia. At inquit Remonstrantes *in Scriptis suis Synod. defens. sue, circa art. 4. alioquin everteretur mandati ratio, imo frustraneum & ineptum omnino esset mandatum.* R. Neutiquam ; quia mandatum hoc potest considerari vel ut imperativum ejus quod fieri oportet, & sic continet redargutionem corruptionis nostræ nativæ, & officii quod debemus mensuram ; vel ut operativum & efficax Dei gratiæ ; & sic illo ipso mandato Deus internè efficit in suis, quod externè imperat,

ut quando in primâ Creatione terræ mandabat ut germinaret, aut Lazarum mortuum evocabat altâ voce ex sepulchro. At homo se dicitur convertisse ubi conversus est. E. per consensum suum cooperatur etiam suæ conversioni. R. Homo dicitur se convertere 1. quia passivè ad Deum & ab ipso Deo convertitur, ut Heliotropium ad solem vi radiorum ipsius. 2. quia non convertitur nolens aut invitus, sed volens; non quod velit converti antequam convertatur, sed quod in ipsa conversione velit sui conversionem, ipsaque conversio nihil sit aliud quam suæ voluntatis per gratiam in bonum immutatio & determinatio ad Deum. 3. quia actus agit & persuasus à Deo potenti illa & practica illuminatione quæ ejus voluntatem determinat, sic trahitur ut veniat, sic vocatur ut sequatur. Undè patet calumniari Remonstrantes V. S. dum volunt juxta nos hominem non magis se convertere quam *indices in horologio*. Nam hi eodem semper modo se habent in motus sui continuatione ac in primo illius instanti, nullumque illius intra se habent activum & vitale principium: at homo, etsi in primo instanti suæ conversionis & regenerationis se habeat merè passivè, tamen in illius continuatione ipse verè edit actus voluntarios & vitales, in quibus voluntas sua se habet non tantum recipienter & subjectivè, sed etiam efficienter & elicitivè. Atque ex his liquet quantum insit ponderis in loco secundo ex Psal. l. secundum Hebræos LI, 12. Docet namque & cor hominis in statu naturæ lapsæ esse immundum & pollutum, adeoque tale ex quo nihil boni possit proficisci, nam quis mundum edat ex immundo? Job. XIV, 4. & illud potentissimè renovari per gratiam; cujus operatio cum creatione non conferretur & hîc & passim in Scripturis, nominatim Eph. II, 10. nisi haberet effectum infallibilem & certum, qui non ex libero cordis & voluntatis consensu & cooperatione pendeat dubius, sed ipsummet consensum importet, & velle ac perficere completatur. Neque quicquam annotavit Tiranus ad eum Psalms locum, quo infringatur vis argumenti quod ex illo deducitur. Et fanè quamvis tunc David ipse ageret actus à Spiritu Sancto cum hæc petebat, tamen meritò usus est verbo *creandi*, non solum quoniam, ut benè *ibi* Bellarminus, *nihil invenit Deum in corde peccatoris, nude munditiam in illo efficiat*, sed præsertim quia cum rerum conservatio

servatio sit & benè dicatur à Theologis continuata creatio, eo quod per Creationem suam esse, in quo conservantur eadem vi & potentiâ, acceperunt, sic conservatio & progressus regenerationis per eandem vim & efficaciam gratiæ eò justius Creatio dicitur à Davide, quod revera cœperat esse per opus haud absimile Creationi, sive spectetur vis & efficacia potentissima operantis, de quâ Eph: 1, 19. 20. sive spectetur ineptitudo & indispositio subjecti in quod operatus est, & quod ad illius operationis initia merè passivè & receptivè se habuit. Tertius locus ex 1. Joh. 111, 9. ostendit eam esse gratiæ convertentis & regenerantis efficaciam, ut etiam nostrum Mercurium figat & liberum nostrum arbitrium aliàs nullius verè boni capax, firmet & constabliat in bono; Acceperat primus homo per auxilium *sine quo non*, posse non mori & posse non peccare, nos verò in secundo Adamo consequimur auxilium *quo* certò perseveremus & non possimus peccare peccato quod est ad mortem, ut scilicet totaliter à Deo deficiamus; juxta illud Augustini *de corr. & gratia cap. 11. Tanto amplius datur per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum ad ea sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verum tantum tale sit ut velimus; Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus. Et cap. 12. Primo itaque homini quod in eo bono quo factus fuerat verum, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deservere, datum est adjutorium perseverantia non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei predestinatis non tantum tale adjutorium perseverantia datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. Sed de sensu istius loci ex 1. Joh. 111, 9. diximus ad *Com. preced. Num. 3. tomi prioris p. 560.* ubi retuli Lorini Jesuitæ verba, licet nomen Tirini pro illo irreplevit; nec enim Jesuitæ ipsi magis concordēs sunt quam Babelis filii. Hic noster 1, vult eum qui natus est ex Deo non peccare, supple *mortaliter*, quasi ad distinctionem Pontificiam peccati mortalis & venialis attendit *Apollolus*; Sed eam distinctionem alibi prosligavimus; Et *peccare hoc**

loco, ubi negatur convenire ei qui ex Deo natus est, non est ullo modo impingere in Legem ex subreptione & infirmitate, nam à peccando hoc sensu, nulli regeneriti in hac vita sunt planè immunes 1. Joh. 1, 8. II, 1. Jac. III, 2. sed significat peccare peccato quod est ad mortem 1. Joh. v, 14. & se dominio & imperio peccati penitus mancipare, quod vocat Johannes non solum ἀμαρτάνειν, sed ποιεῖν ἀμαρτίαν, id est, ut benè noster Beza, dare operam peccato, & quasi hanc artem factitare; adeoque Johanni facere peccatum idem est quod Paulo ambulare secundum carnem Rom. VIII, 1. & servire peccato Rom. VI, 17. Vide & Joh. VIII, 34. II. Vult Tirinus non posse qui natus est ex Deo peccare in sensu formali & ex vi illius status, qui per semen Dei in ipso habitans eum reddit justum quamdiu in eo statu permanere voluerit, & impeccabilem sicut status innocentia reddebat Adamum immortalem; Sed sicut potuit Adam libertate arbitrii sui peccare & peccando deserere statum innocentia & sic mori, ita potest eadem libertate justus deserere ac negligere semen Dei, & ita peccare & peccando statu justitia excidere; quod putat probari autoritate Augustini de gratia Christi cap. 21. Verum Tirinus hac interpretatione contradicit Lorino & iis è suis qui confitentur saltem prædestinatum non posse ad finem usque vitæ mortali aliquo peccato peccare. Nec multum dixerit Johannes, si tantum dixerit justum quàm justum non posse peccare, quamdiu justus est & justè agit; quasi dicerem de homine sedente, Ille incedere non potest, intelligendo quamdiu sedet. Imò juxta Tirini sententiam qua justus non potest peccare quamdiu vult permanere in eo statu, perinde est ac si dixerit Apostolus, tamdiu justum non posse peccare, quamdiu non peccat, quia nolle permanere in eo statu est revera graviter peccare. Frustra verò ille regenerationis status in quo homo non possit peccare, confertur cum innocentia statu qui Adamum reddebat immortalem: nam ut supra ex Augustino audivimus Adam habebat tantum posse non peccare & posse non mori; nos verò per Christum ampliorem sumus gratiam consequuti, ut non possimus peccare, sensu quo ante exposui, ac deficere totaliter ac finaliter: Cum ergo nobilius auxilium in Christo simus consequuti, quam amisimus in Adamo, non buia ille potuit per suam libertatem excidere, possunt similiter sanctificati

ficati & regenerati per Christum totaliter deficere. Augustinus verè loco quem citat Tirinus, nihil habet de defectibilitate regeneratorum, aut de illorum equiparatione cum Adamo, à quâ quam alienus fuerit, jam visum; sed tantum hoc sibi vult, charitatem *qua ex Deo nobis est, non ex nobis*, esse radicem possibilitatis ad bonum, secundum quam qui agit non peccat, prout peccat qui agit secundum concupiscentiam quæ est *radix malorũ* & possibilitatis ad malè agendum. Dices, Atqui utraque radix est in regenerato; Ergo ex mente Augustini utraque possibilitas. Fateor remanere in regeneratis ex concupiscentia in habitante plus satis malæ radice & per illam possibilitatis ad malè agendum; Sed quo minus possit prævalere ad totalem defectionem, efficit ipsum Dei semen, quod ejus vim infringit & coercet, ut adamas vim magnetis, & quod charitas illa Dei, inter dona ipsius ἀμεταμίλντα debet recenseri. Veram enim charitatem quæ ex prædestinatione Dei datur, esse inamissibilem, cum verus amor nunquam pereat, & ex Scriptura & ex Patribus posset facilè demonstrari. Ipsemet Augustinus *tract. 5. in cap. Ioh.* ita hunc locum de charitate interpretatur, ut statuat defectum in charitate esse illud *quoddam peccatum quod non potest admittere ille qui natus est ex Deo, & quo non admisso solvantur cætera, quo admissio confirmantur cætera.*

Num. 6. Nequè LIBERTATI arbitrii humani officit (ut hæretici fingunt) absoluta Dei PRÆSCIENTIA, PRÆVISIO, PROPHETIA, seu prædictio.

Primò, quia hæc merè extrinseca est homini.

Secundò, quia ratione posterior est determinatione ipsius liberæ. Deut.

XXXII, 19. *Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est.*

Tertò, quia objectivè pendet ab effectu futuro; unde nihil mutat circa naturam, vel conditionem seu effectus, seu agentis liberi: **Pl. CXXXVII, 4.** *Omnes vias meas prævidisti, &c. mirabilis facta est scientia tua ex me, &c.*

Neque obstat ut **ibid. docui Ioh. XII, 19.** *Propterea non poteram credere, quia dixit Esaias: Excæcavi oculos eorum &c.*

CENSURA. *Noque libertati arbitrii*) Illi quidem libertati quam adstruximus, non repugnat Dei præscientia, quæ necessitatem tantum importat consequentiæ non consequentis; sed non posse præscientiæ divinæ & prædictionibus ex illâ suam certitudinem constare cum liber-

tate eam quam propugnant Pontificiis est certissimum; Ipse Cajetanus judicavit non posse conciliari in hac vitâ liberum arbitrium cum præscientia divina. Idem censuerunt plerique alii liberi arbitrii liberaliores patroni. Menasseh Ben Israël Judæus *lib. 3. de term. vita secl. 11.* refert Mæmonidem non potuisse definire quomodo Deus ab æterno præsciverit futura, salvâ voluntatis libertate; Idem recutitus merito statuit R. Abraham Bar David, Mæmonidis æmulum, non solvisse nodum statuendo ex syderum situ præscire Deum quæ sint eventura hominibus, & cum homines vim syderum possint declinare, benè vel malè, prudenter vel imprudenter agendo, Deum etiam illud præscire: Etenim semper manet difficultas, undè hoc ultimum præsciat Deus certò futurum, si in hominum libertate sit positum fato syderali obsequi, vel reluctari. Nec ipse Menasseh ex R. Isaac Bar Sefat, solidiora profert; *Deus*, inquit, *ab æterno disposuit totius mundi negotia, & divinâ suâ sapientiâ vidit omnes effectus qui in tempore futuri essent; qui licet pendèant (loquor enim de actionibus humanis) à libero hominis arbitrio ut fiant vel non fiant, nihilominus tamen Deus certo eos prævidit ac præscivit; Neque ideo quicquam in tempore facit, quia Deus ea facturum præscivit, sed è contrario quia homo in tempore hoc vel illud facit aut operatur, ideo Deus ab æterno illud scivit.* Verùm hîc possunt multa observari. Nam primò Judæus seculum pugnat; Si enim Deus ab æterno disposuit totius mundi negotia, disposuit quoque de futuris eventibus liberis, adeoque Deus eos præscivit, quia futuri erant; & futuri erant quia de illorum futuritione disposuerat ab æterno: Quomodo verò conciliabunt isti homines hanc dispositionem divinam de illis eventibus futuris, cum illa libertate faciendi & non faciendi, quam immunem ab omni omninò necessitate tribuunt mortalibus? Adhæc licet præscientia Dei non sit causa rerum quæ fiunt liberè ab hominibus, tamen quæritur semper an id non sit certò & infallibiliter eventurum, quod non tantum præscitum fuit, sed etiam sæpissimè prædictum divinitus multis annis & seculis antequam eveniat. Si per libertatem arbitrii humani se aliò determinantis possit contrarium evenire, præscientia Dei erit merè conjecturalis & planè incerta; Si id verò insuperabiliter fieri debet, tum periclitatur humanum arbitrium quale Pharisei & Pelagiani solent sibi vindicare.

Qua

Quapropter Socinus cum hinc se nequiret expedire, quo homines liberos faceret, fecit eos sacrilegos, negatâ præscientiâ Dei de contingentibus & liberis, uti videre est in ejus *pralect. cap. 8. 9.* & apud Crellium *lib. 1. de verâ relig. praefixo operi Volkeli, cap. 24.* Quamobrem tria hîc mihi videntur incumbere; primum ut probem contra Socinianos certò præciri à Deo quicquid fit & evenit in tempore; alterum ut ostendam quomodo hæc Dei præscientia nihil delibet de legitima hominis libertate: tertium ut demonstrem libertatem quam hîc Pontificii tuentur non posse subsistere cum certitudine præscientiæ divinæ. Quoad primum, cum præscientia Dei *tot habeat testes qui Prophetas*, ut scitè Tertullianus *lib. 2. contra Marc.* mirum est homines qui Christianum nomen penitus non ejurarunt, Turcis, Judæis, Ethnicis ipsis, hac in parte se inferiores præbere, ac revera usurpare verba impiorum *Psal. xciv, 7.* dicentium, *Non respicit Lab, nec animadvertit Deus Labakobi.* Tantum horroris incutit hoc dogma Socinianum omnibus quibus superest Numinis reverentia, ut quamvis Remonstantes in adoptando Socini multiplici foetu, liberaliores justo fuerint, & videantur fecisse hanc ipsam quæstionem de præscientiâ Dei problematicam *Apol. cap. 2.* ut ipsis exprobrat *Vedelius Arcan. Arm. p. 1. cap. 9.* tamen ubi seriò agunt non possunt Socino consentire; ut videre est apud *Curcellæum tract. de jure Dei cap. 12.* Inter Ethnicos ipse Cicero, qui aliàs facem in hac impietate prætulit Socinianis, agnoscit *lib. 1. de Divinat.* Græcorum *μαντικὴν* id est *praesensionem & praescientiam rerum futurarum*, si ulla sit inter homines, *magnificam rem esse & salutarem quæque proxima ad Deorum vim naturâ mortali possit accedere:* Et *Mazonides* benè ac verè dixit *Moro Neu. p. 3. cap. 20. in confesso esse apud omnes, non convenire natura Dei Opt. Max. innovationem scientiæ alicujus, ita ut nunc scias quod antea ignoravis.* Illi verò impietati Socinianæ multa sunt opponenda: Nam 1. cum contingentia & fortuita subsint providentiæ divinæ *Exod. xxi, 13. Deut. xix, 5. Prov. xvi, 23. Ezech. xx, 26.* ejus prænotioni subtrahi nequeunt. 11. Hanc omnium futurorum præscientiam sibi Deus tribuit multis in locis Sacræ Scripturæ, ut *Psal. xciv, 9. cxxxix, 1. 2.* ubi dicitur *Deus è longinquo nosse cogitationes nostras*, *Job. xlii, 2. 3. Act. xv, 18. Heb. iv, 13. 1. Joh. i, 11.*

20. III. Hoc quasi caractere Deus expressè se distinguit ab idolis Esai. XL I, 23. *Indicate quæ ventura sunt in futurum & sciemus quia dñi estis.* Paria habes de Christo Joh. xiv, 29. iv. Ex Sacris voluminibus constat quam multa prænuntientur à Prophetis quæ contingenter aliàs erant eventura, aut liberè ab hominibus peragenda; non modo bona, ut vocatio & obedientia Gentium, mactatio Sacerdotum Baalis per Josiam, liberatio Israëlitarum per Cyrum, propagatio Euangelii per totum orbem, Christi crucifixio pro redemptione nostra; sed etiam mala (ne quærat hîc ulla *κρησφύγετα* hæretica impietas) ut induratio obstinata Pharaonis, defectio Judæorum à fœdere, Judæ proditio, fornicatio Israëlitarum post obitum Moïsis, Petri abnegatio trina, ortus Antichristi & hæreseôn. Neque est quod Socinus excipiat, vel prædictiones pleraque Prophetarum esse conjecturales, quod citra blasphemiam dici nequit, ut scilicet in *θεόπνευτος* Prophetas illud etiam prophanum quadret, *Benè qui conjecerit, vatem hunc perhibeto optimum,* vel prædici tantùm ea quæ Deus futura decreverat, quod ut verum est, sic potius confirmat quod volumus. Nam si certa prædictio & futuritio rerum aliàs naturâ suâ liberarum, aut indifferentium, aut contingentium, pependit ex Dei decreto citra imminutionem libertatis humanæ, cur aliarum non prædictarum prænotionem Deo abrogabimus, ne quid nostræ libertati decedat? An dicemus illa Deum tantùm futura decrevisse & præcivisse quæ prædixerit per Prophetas? Sed quis potius non colliget inde Deum certò præscire omnia quæcunque fiunt & eveniunt, licet nostro respectu contingenter plerumque & liberè, eò quod multa istius generis prædicere ac prænunciare per suos prophetas potuerit? v. Hanc quoque certam & universalem præscientiam futurorum omnium Deo vindicat ipsiusmet natura & perfectio; ut cum hominibus sagacioribus concessum sit etiã nonnulla ex illis *σοφασικως* præscire & prædicere, eorum notitia excellentior & *θεξασικη* Deo conveniat, qui totus est oculus & quem Ægyptii hieroglyphicè idèd per oculum & sceptrum exprimebant. vi. Nemo negaverit quæcunque eveniunt in tempore subservire Dei consilio; præsertim id docemur Act. iv, 28; Quare debent præsciri à Deo, ut sua sit mediis cum fine legitima co-hæsió: Et nisi ab æterno præcivisset certò futurum hominis lapsum, non

non diceretur Christus agnus ille immaculatus *απροεγνωσμένος πρό καταβολῆς κόσμου* 1. Pet. 1, 20. Hoc quidem Socinus vult referre ad decretum conditionatum; Sed talia decreta quæ suspendantur ex incertâ conditione, Deo tribuere est alienum: Decreta enim sunt non de rebus simpliciter possibilibus, sed de rebus futuris, & quarum futuritio ex ipsomet Dei decreto suspenditur. 7. Denique mirum est Socinianos electionem & reprobationem ex prævisione operum, perseverantiæ, incredulitatis ac defectionis cujusque suspendere, & tamen illam ipsam prævisionem Deo abrogare. At inquirunt qualis est res, talis est ejus scientia. Sed futura contingentia sunt incerta; E. certò sciri non possunt. R. Majorem illam falsam esse: Nec enim scientia futuri est futura, vel mali mala. Debet quidem materialiter sciri res uti est, aliàs scire non esset illud, sed nescire; verùm non debet formaliter modus sciendi ex rei scitæ naturâ & constitutione definiri. Minor etiam falsa est; Nam certitudo vel incertitudo spectat rerum cognitionem, non res ipsas cognoscendas. Quare falsum est futura contingentia esse incerta; quia certa est illorum prænotio in mente divina: Certò novit Deus omnia futura, sed novit necessaria futura necessariò, libera liberè, contingentia contingenter: ut sic & certam sive infallibilem habeant futuritionem, & certam illius futuritionis prænotionem in mente Dei, quamvis modus quo extitura sunt, sit futurus liber aut contingens. At futurorum contingentium non est determinata veritas, Ergo nec certa eorum prænotio. R. Nempè verè dictum Philosophos patriarchas esse hæreticorum, quandoquidem ex isto axiome philosophico pendet omnis hæc Sociniana blasphemia: Sic Averroës in 12. *Metaph.* nixus altero illo axiome, quod singularium non sit scientia, Dei scientiam ad sola universalia restringit: quem errorem dum voluit quidam temporis nostri scriptor vitare, universalium in esse suo formali cognitionem Deo ausus est abrogare; Nam dum vitant stulti vitia in contraria currunt. Verùm ut isto de singularibus axiome, nil potest decedere omniscientiæ divinæ, quia agit tantum de scientia philosophica & discursiva, scientia verò divina sit noëtica & intuitiva; sic altero illo placito Philosophorum de futuris contingentibus, nihil Deo potest detrahi; nam licet quoad nos & causas

secundas & respectu naturę suę intrinsicę, sint indeterminatę veritatis, determinatam tamen habent ut futuritionem ex parte Dei à quo præsciuntur, sic veritatem ex illius decreto. At tunc contingentia fient necessariò, & sic non contingenter: R. Quicquid contra pertendat Curcellæus, contradictorium non est, ut quid necessariò debeat fieri, & debeat tamen fieri contingenter: Nam necessariò id debet fieri quod certò & infallibiliter futurum est: sed multa certo & infallibiliter sunt futura, quę tamen futura sunt contingenter aut liberè, per causas naturā suā indeterminatas & indifferentes ad opposita. Necessitas itaque futuritionis quę ex Dei vel præscientia vel decreto arcessitur, non tollit contingentiam effectiois sive executionis, quę pendet ex modo agendi causarum secundarum & proximarum, à quibus effectus suam denominationem & specificationem nanciscitur; Sanè ut in syllogismo constante ex præmissis merè contingentibus, necessaria sequitur conclusio, propter medii cum extremis legitimam dispositionem; ita necessariò futura sunt, id est habent necessitatem futuritionis propter Dei præordinationem & præscientiam, quę aliàs ex causis contingentibus pendent & futura sunt. At positā omnium certā præscientiā omnia fient necessariò. R. Si τὸ fieri necessariò, sit certò & infallibiliter futurum esse, sanè ut sic omnia quę fiunt fiant necessariò nihil erit periculi; at si fieri necessariò sit effici à causis agentibus necessariò, consequentia illa falsa est; quia Dei præscientia non mutat rerum naturas & causas, & licet inferat necessitatem consequentię & futuritionis, non tamen importat necessitatem consequentis & effectiois. At ut Deus præsciat omnia fututa, tamen præsciri non possunt quę neque futura sunt, neque non futura. R. Contradictoriè loqui eum qui aliquid asserit, neque futurum neque non futurum; Licet enim Aristoteles *lib. de divinat. per somnia*, distinxerit τὰ ἐσόμια & τὰ μέλλοντα ceu futura certò à probabilibus, quę non certam habent futuritionem, sed tantum verosimilem, id nostri demum respectu sumendū est, non autem Dei qui certò novit & quid sit possibile & quid sit futurū. At nullus intellectus certitudinem rebus incertis potest dare. R. Intellectum divinum non dare necessitatem effectiois rebus contingentibus, sed nosse tamen certitudinem & infallibilitatem futuritionis earum, quę nobis & in suis causis proximis incerta sunt. At sic erit omnium

nium rerum existentia infallibilis. R. Infallibilis quidem sic erit omnium rerum futurio, sed existent res quælibet, sive efficientur, in modo sibi convenienti, aliæ necessariò, aliæ contingenter aut liberè. At si Deus ab æterno omnia præsciat, statuendum est omnia extitisse ab æterno. R. Satis fore si extiterint objectivè in mente divinâ: Nec veteres qui dixerant omnia præsentia fuisse Deo ab æterno, ut Augustinus *lib. 2. ad Simpl. q. 2.* & Gregorius *lib. 20. Moral. c. 23.* idè censebunt tribuisse realem existentiam rebus à Deo cognitis, aut præscientiam Dei de illarum certâ futuritione negasse. At sic Deus fiet author peccati. R. Planè negari: Nam præscientia Dei theoretica, non est rerum causa: Non idè Sol est cras oriturus quia video eum oriturum; Non potest equidem non evenire peccatum quod Deus præscivit futurum, sed illa præscientia nullam physicam & intrinsecam necessitatem peccandi infert hominibus; Non desinit Petrus liberè currere, etsi eum currentem videas; nec homo desinit liberè peccare, etsi Deus ipsum peccaturum certò prævideat. At futura contingentia non sunt scibilia: R. Nobis concedo, Deo nego. At Deo tribuitur poenitentia Gen. vi, 6. R. Quæ de Deo ἀνθρώπων παθῶς dicuntur, sunt ὑποπταῖς; accipienda: Christus indoluit indurationi Judæorum & cladi eorum futuræ, Luc. xix, 41. 42. 43; quam tamen prævidit & prædixit. Poenitet Deum aliquandò propositi, non quod aliquid novi ipsi ex inopinato accidat; sed quod aliquod velit novare hominum respectu in suis operibus, & eventum ipsis inexpectatum præsentem sistere. Nam sic homines dum eos poenitet propositi sui prioris, aliâ insistent viâ quàm ante, & alias edunt actiones quàm quæ ab ipsis expectabantur. At Deus aliquando spe suâ & expectatione frustratus est, quod non cadit in præscium omnium futurorum, Esa. v. 4. Luc. xiii, 7. 8. 9. R. Sic figuratè exprimi illam Dei patientiam & μακροθυμίαν de qua Rom. 11, 4. non verò negari præscientiam divinam. Frustrà expectavit Deus, non quod eveniret id quod nesciebat evenurum; sic namque Dei beatitudini multum decederet; sed quod illud eveniret quod ex officio creaturarum evenire non debuit. At Deus in exploratione Abrahami demum novit quod se timeret Gen. xxi, 12. R. Præscientiam non tolli cognitione illâ experimentalî de quâ hoc loco;

Nec de sunt qui id interpretentur transitivè, quod tunc Deus ipsi Abrahamo & aliis manifestarit sua dona in ipsum collata; Neque enim Deus Abrahamum tentavit ex dubietate & ignorantia, quasi nescius quæ mens esset Patriachæ, quæ fides, sed ex summa sapientiâ, ut eam fidem aliis in exemplum propalaret. At Deus non promississet Abrahamo Gen. xiiii, 15, se introducturum semen ejus in terram promissam, si prævidisset Israëlitas suis peccatis remoram hic posituros. R. Præterea quod promissiones Dei sunt conditionatæ, etiam hæc promissio facta in communi semini Abrahami non singulis ejus individuis, suum eventum sortita est, tempore à Deo constituto Gen. xv, 13. 16. & ubi Amorrhæorum iniquitas adimpleta fuit; ut nihil ex improvilo acciderit Deo quare sententiam mutare & cursum sinuare debuerit.

Præscientiâ Dei sic in vado constitutâ contra latratus Sociniano-
rum, accedo ad secundum, ut demonstrem Libertatem hominis, qualem antea proposuimus, cum hac Dei præscientia consistere posse: Etenim non quamlibet necessitatem pugnare cum libertate antea visum, sed tantum necessitatem naturalem, intrinsicam & consequentis, non verò hypotheticam, extrinsecam & consequentiæ, qualem demum infert præscientia Dei: Igitur analytico ordine procedentes statuimus nihil in tempore evenire quod Deus non præsciverit futurum: nihil verò futurum esse quod futuritionem suam non habeat ex Dei decreto vel effectivo si bonum sit, vel permissivo si malum: Quare præscientia Dei præcisè considerata, supponit efficax Dei decretum sive efficiens sive permissivum, in quod refundatur. Hoc verò decretum ostendit quidem nullam causam secundam agere independentem à prima, sed, tamen nulla ratione evertit vel libertatem vel contingentiam in causis secundis; Divina enim providentia non corrumpit naturam sed perficit, non tollit sed tuetur, & omnia qua creavit, sic administrat, inquit Augustinus lib. 7. de Civ. Dei c. 30. ut ipsa suos etiam exercere & agere proprios motus sinat. Quod si quis aliam rationem conciliandæ præscientiæ divinæ & contingentæ ac libertatis humanæ quæserit, neque pedem circini sui in decretorum divinorum firmitate & constantiâ fixerit, operam perdet & oleum. Si dicat cum Curcellæo, contingentia non propterea quia Deus ea novit certo, fieri necessaria, nec impugna-
bit

bit quod volumus; quia certum est Deum nosse contingentia & materialiter ut certò futura, & formaliter ut efficienda modo contingenti, non necessario; nec exhauriet quod in quæstione est: id enim semper explicandum restabit unde illis contingentibus sua certa futuritio, quæ præscientiæ divini observatur, ac oportebit ad Dei decretum redire. Cum enim præscire nihil dicatur Deus nisi eâ scientiâ quam vocant Theologi Liberam & visionis, & hæc fundetur in antecedenti Dei decreto, huc in præscientiâ Dei explicandâ tandem deveniendum est. Si recurras ad Scientiam Dei conditionatam, de qua Curcellæus Remonstrans Gomaro & Walæo gratulatur, (quo jure nunc non dixerim) redibit idem scrupulus, & nutabit certitudo præscientiæ divini. Noverit enim Deus conditionaliter id secuturum vel sequi posse, hæc vel illâ conditione positâ, v. g. hominem lapsurum, si in illo & illo statu poneretur; tum primò illius conditionis positio per Dei decretum præquiretur, ad hoc ut sciatur rem illa actu sic futuram & eventuram: deinde ipsamet positio istius conditionis ex qua prævidit Deus hoc vel illud secuturum, vel eandem inferet necessitatem futurationis quam accessimus à Dei decreto, vel si consequentiam non faciat necessariam & infallibilem, dubiam & incertam reddet præscientiam divinam. Sed nos alibi diximus de scientiâ illa conditionatâ, quam scientiam *mediam* vocarunt Jesuitæ, ejusque novitatem & vanitatem refutavimus.

Quare ad tertium me accingo ostensurus contra Tirinum eâ ipsum libertatem homini tribuere, quæ cum certitudine & infallibilitate præscientiæ divini nequeat consistere. Etenim si positis omnibus ad hinc & inde agendam concurrentibus, posset tamen homo actum suum suspendere, aut ad oppositum se determinare, tum certò non poterit præsciri à Deo quid sit futurum antequam actu fiat; Certè non potuisset Deus præscire hominis lapsum antequam actu laberetur, si homine jam in illo statu collocato, in quo Deus prævidebat illum lapsurum, potuisset tamen contrarium evenire per ipsius libertatem; Poterat quidem ipse Adam contrarium facere ejus quod fecit, si vires ipsius-intrinsicè considerentur; sed non poterat tamen contrarium ejus fieri, vel evenire quod Deus præsciverat, quoniam ut sic fieret vel eveniret, ejus decreto justè & sapienter permissivo constitutum fuerat.

rat. Sed videamus quæ emplastra hîc Tirinus huic vulneri adhibeat, & quibus rationibus pertendat *absolutam* Dei præscientiam (conditionatam enim hoc loco noluit commemorare, nec debuit) illi arbitrii nostri libertati quam propugnat non officere.

Primo quia hæc merè extrinseca) Sic igitur non affert rei præcitate necessitatem intrinsecam & consequentis, sed tantum extrinsecam & consequentiæ quam propugnamus. Deinde si Dei præscientia, quia extrinseca est homini non necessitat ejus actus, neque etiam recessitabuntur Dei decretis de eorum futuritione; cum decreta Dei sint pariliter homini extrinseca.

Secundo quia ratione) Fateor quod scibile sit ratione posterius ipsâ scientiâ, præcisè in formali ratione scientiæ consideratâ; sed cum præscientiæ ac prophetiæ divinæ obiiciatur hoc scibile tanquam certò & indubitanter futurum, adeoque futuritionem illius præscientia ac prophetia præsupponat, semper manet quærendum, unde nascatur indubitata illa futuritio, quæ certò præscitur ac prædicatur à Deo: Neque certius fundamentum ejus proferri poterit, quam Dei sapientissimum ac liberrimum consilium atque decretum, vel effectivum si res futura sit bona, vel permissivum si mala fuerit: Deinde & de eo posset dubitari quod hîc tam constanter asseritur, præscientiam Dei esse ratione posteriorem ipsâ liberâ determinatione voluntatis creatæ: Nam cum scientia Dei libera sive visionis fundetur in ejus decreto & ex illo immediatè resultet, præscientia Dei quâ in suo decreto videt eò se liberè determinaturam Creaturam rationalem, est ratione & naturâ prior ipsâ determinatione libera quæ fluit ex illo decreto. Imò cum præscientiæ ac prædictioni divinæ obversetur hæc determinatio libera, non in factò esse sed in fieri & quatenus futura est, necesse est ipsâ priorem esse ratione ejus præscientiam & prædictionem, quod illa particula *præ* satis indicare videtur. Adhæc ista posterioritas rationis quæ pendet ex nostro conceptu juxta naturalem respectum scientiæ ad scibile, nil impedit quominus tempore & infinitis sæculis præscientia Dei sit prior ipsâ actuali libera creaturæ determinatione; quæ si nulli subfuerit necessitati, saltem extrinsecæ & consequentiæ per antecedens Dei decretum, tot ante sæculis certò prævideri & prædici nequi-

vit;

vit; Qui enim certum fuisset & multis ante annis indubitatum ex parte rei, ita creaturam se determinaturam quandoquidem illi tribuitur libertas absoluta & independens, juxta quam omnibus positis ad agendum prærequisitis possit agere vel non agere etiam in sensu composito, adeoque se etiam aliò planè determinare & applicare quam quo præscivit Deus, & sic ejus prævisionem eludere? Sed præsertim quamvis scientia Dei merè theoreticè considerata sit posterior ratione re cognitâ, tamen considerata practicè, vel ut est scientia artificis est prior re cognitâ, ea prioritate qua causa prior est suo effectui; Hinc scientiam Dei esse causam rerum statuunt omnes Thomistæ, ut fusè docet & probat Alvarez lib. 2. de auxil. disp. 16. per totam. Porò locus Deut. xxxii, 19. non agit de præscientia & prævisione theoretica rei futuræ, sed de practica & judiciaria inquisitione rei præsentis, prout Deus dicebat Gen. xviii, 21. se descensurum & visurum num ita esset; & Gen. xi, v. 5. dicitur descendisse, ut videret urbem & turrim Babelis, quam homines moliebantur: Quare perperam huc transfertur.

Tertio quia *objectivè*) Coincidit ferè hæc ratio cum præcedenti: Pendeat licet præscientia Dei *objectivè* ab effectu futuro; pendebit tamen ipsiusmet præscientiæ certitudo à certa & infallibili futuritione illius effectus; quæ futuritio infallibilis alio principio debet niti quam dubia & sui ipsius nescia libertate arbitrii. Deinde jam monuimus juxta Thomistas effectum futurum pendere à Dei scientia ut practica est.

Vnde nihil mirat) Ut hoc est verissimum & admirandum respectu præscientiæ divinæ, quod certitudinem sive infallibilitatem eventus importet, manente & agenti suo modo agendi & effectui sua ex illo specificatione, sic idem usu venit ipsiusmet decreti divini ex quo rei futuritio pendet respectu, manente & agenti & effectui suâ conditione & specificatione nativâ. Certò quidem Deus præscit hoc futurum, sed præscit futurum liberè aut contingenter per causam sic agentem. Pariliter certò decrevit hoc futurum, sed decrevit ut fiat liberè vel contingenter, pro conditione & natura causæ secundæ per quam decrevit fieri. Interim acquiescimus dicto Davidis Ps. cxxxviii, Heb. cxxxix, 4. 5. 6. quo ostendit scientiam Dei ad omnia quæ hominis sunt ita se extendere.

extendere, ut tamen scientiæ illius diviniæ modus & amplitudo nos lateat; idest, Bellarmino ibi interprete & cui hæc quæstio non tam videbatur facilis ac Tirino, incomprehensibile nobis sit, quomodo Deus prævideat futura, præsertim libera quæ pro arbitrio hominis possunt esse & non esse, qualia sunt cogitata, desideria, verba & pleraque opera hominum. Nos hominunciones qui nostrum scire vix scimus, audebimusne quale sit Dei ipsius scire, immane quantam à nostro distans Esa. LV, 8. definire, & ejus infallibilitati, independentem si Deo placet creaturæ libertatem combinando, τὰ ἀσύγκλωσα συγκλώθειν?

Neque obstat ut ibidem) Quæ ibi habet Tirinus aridiora sunt quam ut nodum hunc solvant; Sic loquitur, Quia Iudæi intellectu excacati adhuc erant & voluntate indurati, sicut Esajas olim de illis prædixit, hoc inquam supposito non poterant credere: Ita S. Chrysostomus, Augustinus & alii: Sed his verbis nulla lux affanditur Evangelio, ubi non aliud sibi vult Johannes quam miram non debuisse videri illorum incredulitatem, cum ita debuerit evenire ex justo Dei judicio, & juxta vaticinium Esajæ: prout non potuerunt milites Pilati frangere crura Christi Joh. XIX, 33. 36. quia debuit impleri quod scriptum erat, Os non comminuetis ex eo. Quæ causalis illa quia, de Prophetæ prædictione, non notabit causam consequentis, sed tantum consecutionem sive causam consequentiæ; Nec video cur Toletus alium hujus commatis fingat sensum, quam verborum præcedentium com. 37. & 38. ubi dicuntur Judæi non credidisse, ut sermo Esajæ impleretur. Nam hic annot. 18. probat multis particulam Ut in Scriptura sapè non causam, sed eventum & consecutionem significare. Et sanè Stapletonus in Antidotis suis Euang. illud ipsum Quia, statuit non causaliter sed consecutivè esse sumendum. Hinc, inquit Chrysostomus Hom. 64. in Iohan. magnam vult Scriptura certitudinem demonstrare, & quod non aliter quam prophetatum est evenit. Igitur Johannes uno complexu exprimit duplicem necessitatem incredulitatis istius, unam consequentiæ quam arcessit à vaticinio prophetæ; alteram consequentis, quæ fluebat ex ipsorum justissima excœcatione; Non poterant credere quia Esajas prædixerat eos non credituros: Adeo necesse est evenire id quod prædictum est à Domino, ut non possit evenire ejus contrarium; Et hoc spectat necessitatem consequentiæ;

quentiæ: Sed iterum non poterant credere, quia juxta Prophetæ vaticinium horrendo erant scotomate percussi, quæ excœcatio justissima propter peccata sua præcedentia, efficiebat ut absolutè nec credere nec respicere possent: Hæc est necessitas consequentis; Utramque indicat Augustinus *tract. 53. in Iohan.* (quo constet non satis bona fide Chrylostomum & Augustinum citatos fuisse Tirino, ceu sententiæ suæ autores) *Non poterant credere, quia Esajas Propheta prædixit; hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum esse præscivit. Quare autem non poterant, si à me queratur, citò respondeo, quia volebant: Malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus & per Prophetam prænunciavit ille cui abscondi futura non possunt; Sed aliam causam inquis dicit Propheta, non voluntatis eorum; Quam causam dicit Propheta? Quia dedit illis Deus spiritum compassionis, oculos ut non videant & aures ut non audiant, & excœcavit oculos eorum & induravit cor eorum: Etiam hoc eorum voluntatem mente respondeo; Sic enim excœcat, sic obdurat Deus, deserendo & non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest. Interim ex hoc loco qui est præ manibus, colligo contra Pontificios, non solum non semper adesse & omnibus gratiam sufficientem credendi & se convertendi, cum iis non adfuerit de quibus tam districtè & tam certò verum est, quod non poterant credere, (id enim referre cum Toletò *annot. 20. ad 12. Iob.* ad impossibilitatem moralem, quod non nisi ægrè & difficulter admodum id potuissent facere, est contradicere & Johanni absolutè loquenti, & Augustino juxta ipsummet Toletum Johannem absolutè intelligenti) sed etiam benè convenire libertati cum necessitate aliqua, non solum extrinseca & consequentiæ, sed etiam intrinseca & consequentiæ; Nam hi liberrimè volebant credere, & sua sponte rejiciebant Evangelium; tamen necesse erat ut non crederent, quia non erat possibile ut crederent, tum quoniam id erat sic prædictum à Domino, tum quoniam ex justa ipsorum excœcatione nihil aliud poterat manare quam incredulitas & rebellio.*

Nam. 7. Nequè PRÆDEFINITIO Dei aut PRÆDETERMINATIO. Quia circa actiones causarum liberarum, vel nulla est prædefinitio: nam, *Eccli. xv, 14. Reliquit hominem in manu consilii sui;* Vel, si subindè circa aliqua

H

v. g.

v. g. circa passionem & mortem Christi, Act. iv. 28. *Manus tua & consilium tuum decreverunt fieri*; non tangit nisi substantiam actionum vel passionum, non verò etiam singulas circumstantias. Ioh. x. 18. *Potestatem habeo ponendi animam meam &c.*

CENSURA. *Neque prædefinitio Dei*) Debit Jesuita etiam hic prædeterminantes Thomistas ac Dominicanos, suæ communionis homines, obiter perstringere. Sed conatù parum felici: Primò non erat quod *prædefinitionem* ac *prædeterminationem* disjunctivè nominaret; cum jam olim Didacus Alvarez refutarit eos qui subtiliùs quam solidiùs inter hæc distinguere conantur, *lib. 3. de aux. disp. 22. §. 17.* Deinde debuisset distinctiùs loqui de prædeterminatione, an videlicet intelligat tantum extrinsecam, per efficacè decretum divinæ voluntatis, antecedenter ad ipsius Dei præscientiam, an etiam intrinsecam ex illa necessariò manantem, quæ actualiter movetur voluntas motione præviâ in se receptâ ad id ad quod extrinsecè jam prædeterminata erat Dei Decreto: Utramque enim tueri Dominicanos & Thomistas ex eodem Alvarez constat *ibid. disp. 21. n. 13. & disp. 22. & 23. per totas.* Ostendunt autem multis, illam Dei prædeterminationem utramque non obesse legitime libertati Creaturæ, quia licet ex illa omnes actus contingentes & liberi necessariò fiant necessitate infallibilitatis, quam vocant necessitatem ex suppositione, conditionatam & consequentiæ, ut fuse disputat idem Alvarez *ibid. disp. 25. per totam*, non fiunt tamen necessariò necessitate absolutâ, naturali & consequentis: Sed nostrum non est hoc loco istas controversias fusiùs enarrare: insistimus modo vestigiis Tirini.

Vel nulla est prædefinitio) At illud falsissimum esse clamat tota Schola Thomistarum in Pontificia communione, qui docent omnes causas secundas à Deo esse prædeterminatas ad agendum; sic ut ipsam voluntatem creatam prædeterminet etiam ad actum peccati in genere entis, sive in quantum actus est. Quin moderatiores è suis adversariis, omnium actuum liberorum prædefinitionem à Deo, saltem quoad substantiam, videntur concedere, quos inter est ille Episcopus Mascarenas citatus Alvarezio *Disp. 22. n. 18.* Imo quod magis est Ludovicus à Dola Capucinus, qui Durandi sententiam ex orco voluit revocare,

& præ-

& prædeterminantes gravare quibus potuit incommodis, tamen operis sui de modo conjunct. concursuum Dei & Creaturae parte 1. cap. 4. admittit saltem, eam præfinitionem omnium nostrorum operum, sive formalem, uti loquitur, sive virtualem, quâ Deus per scientiam conditionatam intuitus hunc aut illum actum liberum in tali occasione esse futurum, si Deus permittat voluntatem nostram in illa occasione constitui & in eadem operari, prout ipsa prævidetur sub tali conditione volitura, statuatur determinetque ac decernat permittere, ut voluntas nostra in illa occasione constituatur & in eadem operetur; Tunc enim iste actus intelligitur esse à Deo prædeterminatus & consultâ nostrâ voluntate præfinitus, ut in rerum natura aliquando existat. Hic non inquiri in istius hominis sententiam, quæ ita enunciata, & si per scientiam conditionatam intelligatur Dei scientia simplicis intelligentiæ vel naturalis, cui omnia possibilia antecedenter ad suum decretum obversantur, non multum abhorreret à veritate, circa eos eventus qui ex sola Dei permissione, quia mali sunt, pendent. Sed hoc profero ut constet Jesuitas in Epicuræorum castra palam transire, dum actionum liberarum nullam prædefinitionem statuunt. Quâ in doctrinâ primum reluctantur infinitis Scripturæ testimoniis; Es. x, 5. 6. xiv, 24. 25. Prov. xxi, 1. Matt. x, 29. 30. Luc. xxii, 22. Act. iv, 28. xvi, 26. 28. Eph. i, 11. 11, 10. Apoc. iv, 11. Deinde hominem faciunt ens independens à Deo, id est revera Deum, dum ejus actiones subtrahunt providentiæ divinæ, quæ illas ad finem ordinare in tempore non potest, nisi à se ab æterno præfinitæ, id est ad finem præordinatæ fuerint; Testimonia Patrum & Scholasticorum huc facientia repeti possunt ex Alvarezio V. S. His enim non debeo immorari, quandoquidem non nisi dubitanter & Scepticè Tirus hoc loco loquutus est.

Nam Eccles. xv, 14.) Præterquam quod hic author est Apocryphus, & ex sententia Ludovici à Dola saltem per scientiam conditionalem præfinitus fuerit lapsus Adami, quod Deus prævidens hominem si in illo statu constitueretur & illâ tentatione appeteretur, cessurum tentationi & liberè lapsurum, decreverit eum in tali statu ponere & sic ejus lapsum permittere, ita ut etiam antequam laberetur, hic actus, quo lapsus est, intelligeretur esse à Deo prædeterminatus, & consultâ

Adami voluntate præfinitus, ut in rerum natura aliquando existeret; nolim hîc meliorem solutionem proferre quam quæ est ipsius Thomæ Doctoris Angelici, 1. p. q. 22. art. 2. ad 4. *In hoc quod dicitur Deum reliquisse hominem in manu consilii sui, non excluditur homo à divina providentia, sed ostenditur quod non præfigitur ei virtus operativa determinata ad unum, sicut rebus naturalibus qua aguntur tantum quasi ab altero directe in finem, non autem seipsa agunt quasi se dirigenia in finem, ut creatura rationales per liberum arbitrium, quo consiliantur & eligunt; Vnde signanter dicit In manu consilii sui; Sed quia ipse actus liberi arbitrii reducitur in Deum, sicut in causam, necesse est ut ea qua ex libero arbitrio fiunt, divina providentia subdantur; providentia enim hominis continetur sub providentia Dei, sicut causa particularis sub causa universalis: Quibus addit Didacus Alvarez lib. 3. disp. 21. § 11. hæc verba; Sicut ergo per hoc quod homo fit constitutus in manu consilii sui, non excluditur concursus arbitrii à divina providentia, ita etiam non excluditur à divina causalitate & prædeterminatione primi liberi quod est Deus. Nec ad libertatem requiritur quod homo habeat in manu sua prævium Dei concursum, sed sufficit quod habeat in sua potestate actum liberum, ad quem Deus movet hominem suo generali concursu vel speciali; ita ut dum actum à Deo prædefinitum elicit liberè quia potest & vult, non amittat potestatem elicendi actum oppositum, ad quem sepositâ Dei prædefinitione, æquè apertus erat ac ad illum.*

Vel si subinde circa aliqua) Optandum foret ut Doctores hi resoluti, minus Scepticè & Pyrrhonicè loquerentur: Primum nulla est ratio cur concessâ quarundam actionum liberarum prædefinitione, eadem negetur de aliis; si enim ea in Herode, Pilato, Juda, Judæis, nec obfuit eorum libertati, nec Deum constituit authorem peccati, non est cur ex duplici hoc metu eam rejiciamus in aliis: De similibus simile debet esse judicium. Deinde positâ actionis quoad substantiam prædefinitione ac prædeterminatione, nulla causâ subest cur eam negemus de ejus circumstantiis; cum libertas Creaturæ non in solis circumstantiis actionis versetur, sed primariò & principaliter in illius substantia. Adhæc locus Act. 17, 28. ostendit prædefinitionem non rei solius, sed quarundam saltem circumstantiarum, earum maximè quæ à personis sumuntur; Ideò dici potest de loco & tempore; Nam sicut prædefinitum

tantum erat ut per has personas, & eo mortis genere Christus pateretur pro nobis, ita nec in alio loco debuit pati Luc. xlii, 33. nec alio modo Matt. xxvi, 24. nec alio tempore. Dan. ix, 24. Johan. ii, 4. vii, 30. viii, 20. xiii, i. xvii, i. Ad quem ultimum locum Augustinus tract. 104. in Ioh. sic loquitur: *Quapropter hoc quod ait, Pater venit hora, clarifica filium tuum, ostendit omne tempus & quid & quando faceret vel fieri faceret, ab illo esse dispositum qui tempori subditus non est; quoniam quæ factura erant per singula tempora in Dei sapientia causas efficientes habent, in quæ nulla sunt tempora; non ergo credatur hanc horam fato urgente venisse, sed Deo potius ordinante.* Denique nihil magis impium aut à Dei verbo alienum fingi vel statui potest, quam omnes passionis Christi circumstantias non esse à Deo prædefinitas; quia nisi prædefinitionem haberemus expressam in scriptis Prophetarum Luc. xxiv, 26. 46. i. Corin. xv, 3. 4. Judæos incredulitatis & perfidiæ in rejiciendo & crucifigendo Dominum Gloriæ convincere non possemus. Sed malunt Jesuitæ Christianismi causam prodere Judæis, quam Epicureismo non litare & liberi sui arbitrii idolum constabilire. Neque illi impietati stataminandæ inservit locus Joh. x, 18. hinc Tirino citatus; indicant enim illa verba, interpretibus Chrysostomo hom. 54. in Ioh. & Augustino tract. 47. in Ioh. Christum ultro & sponte suam mortem subivisse, non vero, quod intendit Tirinus, mortis istius circumstantias à Deo prædefinitas non fuisse: Etenim hoc Christi dictum non minus passionis suæ substantiam respicit quam illius circumstantias: imò illam primariò & per se: Quare cum non obstet prædefinitioni mortis suæ quoad substantiam, neque circumstantiarum prædefinitioni obesse poterit. Imò hic locus ostendit, quod sicut prædefinitio Dei de morte à Christo subeunda pro nobis, non impediabat quominus eam ultro & liberè subiret Heb. x, 7. 10. quia hoc in ipsius erat situm potestate & mori & animam suam resumere, sic actuum aliorum liberorum prædefinitione nihil de agentium ipsorum libertate detrahitur; quia qui prædefinit actum futurum, prædefinit simul modum quo est efficiendus, convenientem conditioni & naturæ causæ illius secundæ à qua efficiendus est: Sed quid, inquires, erit statuum de actibus peccaminosis? R. Ibi Deum prædefinire primò actum

actum peccati quâ actus est in genere entis: 2. permissionem malitiam illi actui accedentis ex libera defectibilitate Creaturæ: 3. ordinationem ejus in bonum finem.

Num. 8. Neque PRÆDESTINATIO divina vel REPROBATIO: Quia hæ quatenus dicunt absolutam & efficacem destinationem nostram æternam gloriam, vel ad gehennam, positæ sunt in nostrâ singulorum potestate, cum quoad ista à nostris meritis vel demeritis, & statu cujusque finali bono vel malo ita dependant, ut posterius sit, (saltem ratione & quasi causalitate objectivâ,) nos ad illam sic destinari à Deo, quam nos illam promeritos esse &c. Math: xxv, 34. *Poscidete paratum vobis regnum à mundi constitutione,* quia esurienti *mibi dedistis manducare,* &c. I Cor: II, 9. *Preparavit Deus diligentibus se.* Etsi enim Deus pro suo solius arbitrio delegerit hunc in quo degimus mundum, & præsentem ordinem rerum, quoad prima illius principia & ornamenta tam gratiæ, quam gloriæ, statueritque certas regulas divini suæ providentiæ, quas in gubernatione creaturarum toto temporis decursu, ordinariè vel extraordinariè, prout illi visum fuerit, servaturus esset; Ps. cxlii, 11. *Omnia quacunquè voluit, fecit.* Rom. xi, 34. *Quis consiliarius ei fuit? Non tamen pro suo solius arbitrio delegit & fieri voluit omnia & singula quæ in mundo à singulis longâ serie fiunt: nam de multis horum testatur Ier: xix, 5. Non præcepi neque locutus sum, neque ascenderunt in cor meum.*

Neque sic ex totâ massa hominum, seu ante (ut hæretici volunt) seu (ut quidam Catholici) post prævisum Adami peccatum, selegit pro suo solius arbitrio certum definitumque numerum personarum, quas omnes & solas, reliquis exclusis, salvare decreverit, nullo habito respectu ad ea quæ quisque facturus esset. *Non enim est personarum acceptor Deus,* Act: x, 34. & Rom: II, 11. Sed quantum ex se est, omnes omninò homines seriò ac sincerè decrevit salvare, positâ conditione, quod in fine vitæ suæ reperiantur in statu gratiæ. I Tim: II, 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Hinc omnibus indifferenter, nullo demto, offert & in præmium promittit vitam æternam, omnes vocat & invitat. Math: xi, 28. *Venite ad me omnes,* &c. c. VII, 21. de omnibus dicit, *Qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum Cælorum:* cap. xxiii, 12. *Omni qui se humiliat, exaltabitur.* Et cur alioqui docet omnes orare, Math: vi, 10. *Adveniat regnum tuum!* Cur Ef: v, 4. queritur, *Expectavi ut faceret vias?* Cur succenset non venientibus? Cur reprehendit, minatur, punit? Math: xxi, 3. & 7. Vt quid jubet Apostolus pro omnibus orari, ut salvi fiant? I Tim: II, 2. *Pro Regibus, pro ducibus &c.* Et quomodo alioqui Christus erit propitiatio pro peccatis totius mundi? I Ioh: II, 2. *Quomodo dederit seipsum I Tim: I, 6. redemptionem pro omnibus? Quomodo 2 Cor: v, 14. mortuus pro omnibus? Quâ fronte dixerit Paulus Rom: VIII, 1. Nihil nunc*
damna-

denationis ijs qui sunt in Christo Iesu, si etsi jam iusti, perpetuò tamen relinquatur in massa reprobatorum? Imò quomodo talibus possibilis est salus, cum deficiat illis prævia Dei electio, seu voluntas illos salvandi? & an hoc non faceret Deum acceptorem personarum? Act: x, 34. Rursum si à solo Dei arbitrio hæc electio penderet, quid causæ fingi poterit, cur ipse (cujus natura bonitas, & miserationes ejus supra omnia operæ ejus Pl: cXLIV, 9.) tam paucos & non potius (pari juri, pari ratione,) omnes omnino tam angelos, quam homines, sic ad gloriam selegerit? Cur tam multos creavit quos absolute nollet salvare? Denique sinceram voluntatem & ex parte Dei efficacem salvandi omnes, certò colligimus ex eo, quod omnibus promiscuè omnia auxilia ad salutem assequendam necessaria suo tempore procuret, ut infra de omni hominum genere videbimus Contr: xiv, n. 11. & seqq.

Objectiones solvi Luc: xii, 32. *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum: Matt. xxi, 23. Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Matth: xxi, 29. Quis prescivit, & predestinavit &c: Rom: ix, 18. Cujus vult miseretur, &c: Act: xiii, 48. Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam. Eph: i. 4. Elegit nos & predestinavit secundum propositum voluntatis suæ; Vnde Rom: vi, v. ult. vita æterna vocatur gratia Dei.*

Solum hic addo, ex eo quod dicamus electionem efficacem & absolutam ad gloriam fieri ex prævisis meritis vel statu finali cujusque, nullo modo sequi, totam prædestinationem à nobis pendere: quia prædestinatio præter efficacem & absolutam electionem ad gloriam, includit etiam præviam hypotheticam & ex parte Dei destinationem omnium ad eandem gloriam; item præparationem & collationem omnium mediorem necessarium ad illam gloriam acquirendam; quæ ut gratuita sunt, ita à nostris meritis prævisis non pendent, ut mox videbimus. Ioh. xv, 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos &c.*

CENSURA. *Neque Prædestinatio Divina*) Peramplus hic se offert differendi campus, in quo posset retractari **Quinquarticulana Belgii Controversia, & Socinianorum, Remonstrantium, atque Jesuitarum, sive Molinistarum,** uti à Sorbonistis vocantur, Pelagianismus ac Semipelagianismus renudari. Sed forte olim videbunt lucem quæ ante viginti annos ad Synodalia Remonstrantium Scripta dogmatica de his Controversiis fuscè disputavimus; & cum jam hæc nostra dissertatio creverit plus satis sub manibus, sufficiet premere vestigia Tirini, quo refutato, reliqui hoc tempore *συμπιλαγισιζόντες*, unà debellari intelligentur. Agnoscamus legitimæ libertati Creaturarum prædestinationem

nem divinam non obesse; iisdem rationibus quibus ante ostensum eam non labefactari præscientiâ ac prædeterminatione Dei. Sed quod opponit Tirinus prædestinationem reprobationi, suorum more qui illam non nisi servandorum esse asserunt, probari non potest: Etenim cum vulgus Pontificiorum præscitorum nomine intelligat reprobos, quamvis *πρόγνωσις* sæpius de bonis & electione ad vitam in Scripturis usurpetur, imo nusquam de malis & ordinatione ad interitum Rom. VIIII, 28. XI, 2. quid ægrè ferunt quod prædestinationis nomen, frequentius de electis usurpatum, etiam ad reprobationem extendamus? Annon nomen est generale, & latius patens quam ordinatio ad vitam, uti liquet ex Act. IV, 27. XV II, 26. I. Cor. II, 7? Annon reprobi dicuntur ad interitum prædestinati, ut alii ad vitam, cum sint *προγεγραμμένοι εἰς τὸ τοῦτο κριμα* Jud. com. 4. ad hoc ipsum positi I. Pet. II, 8. & coagimentati *εἰς ἀπώλειαν* ex eodem luto & per idem beneplacitum, quo alii sunt facti & præparati ad decus & gloriam Rom. IX, 21. 22. 23? Fa-teor prædestinationis nomen prius electioni convenire quam reprobationi, esseque genus utriusque potius analogum vel equivocum, quam univocum; nam qui prædestinat ad vitam prædestinat etiam ad justitiam, sed qui prædestinat ad pœnam non prædestinat ad culpam, uti loquitur Fulgentius *lib. 1. ad Monimum cap. 13.* & laudat ac refert Bellarminus *lib. 2. de amiss. gra. & statu pecc. cap. 9.* Sed tamen inde non sequitur nihil reprobationem participare de prædestinationis generica natura; Quare ut nolimus negare aliquando prædestinationis nomen strictè ac speciatim sumi, oppositè ad reprobationem, pro æterna destinatione ad vitam tantum, ut Rom. VII II, 29. Eph. I, 5. imò vix aliter sumi in Scripturis; tamen agnoscendum est ex ipsius Becani Jesuitæ confessione *cap. 14. p. 1. Theol. Schol. q. 1. §. 5.* apud Theologos & Ecclesiasticos scriptores usurpari *fusè ac generatim pro æterna destinatione sive ad vitam sive ad mortem.* Ita usurpat D. Augustinus, *lib. 15. Civit. cap. 1.* Prosper in *responsione 14. & 15. ad capitula Gallorum;* Fulgentius *lib. 1. ad Monimum cap. 14. & Concilium Valentinum sub Lothario cap. 3.* cum ait, *Conferentur prædestinationem electorum ad vitam & prædestinationem improborum ad mortem.*

Quia hæc quatenus dicunt) Putabam nos hic audituros rationes aliquas peremp-

peremptorias, ex quibus sequatur prædestinationem in communi non obesse libertati nostræ, quod jam ante de Dei præscientia & prædeterminatione probandum susceperat Tirinus; sed hic longius procedit; & dum vult cum prædeterminatione libertatem suam conciliare, prædestinationem subruit & merum Pelagianismum invehit, cujus vel ipsum puderet Bellarminum si adhuc viveret: Prædestinationem utramque dici *absolutam & efficacem destinationem* hominum *ad æternam gloriam & gehennam*, quo sensu sumit hic Tirinus voces has *absoluti & efficaci*, lubens concessero, ita ut sonet decretum Dei fixum, peremptorium, irrevocabile & quod in unoquoque mortalium suum effectum indubitanter est habiturum, juxta Scripturæ loca Matt. xxxiv, 24. Joh. x, 27. 28. 29. 2. Tim. ii, 19. Apoc. xx, 27. Sed 1. non est Jesuitis concedendum ut duæ illæ voces, *absoluta & efficaci*, quæ ἀπολύτως & ἐνεργητικῶς, sumendæ sunt, intelligantur διακριτικῶς, quasi detur aliqua prædestinatione non absoluta, sed dubia, incerta, inefficax & quæ eventum suum non infallibiliter sortiatur, ut pote suspensa ex conditione planè incerta & dubia. Nam omne Dei decretum, ut absolutum & efficacem infert indubitatum rei decretæ futuritionem, efficacem & absolutum dici debet; tum propter certitudinem præscientiæ divinæ, cui decreta Dei subternuntur; tum propter ipsius met Dei immutabilitatem & constantiam Psal. cxv, 3. Es. xiv, 27. xlvi, 10. Rom. ix, 19. Quæ pro decretis inefficacibus & conditionatis afferunt tam Jesuitæ hic per nostrum Tirinum & apud suum Becanum *cap. 11. q. 1. p. Th. Sch.* quam Sociniani apud Crellium *primo lib. Volkelii de vera relig. cap. 32.* & alii Universalis gratiæ patroni ex utrisque suo loco refutantur. 2. Quamvis juxta sensum Tirinianum prædestinatio utraque sit absoluta & efficacem, tamen cum potius analogicè & æquivocè, quàm univocè dicatur de electione & reprobatione, explicatius ostendi debet, quo sensu utraque absoluta & efficacem statuatur: Quod ut commodius fiat, præsupponendum est reprobationem sumi posse bifariam, vel negativè, ut sonat præteritionem sive non electionem, adeoque derelictionem in statu illo communi miseræ & peccati, ex quo alii eliguntur; vel affirmativè sive positivè, ut sonat destinationem ad poenam & diem malum: quam distinctionem nobis

suppeditat Bellarminus ipse *lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 16.* quanquam nec malè Janfenius *Aug. p. 3. lib. 10. de grat. Christi Salv. cap. 2. & 3.* statuat illam ipsam reprobationem suo sensu esse positivam, eo quod qui prætereuntur, sic in massa perditionis & damnationis statu relinquuntur, ut Deus non solum eos non velit liberare, sed etiam positivè velit in damnatione relinquere, quia *ira Dei manet super eos*, ex qua præter ipsum eos nemo liberare potest. Hanc tamen negativam appellamus, ne confundamus illam cum posteriori decreto, de istis sic derelictis, propter omnia sua peccata gehennæ destinandis. Præterea reprobatio illa negativa, (quæ tamen suo sensu est positiva præteritio) potest considerari vel absolutè in se, ut est liberrimum Dei decretum de illis prætereundis ac relinquendis in massa peccati, sive ut loquar cum Augustino *de corr. & grat. cap. 7.* non discernendis *ab illa conspersione quam constat esse damnatam*, vel respectivè atque comparatè ad electionem & assumptionem aliorum, ut si disquiratur cur potius ille reprobatus & præteritus sit quam iste, cum jacerent ambo in eadem communi miseria. Priori respectu, præteritio dicitur *absoluta*, posteriori *comparata* vel *respectiva*. His positis non satis est, prædestinationem in communi esse absolutam & efficacem, prout absolutum & efficax est illud quod est irrevocabile ac irrefragabile & suum effectum fortitur, sed de electione & reprobatione distinctè docendum quo sensu utraque absoluta & efficax dici vel non dici possit; Hic enim Orthodoxia variis subest calumniis eorum qui absolutam prædestinationem (ut amat etiam fieri apud Lutheranos) sumunt pro invectivarum suarum in nostros themate; Quo in argumento multus fuit Anonymus ille Scriptor nuperus quem ceu ex Anglb traductum cum aliis suis opusculis parum Theologicis edidit Hugo Grotius, sub titulo *de Reprobationis absoluto decreto*. Igitur electio ad vitam æternam, statuenda est efficax non tantum quod eventum suum fortiatur infallibilem, sed etiam quod vi illius & ex illa Deus efficiat in electis omnia media per quæ adipiscantur illam vitam æternam ad quam sunt præordinati Act. XIII, 48. ut sic habeat efficaciam non solum consequentiæ, prout decretum permissivum etiam efficax solet appellari, sed etiam operationis & efficientiæ. At reprobatio eatenus solum est efficax, quatenus rata est & firma;

ma;

ma; non vero quod vel consequenter, vel efficienter, aliquid ponat aut efficiat in reprobis, quod respectu finis ad quem sunt destinati, medii vel causæ habeat rationem. Id patet in reprobatione negativa, quæ est hominis in massa peccati & statu damnationis justa derelictio: Hæc enim supponit quidem in homine nativam & originalem corruptionem, sed nihil consequenter in ipso ponit amplius propter quod vel absolute, in illa sua miseria relinquatur, vel comparatè potius præteraturquam alter quem Deo visum est ad salutem assumere; Quæ illam derelictionem in miseriæ statu consequuntur ex parte Dei, siue ad negationem auxilii sufficientis, siue ad positionem mediorum exteriorum per quæ magis magisque inexcusabiles fiant, siue ad justam indurationem in pœnam præcedentium peccatorum, ea non se habent ut media ad illam derelictionem aut præteritionem quæ intendebatur in reprobatione negativa, sed ut illius fructus, consequentia & effecta. Patet & in reprobatione positiva; quoniam destinatio ad pœnam inferni, nec consequenter nec efficienter ponit culpam in creatura rationali, sed eam antecedenter præsupponit, quatenus scilicet consequentes sunt fructus illius justæ derelictionis in damnationis statu, ad quam per reprobationem negativam antea destinati fuerunt. Similiter utriusque, electioni nempe & reprobationi, convenit esse absolutæ secundum quid, prout absolutum decretum (qualia erant Edicta Medorum & Persarum) illud censetur, cui obloqui, refragari, intercedere non liceat, & quod proculdubio obtinebit; At neque simpliciter & omnimodè convenit utriusque esse absolutæ, & minus adhuc id convenit reprobationi quam electioni. Neutra est absoluta à termino; nam utraque terminatur ad Creaturam; adeoque attributis Dei respectivis debet annumerari: Neutra est absoluta à subjecto ejusque restrictione; quia subjectum habet contractum & restrictum ad massam peccati; Neutra est absoluta à causa multiplici; nam efficientem habet utraque Deum ex suo beneplacito; finalem gloriam ipsius; materialem homines; formalem sapientissimam & imperscrutabilem consilii Divini rationem: Neutra est absoluta ab omni conditione prævia in suo objecto; utraque enim prærequirit peccatum commune; cum homo non sit vel eligibilis per misericordiam, vel justè reprobabilis, nisi peccator. Quin progredia-

grediar ulterius; Electio æterna non est absoluta à necessitate & respectu mediorum per quæ finis destinatus obtineatur: Quamvis enim in fidei & obedientiæ nostræ antecedenti respectu non fundetur electio nostra gratuita ad salutem, tamen salus per electionem nobis decreta, pendet ex obedientia fidei, quam Deus ideo in suis operatur Phil. 1, 29. & injuriam nobis faciunt tum Lutherani, tum Remonstrantes & alii, qui hanc crudam nobis affingunt sententiam, Deum nos elegisse ad salutem absque ulla Christi, fidei, respicientiæ ac novæ vitæ consideratione: Licet enim ista Deus in liberrima sua electione non consideraverit ut præxistentes conditiones & causas impulsivas electionis nostræ, ad ea tamen respexit in electionis decreto, imo eodem illo decreto ea nobis dare & in nobis efficere constituit, ceu media necessaria ad illam ipsam salutem consequendam; adeo ut citra eorum mediorum respectum & constitutionem, electionis decretum completè concipi nequeat: Nec enim Deus nos prædestinavit ad salutem in communi, sed ad eam cujus author & dator Christus nobis esset futurus, & quam per fidem, sanctificationem & respicientiam anhelare debebamus; Quod clariùs nobis enuntiat Paulus Eph. 1. 4. 5. quam ut in dubium possit revocari. Quid igitur? Electio ita est ex mero Dei beneplacito facta Luc. XII, 32. ut sit absoluta ab omni causa præcatorica, vel prævia dispositione aut conditione bona ejusve prævisione quæ Deum movere debuerit, ad hunc potius quam illum assumendum: Nam omnes jacebant in eadem miseria Eph. 1, 1. 3. & nihil boni prævidere potuit Deus in nobis, quod ipse omnis boni fons & author Jac. 1, 17. non deberet prius in nobis efficere & operari: Imo revera nihil habemus boni salutaris in tempore quod non fluat ab ipsius electione & gratia, 1, Cor. 1, 7. ut in catena aurea Pauli videre est Rom. VIII, 28. 29. Hinc vocationem, hinc justificationem, hinc fidem, hinc sanctificationem, hinc perseverantiam, tam copiosè arcessunt Sacræ litteræ, Joh. VI, 37. VIII, 47. x, 36. xv, 16. Eph. 1, 4. Act. XIII, 48. 1, Cor. VII, 25. Tit. 1, 1. Joh. 11, 19. ut mirum sit homines Christianos eousque posse dementari, ut velint suam electionem æternam ex fidei aut operum suorum prævisione suspendere; quasi id unice student,

deant, non videri nimium Deo ac ipsius gratiæ debere. Ut autem hoc sensu absoluta est electio æterna, solius Dei nixa gratiâ & beneficio, sic eodem sensu absoluta dici potest reprobatio negativa comparatè loquendo: ut enim non posset alia reddi ratio cur Deus Petrum v. g. aut Jacobum potius elegerit ad salutem quam Judam aut Esauum, cum essent Petrus ac Jacob per peccatum commune equè reprobabiles ac Judas & Esau, nisi quod ipsi ita visum est; sic si inversâ quæstione petatur cur Esauum vel Judam potius reprobaverit sive præterierit Deus quam Petrum vel Jacobum, cum hi nihil haberent cur magis essent eligibiles, æquè in Adamo perditæ, eodem necessariò est redendum; quò etiam nos ducit Scriptura Matt. x1, 26. 2. Tim. 1, 9. 10. Rom. ix, 11. x1, 5. At si missâ hac comparatione reprobatorum ad electos, reprobationem negativam in se consideraverimus, non statuemus eam absolutam à causa meritoria, cum illa ipsa naturalis corruptio in qua reperiuntur eos reprobabiles justè faciat; ut sic nec habeant electi quod gloriantur, cum gratis & merè gratuitò sint assumpti, nec reprobi quod querantur, cum justè sint derelicti; *Nam cum per peccatum primi hominis nascatur omnes filii iræ (ut Apostolus docet ad Eph. 2.) nihil nobis jure debetur nisi pena*, inquit Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 4. Et cum ista derelictio vel præteritio sit actus non solum potestatis sed etiam iræ & justitiæ diviniæ, unde præteriti, vasa iræ dicuntur Apostolo, utique in peccatum necessariò refundi debet. Nec est quod scrupulosè distinguamus, quod factum video à Cl. Wollebio lib. 1. *Christ. Theol. cap. 4.* inter reprobabilitatem & reprobationem, ut illius causam commune peccatum agnoscamus, hujus non. Nam eo ipso quod communis illa corruptio est causa formalis reprobabilitatis, debet esse causa impulsiva & meritoria reprobationis sive præteritionis eorum qui reprobantur. Neque adeo metuendum ne omnes, quia sunt per commune peccatum reprobabiles, actu sint reprobandi, si idem peccatum sit causa reprobationis meritoria. Nam quod Deus quosdam reprobet propter illud peccatum, est ab ipsius justitia; ab ipsius vero misericordia quod non omnes. Sic ambo domestici Pharaonis Gen. 11, 1. erant rei læsæ majestatis & æquè punibiles: Sed quod unum tantum propter commune crimen, ad exercendam

justitiam puniverit, alteri vitæ & dignitatis pristinæ gratiâ factâ in clementiæ testimonium, sic fuit ex ipsius libertate, ut tamen pœnæ quam ille sustinuit, causa omnis in ejus culpam transcribi debuerit. Multò minus absolutam à causâ meritoriâ dixerim reprobationem positivam, cum formalis illa ad gehennam destinatio innitatur tam peccato communi propter quod justè præteriti sunt, quam cæteris omnibus peccatis actualibus commissionis & omissionis, quæ ex illo primo peccato per totam vitam reprobatorum pullularunt. Cur verò electio sit absoluta à causâ meritoriâ, reprobatio non, ratio est in promptu; quia hæc est actus justitiæ divinæ, illa misericordiæ & gratiæ, *qua gratia non eris ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo*, ut scitè Augustinus lib. 2. contra Pelag. & Celest. c. 24. Nec commodius & magis ad ædificationem publicam hoc mysterium prædestinationis proponetur & os obstruetur Pelagianæ & Jesuiticæ calumniæ quàm eo quo dixi modo, si nempè totius mali culpa homini, totius boni laus Deo in solidum tribuatur.

Posita sunt in nostrâ singulorum potestate) At quis Christianus hoc ferat in hominibus qui Christianum nomen non penitus ejurarint? Ipse sanè Pelagius, prout ejus sententia à Caussino Jesuita describitur in Apologia pro sui ordinis hominibus, contra Academiam Parisiensem pag. 16. ex illis tribus, posse, velle, agere, duo posteriora sic hominum faciebat, ut prius à Deo esse concederet: at hi volendi & agendi potestatem quoque suam faciunt, & apud eos quisque est faber suæ fortunæ, sive ut ipse Pelagius loquitur ad *Demetriadem* verbis *ibi* Caussino citatis, *spes sibi quisque facit*: Tam vastæ est potestatis Jesuitarum arbitrium ut altera manu orientem, altera occidentem contingat, & clavem gestet cœli & abyssi; Remotè quidem in primo homine, singulorum potestatis fuit non labi, sed ipsis jam in Adamo lapsis & per eum lapsum reprobabilibus factis, multò minus est in eorum potestate se ex illa miseria eripere & censu ac numero reprobatorum eximere, quam erat in domesticorum duorum Pharaonis potestate, postquam Principis offensam incurrerant, se ipsos in integrum restituere aut à cruce vindicare. An in homuncionum potestate erit æterna Dei decreta, cujusmodi sunt Electio & Reprobatio, *figere & refigere*

figere pro libitu? Tantæ scilicet molis erat apud Jesuitas unius sui Molinæ dogma singulare canonizare, ut illis exprobratum est ab Universitate Parisiensi in nuperis suis contra eos scriptis, ut nihil tam crudum sit in errore Pelagiano quod concoquere non valeant.

Cum quoad ista à nostris meritis vel demeritis) Per illam particulam (quoad ista) videtur Tirinus insinuare aliud quid esse in prædestinatione & reprobatione ad gloriam & gehennam, cujus respectu non pendeant ab hominum meritis & demeritis; quod quidam sit divinare nequeo. Deinde perperam conjungitur hic electioni reprobatio, quasi par sit utriusque ratio: Agnosco reprobationis positivæ eam esse conditionem, ut posterius sit (ratione saltem & causalitate objectivâ) hominem ad gehennam destinari quàm eam promeritus fuerit; sed nego eandem esse rationem electionis ad gloriam: quia cū talis destinatio ad gehennam sit actus justitiæ divinæ, prærequirit & præsupponit peccatum & impenitentiam finalem; verum quia destinatio ad gloriam est merè & simpliciter gratuita, nec fidem nec opera debet præsupponere, ceu causas impulsivas aut meritorias illius destinationis, sed potius debet ponere & efficere ceu media per quæ ad destinatum finem perveniatur. Ipsi Thomistæ gloriam & vitam æternam considerant vel per modum *primii* quod fidei & operibus nostris proponitur in ordine executionis obtinendum; vel per modum *finis*, ad quem in ordine intentionis per hæc media sumus à Deo ordinati; Priori sensu opera & fides præcedunt possessionem & adeptionem vitæ æternæ: Sed posteriori sequuntur destinationem ad vitam & fluunt ex illa; quod docet etiam Augustinus Epist. 105. his verbis: *Ipsa vita æterna qua in fine sine fine habetur & idem meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita quibus redditur non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, etiam ipsa gratia nuncupatur non ob aliud nisi quia gratis datur.* Bellarminus ipse lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 15. distinguit inter certitudinem beatitudinis & jus ad illam; certitudinem enim nasci ex prædestinatione, jus verò ad illam ex meritis, ut ipse loquitur; *Quoniam, inquit, quod Deus proposuit ac decrevit, omnino fiet, sed fiet eo modo quo ipse fieri voluit.* Quod verò Bellarminus ibi adhibet simile medici qui certò sciret, tali pharmaco febrim curari, & intendens aliquam curare hoc pharmacum illi præberet, habet aliquid dissimile; quia supponit vi-

nit vires medicamenti earumque notitiam in mente medici præexistere intentioni ejus de illo ægro per illud medicamentum sanando ; at fides & opera non præexistunt vel in scientiâ Dei liberâ, vel in rerum naturâ, ante intentionem Dei de hoc & illo per fidem & opera ad salutem adducendo. Adhæc falsò pertendit Jesuita parem esse rationem imaginariorum suorum meritorum ad gloriam, quæ est realium demeritorum ad gehennam : Etenim nos nihil apud Deum mereri boni tam certum est ex Scriptura Rom. XI, 5. 6. quàm verum neminem quicquam pati mali quod non sit apud Deum benè meritus, juxta confessionem Latronis Christo con crucifixi Luc. XXIII, 41. quod postea suo loco fusiùs erit ostendendum. Denique missâ reprobatione & relicto Jesuitis patrociniò reproborum (quod num sit ipsis successurum Deus novit) sistamus hîc in sola electione ad salutem, & paucis ostendamus quot absurda ex hoc dogmate Tiriniano efflorescant. Primò, si electio sit ex meritis, ut positiva reprobatio ex demeritis, tum electio non facit discrimen inter homines, sed reperit, quod falsum esse docet, non solùm Bellarminus V. S. sed ipso potior Paulus Apostolus I. Cor. IV, 4. Secundò quomodo posset electio gratiæ ex prævisione meritorum pendere, cum merita & gratia ex diametro opponantur Rom. XI, 6. & vita æterna donum Dei merè gratuitum asseratur Rom. VI, 23? Tertiò quis tam hospes erit in Sacris literis ut nesciat, quod ante indicavimus, fidem, opera, sanctificationem, perseverantiam in fide, esse fructus electionis certissimos & ab illa pendere? Quartò si electio pendeat *ex statu cujusque finali*, quod statuunt etiam Arminiani suâ ineptâ distinctione, inter electionem incompletâ sive non peremptoriam, & peremptoriam sive completam, tum Deus eum censebitur eligere ad gloriam, qui jam est certo in possessione gloriæ, nec ullum supererit discrimen vel rationis vel temporis inter electionem ad gloriam & actualem glorificationem : ô egregiam scilicet Dei Opt. Max. Sapiëntiam, quâ eos ante jacta mundi fundamenta ex singulari gratiâ prælegit ad gloriam, quos prævidit non modò perventuros eò, sed jam ad ipsam gloriam pervenisse! ac si destinarem meum filium Lutetiam, postquàm prævideo eum isthuc advenisse. Tandem merita illa ex quibus electi censentur Jesuitis qui ad gloriam

gloriam eliguntur, scire velim unde sint; num ex speciali gratiâ, num ex libero hominum arbitrio; Si posterius statuat Tirinus, non discrepat à Pelagio, & hominem per suum arbitrium facit fabrum fortunæ & felicitatis suæ; Si prius, semper recurret quæstio cur hanc specialem benè merendi gratiam huic potius quàm illi Deus indulerit? Cùm enim meritum ex Adversariorum hypothese & gloria necessario & indissolubili nexu cohæreant, non poterit huic potius quàm illi gratia benè merendi indulgeri, quin huic potius quàm illi gloria ad quam per talia merita pervenitur decreta fuerit.

Matth. xxv, 34, Possidete) Hic locus nec meritis Pontificiorum favet, nec Jesuiticæ Prædestinationi ex prævisione meritorum: Non favet meritis Pontificiorum, quoniam particula illa causalis, *Esurivi enim & sibi fisco me*, notat quidem causam consequentiæ, non verò consequentis; ut si dixero, sol ortus est, nam dies est; quod enim dies est non est causa cur sol ortus sit, sed est potius exorti solis effectum, consequens & indicium. Didacus Stella ad Luc. vi 11, 47. illud ὅτι quod ibi extat huic γὰρ Matthæi planè simile, sic explicat, ut illa particula *quoniam*, significet *non causam sed effectum*; Vnde verba illa Domini (inquit) *Dimittantur ei peccata multa quoniam multum dilexit, eandem vim habent ac si dixisset, Dimittantur ei peccata multa, ideoque dilexit multum*. Sed de hoc postea; Multò minus favet Prædestinationi Jesuiticæ ex meritorum prævisione; Etenim Thomistæ respondent, ut videre est apud Didacum Alvarez lib. 5. de Auxil. disp. 37. §. 18. 19. eum locum intelligendum esse de ordine executionis, non verò intentionis; sic ut in hoc electio sit facta *antecedenter* ad omnia prævisa opera, & ut illi loquuntur, merita; unde Augustinus de corrept. & gratia cap. 7. electos ad regnandū cum Christo, dicit electos esse *per electionem gratia non præcedentium meritorum*; in illo verò consecutio gloriæ tribuatur bonis operibus factis ex charitate, quod expresse docet Thomas 1. p. q. 23. art. 5. Idem habet Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 13. Sed ut nervosius adhuc respondeam ex priori & præcedenti illa mea hypothese, observandum est invitationem illam Christi ad oves, ut veniant possessum regnum cælorum, completi distinctè, tum jus possessionis illius ad eundem, tum juris illi iustestimoniam & iudicia publica: Jus illud constituitur à Christo 1. In Benedictione paternâ,

ternâ, quam totam Christi beneficio nullo nostro merito consequimur Gal. III, 8.9. Eph. I, 3. II. In Adoptione gratuitâ, quam indicat ipsum verbum κληρονομία αρα, idest, inquit ibi Tiranus, *hereditate, seu jure hereditario possidendum accipite, ut veri heredes Patris & coheredes mei Rom. 9.11, 17.* III. In Electione æternâ, juxta quam illud regnum nobis præparatum fuit à jactis mundi fundamentis; Id enim ad prædestinationem spectare agnoscit *ibidem* Tiranus, laudatis etiam Chrysolomi verbis *hom. 1. in Titum, Quanta nobilitas nostra quod non nuper sed ab olim, ab ipsis initiis dilecti sumus?* Juris illius indicia & testimonia publica profert Dominus ex misericordiar operibus, quæ non præcesserunt justificandos, sed justificatos sequuta sunt. Unde ex effectis & fructibus colligendum vult à posteriori jus illud, ut cum quis dicit hæc arbor est bona, fructus enim bonos profert. Quod enim bonos fructus profert, eam non constituit antecedenter bonam, sed tantum talem esse consequenter indicat. Fructus illi boni, non sunt arbori causa *essendi* bonitatis quam habet sed tantum nobis causa eam *cognoscendi*. Sic dicit medicus, Febricitas, pulsus enim tuus est vehementior & inæqualis: Illa tamen pulsus vehementia non est febris causa, sed index & effectus. Pari ratione bona hæc opera commemorantur à Christo, non ut causæ & fundamenta juris quod pii habent ad vitam æternam ex paternâ benedictione, adoptione gratuitâ, & æternâ electione Dei, sed ut juris illius *τυχηρία* & indicia irrefragabilia. Hanc esse mentem Christi & particulam illam, *γὰρ enim*, meritò à nostris statui *rationalem non causalem*, ut quidam loquuntur, ac nominatim Cartwrightus *ad hunc locum*, sive quod eodem redit causam consequentiæ denotare, non consequentis, & illationem juris pro sanctis connotare à posteriori, non ejus continere ætialogiam à priori, inde patet quod benedictionis paternæ & adoptionis in Christo obtinendæ causæ non fuerunt nostra opera, cum nihil boni nisi ex illa benedictione & adoptione & consequenter ad illam possimus operari; cur ergò opera hæc erunt porius causæ prædestinationis nostræ, quàm benedictionis & adoptionis paternæ? Id sibi author Glossæ ordinariæ non facile persuadebit, qui ad illud *Benedicti patris mei, annotat hæc; Beneficio patris mei promoti ad obtinendam gloriam, in qua sine corruptione regnetis, ad quam prædestinati estis à constitutione mundi.* Imò

Tiranus

Tirinus ipse nobis hic contra se arma ministrat: Duplici titulo, inquit illi, dabitur sanctis gloria celestis; primo hereditariais utpote filius, secundo mercetis utpote promeritis; Secundum illum titulum non expendam nunc accurate; illa quaestio pertinet ad *Controvers. 16.* Sufficiat indicasse quod juxta Jesuitam titulus meriti, sic disparatè & collateraliter opponitur titulo adoptionis, ut ille hujus causa esse nequeat. Quod si adoptionis causa non sunt hæc opera misericordiarum, quæ meritorum nomine veniunt Jesuitis; quo jaro constituentur causa vel benedictionis paternæ vel electionis æternæ ad regnum cælorum? Aut cur potius particula illa, enim, causam meritoriam notabit harum duarum, quam adoptionis illius quæ inter utramque mediâ est? Sanè benedicit illis Deus quia filii sunt; filii sunt, quia adoptati in filios & ad cernendam hereditatem gratuitam evocati: adoptati verò in filios, quia electi ad vitam æternam: Neque Reformati primi sunt qui opera hic commemorari per modum indicis statuunt. Ferus, ad hunc locum, sic loquitur; *Verè secundum fidem judicabit; quia autem opera præsertim Charitatis.* INDICIA sunt fidei, idè etiam secundum opera judicaturum dicit. Nequicquam verò hic à Bredembachio objiciuntur nobis Chrysostomus & Hieronymus id omne ad scientiam Dei referentes; Hos enim ante Pelagium exortum, Chrysostomam præsertim, ex cujus commentariis Hieronymus multa adoptavit, securius locutos fuisse, ut monet Augustinus, idè liberalius quam par erat, agnoscunt cordatiores ex Adversariis, ut suo loco à nobis fusiùs ostenditur.

1 Cor. 11. 9. *Preparavit Deus*) Possem hic acquiescere in Pauli solutione, opposita ad hanc locum Stapletoni antidotis, hinc, ut cum ipso nunc nosser Tirinus, perpetuam colligentis prædestinationem ad gloriam factam esse ex prævisis meritis dilectionis & charitatis: Nam est, ut bene Paulus monet, *fallacia non causa; non enim propter quid, sed quibus seu qualibus paraverit gloriam Deus indicat Paulus.* Sed plura hic habeo monenda. Apud ipsummet Tirinum, Chrysostomus & Ambrosius id Pauli dictum intelligunt de nostra adoptione: jam vero, illius causa meritoria dilectio nostra censi nequit; cum Deus non adoptet se diligentes, sed se dilecturos: neque ideo adoptamur quod Deum diligamus, sed ideo tenemur ipsum diligere quod ex servis non libe-

ros modo fecerit, sed filios suos & hæredes in Christo regni cœlorum : id autem teste Iohanne 1. iv, 10. non sumus consecuti quod Deum dilexerimus, sed quod ipse nos dilexerit & Filium suum miserit qui esset propitiatio pro peccatis nostris. Adhæc multiplex est præparatio regni Cœlorum pro salvandis : quædam facta est ex prædestinationis decreto, pro hominibus in sua miseria jacentibus, sed suo tempore per Christum redimendis : atque de ea agitur Matt. xxv, 34. Alia facta est actuali nostri redemptione per Christum, maximè sui ascensione in cœlum, quo etiam se proficisci testabatur ut nobis pararet locum, Iohan. xiv, 2. Tertia potest censeri fieri vocatione & justificatione actuali electorum ante sæcula & suo tempore redemptorum per Christum : Illi enim Deum præparare regnum cœlorum, quem justificat & regenerat ac donat spiritu fidei & dilectionis nemo sanus, quod credo, ibit inficias, prout viceversa talem Deus præparat ad regnum cœlorum ; Cum autem de hac præparatione quæ fit non electione æternâ, sed justificatione & regeneratione in tempore agat Apostolus, cujus objectum sunt illi ipsi quos Deus donat sui dilectione, frustra id trahas ad æternam illam in electione præparationem ante jacta mundi fundamenta, ut eam pertendas factam ex futuræ dilectionis prævisione.

Est enim Deus pro suo solius) In prolixo hoc hyperbato, vix capi potest quid sibi velit Tirinus : An sibi persuadet universalia duntaxat ex Dei nutu & arbitrio esse constituta, non etiam singularia ? Atqui ex singularibus universalia resultant & divinæ providentiæ sub sunt etiam singuli capilli nostri, quos ipse habet in numerato Matt. x, 30. An tantum, quod potius crediderim, hoc arbitratur cum suo Lessio, Deum non disposuisse ab æterno de singulis rebus eventuris in mundo, sed multa humano arbitrio reliquisse & permisisse ? Sed 1. quid hoc faciat ad hanc nostram quæstionem, non satis video ; cum ex tota Scriptura constet Deum ab æterno ita firmiter disposuisse de salute & damnatione hominum, ut illi omnes & soli sint servandi quos prædestinavit ad gloriam, illi omnes damnandi quos reprobavit : nec habet quidquam hæc thesis cui vel Tirinus, vel ullus Jesuita possit refragari : Deinde nec bene video quo sensu neget Tirinus Deum velle omnia & singula quæ fiunt in mundo fieri *pro suo solius arbitrio* : Nam si tantum statueret multa fieri

fieri in mundo ad quæ homines etiam concurrant per suum arbitrium, Deo tamen omnia illa dirigente & moderante pro suo arbitrio, neminem nostrum haberet sibi contradicentem; At si pertendat, uti videtur, multa fieri Deo reluctante & invito, & quæ pro suo solius arbitrio non decrevit ac delegit fieri in tempore, rectè nos ad harram Epicuri deducit; & jam supra ad num. 7. fusè ostendimus singulas actiones causarum liberarum & contingentium à Deo esse prædefinitas decreto irrevocabili, vel effectivo si bonæ fuerint, vel permissivo si malæ: Quod patet in eventibus nostro judicio maximè fortuitis, quales sunt sortium Proverb. xvi, 33. Act. i, 24. 26. & lignatoris in sylva viatorem fortuito occidentis Exod. xxi, 13. Deut. xix, 4. 5. Etiam non præter Dei voluntatem fieri quæ sunt contra ejus voluntatem infinita sunt in Scripturis quæ testentur, ut venditio Josephi Gen. xlv, 5. l. 19. 20. incestus Absalonis 2. Sam. xii, 11. 12. Semei imprecatio 2. Sam. xvi, 11, & plura alia alibi fusius à nobis annotata, præsertim ad Contr. xii, N. 9. Hinc illud Psal. cxiii, 11. juxta Hebræum, 3. *Omnia quæcumque voluit fecit*, ita sumendum, ut cum volente Deo quicquam fieri non possit, *quæcumque aguntur & fiunt Deo volente fiant*, ut loquitur Arnobius lib. 7. contra Gentes, citante etiam nostro Danzo. in suis notis ad Enchir. Aug. c. 100. Quin ipse Augustinus lib. 5. de Civit. D. c. 2. docet Deum ordinare omnium spirituum creatorum voluntates, sic ut in ipso causarum ordine à Deo constituto magnam habeant illa locum; Unde subdit: *Quapropter & voluntates nostra tantum valent quantum Deus eas valere voluit, atque præscribit; idè quicquid valent certissime valent, & quod salutare sunt ipsa omnino factura sunt, quia valiturae atque facturas ille præsciverat cujus præscientia falli non potest: ad quæ verba Ludovicus Vives annotat à providentia voluntateque Dei cognitionem ejus præscisci: voluntatem scire quid futurum sit, scientiam quid statuerit nosse; Et ut cætera miramur quæ huc ex Augustino adferri possent, sufficiat hic transcripsisse eas verba Enchir. ad Laur. c. 102. *Quantalibet sunt voluntates, vel Angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel illud quod Deus, vel aliud volens quam Deus, omnipotentis voluntas Dei semper immota est, quæ mala nunquam esse potest, quia etiam eorum mala irrogat justa est, & profectò quæ justa est mala non est; Deus igitur omnipotens sive per misericordi-**

am cuius vult miseretur, sive per iudicium quem vult odaret, nec iniquè aliquid facit, nec nisi volens quisquam facit, & omnia quaecunque vult facit. Quare ut nemo Deo fuit à consiliis circa opera Creationis & Gubernationis mundi, sic neminem adhibet in consilium circa regimen creaturarum intellectuàlium, quo maximè spectat locus Rom. XI, 34. neque super earum factis nova tenetur instituire consilia, cùm nihil ei accidat ex improviso, sitque ipsi notum à sæculo opus suum Act. xv, 18. quia nempe sic pradisposuit ab omni aeternitate, ut illic annotatur à Tirino. Locus verò Jerem. XIX, 5. agit de voluntate Dei præcipiente & mandante, contra quam multa fieri est in confesso, non verò de voluntate decernente permittente & ordinante, juxta quam omnia sic peraguntur necessario, ut sua tamen libertas voluntati creatæ in agendo remaneat; Si illa definitur esse necessitas, inquit Augustinus lib. 5. de Civit. D. c. 10. secundum quam dicimus necesse ut ita sit aliquid vel ita fiat, (necessitatem vocant infallibilitatis eventus) nescio cur eam timeamus ac nobis auferas libertatem voluntatis. Quod si urgeat aliquis illam particulam quâ Deus testatur scelera illa quæ reprehendit in Israëlitis à se nec præcepta nec mandata fuisse, imò ne quidem in cor suum ascendisse, ut inde colligat nihil de illis permittendis à Deo decretum fuisse, vel ea ex inopinato accidisse ipsi, nã ille vehementer errabit. Nam pari ratione Cicero & Socinus eundem afferent locum ad præscientiam futurorum Deo abrogandam. Lyranus ideò hæc annotavit sequentia; Non quod, inquit, Dominus futura nesciat; sed quæ indigna sunt sua notitiâ ignorare se dicat, sicut illud, Recedite à me nescio vos. Sed præstat dicere illud tribui Deo à ἄπορροια δῶ, ut & Jerem. VII, 31. ad designandam illius rei detestationem majorem, de qua vel præcipienda vel approbata nunquam cogitarit; quamvis tamen non sic evenerit citra illius permissionem & voluntatem. Denique secum pugnat Tirinus, dum non solum prima hujus mundi principia, sed etiam illius ornamenta tam gratiæ quam gloriæ à Deo pro suo solius libero arbitrio constituta & delecta esse dicit: Si enim gratiæ & gloriæ, quæ sunt mundi ornamenta, dispensatio pendet ex solo Dei arbitrio, ut illis utraque communicetur qui ejus sunt participes, etiam absque Dei arbitrio non fiet quod aliis ab utraque excludantur: Et cùm ne minimus quidem passerulus super terram

tenam cadat, sine ipso Matt. x, 29. quantò minus tot homines repro-
bi cadent absque ipso, in infernum? Sed audiamus quo sit evasura
tota hæc involuta Jesuitæ narratio.

Neque sic ex totâ massa hominum) Hic primùm debuisset agnoscere Je-
suita eam sententiam quam hæreticis tribuit, esse plurimorum è suis Ca-
tholicis, quorum multi sunt supralapsarii, quos inter Didacus Alva-
rez *lib. 11. de Aux. disp. 110. §. 11.* nominat Durandum, Cajetanum, Zumel,
Bannes, Sotum, ac statuit non solum multos *gravissimos* Thomistas hanc
sententiam defendere; ad quos & ipse accedit, verum etiam ipsum
Thomam (ut existimat) *resolutorie eam docuisse*; Etenim, verba sunt Al-
varezii *art. 3. citato in corpore inquit, quod sicut predestinatio includit vo-
luntatem conferendi gratiam & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem per-
mittendi aliquem cadere in culpam & ferendi damnationis pœnam pro culpa, &
idem dicit in solutione ad secundum.* Nec desunt qui Bonaventuram &
Scotum supralapsariis annumerent, quanquam hujus hodiè discipuli in
contrariam planè sententiam abierint: Deinde etsi nolimus diffiteri
nonnullos è nostris Celeberrimos aliàs viros, supralapsariam præde-
stinationem docere, eam tamen pertendimus esse nostris Ecclesiis com-
munem sententiam quam hic quibusdam suis Catholicis tribuit Jesuita,
ut predestinationis æternæ objectum sit homo in massa peccati: Ita ha-
bent Confessiones nostræ publicæ, nominatim Gallica *art. 12.* Belgica
art. 16. Ita etiam definitum est in Synodo Nationali Dordracena, uti patet
ex primo doctrinae capite art. 1. 7. 10, & 15. quod non Walæus modo qui Sy-
nodo interfuit declarat *locorum suorum communium Edis. in 4. pag. 373.*
sed etiam pro tam constanti in hac Academia habetur, ut ante sex-
centium sufflamina fuerit autoritate publica, Disputatio instituta
in contrarium à Viro aliàs maximo, sed, ut cedere nescio, illius su-
pralapsariæ predestinationis paulo tenaciori: Stephanus Curcellæus
Remonstrantarum partium Theologus Eruditus, *tract. de jure Dei*
cap. 10. nactus est ut probet Calvinum unà cum Celeberrimis reformatorum
doctoribus esse reprobationis constituere hominem condendum: Verum ab
hac invidia jam diu Calvinum liberarunt non solum Clariss. Amyral-
dus in *Apol. pro ipso*, sed etiam Molinæus ad calcem Anat. Armin. & Johan-
nes Darcælius in *clavi mysterii præd. p. 2. cap. 3.* Nec æquum est gravi
ecclesia

ecclesias reformatas invidiâ ejus sententię cui repugnant publicę earum confessiones & formulę consensus, etsi tolerant eos quibus sublimior & abstrusior prædestinatio magis arridere videtur: eam autem sic tolerant in quibusdam viris eruditis, ut illam tamen nec probent nec adoptent in suam: Quod verò nonnulli cavillantur Synodum Dordracenam prædestinationis objectum descripsisse à *posteriori* cum fecit mentionem hominis in peccato jacentis, non à *priori*, quod debeat esse homo creabilis & ante lapsum consideratus, dilucius est quam multis debeat refutari: nam Synodus non aliam agnoscit prædestinationem ad vitam, quam quę proponitur Eph. 1, 4. 5. 6. Rom. 1x, 11. 12. 13. Act. XIII, 48. cujus objectum facit hominem peccatorem: Nec ea definitio quę, ut Synodica, desumitur à causis & objecto formali, proponitur à posteriori, sed à priori. Tum potuisset Synodus æquę à *posteriori* electionis objectum statuere homines credentes & perseverantes, juxta errorem Remonstrantium, quem expressè respuit in *reject. etc. §. 1.* Imo ἀφιλοσοφόν est statuere objectum alicujus decreti posse in illo considerari vel à priori vel à posteriori, ut huic effugio nullus hîc sit locus. Sunt alii qui dicant electionis quidem & reprobationis objectum statui à Synodo massam peccati, non tamen prædestinationis; Sed id meo quidem judicio est longè absurdissimum; cū enim electio & reprobatio proponantur à Theologis tanquam species prædestinationis ipsam immediatè dividentes, non video quâ specie probabilitatis negabitur esse prædestinationis objectum, quod statuitur esse in communi electionis & reprobationis. Institerunt quidem in Synodo Dordracena Zuyd-Hollandici, quos inter erat G. Voetius, ut nihil de objecto prædestinationis definiretur, hac freti ratione quod conciliari posset utraq; sententia supralapsariorum & sublapsariorum, (quam tamen conciliationem nec dum emiserunt quod sciam, nec possibilem unquam judicavit, vir in hac quæstione si ullus, emunctę naris à μακαρίης Gomarus;) sed prævaluerunt contra hanc instantiam aliorum Theologorum tam Provincialium quam Exterorum suffragia, quibus & ipsi Zuyd-Hollandici suâ subscriptione consenserunt, atque ita communi calculo definitum est hominem miserum & peccatorem, sive massam peccati esse objectum prædestinationis: Nec aliam fuisse

Augusti-

Augustini & totius Antiquitatis sententiam, ut hæc supralapsaria prædestinatio sua se novitate condemnet, facile esset pluribus demonstrare. Augustini verba sunt aurea cap. 107. *Enchir. ad Laur. Sic factus est est homo rectus ut & manere in ea rectitudine posset non sine adjutorio Divino, & suo fieri perversus arbitrio; Vtrumlibet horum eligeret Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo aut certe de illo; Proinde quia suam maluit facere quam Dei, de illo facta est Dei voluntas, qui ex eadem massa perditionis qua de illius stirpe profecit, facit aliud vas in honorem aliud in contumeliam; in honorem per misericordiam in contumeliam per judicium; ut nemo gloriatur in homine ac per hoc nec in se: Sic lib. 3. contra Iul. cap. 26. Bonus est Deus, justus est Deus; potest aliquis sine bonis meritis liberare quia bonus est, non potest quemquam sine malis meritis damnare quia justus est.* Plurima istius generis prostant Ep. 105. 106. 116. lib. 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 7. & alibi passim. Nec aliter posse statim si Scripturæ attendantur facilè constabit. Nam electi dicimur ex mundo Joh. xv. 19. quod de electione æterna lumendum esse patet ex com. 16. Sed maneret etiam vis argumenti si ad vocationem quæ fit in tempore restringeretur; Hæc enim cum sit primus exequendæ electionis nostræ gradus, necesse est nos in illa tales considerari, quales in hac deprehendimur. Et cum simus electi servandi & sanctificandi per Christum Eph. 1, 4. 5. debuimus obversari menti divinæ, non ut creabiles indefinitè, sed ut definitè miseri, perditæ & peccatores. Neque ex alia massa quam corrupta & peccati, ut Doctissimi Belgæ interpretes benè annotarunt, possent fieri vasa misericordiæ & iræ, illa ad decus & ad gloriam, hæc ad dedecus & interitum Rom. ix, 21. Sic tamen ut semper maneant scrupuli moti Paulo com. 14. & 19. cum ad summum Dei beneplacitum semper sit recurrendum si quaratur cur ex duobus æquè perditis hunc potiùs quam illum assumpserit, aut illum potiùs quam hunc præterierit: & pueri de quibus com. 11. sic nondum actualiter peccaverant, monentibus Belgis interpretibus Clarissimis, ut tamen jam tum essent concepti in peccato: quod valde stringit in hac causa: Nam tales homines obversati sunt decreto prædestinationis quales erant isti gemelli cum oraculum fuit editum de illorù prædestinatione, atqui in utero matris cum essent, erant in statu peccati: Et cui quæso nisi homini considerato jam ut existenti in peccato, de-

stinaretur salus & vita. Aut quí posset quod volunt isti, perditio præcedere salutem executione non intentione, quandoquidem necesse est salutis intentionem supponere perditionem & peccatum? Et quid magis alienum à sana Theologia quam fingere creationem hominis & ipsius lapsum esse media prædestinationis exequendæ, cum homo eligibilis per misericordiam & reprobabilis per justitiam nequeat esse, nisi lapsus & peccator? Multa sunt etiam incommoda quibus urgeatur illa sententia de homine creabili & indefinitè præscito, quem facile dixerim nec marem esse nec fœminam, nec fatuum nec sapientem, nec justum nec injustum, nec futurum nec non futurum, & planè similem illi Æliæ Læliæ Crispæ, de qua in ænigmate veteri. Imo hominem indefinitè præscitum concipere nemo potest absque contradictione; cum præscientia non sit possibilem sed futurorū, quæ adeo non indefinita, sed quia præsciuntur, prædefinita quoque sunt. Nequicquam vero pro sublimiori hac & inexplicabili opinione adfertur dictum Pauli de Pharaone Rom. ix, 17. cùm Pharaon ibi consideretur producendus ex sanguine immundo & in massa peccati. Deus Prov. xvi, 4. non fecit improbum quæ talem, ei improbitatem instillando ut eam postea puniret, sed quem propriâ culpâ improbum deprehendit, fecit sive ordinavit *eis, loud' to xp'ima*. Angelorum prædestinatio huc trahi non potest, quia aliter se illa habet quam hominum: nec enim Angeli obversati sunt prædestinationi divinæ in communi quodam statu, sed alii ut lapsi ultrò, alii ut stantes Dei gratiâ; Ad hæc Angeli non debuerunt considerari in statu lapsus, cùm non eligerentur servandi per Christum ut homines: Tum in Angelorum prædestinatione, reprobatio & abdicatio lapsum est prior ordine naturæ retentione stantium; secus vero se habet hominum prædestinatio, in qua electio liberandorum, est ordine naturæ prior præteritione aliorum. Est quidem homo creabilis per Dei potentiam, & sic non tam præscitus quam scitus per scientiam simplicis intelligentiæ quæ est possibilem, objectum decreti de homine creando quo illi esse destinabatur; sed hominem in esse suo imò & in malè esse præsupponit decretum electionis, quo illi destinatur reparatio & bene esse. Et licet finis *eventus*, quem rei usum bene dixeris, creationis & lapsus hominis fuerit justitiæ & miseri-

miseriçordiæ divinæ illustratio; tamen inde sic multifariam eluxit Dei gloria, ut hic non debeat cenferi finis proprius & directè intentus; cum decretum creationis & lapsus permittendi ad communem Dei providentiam, prædestinatio ad specialem pertineat. Quare non erit censendus hominem condidisse ejusque permisisse lapsum sine incerto, nisi creatio & lapsus fuerint media prædestinationis exequendæ; Nam sine certo conditus fuit homo, sive spectetur finis Operis, quo ille suâ culpâ excidit, sive spectetur finis Opificis, qui illum est certò affectus, πολυποικιλῶν sapientiam & bonitatem suam in tam egregio opere demonstrans: Permisit quoque lapsum hominis, ut in nobiliori hac Creatura, Creaturæ fragilitas & discrimen ejus à perfectione Creatoris magis eluceret. Finis decernendæ structuræ hujusce domus fuit magnificentiæ suæ ostentatio; ejus tamen decrevit permittere ruinam ut documentum esset Creaturis suæ vanitatis & fragilitatis; ac insuper decrevit ex lapsum domus ruderibus facere vasa ad decus & vasa ad dedecus. Denique hæc sententia sublimior, est inexplicabilis apud populum & ἰουδαίων apud adversarios veritatis; & fuit plurimis ex Remonstrantibus lapis offendiculi, ut nullo in argumento plausibilius triumpharint: Nam illa omnia dura sunt quibus dicatur Deus homines reprobasse antequam per peccatum essent reprobabiles, & necdum peccatores pœnam præteritionis divinæ incurrisse, nec ideo reprobatos & addictos pœnæ ad manifestationem justitiæ divinæ quod rei essent, sed ideo permisos fieri peccatores & reos ut justè punirentur; nec Deum electorum fuisse miserum quod essent miseri, sed permisisse miseros eos fieri ut misericordiam consequerentur. Verum nos aliàs si opus fuerit & Deus vitam largiatur, fusiùs hac de re sumus dicturi: Satis esto nunc declarasse Tirino communiorem nostrarum ecclesiarum sententiam de prædestinationis objecto non esse eam quam tribuit *Hereticis*, sed eam quam agnoscit esse etiam quorundam *Catholicorum*, & quæ revera Orthodoxa est & Catholica: Quin ex illo firmamento faciliè Pelagianismus Molinistarum in Papatu ac Socinianorum & Remonstrantium extra Papatum debellatur: Si enim electionis æternæ ad gloriam objectum est homo miser & peccator, uti universa docet Scriptura, non ergo facta est electio hæc ex ope-

rum, meritorum, fidei, ac perseverantiæ prævisione, uti tota hæc Pelagiana colluvies pertendit. Atque hæc fuit causa Curcellæo Remonstranti, conandi tanto impetu demonstrare quod supralapsariorum dogma communiter inter nos obtineat, quoniã sentiret sublapsariã prædeterminatione constitutã, & os obstrui calumniis ordinariis suorum, & prævisionem fidei corruere. Nam quod *cap. 11.* pertendit *nihilo saniorum esse sententiam qua Deo reprobanti hominem in Adamo lapsum obijcit, eã qua supra lapsum ascendit, cum nitatur solã rejectione peccati Originalis, quod est purè Pelagianum, commiseratione, quam refutatione dignius est: Nempe non faciliùs hypotheses suas tuentur isti homines, quam palam in Pelagii & Socini castra transeundo.*

Selegit pro suo solius arbitrio) Hanc electionem quorundam ex communi miseria juxta solum Dei beneplacitum, commendant inter cœtera hæc Scripturæ testimonia, quibus ipse Bellarminus eandem propugnat veritatem *lib. 2. de grat & lib. arb. cap. 10.* Luc. xii, 32. Ioh. xv, 16. Rom. ix, 11. 12. xi, 5. 6. Eph. i, 5. 6. 2 Tim. i, 9; Et cum hæc electio sit hominum in massa perditionis jacentium, nullaque prærogativã præ aliis præteritis gaudentium, cur hunc potius elegerit quam illum cum essent æquè reprobabiles, non alia ratio reddi potest, quam ipsius beneplacitum, cui obstrepere nemini fas sit *Matt. xi, 25. xx, 15. Rom. xi, 35. 36.*

Certum definitumque numerum) Esse penes Deum certum & definitum numerum, ut servandorum actu sic electorum ad salutem, qui nec augeri possit nec minui, tota docet Scriptura; Huc facit potissimum *Liber vita*; ita ut illi sint infallibiliter servandi quorum nomina in eo scripta sunt *Apoc. xiii, 8. xxi, 27.* Quæ scripta ibi sunt, scripta manent, longè immutabiliùs quam quæ Pilatus scripserat in titulum Crucis: & firmum stat Dei fundamentum hoc sigillo munitum, Novit Deus qui sui sint 2 Tim. ii, 19. Ioh. x, 27. Et miror qui potuerit viro Erudito Casparo Brochmanno *loco de præd. cap. 3. q. 5.* venire in mentem ut disputarit quasi contra nos, *Num à Deo definitus sit electorum numerus ut plures non potuerint eligi quam eliguntur?* Nec enim negamus potuisse Deum pro sua libertate plures adhuc eligere quam elegit de facto; sed tantum pertendimus eorum quos semel elegit, numerum ita cer-

ita certum & ratum esse ut nec imminui possit nunc nec augeri: nam neque alii possunt servari quam illi quos Deus elegit misericorditer ad salutem, neque potest fieri ut electi unquam gratiâ Dei penitus excidant & æternum pereant; quod ultimum ipse Brochmannus merito asseverat *ibid. quest. 11.* ex variis Scripturæ testimoniis, nominatione Rom. viii, 30. 35. 38. Joh. x, 27. 38. & Matt. xxiv, 24. adeo ut refutet ex professo Remonstrantes, qui illud eî *δυνατόν* de eo quod difficile quidem est non tamen absolutè impossibile conantur interpretari; Sed multa sunt alia in quibus Eruditiores Theologi Augustinæ Confessionis recedunt à nostris Remonstrantibus, etiam in controversiis quinquarticulatis, ut immeritò illi querantur se in Synodo Dordracena contra hos celebrata condemnatos fuisse.

Quas omnes & solas reliquis exclusis) Cum certus sit & definitus electorū ad vitam numerus eos omnes & solos servari ex Dei decreto tam necesse est, quam firmum stat Dei fundamentum, & per absurdum foret, ut Augustinus docet nos *Ench. ad Laur. cap. 103.* *aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri factumque non esse, qui sine ullis ambagibus, si in calo & in terra (sicut & veritas cantat) omnia quaecunque voluit fecit, profecto facere noluit quodcumque non fecit.* Et quis ferat novam hanc Jesuitarum doctrinam juxta quam, si Diis placet, aut non servabuntur omnes quos Deus servare decrevit, aut iis plures servabantur? Poterit scilicet Pontifex Romanus bullas suas sub annulo piscatoris cum hac clausula emittere, *non obstantibus quibuscunque hisce contrariis;* at Deus non poterit consequi quod decreverit, ita ut vel ipso invito vel nescio plures subeant cælos quibus non paraverit locum, vel eo dolente & nequicquam contranitente, multi ex iis quos elegerat ad salutem, excidant gloriâ cœlesti & pereant in æternum. Absit à pectoribus Christianis tam in signis blasphemia.

Nullo habito respectu ad ea) Jam supra monuimus quo sensu absolutam electionem statuamus: Quamvis in electione Deus non respiciat ad fidem & opera cœu conditiones antecedaneas ipsiusmet electionis & ex quibus suspendatur, (fluunt enim hæc ipsa ab electione gratiæ, Eph. i, 4. Rom. viii, 28. Act. xiii, 48. Joh. viii, 47.) attamen est & in electione divina suus respectus ad fidem & opera, tanquam media per

illud ipsum electionis decretum ordinata ad finem illum ad quem destinamur consequendum: nam qui destinat ad finem destinat etiam ad media; Quod utinam pensulatius, expenderent illi Theologi qui Augustanæ Confessioni se addictos profitentur; tum enim agnoscerent nos procul esse ab illo absoluto electionis decreto quod nobis tribuunt, nominatim Brochmannus *V. S. q. 2. & 3.* Unde etiam Grawerus Salanz Academiæ Theologus, in tractatu *de Satisfactione* contra Socinianos *pag. 8.* arripit occasionem ineptæ calumniæ, quasi dogma absolutæ prædestinationis causa fuerit Socino negandæ satisfactionis Christi; cum tamen Sociniani longè magis Grawero consentiant in hoc articulo de prædestinatione quam nobis, neque hanc nisi dubiam & conditionatam, ex prævisione fidei ac operum admittant. Ut autem suus adest respectus fidei & operum in electione nostra æterna, ceu mediorum per quæ salus ipsa ad quam eligimur nobis debet obtingere, sic etiam Christus ipse ingreditur electionis æternæ decretum, non ut illius causa meritoria, quod cum Remonstrantibus Brochmannus perperam statuit *V. S. q. 3.* sed ut fundamentum salutis nobis decretæ & caput omnium mediorum per quæ debeat obtineri: Hoc enim est quod dicit Paulus Eph. 1, 4. nos electos esse *in christo*, id est *in christo*, nempe servandos & liberandos ab ipso: Videatur & nostrum Systema *Loco 4. thes. 41. & 42.*

Non enim est personarum acceptor) Bellarminus jure pertendit *lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 3. & 13.* frustra hæc duo loca Act. x, 34. & Rom. 11, 11. proferri ad electionem Dei æternam, gratuitam & liberam convellendam; Nam cum *acceptio personarum*, inquit, *fit vitium justitiæ contrarium, non habet locum in gratia donis, qualis est prædestinatio.* Ipse Tiranus ad Act. x, 34. supponit eam est prosopolepsiam quâ habetur æternarum quarundam conditionum ratio, licet nihil faciant ad eausq̄ momentum; Nam explicaturus quomodo Deus non est acceptor personarum sic loquitur; *Nempe in distribuendis suis fidei & gratia donis, non respicit natales vel similes qualitates personarum, an videlicet ex Judæis orti sint, an ex Gentilibus, an circumcisi quis sit an præputiatus.* Sic ad Rom. 11, 11. *Non respicit Deus an Judæus quis sit an Gentilis, sive Tros sive Rutilus fuerit, utrumlibet peccantem aequè punit.* Et quomodo Deus accu-

ut accusaretur prosopolepsia in electione æterna, cum in ea neque natales, neque similes qualitates personarum attenderit, imo nec attendere potuerit, ut pote in qua omnes considerarentur in eadem demerſi corruptione & miseria, & eidem condemnationi obnoxii. Nec opus hic est disputare cum Alſtedio *Eucyclop. lib. 21. cap. 20.* num omnis prosopolepsia sit illicita; satis est eam à Deo removeri, quæ externas qualitates spectat, cujusmodi sunt opes, affinitates, nobilitas gentis &c. quas qui iudex attendit, neglectis causæ momentis, turpiter impingit, subministratque aliis occasionem dicendi cum Horatio, *Dat veniam cornis vexat censura columbas.* Addo quod habet Cornelius à Lapide ad Rom. 11, 11. n. 100. *Hac acceptio personarum, inquit, vel ut Hebraice est קַבְּלָהּ panim, vel ut Syrus vertit קַבְּלָהּ appe, id est facierum, vitium est contra iustitiam distributivam, quo iudex vel distributor bonorum vel onerum communium respicit ad qualitatem persona vel faciei, v.g. quod sit amicus, gratus, speciosus, dives & nobilis &c. ideoque plus distribuit diviti quam pauperi, amico quam inimico, placenti quam displicenti. Non ergo acceptio personarum locum habet in his que indebita & merè gratuita sunt; ut si dives det elemosinam pauperi amico non autem inimico, non est acceptio persona. Quod si dicat aliquis, eum qui non est προσωποληψία sola attendere merita cujusque, ergo & Deum hoc facere in electione & reprobatione hominum, is toto cælo errabit, supponendo quod est in quæstione, videlicet in hominibus eligendis aut reprobandis dari quædam meritum discrimina quæ Deus possit attendere; cum omnes sint æquè gloriâ Dei & omni bono merito destituti; Quinetiam Cornelio à Lapide *ibid.* fateñte, negatur in Deo acceptio personarum quatenus ea opponitur liberali indifferentia Dei erga omnes homines; q. d. Deus non respicit personam; non curat an Iudæus sit an Græcus, an dives an pauper, sed indifferenter suas gratias suasque dona distribuit, tam Gentibus quam Iudæis, tam pauperibus quam divitibus; Indifferenter quidem & citra respectum conditionis externæ, non tamen universaliter.*

Sed quantum ex se est Quod si Deus conditionaliter decrevisset omnes servare, tum contraria forent in Deo decreta, absolutum de paucis servandis, conditionatum de omnibus: Et decreta conditionata chimæra sunt Jesuitarum, ut Becani *cap. 11. de Deo q. 1.* Socinianorum, ut Crellii

Crellii *lib. præfixo Volkelio de relig. cap. 32.* Arminianorum passim, ad quos nolim tam propè accessisse Cl. Crocium *Dyodec. diff. 8. n. 25, & seqq.* Si enim decretum quod conditionatum fingitur pendet ex conditione futura, tunc absolutum dici debet, idest rei certò eventuræ; Si ex conditione nunquam futura, neque decretum erit, cum decreta divina sint de rebus futuris & eventuris. Adhæc si daretur decretum conditionatum de omnibus servandis si crediderint & perseverarint, sive ut loquitur Tirinus, *positâ conditione quod in fine vitæ suæ reperiantur in statu gratiæ*, deberet viceversa dari serium ac sincerum decretum de omnibus damnandis, *positâ conditione quod in fine suæ vitæ reperiantur in statu peccati*; Hoc vero si statueretur, nullum esset philanthropiæ divinæ privilegium quod hic tantopere deprædicat. Et cum etiam secundum Jurisconsultos conditio impossibilis pro negativa & nulla habeatur, non potest hoc decretum universale suspendi ex conditione, qualis hæc est, planè impossibili; Imò cum non sit possibile ut omnes & singuli mortalium in fine vitæ suæ reperiantur in statu gratiæ, dicere Deum velle dare salutem omnibus sub conditione hac, esset dicere Deum decrevisse non omnibus dare salutem, ut Mævius decrevit filiam suam non dare Titio, cum dicit *Filiam meam tibi dabo si cœlum digito tetigeris.* Hanc conditionem statuo non esse possibilem, tam ex parte Dei quam ex parte rei: Ex parte Dei; quia Deus decrevit quibusdam tantum non omnibus dare media efficacia ad fidem & perseverantiam; nec enim fides est omnium 2. Th. 111, 2. sed electorum Dei Tit. 1, 1. quò spectant varia loca Scripturæ ac nominatim Act. x111, 48. Matt. x1, 25. 26. x111, 11. Neque possibile est fieri aut evenire in sensu composito contrarium ejus quod Deus decrevit. Ex parte rei; quia non est possibile ut homo credat, resurgat à peccato, perseveret in gratia, in statu gratiæ moriatur, nisi Deo hoc efficiente; nec est enim volentis aut currentis sed miserentis Dei Rom. 1x, 16. qui debet operari in nobis & velle & perficere Phil. 11, 13. Quod si Deus decrevisset omnes servare, sub tali conditione quæ ex speciali suâ gratiâ debet effici, & tamen conditionem in omnibus se non effecturû certò decrevisset, nonne illud prius frustra & sibi contradictoriè decrevisset? Sed demus saltem in sensu diviso non esse penitus impossibilem hanc conditionem, dicam iterum hoc

rum hoc decretum univcrsale perperam factum fingi sub hac conditione ceu possibili, non futura; quia omne Dei decretum est de rebus non simpliciter possibilibus sed revera futuris: Imò cum certò sit futurum quicquid Deus decrevit Ef. XLVI, 10. Rom. IX, 19. id à Deo decretum dici nequit, non solum quod non est certò futurum, sed quod ampliùs revera & certissimè nunquam futurum est: Sumamus exemplum infantiam absque baptismo decedentium, non solum inter Christianos, sed etiam inter Ethnicos: Hos Pontificii subjiciunt pœnæ æternæ si non sensus saltem damni; Qui verò potuerint electi fuisse ad salutem sub hac conditione, quod in fine vitæ suæ reperiantur in statu gratiæ, cum certò præsciverit Deus in statu peccati illos morituros, & citra suam personalem actualem & specialem culpam gratiâ destituti maneant? Adhęc ista conditio gratiæ & perseverantiæ finalis in illâ, deberet in hominum manu & arbitrio sita esse; Sed tunc homo esset qui seipsum discerneret contra testimonium Pauli I. Cor. IV, 7. & falsum esset axioma apud omnes Pontificios receptum, agnoscente Becano *cap. 14. de Deo q. 4. §. 50. & 52.* etsi illud perperam in crustare conetur, nempe perseverantiam esse *donum Dei quod non cadit sub meritum.* Præterea tale fingitur hoc decretum conditionatum ut revera decretum non sit: Nam juxta Becanum, hoc decretum nihil aliud formaliter includit quam affectum simplicis complacentiæ qui hoc modo explicatur, *placet mihi salus omnium hominum*; Atqui talis affectus meram sonat velleitatem: adeoque decretum esse nequit, quod, sinitore Crelhio, est *sententia à voluntate firmiter conclusa.* Seriò quidem & sincerè Deus omnibus mandat & præcipit quod est sui officii, idque sub dulcissimis promissionibus & gravissimis poenis: Sed tamen non decrevit dare omnibus gratiam indebitam & eos ad officii sui præstationem sic dirigere; Tunc enim omnes de facto servarentur. Et jam diu explosa sunt Huberi & Puccii portentosa dogmata de electione univertali, quæ etiam refutat Brochmannus Augustanæ Confessionis Theologus *Loco de Prædestinatione cap. 3. 9. 10.* an satis convenienter suæ & suorum hypothesi de fide prævisâ, viderit ipse. Agnosco quod nemo de facto sit glorificandus nisi *postâ hac conditione quod in fine vitæ suæ reperiat in statu gratiæ: Ut enim Romæ non patebat aditus ad Honocis sacrarium nisi per Virtutis*

tutis templum ei contiguè exstructum à Marcello, ita non patet aditus ad gloriam nisi per gratiã; & de quolibet glorificando dici potest quod illi decreta sit gloria æterna ex hac conditione obtinenda: Verum non ex eã conditione pendet antecedenter electio ad gloriam ex quã pendet consequenter actualis glorificatio: Nam illa conditio se habet antecedenter ad glorificationem, sed consequenter ad electionem; cum qui sunt electi Dei decreto ad gloriam, electi quoque sint ad illam conditionem fidei & perseverantiæ sine quã gloria obtineri non posset.

1. *Tim. 11, 4. Deus vult*) Etsi gratiæ universalis patroni suum Achillem faciant ex hoc loco, revera tamen nihil in eo esse præsidii pro ipsis facile constabit si accuratiùs expendatur. Becanus q. 4. §. 12. cap. 14. de Deo, hoc statuit intelligendum *de voluntate conditionata & inefficaci*. Tirinus *ibi de seriã ac sincera voluntate atque etiam efficaci ex parte Dei*. Utri credemus? An Tirino efficacem hic Dei voluntatem de salute omnium comminiscenti; an Becano eam inefficacem statuenti, argumento hoc firmissimo, quod si efficax hæc esset voluntas, omnes de facto servarentur? Nec valet emplastrum Tirinianum, quod sit efficax ex parte Dei; quia media ad eam obtinendam necessaria quantum in se est omnibus subministrat, non tamen absolutè *sed ex hypothesi, si etiam ipsismet homines velint salvari, & qua ab ipsis requiruntur prestare*. Nam hic multipliciter erratur: Falsum enim est velle Deum omnium hominum salutem si velint ipsi servari; quia tunc suspenderetur Dei voluntas ex hominum arbitrio: nec fieret de hominibus quod Deus vult, sed è contrario Deus teneretur velle & facere de hominibus quod ipsismet luberet. Falsum est item ex parte Dei omnibus subministrari omnia media necessaria ad salutem: Non adferam Tyriorum & Sidoniorum exemplum Matt. xi, 21. quibus ex hypothesi Jesuitarum denegata sunt ea media salutis quæ tamen Deus per scientiam mediam prævidebat efficacia futura fuisse ad eorum conversionem si adhiberentur; Non quod sub V. T. solis Israëlitis statuta sua manifestarit, neque sic fecit aliis nationibus Ps. cXLV 11, 19. 20. Non quod tamdiu sivit omnes alias nationes in propriis suis viis ambulare Act. xiv, 16. Non quod Paulo prohibitum fuit sermonem Asiaticis annunciare aut in Bithyniam, uti tentabat, proficisci Act. xvii, 6. 7. Sufficiat quod ex adversariorum confessione

confessione necessarium requisitum ad salutem sit gratia præveniens, excitans & efficax, quam omnibus, singulis & semper præstò esse nemo sanus dixerit. Falsum est dari voluntatem Dei efficacem, ex hypothese habiã & incertâ, & de qua verum sit quod effectum suum ut plurimum non consequatur. Si spectemus ea quæ tradit Becanus *cap. 11. de Deo. l. 9. 11. & 12.* de voluntate Dei efficaci & inefficaci, illa esse *arbitraria* cum hoc Tirini dogmate deprehendemus. E nostris Maccovinus in *Collegio de Prædest. disp. 8.* multis probat nullam Dei voluntatem esse inefficacem; quod verum est si sola voluntas decernens intelligatur; falsum verò si ad præcipientem extendatur: Et qui priores hanc distinctionem sunt commenti, ut constat ex Becano V. S. & Crocio *tyol. disp. 8. n. 66. & seqq.* eam colligere voluerunt ex Augustino *Enchirid. ad Laurent. cap. 100.* nec processerunt ultra Dei decreta ab una parte, quibus continetur voluntas Dei *invicta & omnipotentissima* ut eam vocat Augustinus, & ejus mandata ab altera, quæ eam Dei voluntatem exprimant quæ sæpè violatur. Citat equidem Tirinus in suam sententiam ad locum qui est præ manibus Ambrosium, Chrysoctomum, Oecumenium & Augustinum. Sed imponit lectoribus: Ambrosius quidem in *Epistolas*, sive potius Ambrosiaster, uti non rarò dicitur Jansenio, & qui eodem & Bellarmino testibus vel Pelagius ipse fuit vel aliquis Pelagii discipulus, hæc absimilia habet quæ Tirinus profert; Sed Chrysoctomo & Oecumenio qui ex illo, fit injuria, dum illi hæresiarchæ Ambrosii nomen mentienti cunjuguntur. Sanè Chrysoctomi verba nihil tale sonant, sed tantum vult ut pro omnibus sensu Apostolico precemur, in eo Deum imitati qui omnes vult salvos fieri: Imò certissimè Chrysoctomum hîc intelligere tantum genera singulorum, indè liquet quod hinc colligat & pro *gentibus* orandum & pro *hereticis*; ut nulla sit conditio quæ à nostris precibus excludatur. Augustinus verò *Enchir. cap. 103.* varias quidem proponit istius dicti Paulini interpretationes, sed tamen disertè refutat eam explicationem quam Tirinus adoptavit. Perindè ipsi est quomodo ea sententia intelligatur, sive quod nullus homo fiat *salvus nisi quem salvum fieri ipse voluerit*, prout in *Evangelio scriptum est, Qui illuminat omnem hominem, non quia nullus est hominum qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso*

nullus illuminatur; sive potius quod per omnes homines intelligatur omne genus hominum per quasunque differentias distributum, prout & Pharisei decimabant mentam, rutham & omne olus, id est omne olerum genus; Neque enim Pharisei quacunque aliena & omnium per omnes terras alieni genarum omnia olera decimabant. Satis erat illi interpretationem Tirinianam vitasse, nec cogi credere aliquid Deum omnipotentem voluisse fieri factumque non esse, qui si sine ullis ambagibus & in caelo & in terra (sicut & veritas cantat) omnia quacunque voluit fecit, profecto facere noluit quodcunque non fecit. Citat quidem Tirinus Augustinum de Spiritu & litt. cap. 33. sed perperam, cum Augustinus ibi partim loquatur ex errantium sententiâ, ut accuratè ostensum à Janzenio lib. 2. de gr. Christ. Sal. cap. 30. partim ostendat fuisse voluntatem Dei semper invictam esse, ita ut infideles quidem contra voluntatem Dei faciant cum ejus Evangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincant, verum se ipsos fraudent magno & summo bono: profus ex suis principiis Enchir. cap. 100. ut non fiat prater Dei voluntatem quod etiam fit contra ejus voluntatem. Vera itaque loci objecti solutio est, quod & antecedentia disertè ostendunt, Paulum non esse intelligendum de singulis generum sed de generibus singulorum, prout illud Syncategorema sæpè sumitur in Scripturis; Sic enim Christus sanabat omnem morbum, sic omne animal erat in arca Noë: Videatur de hoc loco & Augustini sententia Didacus Alvarez lib. 5. de Aux. diff. 33. per totam; item Janenius lib. 3. de Gratia Christi Salvat. cap. 20.

Hinc omnibus indifferenter) Indifferenter omnibus post parietem intergerinum inter Iudæos & Gentiles dirutum, debet annunciari Evangelium; sed tamen neque id obtinebat ante tempora Christi, quando foedus Dei ad Iudaicam gentem coarctabatur, & cum Christus ipse discipulis suis prohibebat ne in Samaritanorum urbes ingrederentur Matt. x, 5. neque ex indifferenti promulgatione Evangelij universalis omnium & singulorum sufficiens vocatio ad gratiam & salutem colligenda est. Deindè etsi per modum præmij vita æterna quæ est in Christo proponeretur omnibus sub fidei & respicientiæ conditione (cū tamen multi sint ad quos Evangelij sonus non pervenit, aut saltem, prout etiam Franciscus à Victoria relect. 5. prop. 5. de Indis suo tempore putabat, non satis sufficienter ut teneantur credere sub novo peccato;

nam

nam miracula, inquebat, & signa nulla audio, nec exempla vita aded religiosa, imò contra multa scandala & multas impietates;) inde non sequeretur quibusdam tantum ex Dei decreto irrevocabili & peremptorio, vitam æternam non esse destinam per modum finis consequendi, fide & respicientiã ceu medijs ab eodem Numine eum in usum certissimè destinatis. Mandata Dei latiùs patent ipsius beneficijs; & plures sunt quibus mandat quod sui est officij etiam sub præmijs & pœnis, quod his anis capi soleat mens humana, quam quibus destinet sua beneficia: Et quamvis omnes vocaret, quod falsum est, non tamen omnes idè saltem conditionaliter electi essent censendi; cum teste Christo multi sint vocati pauci electi Matt: xx, 16.

Mat. xi, 28. Venite) Non omnes & singuli hîc vocantur ad Christum, sed demum *οἱ κενώτες καὶ μεφορτισμένοι*, qui sub peccati onere *fatigati & ad libertatem aspirant*, inquit ibi Grotius; prout sitientes Dominus invitatur ad se Ioh. vi 11, 37. & sitientibus ac esurientibus justitiam, satietatem promittit Matt. v. 5. Atqui illam justitiam sitire, illud omni sentire, sub hoc pondere fatiscere, eorum demum est quibus ex Dei beneficio speciali datum fuerit; cùm aliàs apud plerosque oneris hujus gravitas non sentiatur, prout Physici docent elementa in locis proprijs non gravitare. Hinc Rabbini dicunt peccatum esse instar festucæ levissimæ improbis, sed pijs instar montis gravissimi.

Cap. vii, 21. De omnibus) Non *de omnibus* dicit Christus hoc loco ut rogatur Tirinus, Qui facit voluntatem Patris mei intrabit in regnum cœlorum; sed tantum de quolibet Deo Patri fideliter obsequente affirmat quod maneat ipsum æterna gloria: Dei verò voluntatem facere, eorum solùm est quibus ex æterna Dei electione & singulari gratia conceditur. Et quâ fronte Jesuita hunc locum adfert pro universali gratia, cum disertè ibi Christus dicat, Non omnem eum ingressurum in regnum cœlorum qui sibi dixerit Domine, Domine, sed eum solum qui voluntatem Patris sui peregerit?

Cap. xiiii, 12. Omnis quis se) Hîc ita omni se humilianti indiscriminam exaltatio promittitur, ut ad solos se humiliantes, non ad alios hæc promissio pertineat. Illi verò soli se humiliant, quibus ecclitùs datur, cum omnes naturã superbiant & sint animalia gloriæ.

Et cur alioqui docet omnes) Nihil ineptius hoc loco; Tum quia ex hæc formula precari non omnibus datum, sed ijs demum qui Deum Patrem suum possunt compellare per spiritum adoptionis de quo Rom: VIII, 15. Is verò solis illis conceditur quos Deus prædestinavit sibi adoptandos per Iesum Christum Eph: 1, 5. Tum quia petere ut veniat Dei regnum non est omnium & singulorum conversione & salutem exoptare, sed tantum ut fratrum nostrorum & electorum Dei numerus compleatur & tandem glorificentur electi, reprobi verò in æternum puniantur, uti fiet in consummatione sæculi.

Cur Es. v, 4. queritur) Hæc querela justa est, quia debuisset ista vinea tot beneficijs exulta fructum proferre obedientiæ & gratitudinis; Interea noto primò hanc querelam non tam esse Dei quam Prophetæ nomine ipsius, uti versus primus indicat; Secundò, illam expectationem cui eventus non successerit, non nisi ἀρδραροπναδῶν; tribui Deo; ut illud ipsius expectare utas nihil sit aliud quam præcipere & edicere vineæ suæ ut fructum edat: aliquid enim Deo accidere præter suam expectationem, nemo sibi persuadebit qui ejus omniscientiam & omnipotentiam confitebitur; Tertio, in hac parabolâ non alia tribui Deo quam quæ sunt boni vel agricolæ vel patris-familias, ut perpèram illa verba, Quid amplius faciendum erat vineæ meæ, trahantur ad gratiam sufficientem, cujus efficacia ex libero hominum arbitrio pependit: Satis esto quod ea beneficia à Domino Israelitæ erant consequuti quibus sufficienter sui officij præstandi admonerentur, ut in eo genere externæ curæ & externarum benedictionum nihil amplius desiderari possent, & per consequens propter neglectum officium & animi ingrati vitium inexcusabiles redderentur.

Cur succenset non venientibus) Meritò, quia venire detrectant & nolunt suo defungi officio: Nec colligas potuisse ergo velle quia nolunt: Nam ad eorum condemnationem non attenditur quid potuerint in statu illo naturæ lapsæ, sed quid debuerint, & quod id noluerint ultrò & suâ sponte. Quod enim nobis obijcitur à Curcellæo & alijs ex l. 3. ff. de reg. juris. *Ejus est nolle qui potest velle*, est alienum; quia non debent pari loco haberi res poli & res soli, nec eadem nobis per omnia libertas & facultas in illis ac in his competit. Deindè etsi illius sit
dissensu

diffensu suo contractum quemlibet impedire, cujus consensus ad eum firmandum requirebatur, frustra quis argumentaretur ab hominum jure in contractibus civilibus qui ad se spectarent vel firmandis vel infirmandis, prout eos aut noluerint aut voluerint, ad illorū vires & potentiam naturalem in negotio salutis, ut quia pertinaciter & ultrò nolunt obedire, pertendat quod in eorum arbitrio & potestate sit velle obedire, nec Dei sit in ūngulis operari & velle & perficere: Adhæc illa regula juris juxta Codices emendatiores longè aliter habet, nempe *Ejus est non nolle cujus est velle*: Non nolle verò juxta Gothofredum, est tacitè aliquid approbare, ut velle pertinet ad apertum mandatum aut expressum consensum: ut non nolle sit quasi mèdium inter nolle & velle. Præterea non ex Ulpiano aut Paulo Icto, sed ex Paulo Apostolo quid sit virium humanarum in rebus ad salutem addiscere debemus. Porrò hæc parabola nuptiarum perperam ad vocationem universalem adstruendam profertur, quandoquidem ipso Tirino interprete, ad *Matt. xxii, 2. primi illi invitati sunt Iudei, per Prophetas, per Iohannem Baptistam, per Sponsum ipsum; Quamdiu autem ibatur ad hos, alii relinquebantur.*

Ut quid jubet Apostolus) Hoc mandatum est intelligendum de omnibus generibus singulorum, ut nullum hominum genus, nullam conditionem excludamus à nostris precibus, non verò de singulis generum ut antea ad locum *1. Tim. ii, 4.* ostendimus: Adhæc hîc posset Tirino reponi axioma Bellarmini *lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 4. Sive detur sufficiens auxilium omnibus, sive tantum aliquibus, nos tamen de nullius salute donec in hac vitâ fuerit desperare debemus, neque ab ullo subtrahere correptionem, exhortationem & alia charitatis exercitia.* Sanè cum noverit solus Deus qui sui sint, nos verò nesciamus qui sui non sint, eo ipso quod nullos possumus à precibus nostris excludere, pro omnibus eas concipere debemus, juxta illud Augustini *de corr. & grat. cap. 15. Nescientes quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu ut omnes velimus salvos fieri.*

Et quo modo aliqui Christus) Ita coherent istæ quæstiones, ut universalitas gratiæ ex universalitate meriti Christi à suis patronis videatur certissimè accessenda: Eximij quidam Theologi in Gallia post Celeberr.

berr. Cameronem & ferè omnes ex illius disciplinâ, ut & Clariss. Bergius & Crocius apud Bremenses, omninò pertendunt Christum universaliter mortuum esse pro omnibus, & prædestinationis decretum in signo rationis faciunt posterius decreto de omnium redemptione per Christum, atque primum gradum gratiæ discriminantis in fidei donatione collocant. Quantum subsit & difficultatis & periculi in ea sententia, ab aliis fusè est ostensum, ac non ita pridem nominatim à Clariss. Spanhemio, qui tribus Voluminibus *Exercit. de gratia Vniversali*, alijs præripuit quod ultra ferè dicere possint. Sanè ex illâ novâ vel hypothesi vel methodo, satis palam contraria decisioni Synodi Dordracenæ, restitui postliminiò Arminianismum ac Pelagianismum, & electionem ex fide prævisâ, & sufficientis gratiæ subjectivæ communicationem omnibus ad credendum si voluerint, nemo non videt; Sic etiam objectum electionis & reprobationis æternæ statuitur homo non miser & peccator & Deo exosus, sed homo jam Deo gratus & reconciliatus per Christum, cujus per consequens labores & merita frustra cadunt & abeunt in fumum pro reprobis, etsi non minus ad illos quam ad electos pertinuerint: Videtur Viros istos eruditissimos in hanc sententiam induxisse, jactatio τῶν ἐξ ἰσχυρίας, novam hanc esse opinionem & veteri Ecclesiæ incognitam ac Scripturæ contrariam, Christum pro solis Electis esse mortuum; Hoc Hugo Grotius in *disquisit. de dogm. Pelag.* vehementer urget, ut probet discrimen magnum esse inter nova dogmata Reformatorum & vetera primitivæ Ecclesiæ: Sed rem propiùs attendentibus constabit efficaciam & destinationem mortis Christi veteres (qualiscunque sit ejus sufficientia & valor internus) ad solos electos ex sui & Patris consilio restrinxisse; Id patet vel ex ipsa Synodo Arelatensi circa annum 490. in qua anathema dicitur illi qui dixerit quod *Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit*: Etenim anathematismi illi Arelatenses ut & articuli recantationis factæ à Lucido presbytero ex Arelatensium decreto, fuerunt concinnati à Fausto Rhegiensi plusquam Semipelagiano homine, cujus libri hac de causâ à Gelasio Pontifice Romano inter Apocryphos sunt rejecti, & tum ab Avito Viennensi tum à Fulgentio oppugnati, ut agnoscit Jesuita Sirmundus in *præfatiuncula* huic Arelatensi Synodo præfixâ

præfixâ tom. 1. Conc. Gallie. p. 148. Idem *ibidem* statuit hanc Synodum coactam fuisse ad condemnandos errores Prædestinatorum vel Prædestinatorum, quorum è numero & secta fuerat ille Presbyter Lucidus, quem Faustus ibi ad palinodiam adegit. At cum Faustus fuerit plerumque Semipelagianus, quod ejus scripta etiamnum ostendunt, & Prædestinati in hac Synodo damnati revera fuerint genuini & Catholici Augustini discipuli, ut ostensum à Jansenio Episcopo *lib. 8. de her. Pelag. cap. 23.* & Avurzo Sorbonista in *Censura Prædestinati Sirmondiani cap. 3.* ne alios nominem communionis nostræ qui idem demonstrant, quis in illo Semipelagianorum Anathematismo Catholicæ sententiæ condemnationem contineri negabit? Id enim collegisse Semipelagianos ex Augustini doctrina & scriptis inculcasse ut huic populari invidiæ veritatem objicerent, constat tum ex ipso et Augustino *art. sui falsè imp. art. 1. tum ex cap. 9. resp. ad Gall. & Obj. 1. Vinc. apud Prosperum: Patet idem in causa Godeschalci, qui cum Moguntia à Rabano, anno 848. præjudicio hæreseôs gravatus, ab Hincmaro Rhemeni in Concilio apud Carisiacum eodem anno celebrato, condemnatus fuisset, quatuor capitulis contra ipsius imaginariam hæresim constitutis hoc fuit annumeratum quod Christus pro omnibus passus sit: Quamvis autem dicat Baronius *ad annum 848. n. 3.* ubique Godeschalcum fuisse damnatum, tamen Hincmarus acerrimus illius hostis, apud Flodoardum *Hist. Eccl. Rhem. scriptorem lib. 3. cap. 12.* queritur ad Nicolaum Papam, quod paulò post ipse citatus fuerit ad Concilium Metense ut responderet de Godeschalci condemnatione, quæ per consequens multis displicebat; Quin indidem colligitur nec ipsi Episcopo Romano Nicolao eam placuisse, qui per Lindonem curaverat de illâ agi cum Hincmaro suo nomine. Imò Godeschalci causam non solum cum sua Ecclesia suscepit Remigius Archiepiscopus Lugdunensis, in libro *de tenenda Scriptura veritate*, sed etiam Concilium Valentinum tertium, cujus *Canonis 4.* capitula quatuor quæ ab Hincmaro contra Godeschalcum composita Synodus apud Carisiacum susceperat, explosa sunt; quin & refutata Lugdunensis Ecclesiæ nomine in prædicto libello ut etiam agnoscit Sirmondus Jesuita *in notis ad tom. 3. Concil. Gallie pag. 681.* Illius verò *Canonis 4.* verba sunt apprimè notanda;*

Item de redemptione sanguinis Christi propter nimium errorem qui de hac causa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis qui à mundi exordio usque ad passionem Domini in suâ impietate mortui aeternâ damnatione puniti sunt, effusum eum desinant, contra illud Propheticum *Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus Inferne*, illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet juxta Evangelicam & Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus de quibus ipse Dominus noster dixit, *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis ut omnis qui credit in ipso non pereat sed habeat vitam aeternam: & Apostolus, Christus, inquit, semel oblatu* est ad multorum exhaurienda peccata; Porro Capitula quatuor, quæ à Concilio fratrum nostrorum minus prospectè suscepta sunt, propter inutilitatem vel etiam noxietatem & errorem contrarium veritati, sed & alia XIX. Syllogismis ineptissimè conclusa, (à Johanne Friugena vel Erigena Soto, qui de unica prædestinatione librum capitum 19. ad Hincmarum & Pardulum Episcopos conscripsit, ut notat Sirmondus V. S.) & licet jactetur, nulla seculari literaturâ nitentia, in quibus commentum diaboli potius quam argumentum aliquod fidei deprehenditur, à pio auditu fidelium penitus explodimus, & ut talia & similia caveantur per omnia auctoritate Spiritus Sancti interdiciamus. Atque hic Canon Concilii Valentini relectus fuit & confirmatus, fremente licet Hincmaro, tum in Synodo Lingonensi, tum in Synodo apud Saponarias in territorio Tullensi anno 859. celebratis, uti patet ex illius *Can. 4. & hujus Can. 10. tomo 3. Conc. Gall. p. 140. & 153.* Ut autem Tirinus hoc loco Pelagianorum & Semipelagianorum vestigia premit, sic arma mutuatur eorum, qui, ut observatum à Jansenio *lib. 3. de Grat. Salyat. cap. 20.* tanquam firmissimam basim errori suo collocarunt ista Scriptura loca quibus Deus dicitur omnes velle salvos fieri & esse redemptor omnium: Sed haud difficile erit ad loca hinc Tirino citata respondere. 1. Ioh. 11, 2. Christus dicitur propitiatio pro peccatis non nostris tantum sed etiam totius mundi, Tum quia mors ejus sufficientis est valoris & pretij pro totius mundi redemptione, licet in solis electis efficax, ut dicit Augustinus *ad art. sibi falso imp. art. 1.* *Quod ad magnitudinem & potentiam pretij & quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi; sed qui hoc seculum sine fide Christi & sine regenerationis Sacramento pertranseunt, redemptionis*

tionis alieni sunt; Cum itaque propter unam omnium naturam & unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam rectè omnes dicuntur redempti, & tamen non omnes à captivitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est de quibus princeps mundi missus est foras & jam non vasa diaboli sed membra sunt Christi; & paullo post, Poculum immortalitatis quod consecutum est de impiiitate nostra & veritate divina, habet quidem in se ut omnibus proficit, sed si non bibitur non medetur, sive, ut alij Codices habent, non proficit: Tum quia totius mundi nomine Iohannes non intelligit omnes & singulos incolas mundi, sed Augustino interprete tract. 5. in epist. Ioh. omnes fideles per orbem sparfos: quasi dixisset Apostolus, interprete Janfenio, non pro nostris tantum quibus istam epistolam scribo, sed pro universo populo fidelium seu Ecclesia toto mundo dispersa; vel quod in idem redit, non pro nostris tantum Iudeorum, sed etiam Gentilium ex quibus una constituitur toto mundo Ecclesia. Ita Augustinus tract. 87. in Ioh. hunc locum ijs annumerat in quibus totius mundi nomine universa Ecclesia intelligitur, ut & alium Pauli 2 Cor. v, 19. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Cyrillus Alexandrinus similiter lib. 11. in Ioh. cap. 19. idem statuit, nempe Iohannem quoniam erat Iudæus, ne pro Iudæis tantum paraclæus esse Dominus quod Patrem videretur, non autem etiam pro alijs gentibus qua vocata obsecrate sunt, necessariè pro toto mundo adjecisse, id est pro omnibus qui per fidem vocati ad iustitiam & sanctificationem perveniunt. Dominus autem noster Iesus Christus suos à non suis separans (inquit Cyrillus) Pro eis, inquit, tantummodo qui verba mea servant & jugum meum acceperunt, rogo; Nam quorum Mediator atque Pontifex est, ipsi tantum modo Mediationis bonum non injurià attribuit, quos etiam datos sibi faceret & Patris esse non negat, cum ad Patrem nullus accedere queat nisi per Filium, Nemo inquit venit ad Patrem nisi per me; ita & suo Filio & sibi ipsi Pater fideles acqui sivit. Quod certè intelligens sacrarum litterarum ille peritissimus inquit, Quia Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians; Recipiens enim Christus ut Mediator omnes qui per fidem ad eum concurrunt & per seipsum Patri offerens, Deo mundum reconciliavit. Aded procul fuère & Cyrillus & Augustinus, totius mundi nomine solos fideles toto orbe dispersos intelligendo, ab ineptâ Tirini glossâ ad eum Iohannis locum, Christum satisfecisse non pro nostris tantum peccatis, qui sumus Christiani, sed pro peccatis infidelium totius mundi. 1 Tim. 11, 6. dicitur Christus se

dedisse redemptionem pro omnibus, eo planè sensu quo dicitur *ibidem* Deum velle ut omnes serventur, syncategoremate hoc usurpato non de singulis generum, sed de generibus singulorum, prout Christus nos redemisse dicitur ex omni tribu & linguâ & populo & natione Apoc. v, 9. Quoad tertium locum ex 2 Cor. v, 14. citatum Tirino, de isto diximus *Cont. xi, n. 5. pag. 501. primi tomi*. Sanè si illi omnes pro quibus unus est mortuus, in ipso ceu vade & expromissore suo mortui & crucifixi censentur, hoc non potest referri ad mortalium singulos; quandoquidem singulos in Christo mortuos & crucifixos nemo dixerit, sed eos tantum qui non amplius sibi vivunt sed ei qui mortuus est pro omnibus, ut habet Apostolus *ibidem* com. 15. quique verba Pauli aurea, quæ solorum sunt fidelium, possunt usurpare Gal. 11, 20. Etenim non est mens Pauli, ut putat Tirinus, colligere omnes mortuos esse in peccato, eo quod Christus mortuus sit pro omnibus, cum potius inverso ordine colligendum fuisset ex eo quod omnes sint mortui in peccato debuisse Christum mori pro omnibus, sed tantum hoc sibi vult Apostolus, Omnes Christo commortuos & consepultos esse, ut docet Rom. vi, 4. 5. quia ipse mortem oppetit nomine & loco omnium, nempe suorum electorum & fidelium; prout pastor iste bonus animam suam posuit pro suis ovibus Ioh. x, 11. estque Servator corporis sui Eph. v, 23. Juxta Theophylactum illi omnes pro quibus Christus mortuus est, sunt quos ipse *viuificavit* & quibus dedit *arbitrionem incorruptibilitatis*. Ipse Emanuel Sà, illud *mortui sunt*, interpretatur mortuos peccato: . Thomas quoque ad eundem locum putat *magis literaliter* illud, Ergo mortui sunt omnes, significare, *ita debet quilibet reputare ac si mortuus esset sibi ipsi*. Ac revera ut omnes qui erant in Adamo priori per naturam in ipso moriuntur, sic in Christo vivificantur, omnes qui sunt in illo per electionem & gratiam; Nam & Tirinus *ad 1. Cor. xv, 22.* illud syncategorema *Omnes*, restringit ad eos qui sunt *Christi viva membra*, quippe *etsi sethel moriantur, rursus tamen vivificabuntur*; Et Cornelius à Lapide pariter id de solorum electorum vivificatione & resurrectione ad gloriam intelligit. Quare quæ hinc proferuntur pro universalitate Redemptionis elumbia sunt & citra violentiam eò trahi non possunt: cum præsertim huic doctrinæ reluctentur ea

tura argumenta è ratione & Scriptura petita quæ protulimus in *Syst. lico 8. thesi 8. & loco 10. thesi 32.*

Quæ fronte dixerit Paulus) Imò quâ fronte id dicat Tirinus non videmus: Nam quis unquam dixit justos & eos qui sunt in Jesu Christo ipsique per veram & salvificam fidem insiti, perpetuò manere in massa reproborum? Esse enim in Christo, Tirino *ibi* interprete, est Christo insitum esse *per fidem & charitatem*, adeoque justificatum coram Deo, quod nemini reproborum unquam convenit. Quinetiam eò quod nulli amplius subsint condemnationi qui semel ita insiti fuerint Christo, certissimè sunt illi omnes ex massa reproborum exempti, ac ita perseveraturi in justitiâ & sanctitate, atque vitam æternam consequuturi. Confer ejusdem capituli VIII. Rom. commata 32. 33. 34. 35. 36. Quod si qui professione tenus & quoad Sacramentorum externam perceptionem, justii & sanctificati à Christo deficiant, *illud tamen fidelibus debet esse certissimum*, inquit Augustinus *de bono persever. cap. 8.* ex prædestinatis illos non esse; *Nam si fuissent ex nobis, ait unus Prædestinatorum qui expectare Domini biberat hoc secretum, mansissent utique nobiscum.* Stella cadens non est stella, cometa fuit; *Qui cecidit*, inquit Boëthius, *stabilis non erat ille gradu*: Videatur ipse Tirinus *Cont. v. n. 11.*

Imò quomodo talibus) Reprobis ex hominibus non magis possibile est servari quam dæmonibus, cum jam sint *πάλαι προσηγορευμένοι εις τὸ τὸ κρίμα.* Nec indè tamen ullo modo fiunt excusabiles; tum quia altrò & liberrimè ruunt in illa scelera propter quæ tandem damnantur; tum quia quod non possint servari ipsi sunt in culpa, voluntario suo lapsu in Adamo, & ex suâ innatâ corruptione indigni planè qui eligantur & quos velit Deus servare, imò dignissimi qui prætereantur & in suo sanguine relinquuntur. Quam indè nulla Deo tribuî possit *προσωποληψία*, jam supra annotavi.

Rursus si à solo Dei arbitrio) Imo si cum misericordiæ divinæ naturæ concurrat efficax Dei voluntas de omnibus servandis, quæ sit quod non dat omnibus salutem & gloriam? Tantus ne ipsum tenet libertatis humanæ respectus, ut malit creaturam suam se invito perire, quam illi vel tantillum derogare? Adeo-ne imminutz est potentiz, ut nequeat, *salvâ etiam qualicunque creaturarum suarum libertate in-*

gendo, eos omnes ad salutem adducere, quos tam certò, tam efficaciter, servatos & velit & optet? Quis enim resistet ipsius voluntati Rom. ix, 29; aut consilioꝝ suorum executioni intercedet ~~quæ~~que remorabitur Es. xlvj, 10? Petit Jesuita quid causæ sit quod Deus tam paucos elegerit, si hoc pependit ex absoluto ejus arbitrio; Os impurum, Deus te comescat. Petas potius cur vel paucos illos eligere dignatus sit, cum omnes digni essent qui in illo statu nativæ corruptionis relinquerentur & perirent: Est equidem Deus misericors ac bonus, sed est pariliter justissimus ac vindex peccatorum: Omnibus ex rigore justitiæ erat pereundum juxta oraculum irrevocabile, Quocunque diè comederis morte morieris Gen. ii, 17. & Maledictus qui non permanferit in omnibus iis quæ in Lege scripta sunt ut illa faciat Deut. xxvii, 26. Quare summæ clementiæ & misericordiæ summoque favori deputandum est, quod aliquos eligere & ex illo incendio eripere voluerit, ne tota species periret in æternum: Nisi Jehova exercituum reliquos nobis fecisset superstites utcunque paucos, quasi Sodoma fuissetus & quasi Gomorra similes essemus Es. i, 9. Sanè David 2. Sam. vii, 2. prostratos Moabitas mensus est funiculo, atque regionis incolas in tres funiculos distribuit, ex quibus duo morti sunt addicti, unus tantum vitæ relictus: Vivam in eo subesse imaginem Prædestinationis æternæ, à me dictum fuit olim anno xxi. hujus sæculi, in Coneione ad celebrem locum Pauli 2. Tim. i, 19. quam paulò post me inconsulto typis mandarunt Rhotomagenses, præfixis pro nomine authoris, quod vel ignorarunt vel dissimulare voluerunt, litteris P. C. & deinde anno 1640. recæderunt alii, Rev. Petri Molinæ nomine præfixo: Semper quoad me abhorruì à Concionum mearum evulgatione: cum plenus sit mundus eo genere scriptioꝝ: & hanc malè habitam à primis exscriptoribus, permisissimè lubens Cl. Molinæ semper adscribi, nisi eam vindicandi hæc occasio sese nunc obtulisset. Moabiti à Davide dimetiendi in terram prostrati, nativam omnium hominum miseriam ex peccato exprimunt. Funiculus quo David eos dimensus est, notat Dei liberrimum consilium; Quod quidam servati sint ad vitam, fuit clementiæ indebitæ; quod alii morte addicti, factum ex justitiâ & jure belli; Cur hic potius funiculus quam ille vitæ relictus, supremi ac victoris Regis beneplacito & libertati

bertati deputari debet: Ac sicut plures per Davidem fuerunt occisi quam servati, (fallitur enim Tirinus ibi, dum asserit plures conservatos fuisse & redditos vestigales quam occisos, audacter provocando ad textum Hebraicum, qui habet disertè, duos funiculos fuisse adjudicatos morti, sed unum plenum tuniculum in vitâ conservatum fuisse; & Vatablus observat duas partes interfectas & tertiz tantum parcitum;) ita mirum non est plures in perditione relinqui & in morte quam suâ rebellionè in Deum sunt commeriti, quam ex illa assumi & liberari: Hoc pertinuit tum ad justitiâ divinâ commendationem quo magis innotesceret creaturis quam sit horrendum in Deum peccare & quantum ille peccatum detestetur, tum ad illustrationem clementiâ & misericordiz suæ; nam solet pretium rebus accedere ab earum raritate, & quò minùs commune aliquod beneficium vel privilegium fuerit, eò pluris ab ijs debet fieri qui illud sint consequuti. Sed quid his immoror? Respondeat pro me Augustinus de bono persever. cap. 8. eundem in finem citatus Bellarmino lib. 2. de gr. & lib. arb. cap. 4. sed minus plenè & Jesuiticè nimis: *Sed cur, inquit, gratia Dei non secundum merita datur? Respondeo, quia Deus misericors est: Cur ergo inquit non in omnibus? Et hic respondeo, Quoniam Deus judex justus est. Ac per hoc & gratis datur ab eo gratia, & justo ejus in alijs judicio demonstratur quid eis quibus datur conferat gratia; Non itaque sumus ingrati quod secundum placitum voluntatis suæ in laudem gloria gratia suam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ac si inde neminem liberaret non esset injustus: Ex uno quippe omnes in condemnationem non injustitiâ judicati sunt filij ira, sed justitiâ: Qui ergo liberatur gratiam diligit, qui non liberatur debitum agnoscit. Si in remittendo debitum bonitas, in exigendo aequitas intelligitur, nusquam esse apud Deum iniquitas invenitur.* Plurima his similia habet epistola 105. quæ tota est lectu dignissima, et si Erasmus ad ejus marginem subnotaverit quædam palato suo Pelagiano minus grata hoc infami elogio; *συλπον, πάντα συληρα.*

Cur tam multos creati) Omnes in primo homine creati fuerant justii & sancti, idque ut habet Ecclesiarum nostrarum ordinaria Catechesis, quæ Palatina vulgò dicitur, *quæst. 6. ut Deum Creatorem suum rectè agnoscerent, ex animo diligerent, & cum eo beati in æternum viverent; Quod verò propriâ sua culpâ, in generis sui capite, hoc suo fine exciderint & se*

& se dignos præstiterint qui in perditione relinquerentur, non debuit impedire Dominum quo minus sua benedictione concurreret porro ad Creaturarum suarum productionem & speciei conservationem; Beneficium est Dei quod fiant & nascantur & esse suum accipiant; Maleficium ipsorum hominum quod in peccato demersi ex illo non liberentur: Gratias debent Deo quod sint creati; sed sibi impudent quod non sint redempti: Deo absolute decretum est eos non servare sed damnare, non quatenus sunt ipsius Creaturæ, sed quatenus opus suum per rebellionem & peccatum depravarunt & corruerunt.

Denique sinceram voluntatem) Sincerè & absque fūco mandatur omnibus ut Deo obediant, sed indè non debet fieri decretum efficax de omnibus servandis, confusâ voluntate Dei præcipiente cum decernente; quandoquidem illa nos edocet de eo quod debemus, hac constituit Deus quid sit futurum: Illa consilium activum Dei notat, id est id quod Deus nobis tanquam salutare consulit & mandat, de quo Luc. VII, 30. Act: xx, 27. hæc Dei consilium passivum, sive quod ipse proposuit & constituit aut facere aut permittere fieri Es. XLVI, 10. Hoc posito invertimus Tirini argumentum: Nam ex eo quod non dentur omnibus ac semper sufficientia media ad salutem, sed multis ea denegentur, colligitur omnium & singulorum salutem Deum nec intendere nec decrevisse. Sed quandoquidem nos de hoc argumento amandat Tirinus ad Controversiam sequentem, etiam nos de illo adversus eum ibi dicturi sumus.

Objectiones solvi) Multò plura sunt alia Scripturæ testimonia quæ constabunt Orthodoxam doctrinam de electione gratiæ, aliundè repetenda. Satis erit hoc loco, illa quæ hîc enotantur paucis expendere & glossemata Tiriniana refutare. Ad primum locum ex Luc. XII, 32. Tirinus nihil planè annotavit, tantum abest ut quæ indè objectiones desumi possent solverit. Sanè Bellarminus ipse *lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 10.* hoc testimonium urget ad probandum *nullam esse prædestinationis causam in nobis*; Etenim hîc ex mero Dei beneplacito arcescitur destinatio & datio certa regni cœlorum. Quin Becanus agnoscit *cap. 14. de Deo, q. 4. §. 29.* hoc beneplacitum *excludere omnia nostra merita*; Ut autem se expediat respondet beneplacitum hîc intelligi quo
omnibus

omnibus proposuit vitam aeternam per modum premij, cum hac conditione, ut non deat nisi legitime certantibus. At Christus non agit de eo beneplacito quo cœlum proponitur omnibus, sed de eo quo certò & infallibiliter datur ijs quorum nomina ideò scripta in cœlo esse dicuntur Luc. x, 20. Et quid aliàs propositum illud generale de proponendo & offerendo regno Cœlorum omnibus, ad specialem consolationem & securitatem Apostolorum, ut indè ipsis diceretur, Noli timere pusille greges? Imo qui posset hoc beneplacitum omnes generatim spectare, quod disertis verbis ad pusillum gregem, sive ad *gregulum*, uti disertè reddidit Isidorus Clarius, à Christo restringitur? At, inquit Becanus, si hîc intelligatur efficax voluntas dandi gloriam, Iudas qui erat *pater* illius gregis non fuerit reprobatus. R. Judam hædum fœdissimum ad illum pusillum gregem neutiquam pertinuisse, quamvis illi permittus ad tempus videretur; nam Christus noverat qui sui essent. Hoc effugio Becani everso, corruunt quæ habent de hoc loco Remonstrantes *Synod. Scriptorum dogm. p. 73.* & pro Lutheranis Brochmannus *loco de Prædest. cap. 3. q. 2.* Volunt enim ita significari Deum quoad se promptum esse & paratum dare regnum cœlorum ijs qui illud ante omnia quærere studuerint. Sed frustra, cum hîc commendetur à Christo non promptitudo offerens, sed liberalitas conferens & certissimè decernens; Neque Dei dare, etiam locis ipsis Remonstrantibus citatis Ioh. v, 33. Act. v, 31. Apoc. 111, 8. merum est offerre, sed verum conferre. Et quam nihil hîc habeant certi constat ex ijs quæ extant tum in loco citato, tum in Collatione Hagiensi, ubi secum disident & quò se vertant nesciunt; Quod si fideles quæ fideles hîc intellexerint, ut revera eos hîc alloquitur Christus, indè tamen non sequitur beneplacitum electionis factum esse de fidelibus quæ talibus; sed tantum fideles debere certos esse suæ salutis & gloriæ æternæ, utpote quæ sibi certò ex gratuito Dei beneplacito decreta & destinata sit ab æterno: Maneat ergo quod dicit Bellarminus V. S. *Esse electos ex merâ Dei gratiâ & misericordiâ docet imprimis Dominus Luc. 12. Complacuit Patri vestro dare vobis regnum: Certè vox illa, Complacuit, indicat puram Dei benignitatem: Sed manifestius Ioan. 15. Non vos me elegistis sed ego elegi vos ut eatis & fructum adseratis, & fructus vester maneat; Non igitur elegit Deus*

Deus homines quia videt se eligendum ab eis, ipsosque boni operis fructum allaturos & in bono opere perseveraturos, sed elegit ut faciant bene operantes & in bono perseverantes.

Matt. xx, 23. Non est meum) Hinc constat singulis destinatam esse immutabiliter eam gloriam in cœlis quam suo tempore consequentur: nam eam destinationem firmam & certam hîc per verbum ἐτοιμασέν denotari, satis patet ex Matt. xxv, 34. I Cor. II, 9. Etiam Tirinus ad Matt. xx, 23. paratum, interpretatur decretum, destinatum: Sed quod subijcit paratum esse primo loco pro Christo certantibus, laborantibus, vincuntibus, ambiguè dicitur: Si enim sibi hoc velit Jesuita, iis paratum ab æterno quos Deus prævidit primo loco certaturos, laboraturos, victuros, fallitur & supponit τὸ ἐν ἀρχῇ; At si hoc sibi tantum velit paratum ijs qui reuera erant consequuturi gratiam certandi, laborandi, vincendi primo loco, non obest hæc interpretatio nostræ sententiæ. Addo tamen me neminem hæcenus vidisse vel nostrorum vel etiam Thomistarum qui illum Matthæi locum vehementer urserit, & nos supra de multiplici præparatione regni cœlorum diximus.

Matt. xxiv, 24. Ita ut in errorem) Et hunc locum profert Bellarminus ut probet electos esse infallibiliter servandos, additis tanquam eodem spectantibus locis alijs Ioh. vi, 37, x, 28. 29. Rom. vii, 28. 29. xi, 29. Illi autem qui sunt certò & infallibiliter servandi, non possunt censeferi electi ad salutem ex conditione incertâ & fallibili, qualis ab istis prævisoribus statuitur. Quæ hîc somniarunt Remonstrantes σοφὰ φάρμακα electionis completæ ac peremptoriæ ab una parte & non peremptoriæ ac incompletæ ab altera, jam diu ab alijs prostrita sunt. Unicam enim Scriptura electionem agnoscit ad gloriam & salutem æternam, eamque ita firmam & irrevocabilem, ut liber vitæ cui electorum nomina inscripta sunt nullam patiatur lituram, tamque firmum stet Dei fundamentum, ut ne quidem inferorum portæ contra illud prævalere queant. Ad hunc Matthæi locum Tirinus quasi aliud agendo occurrit bifariam: nam per electos intelligit eximie sanctos; deinde eos negat posse in errorem induci nisi volentes, cum partim luce divinâ, partim instructione prudentiorum possint faciliè detegere fraudes & prestigias impostorum. Sed licet arat. Nam ut concesserim electos posse dici exi-

dici eximie sanctos à posteriori, tamen nego electos fuisse quod essent eximie sancti, cum ad sanctitatem electi sint Eph. 1, 4. Rom. VI II, 28. non verò ex sanctitate Rom. 1x, 12. xi, 6. 2. Tim. 1, 9. Longè frigidius est aliud glossema, non posse eos seduci nisi voluerint. Nam primo juxta hypothesein aduersariorum, eâ ratione nihil de electis diceretur quod aliis omnibus non conveniret; Si enim omnibus adsunt, uti paulò ante volebat Tircinus, omnia media necessaria ad salutem, inde sequetur quod sicut omnes possunt servari si voluerint, ita seduci nequibunt nisi voluerint. Et cum maximè ex sententiâ Pelagianorum istorum non pereant reprobis nisi voluerint, tam facilè de reprobis quam de electis diceretur, eos perire & seduci non posse, si illud sub-intelligendum sit, nisi voluerint. Adhæc cum velle seduci & perire, perire sit & seduci, dicere de electis quod perire & seduci nequeant nisi voluerint, perinde foret ac si diceretur eos non posse seduci & perire, nisi pereant & seducantur. Præterea ut quis sciens & volens in errorem inducatur vix concipi potest. Nam ut se habet lux ad oculum sic verum ad intellectum: nec quisquam regulariter admittit falsum pro vero sciens & volens: sed oportet falsum illud aliquam verè & boni speciem induere, quâ sui assensum & amorem consequatur. *Vix enim decipi potest, inquit Grotius ad eum locum; imò si verborum proprietatem sequimur etiam cum decipi videtur, non decipitur, sed ipse se decipit, qui monitus non caret.* Denique non solum dicit Christus difficile esse id evenire, ut Grotius ipse hac in parte consentiens Jesuitis cum turba reliqua Remonstrantium suorum affirmat, sed absolutè id impossibile asserit. Non id sonat impossibilitatem moralem, Arminiano sensu, sed physicam: Nam etiam saniores interpretes hic intellexerunt impossibilitatem absolutam: Glossæ ordinariæ author & Origenes in *Catena Thoma*, asserunt hoc non idèò dici quod divina frustretur electio, sed eos solum seduci qui putativè & ex hominum judicio electi videbantur. Imò idem Origenes *ibidem* sic de hac formula loquitur; *Exaggeratorius sermo est dicens si possibile est: Non enim pronuntiavit neque dixit ut in errorem mittantur electi, sed ostendere vult quemadmodum frequenter valde persuasorii sunt sermones hereticorum & commovere etiam potentes eos qui sapienter agunt.* Igitur Christus eâ loquutione, voluit seductorum quidem noxietatem

tatem & perniciem indicare ab unâ parte, sed ab altera ostendere firmitatem inconcussam electionis divinæ: Sic tela quæ in Achillem vibrabantur in prælio sufficiebant ipsi occidendo, nisi invulnerabilis fuisset: Qui prædicat aliquid eventurum esse, si possibile esset illud fieri, is sanè debet vel prædicere rem illam certò futuram, modò possibilis supponatur esse, vel certò non eventuram, eò quòd planè sit impossibile ut eveniat; Prius hic non posset statui, quia sic prædiceret Christus certò electos seductum iri; ergò posterius est statuendum & rem hanc impossibilibus absolutè à Christo annumerari; Nam illud *ei dicitur* non est dubitantis sed affirmantis, & significat seductionem electorum quâ planè & plenè deficient non esse possibilem.

Rom. viii, 29. *Quos præscivit*) Et hoc in loco multum est præsidii pro veritate, ex quo constat prædestinatos nos esse, non quod essemus jam Christo conformes per obedientiam & fidem, sed quo illi conformaremur. Tum hinc liquet irrevocabilem esse prædestinationem; nam qui sunt à Deo prædestinati juxta Pauli sortem, etiam tandem glorificabuntur. Hæc est illa Armilla aurea, ut eam Perkinus inscripsit, cujus annuli necessario nexu inter se cohærent, & in qua respondent ultima primis: Unde patet, contra quam asserit ibi Tiranus (quo cum paria facit Socinus prælect. cap. 13.) hic revera agi de absoluta & absolutè efficaci prædestinatione ad conformitatem cum Christo, non verò ut ipse falsissimè asserit, solum de efficaci quantum est ex parte Dei & adhuc conditionata ex parte hominis, nempe si velit hic sequi eligentem & vocantem Deum: Veritas nostri asseriti patet inde quòd sit illa absoluta prædestinatio certò suum eventum consecutura, quam prædestinatorum consequuntur indivulso nexu, vocatio, justificatio & glorificatio; Nam ut cætera mittam, & hic Toleti Jesuitæ & Cardinalis duntaxat verba usurpem, *commun. ad hunc locum, Præscitos destinavit ab æterno, ut essent conformes filii sui imagini, tanquam fratres ipsius posteriores; prædestinatos autem vocavit in tempore, vocatos justificavit à peccatis sibi que reconciliavit, justificatos tandem glorificavit, & ad regnum caeleste perduxit.* Adde verba Johannis à Gorcum, Estii & Cornelli à Lapide abbreviatoris; *Sensus hujus loci est prædestinatorum salutem nullis adversitati-*
bus ne-

bus neque tentationibus impediri posse, idque certò nobis constare, ex charitate Dei quã eos ab aeterno dilexit, quã etiam facturus sit, ut omninò ea bona ad que prædilecti sunt atque præordinati consequantur: Nam, inquit, quos præscivis idest ab aeterno prædilexisti & amicos habere voluit, eosdem prædestinavit conformes & similes fieri Christo Filio ipsius; idest, certo fixoque decreto jam olim & ab aeterno statuit, ad hoc tam eximium bonum eos aliquando perducere. De huiusmodi præscientia Dei legatur Augustinus lib. de dono persever. cap. 18. Falsitas asserti Tiriniani, patet ex multis. Nam 1. non potest hoc referri ad conditionatè prædestinatos si velint sequi, ex Tirini mente; quoniam juxta ipsum hi prædestinati sunt quos præscivis Deus per ductum gratia sua & libera voluntatis consensum, tales futuros, quales versu præcedenti describebantur, nempe vocati sancti, idest eodem interprete qui invitati sunt & invitantiem secuti sunt ad vitam morumque sanctitatem: Qui verò possent illi dici prædestinati esse si velint, quos idem prædestinavit Deus quia præscivit eos volituros & venturos? 2. Neque id potest revera statui: Nam dixerat Paulus omnia cedere in bonum iis qui sunt vocati κατὰ πρόθεσιν, secundum propositum Dei. Quod addit V. V. voculam sancti, quasi dixisset qui secundum propositum vocati sunt sancti, πλειονάζει, cum nec Græci Codices nec Syrus Interpres norint istud additamentum: Vocati autem κατὰ πρόθεσιν ii sunt qui efficaciter vocantur ex proposito Dei immutabili, non quo vocare decrevit eos quos prævidit credituros, sed quo efficaciter & certò aliquos servare decrevit, ut etiam cum Augustino, rejectâ sententiâ Chrysostomi, Oecumenij & Origenis, nec non eorum qui Ambrosii & Hieronymi in Epistolas nomina mentiuntur, Toletus ipse cogitur interpretari ad Rom. 8. ann. 13; Cùm ergò rationem reddere velit Apostolus cur talibus, vocatis scilicet juxta propositum, omnia in bonum cooperentur, eam arcessit ab illius propositi juxta quod vocati sunt inconcussa firmitate. 3. Illi intelliguntur à Paulo quibus omnia in bonum cooperantur; sed id non competit conditionaliter prædestinatis, nec externè vocatis; cùm teste Toletò V. S. experientia doceat multos ex illis persecutionibus fractos & adversitatibus impulsos, aut prosperitatibus adductos, à fide retrocessisse & à gratia excidisse, & in damnationem aeternam lapsos fuisse. 4. Cum istos prædestinatos Deus dicatur vo-

care, vocatos justificare, justificatos glorificare, id non potest intelligi de prædestinatis conditionaliter; cum incertum sit, an Deus sit illos vocaturus, justificaturus & glorificaturus. At inquires, Illi dicuntur prædestinati quos Deus præscivit, scilicet, ut interpretatur Turinus, futuros vocatos sanctos: Respondeo 1. non posse dici prædestinatos à Deo quos præscivit futuros vocatos sanctos, tum quia Paulus agit de vocatis *κατὰ πρόθεσιν*, idest ex proposito & prædestinatione Dei, tum quia disertè vocationem istam ab hac prædestinatione arcessit; 2. Illud *ἐς πρόγνω*, non potest denotare præscientiam vel fidei, vel operum, ex qua Deus homines prædestinaverit; quia ex prædestinatione, quam Paulus videtur subordinare illi *πρόγνῳσι* derivatur vocationis & justificatio, adeoque conversio, fides & studium bonorum operum; quod etiam notandum adversus Arminium qui in *examine thesium Cel. Gomari* nuper edito p. 70. hanc *πρόγνωσιν*, fidei esse perperam contendit. 3. Quocunque sensu illa *πρόγνῳσις* intelligatur, semper veritas erit in vado: Si dicas cum ipso Bellarmino *lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 13.* eam sumi practicè, pro Dei benevolentia & prædilectione, quæ sit fundamentum prædestinationis ad salutem, cum ipse nos elegerit, non nos ipsum Joh. xv, v. 16. & prior nos dilexerit 1. Joh. iv, 10. loquæris etiam cum Scriptura, juxta quam Dei nosse est illius favere & diligere. Si dicas *πρόθεσιν* de qua Paulus versu præcedenti, explicari deinceps per duo membra quorum prius, nempe *πρόγνῳσις* denotet ordinationem ad finem, ut illa vox sumitur non rarè in sacris literis, nominatim Act. 11, 23. Rom. xi, 1. 1. Pet. 1, 2. 20. posterius verò scilicet *προόρισμος* ordinationem ad media, unde hoc loco non dicamur simpliciter prædestinati, sed prædestinati ut fiamus conformes Christo, etiam illa *πρόγνῳσις* nihil supponet in nobis, sed omnia bona salutaria ponet & efficiet. Si dicas cum Cornelio à Lapide, Paulum præcitos & prædestinatos pro iisdem sumere, ut *προόρισμος* sit exegetica explicatio *τῆς πρόγνῳσις* & quasi dicat, Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri Christo, res eodem redibit; quamvis minus commodè, quia tunc elliptica videbitur Pauli oratio. At inquires, Nonne posset esse hyperbaton, ut sit mens Apostoli, prædestinatos esse eos quos præscivit Deus conformes futuros Christo? Respondeo Bellar-

minum

minum V. S. hanc explicationem meritò vocare de pravationem textus Apostolici, quod sibi dictum putent Decimus & Ticianus qui eam accipiunt; Nec dicit Apostolus prædestinasse Deum quos præcivit benè usuros gratiâ & futuros conformes filio suo, sed eos quos prænovit, ad id prædestinasse ut filio suo conformes fierent: Multo minùs valere potest hic aliorum commentum, Paulum insinuare qui prædestinati sunt, nempe qui conformes Christo sunt, eò quod dicat *προώρισεν συμμόρφως τῆς εικόνας τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ*; Nam sequentia ostendunt finem hic contineri prædestinationis, sive ad quid prædestinamur, cum addat Paulus *εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς*. Etenim nequimus esse prædestinati ceu conformes Christo ad id ut sit primogenitus inter multos fratres; sed debemus prædestinari ad id ut fiamus conformes Christo, ut ipse fiat & agnoscatur multorum fratrum primogenitus: Ideò V. V. supplevit hic ellipsim cum dixit, Prædestinavit conformes fieri imagini filii sui, & eundem sensum agnovit Syrus interpres, qui juxta Boderianam versionem sic habet, *Et ab initio novit eos, & obsignavit eos in similitudine Filii sui*; Juxta Tremellianam verò magis accuratè, *Et præcivit eos & obsignavit eos in similitudinem figuræ filii sui*. Similis ellipsis extat Jacobi 11, v. 5. ubi dicitur Deus elegisse pauperes mundi, *πλουσίους ἐν πίστει καὶ κληρονόμους τῆς βασιλείας*; nam inter *πτωχοῦς τῆ ἐσθμῆ* & *πλουσίους ἐν πίστει*, supplendum esse verbum *εἶναι* res ipsa loquitur. Nec enim Deus elegit pauperes qui jam essent fide divites & hæredes regni, sed ut eos ditaret fide & donaret hæreditate cælesti.

Rom. ix. 18. Cujus vult) Non tantum paucula illa verba huc faciunt, sed integrum ferè caput eò spectat tam perspicuè, ut Jesuitæ & Remonstrantes & qui cum illis hic sentiunt, omnes nervos suæ industriæ contulerint ad tenebras huic luci offundendas: Eò spectant quæ fusè Remonstrantes in Synodicis suis scriptis & postea per Episcopium & Batelianam in hoc caput differuerunt, quorum compendium exhibet Brochmannus *loco de prædest. c. 3. q. 2*. His cum gemella sint quæ habet Tirinus ad illud caput, ea paucis expendam & refutata dabo, posissimum ex Bellarmino *lib. 2. de grat. & lib. arb. c. 10*. ubi hoc idem argumentum non indiligenter tractavit. *Propositum erat Apostolo, ut benè monet Bel-*

net Bellarminus *demonstrare adoptionem filiorum Dei non pendere ex carnali generatione Adami, ut Iudæi existimabant, neque ex operibus nostris aut parentum nostrorum, sed ex mero Dei beneplacito.* Et hunc esse Pauli scopum negari non potest: Ne quis verò objiceret, ergò irritas fore promissiones factas Abrahamo & Patriarchis, respondet vers. 6. & 7. non omnes qui sunt ex Israël esse ejus filios; quod ostendit discrimine facto inter Ismaëlem & Isaacum: sic ut licet eodem patre nati essent, tamen pro Dei beneplacito, Ismaele relicto, solus Isaac destinatus sit qui esset promissionis filius; & ne quis id statim rejecisset in matrum conditionem diversam quod illa ancilla fuerit, hæc libera, profert *versu. 10.* exemplum Rebeccæ; quæ ut Tirinus *ibi* habet, id ipsum *experta est, scilicet veros filios & heredes censerî, non omnes qui carnaliter gignuntur, sed eos solos qui divinitus eliguntur.* Quin idem sic introducit Apostolum loquentem: *Fortè suspicaberis rejectos idè ab hereditate Ismaëlem & filios Keturæ quod ex ancillis vel concubinis prognati sint, Isaac verò electum quia ex Sara libera & totius familia dominâ procreatus est; Sed falleris: Nam en tibi unam eandemque Isaaci conjugem Rebeccam, quæ ex uno eodemque concubitu & complexu conjugali, simul duos concepit & in lucem edidit filios, è quibus tamen solus minor, scilicet Jacob ad hereditanda patribus promissa bona delectus & electus fuit à Deo, senior verò Esau, ejectus & neglectus est; ita Sanctus Chrysostomus, Theophylactus, à Lapide, Menochius & alii: Neque id hæcenus malè; & quò Apostolus ostendat discrimen hic fecisse non prævisionem fidei, vel operum, sed solum beneplacitum, sive ut loquitur ipse, propositum secundum electionem, urget quod gemelli erant & nihil dum fecerant boni vel mali, cujus intuitu ille potius eligi debuerit quam hic, aut hic potius quam ille præteriri: Et ne quis suspicetur posse responderi, discrimen illud factum, non quidem ex operibus præsentibus sed ex prævisis, Tirinus ipse illa verba com: 12. non ex operibus, sic interpretatur; Non ex præviis aut prævisis operibus vel operum meritis Jacobi vel Esau, sed ex solo vocante, id est ex solo nutu & beneplacito Dei, quemcunque pro libito ad quacunque voluerit eligentis, ac vocantis? Quia vero id hominibus potuisset videri injustum, non respondet Paulus, quod aliàs in proclivierat, id factum ex prævisis operibus (ut benè monet Bellarminus) sed ex absoluta Dei voluntate,*

juxta

juxta quam ipsemet teste Mose, miseretur cujus vult; adeo ut non sit volentis aut currentis sed miserentis Dei; quasi dicat Dominus, inquit Tirinus *ad com. 15. ejusmodi electio non est opus justitia nec cuiquam jure debita, sed est solus misericordia & gratuita adeoque mihi libera.* Et quo hæc libertas Dei magis asseratur, cui, ut adhuc idem Tirinus benè loquitur *ad com. 16. plane liberum est ut misereri ita etiam non misereri alicujus, sed relinquere in suis miseriis,* profert Apostolus exemplum Pharaonis, quo in miseria sua justè relicto insuper usus est ad suam virtutem in eo ostendendam, *com 17. unde concludit com 18, misereri igitur Deum cujus voluerit, & quem voluerit indurare: Neque hîc planè respuimus glossam Tirini, quod Deus induret non directè & propriè (quod dum Jesuita Calvino tribuit ac nostris, calumniatur) sed impropriè & indirectè, scilicet eo ipso quo non miseretur, sed subtrahit specialia & frequentia auxilia gratiæ, & permittit peccatorem in sua malitia & duritia (ad quam sponse pronum est cor humanum, quando uberiore gratiâ Dei destituitur) per severare & crescere, & obicitur subinde, sed aliis justis de causis, occasiones ex quibus magis indurentur.* Sed quoniam hic iterum caro & sanguis poterant insistere, & Paulo objicere, Si ita est, cur ergo Deus adhuc conqueritur de peccatoribus & eos punit, cum nemò ejus voluntati queat resistere? *Com. 19. & seqq. ostendit Apostolus, Deum sic uti suo jure, ut & libertatem habeat non minus quam figulus, ex eadem massa corrupta alia vasa facere ad decus per misericordiam, alia ad dedecus per justitiam; & tamen eò justius exoptulet cum peccatoribus & vasis iræ quod ea sustineat in multa patientia, id est toleret eorum scelera & nequitias, quibus, dum ipsius longanimitate abutuntur, meritò thesaurizant sibi iram in diem iræ Rom. 11, 5. Hæc de libertate Dei misericordi & justissima in eligendo & reprobando quos voluerit, absque ulla prævisione operum ipsorum, aut aliarum qualitatatum per quas à se invicem jam ante distinguerentur, solis radio descripta, nullis cavillationibus eludi possunt.* Audiamus tamen quid habeat hîc Tirinus quo contra nitatur. *Ad com. 12. de Jacobo & Elau pertendit, non hîc agi de eorum propriis personis, sed de posteris ipsorum: Nec agere Paulum, de dilectione vel electione (ut quidam arbitrantur) ad gloriam cælestem vel etiam ad gratiam & justitiam, quasi vel persona Jacob vel ejus posteris, soli justifi-*

faciendi aut salvandi essent, Esau vero aut Idumæi omnes damnandi (quia hoc falsum est, cum vero simile sit Esau salvatum esse, ut alibi dixi Gen. xxxvi, 4. & certo constet abnepotem Esau, Iobum ejusque amicos, & multos a liis ex posteris pari modo salvatos fuisse, maxime postquam sub Iohanne Hyrcano ecclesia & Synagoga Iudaica inserti fuerunt) sed agit de dilectione & electione in peculiarem populum & hereditatem Dei cui cederem promissiones facta Abrahæ de possidenda terra Canaan, de Messia ex ejus semine nascituro &c. Ad hæc enim Deus pro suo solius beneplacito selegit Iacobum ejusque posteros Israelitas, relicto Esau ejusque posteris Idumæis. Sed hic multa habemus observanda. Primum plura his verbis insunt *παράγωγα*, quæ sigillatim expendere non est hujus loci: Dixerit licet Moses Gerundensis Jobum ex Abrahamo fuisse per Esauum, & statuerint alii eundem esse qui inter filios Esau Jobab dicitur Gen. xxxv, 32. id tamen R. Abraham rejicit & cum illo Cl. Coccejus *Comm. in Iobum. pag. 5.* Jobi quoque amicos in genere faciunt Hebræi ex gentibus mundi, ut idem refert *pag. 3.* Infertos quoque fuisse Idumæos synagogæ Judaicæ sub Iohanne Hyrcano paullò liberaliùs dicitur. Vaticinium Abdix v. 16. 18. 19. potius ad vocationem gentium per Christum pertinet, quam ad victoriam Hyrcani cogentis Idumæos ad sacra Judaica admittenda apud Josephum *lib. 13. Antiq. cap. 17.* Quanquam etiam hoc valde obest Tirinianæ explicationi; Si enim insiti sunt Idumæi Synagogæ sub Hyrcano & Judaismum sunt amplexi, concreverunt utique in eandem societatem cum posteris Jacobi, atque sic facti sunt consortes illius dilectionis & electionis in peculiarem populum Dei, à qua tamen Tirinus Esauum arcet cum universa sua posteritate. Nam profelyti Justitiæ, uti Rabbini dicuntur, quales facti sunt Idumæi, pari jure loco & ordine ac reliqui communes Israelitæ censebantur, & communi reip. inferebantur, coalituri in idem corpus & eorundem privilegiorum participes futuri. Præterea posito hic sibi velle Apostolum quod refert Tirinus, nonne saltem pari libertate, citra labem vel prosopolepsia vel injustitiæ, potuerit Deus ex hominibus omnibus, quosdam speciali dilectione eligere ad gratiam, quâ dicitur potuisse Iacobum amare & Esauum negligere ac relinquere? Tertio, Tirinus dum negat hic agi de personali electione ad gratiam & gloriam, suis, sibi, Scripturæ & rationi contradicere.

tradicit. Suis; Nam Becanus *cap. 14. de Deo quaest. 4. §. 27.* videtur saltem hoc referre ad distributionem inæqualem donorum gratiæ in hac vita; & Bellarminus V. S. rejicit eos qui dicunt hic non agi *de personis illis singularibus Iacob & Esau, sed de duobus populis Israelitico & Idumæo;* & pertendit revera mentem Pauli esse agere de singulorum electione & reprobatione æterna, quod comprobatur ab exemplo Pharaonis & figuli similitudine qua utitur Apostolus. Sibi; Nam electio & dilectio in peculiarem populum & hæreditatem Dei, distinguatur saltem nequit ab electione communi ad gratiam & justitiam, quæ extra peculiarem Dei populum quæri vel obtineri non potest. Et cum multi ex Idumæa gente & posteris Esau inserti fuerint Dei populo, imo ad Christum vocati, non videmus cur omnes Esau posterii sint arcendi ab electione & dilectione in peculiarem populum & hæreditatem Dei. Et si Messias non fuerat nasciturus ex posteris Esau, erat tamen nasciturus ex semine Isaaci & Rebecæ ex quo & ipse Esau eodem concubitu quo Iacob prognatus fuit; Si vero hoc ad tam speciale privilegium pertinuerit quod ex Iacobo non ex Esau nasciturum erat semen in Isaaco promissum, ut ideo Iacobum Deus dilexerit Esauum odio habuerit, dicatur pariter hanc dilectionem & electionem in peculiarem populum & hæreditatem Dei, non continuasse in omnibus posteris Iacobi usque ad tempora Messie, tum quia sub Jeroboamo in duos distinctos populos abiêre, tum quia æquè censueris undecim alias tribus fuisse rejectas ex posteris Iacobi, ac ipsum Esauum ex posteris Isaaci, sola electa & dilecta in peculiarem populum tribu Juda ex cujus semine Messias erat nasciturus: Imo cum sub Herode magno Idumæi coaluisse viderentur in idem corpus cum populo Iudaico, non minus ad Idumæos quam ad Iudæos pertinuit hoc privilegium, de Christo ex illo populo nascituro. Scripturæ & rectæ rationi; Nam scopo Pauli non inserviet discrimen constitutum inter populum utrumque Iudæum & Idumæum: quia Tirino fatente, etiam ex Idumæis plurimi tuêre assumpti in societatem populi Iudaici; tum si hoc discrimen nec gratiam spectabat nec gloriam, nullius erit usus ad probandam licuisse Deo rejectis Iudæis, Gentiles assumere: Imò hoc discrimen everteret scopum Apostoli: Si enim Deus voluisset id speciale fore

fore posteris Jacobi ut peculiarem suum populum constituerent, exclusis in ævum Esauo & populo Idumæo, utique citra inconstantiz notam non potuisset vel Idumæos sub Iohanne Hyrcano inferere genti Israeliticæ, vel exclusis deinde Israelitis à fœdere, Idumæos & alias gentes promiscuè in eorum locum substituere. Præterea si de privilegio aliquo externo posteritatis utriusque ageretur, non diceretur Deus amasse Jacobum & odisse Esauum; nam indebiti privilegii merè externi nec ad salutem facientis negatio, *odium Dei* dici nequit: Non impedio quominus liceat Tirino hîc *per odium intelligere solum Dei neglectum, ut summum castigationem & afflictionem, qualem inferre solent qui aliquos odio prosequuntur*; Sed ille neglectus in communi peccato fundatus, ipsius Esau denotabit præteritionem, sive reprobationem negativam, quæ est talis afflictio vel derelictio ex parte Dei, quæ animum ipsius offensum meritò arguit. Ad hæc ut benè procedat Pauli ratiocinatio, debet necessariò intelligi de electione ad gloriam: Nam eadem debet esse Rom. IX, II. ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τῷ θεῷ, quæ non est ἐξ ἔργων ἀλλ' ἐκ τῷ καλῆναι, quæ est Rom. VIII, 28. illa juxta quam pii & sancti dicuntur κατὰ πρόθεσιν κλητοὶ; atqui hæc est prædestinationis propositum de gratia & gloria, cum ad gratiam & gloriam vocentur qui κατὰ πρόθεσιν vocantur; nam quos vocavit hos justificavit. Deinde proculdubio vult Apostolus ostendere verbum Dei non excidisse erga verum Israel, hoc argumento quod non omnes qui sunt ex Israele sint ideo verus Israel, sed illi solum qui ex Israele sunt electi ad gloriam, prout dicit Rom. XI, 7. inter Israelitas ἐκλογὴν id est electos esse affectos salutarem justitiam, cæteros vero excæcatos fuisse; ubi notatu dignissima sunt verba Tirini ad Rom. XI, 7. in veritatis confessionem: *Querebat & etiamnum querit Israel seu major pars populi Israelitici justitiam, sed non est eam affectus quia non querit ubi oportet & sicut oportet; quarit enim ex merito solorum operum legis, cum quarere deberet ex meritis Christi (quis non putet sic potius Calvinum loqui, quam Tirinum?) per fidem sibi illa applicando &c. Et quia hanc fidem amplexata est electio, id est pars illa minor populi Judaici quam jam dixi electam à Deo, (gratuita scilicet Dei electione ut habet ad com. 5.) ideo ipsa consecuta est justitiam; Judæorum ergo ex mente Pauli pars minor electa, major non electa; ad illam pertinet*

pertinet Dei verbum quod non excidit, ad hanc non: Id vero non ex
 posteris Jacobi & Esau erat Paulo elucidandum, sed ex eorum personis;
 Minor enim nempe Jacob ex liberrimo Dei decreto fuit electus & dilectus;
 Major vero nempe Esau exosus & relictus. Quod enim Esau salvatum putat
 Tirinus, facillè refutatur testimonio Apostoli Heb. xi, 16. 17. qui ipsum
 βεβηλὸν profanum & reprobatum vocat, idque interprete ibi Tirino ipso,
 tam à Deo quam à parente suo Isaac; Nec in typum tantum proponitur hic à
 Paulo reprobationis, sed etiam in exemplum, uti fuscè demonstratum est à
 Paræo in cap. 21. Gen. Patia-
 tur quæso Tirinus ut suo iudicio præferamus testimonium Augustini,
 cuius hæc sunt verba lib. 16. de Civit. Dei cap. 35. *Paulus Apostolus magnum
 vult intelligi gratia documetum* (in oraculo nempe factò ad Rebeccam)
*quia nondum natis pueris, nec aliquid agentibus boni seu mali, sine ullis bonis
 meritis eligitur minor majore reprobato; Quoniam proculdubio quantum atti-
 met ad peccatum originale ambo pares erant, quantum autem ad proprium nullius
 eorum illam erat.* Unde etiam solvitur instantia Becani ad objectionem
 ex Rom. ix, 11. respondentis, Catholicos non posse hunc locum sibi ob-
 jicere (non Catholicus ergo Bellarminus ipse qui illo utitur cum tot
 aliis communionis Pontificiæ) eo quod si semel concedant Apostolum ibi
 loqui de electione ad gloriam & de reprobatione ad mortem, planè sequeretur
 non modo electionem ad gloriam sed etiam reprobationem ad mortem respectu
 Jacob & Esau factam esse ante prævisa opera ex solo Dei beneplacito; Nam
 in eo nihil est absurdi, si negativè intelligatur reprobatio sive dere-
 lictio in massa peccati, prout supra Tirinus ipsius Dei odium in E-
 sauum, neglectum interpretabatur. Denique ipse Apostolus, indicat
 sufficienter se de singulorum electione & reprobatione æterna agere,
 tum proposito Pharaonis exemplo, tum allata figuli similitudine. Nec
 valet τρεφῆτορ Tirini de Pharaone ad com. 17. eum suscitatum
 fuisse à Deo non ad peccandum, (quod nemo etiam dixerit, etsi id
 per calumniam nobis tribuat) sed ad solium regni occupandum, ut osten-
 deret in eo comprimendo & puniendo virtutem suam, quo sic toti orbi me-
 ritum incuteretur; Non quod hac fuerit primaria & absoluta intentio Dei, sed
 secundaria & ex hypothesi, nempe si Pharaon suam malitiam panam promeritus fuerit.
 Sed 1. Illud ἐξήγησα σὲ, non pertinet ad solii regii occupationem, sed

ad destinationem exemplaris justitiæ in eos qui sibi rebelles & Ecclesiæ suæ infensi audent esse: Hunc etenim in peccati massa considerata, Deus speciatim suscitavit ut exemplum esset toti orbi tum indurationis & mentis obstipæ ad quam procedit homo sibi relictus, tum pœnæ & vindictæ quam Deus meritò sumit de talibus: Ideo Theophylactus ita reddit verba Pauli; *Propter hoc ipsum enim, inquit, ô Pharae te in medium protuli ut per te appareat potentia mea coerceanturque multi, nomine meo seu justo & potenti predicato in universa terra.* 11. Absurdè negatur hanc fuisse primam & directam Dei intentionem, contra expressum Scripturæ testimonium. Illa enim suscitatio jam supponebat in Pharaone malitiam originalem & justam illius derelictionem, & complectebatur consilium ut permittendi ejus scelera, sic eum exemplariter puniendi; Sed aliàs refutavimus illam Tirini imaginationem de Deo sibi varios substituente fines, ut si uno excidat alterum assequatur. Sufficiant hîc verba Joannis à Gorcum Estii & Cornelii à Lapide abbreviatoris in Epistolas Pauli, ad Rom. ix, 17. *Probat apostolus non esse iniquum quod Deus gratuita electione & voluntate Jacob dilexerit ejusque misertus sit sine illius operibus & meritis; Hîc probat secundam antithesis suæ partem, scilicet quod hunc odio habuerit & noluerit misereri, id non ex demeritis Esau præ Jacob accidisse, sed ex Dei voluntate qui noluit ejus misereri: Est enim hoc Deo liberum ut probat in Pharaone, quem quia obduratus erat in suis peccatis sibi suisque peccatis permisit & dimisit, ac tandem punivit mergendo eum in mari rubro, cum tamen misertus sit Nabuchodonozor & aliorum qui æquè ut Pharae mali & obdurati fuerunt.* Tandem Tirinus circa similitudinem figuli, multa habet absurda; Nam 1. ad versum 21. statuit Paulum argumentari ab eo quod Deo licet ratione absoluti dominii sui & respectu ejusdem massæ, ad id quod potiori jure potest ex diversa vel diversimodè disposita massa, non jam ex nudo dominio sed ex legibus justitiæ, videlicet *facere unum vas in honorem & gloriam, alterum in sordes & contumeliam; unum ad justitiæ & salutem provehere, alterum indurare:* Sed tam prodigiosum commentum soli Jesuitæ poterat excidere: Quam enim Paulus non agat de diversa massa, sed de eadem, probat non solum Jacobi & Esau exemplum, sed etiam simile figuli, qui ex eodem luto coagmentat vasa planè diversa pro libertate sua. Nec debet hîc opponi nudum Dei dominium legibus suæ justitiæ: Nam justitiæ est

tiz est quod reprobantur sive relinquuntur in massa peccati, quotquot
 in illa relinquuntur: Sed absoluti dominii quod hi potius quam illi re-
 probentur, cum omnes æquè essent reprobabiles: Nec tantum de-
 buit agere Deus ex justitia circa reprobandos, sed etiam ex mise-
 ricordia circa eligendos: Atque hîc meminisset Tirinus eorum quæ
 paulò ante scripserat ad *ver. 17. Viam misericordia sapè quidem pro placito suo
 absoluit & determinate intendit*, (citra respectum ad opera vel merita) *sed
 viam justitia nunquam nisi sub conditione, si quis suâ culpâ promeritus fuerit*: Qui
 eliguntur nihil sunt meriti, quia ex misericordia eliguntur; qui relinquun-
 tur ex justitia relinquuntur quia id suâ culpâ omnes erant promeriti; ergo
 & hi. 11. Ad *versum 22.* dicit de reprobis, quod Deus non fecerit illos
 sed ipsi se fecerint *salia vasa ira apta, Gracè aptata, supple propriâ culpâ, ob-
 stinatione & impenitentiâ, In interitum, ad nihil aliud servientia quam ad penas
 & supplicia subeunda.* Sed quamvis verum sit quod isti tales se fecerunt vi-
 tio suo, tamen cum dicuntur vasa iræ *κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν*, id
 potius spectat Dei decretum de illis perdendis jure merito prop-
 ter sua peccata, quam ipsorum ultroneam perditionem, quâ id sunt
 à Deo commeriti. 111. Ad *eundem versum* pertendit *non hic agi de com-
 pleta prædestinatione aut reprobatione, vel de absoluta electione ad gloriam aut
 deputatione ad infernum*, eo quod agat Apostolus, *de vasis qua possint mu-
 tare conditionem & emundare se à sordibus, atque ita e vasis contumelie eva-
 dere vasa honoris* 2. Tim. 11, 21. Rom. xi, 23. aut è contrario *ibid. versu 20. Quæ
 mutatio cadere non potest in destinatos absolute ad gloriam, vel ab illa absolute re-
 jectos; sed agi hîc, de solis destinatis ad hereditatem etiam spiritualem Abra-
 he & Patriarchis promissam, & consequenter etiam ad salutem per Christum
 consequendam; sed destinatis sub conditione, si eidem Christo (quem omnibus ne-
 cessarium Redemptorem pro suo solius beneplacito Deus proposuit) per fidem &
 debitum calum subds, inferi & inherere voluerint; quod Vasquezii, Molina,
 Valentia, & Lapide autoritate confirmat.* Sed & in hoc commento multa
 occurrunt reprehensione digna. Nam Vasquezii, Molinæ & simi-
 lium excetarâr Pelagianismi, autoritatem hîc non moramur: Et supra
 retudimus commentum de redemptione universali: Nec posse hic in-
 telligi illam valorum coagulationem duplicem ad gloriam & inte-
 ritum, nisi de certa & irrevocabili prædestinatione, luce meridiana
 clarius

clarius patet : Nam 1. electio ad gloriam, etiam juxta Jesuitas, est peremptoria & irrevocabilis; atqui hæc vasa misericordiae dicuntur *com.* 23. præparata ad gloriam: prout & illis hæc gloria est præparata ab æterno Matt. xxv, 37. Quare hic agitur de peremptoria & irrevocabili electione, quia de electione ad gloriam. 2. Si hic de prædestinatione revocabili & conditionata ageretur, nulla esset vasorum per misericordiam & iræ discretio; Nam juxta hunc, omnes omninò sunt conditionaliter destinati ad salutem per Christum, qui omnibus datus est in Redemptorem; imò omnes omninò sunt destinati conditionatè ad interitum, si Christo per fidem & debitum cultum subdi, inferi, & inherere noluerint. 3. Ut vasa iræ dicuntur *κατηρτισμένα εις ἀπόλειαν*, eodem modo vasa misericordiae sunt præparata ad gloriam: at illa etiam ex mente Tirini sunt peremptoriè & irrevocabiliter aptata ad interitum, & ad nihil aliud servientia quam ad pœnam & supplicia subeunda, ut ipse interpretatur; quia nempe considerantur facta vasa iræ & aptata ad interitum *propria culpa, obstinatione & impenitentiâ*. 4. Eodem modo hæc vasorum duplex coagmentatio debet se habere, quo Iacobi dilectio & odium Esau; atqui juxta Tirinum, Iacob fuit absolutè electus in peculiarem populum & hereditatem Dei, pro ipsius solius beneplacito absolutè inde rejecto Esau ejusque posteris Idumæis; ergo, vel ab aliis ad cæpas transit Apostolus, vel coagmentationem hanc duplicem intellexit non conditionatè, sed absolutè ex solo Dei beneplacito & *κατὰ πρόθεσιν τὴ καλῶν*. 5. Secum quoque hic mirè pugnat Tirinus; cum enim antea pertenderet (falsò tamen) hæc vasa duplicia, ex diversa sumi massa, nunc debet ad eandem massam redire, si prædestinationem intelligat conditionatam & revocabilem. Coagmentatio enim ad usus diversos *ex diversa vel diversimodè disposita massa*, cum fiat juxta ipsum, non ex nudo dominio Dei, sed etiam ex legibus justitiæ, absoluta & irrevocabilis esse debet, pro illarum ipsarum legum justitiæ constantia & firmitate. Denique hic agere Apostolum de *vasis qua possint mutare conditionem & emundare se à sordibus, atque ita è vasis consumelia evadere vasa honoris, aut è contrario, falsissimum est*: Nam qui possent illa vasa se emundare & in melius immutare, quæ ex præsupposita eorum impenitentiâ & obstinatione finali, sunt *κατηρτισμένα εις ἀπόλειαν*? Adhæc talis est hiatus inter

inter electos & reprobos, & adeo firmum stat Dei fundamentum 2. Tim. 11, 14. ut ex electo reprobus aut ex reprobo electus, id est ovis ex hœdo nemo fieri queat: Nec Paulus 2. Tim. 11, 21. favet Tiriniano commento; cum non agat ibi quomodo quis ex vase ad intentum seipsum faciat vas ad gloriam, sed quibus notis, signis & τιμηρίοις quisque demonstret se vas esse εἰς τιμὴν ἡγιασμένον, in honorem sanctificatum; Ita Bellarminus ipse lib. 2. de gra. & lib. arb. cap. 13. *Non dicit (inquit) Apostolus vasa in contumeliam per emundationem fieri vasa in honorem, sed ostendit quo signo possint cognosci vasa in honorem; ac dicit vasa in honorem habere duo signacula; unum internum quod à nobis in hac vita certum non potest; notitiam videlicet divina approbationis; alterum externum, vitiationem iniquitatum & errorum; cum enim Deus ita prædestinaverit homines, ut per bona opera eos velit pervenire ad gloriam, signum est prædestinationis diligenter vitare peccata & præsertim hæresum iniquationem; Quod deinde comprobatur hac observatione, Paulum videlicet non dicere, Si quis emundaverit se ab his fiet vas in honorem, sed erit vas in honorem, id est cognoscetur esse vas in honorem.* Neque plus est ponderis in altero loco quem Tirinus citat ex Rom. x1, 20. 23. Quia 1. Ex hypothese plurium Pontificiorum aliud est fidelem esse & aliud esse electum ad gloriam sive vas ad gloriam præparatum; cum statuant fidei donum posse æquè obvenire electis & reprobis. 2. Paulus ibidem electionis firmitatem & immutabilitatem multis confirmat, Rom. x1, 1. 2. 5. 7. 3. Quæ insuper ab Apostolo dicuntur de toto corpore populi utriusque Judaici & Gentilis, quorum illud defractum est per incredulitatem, facta denominatione à majori parte, uti antea ex Tirino ipso vidimus, hoc per fidem insitum est, ad singulares personas trahenda non sunt, quasi ex electis & fidelibus in reprobationem & infidelitatem possint incidere. Etenim etsi Paulus dicat Judæos defractus per incredulitatem, statuit nihilominus quod qui à Judæis fuerant gratuitò electi, assecuti sunt justitiam quæ est ex fide, occalescentibus cæteris. 4. Nec omnis timor vigilantia & sollicitudinis qualis præscribitur à Paulo Rom. x1, 20. pugnat cum electionis firmitate & perseverantia certitudine; cum etiam Deus tali sollicitudine suorum perseverantiam efficiat Phil. 11, 12. 13. Denique fidem semel datam sanctis esse inamissibilem patet ex variis

℞

Scripturæ

Scripturæ testimoniis, nominatim ex intercessionis Christi efficacia, quæ pro suis precatur ne fides eorum deficiat Lnc. XXI, 32. Sed de capite nono Epistolæ ad Romanos hæctenus.

Act. xiii, 48. Crediderunt) Et hic locus evidenter ostendit nos electos esse ad fidem, non ex fide; esseque hanc electionis fructum & consequens, non causam vel conditionem antecedentem: cui veritati succinunt & alia Scripturæ testimonia, ut 2. Thess. III, 2. Tit. I, 1. Joh. VI, 37. VIII, 42. 47. I. Cor. VII, 25. Quin ipse Bellarminus hunc locum ex Actis citat lib. 6. de grat. & lib. arb. cap. 2. ut probet non posse hominem sine speciali illustratione Dei credere mysteria fidei. Alvarez lib. 5. de auxiliis disp. 37. n. 17. hoc utitur testimonio probaturus ordinationem electorum in vitam æternam antecedere in signo rationis dona gratiæ; quod confirmat autoritate Concilii Valentini cap. 3. dicentis, *Fatemur prædestinationem electorum ad vitam & prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum.* Sic & Janfenius lib. 9. de grat. Christi Salvatoris cap. 16. eodem hoc loco inter alios utitur, ut probet ex peculiari Dei diligentis & sibi complacentis & eligentis ac prædestinantis affectu & proposito, tanquam cardine proficisci ut quidam credant, ut adducantur ad ovile Christi &c. ex quo intelligitur istam electionem non præscientiam fidei & perseverantiæ & superatarum tentationum præsupponere, sed è contrario ipsorum fidem & fortitudinem contra tentationes & perseverantiæ & omnium rerum cooperationem & glorificationem, in electionem eorum & propositum & complacentiam Dei, tanquam originem & fundamentum ultimum resolvendam. Quid vero ad hunc locum Tirinus? Verba ejus referam & refutabo: *Crediderunt*, inquit, *in Christum*, quotquot erant præordinati, id est prædispositi ad vitam æternam, nempe ex libera sua dispositione sibi à Deo indita: qua dispositio in eo sita erat, quod sincero veritatis indaganda studio & salutis assequenda affectu, attenderent prædicationi S. Pauli. Atque ita antithesis est cum versu 46. Vos repellendo prædicationem nostram redditis vos indignos vita æterna; Gentiles vero auscultando & obsequendo prædicationi nostræ, præordinantur seu disponuntur ad vitam æternam, quasi tirones adscripti militiæ sub vexillo Christi: Græcum enim τεταγμενοι, verbum militare est & significat ordinatos seu dispositos in acie, vel in ordine militari; ita Isidorus Clarius, Salmeron, à Lapide & alii: Vnde nihil facit hic locus

pro

pro Dionysio Carthusiano & aliis quibusdam ex eo probare conantibus, electionem ad gloriam fieri ante pravisia cuiuspiam merita; Neque enim agitur hic de illa speciali, absoluta, completa, & solis predestinatis propria electione, sed (ut summum) de conditionata, inchoata & remota, ut patet ex dictis: Quis enim credat S. Lucam hic, ubi tantum agit de fide, id est de initio, velle dicere homines omnes & solos perseverasse in fide & gratia esseque salvatos? cum constet multos alios postea credidisse & salvatos esse, neque verisimile sit omnes salvatos esse qui tunc crediderunt. His genuina sunt quæ habent Sociniani apud Volkeliū lib. 5. de relig. cap. 17. Lutherani apud Brochmannum loco de prad. cap. 3. q. 2. Remonstrantes, in Synod. Scriptis pag. 61. & seqq. Hos ergo refutaverimus, si nodos Tirini planè solutos dederimus. Igitur 1. Secum pugnat Tirinus: Si enim hic saltem conditionata, inchoata & remota intelligitur electio ad gloriam, non ergo debet id referri ad intrinsecam dispositionem, per quam isti qui crediderunt seipsos liberè prædisposuerunt ad vitam æternam; ut enim intelligatur simul præordinatio extrinseca & intrinseca, objectiva & subjectiva, ex parte Dei & ex parte hominis, fieri non potest. 2. Hac suâ explicatione Tirinus deserit V. V. quæ fatente Becano cap. 14. de Deo, q. 4. §. 35. agit de præordinatione Dei ab æterno. 3. Non posse aliter intelligi multa sunt quæ demonstrant, Nam Arabs & Syrus interpretes de præordinatione divina hunc locum acceperunt: Hic nominatim, usus verbo $\sigma\omega$, quo utitur læpiusculè ad Dei decretum significandum, ut Luc: 11, 34. Ioh. xv, 16. 1 Thess. v, 9. 1 Pet. 11, 8. Nec in N. T. hoc verbum aliud sonat quam ordinationem externam, ut Amesius luculenter ostendit tum in Corin. ant. 1. cap. 6. tum in Antisynd. cap. 5. Videfis Act. xx 11, 10. 14. xxv 11, 23. Rom. xiii, 1. Neque aliter interpretes melioris notæ, ut Chrysostomus hom. 30. in Acta qui τοὺς τεταγμένους, vocat ἀφορισμένους τῷ $\delta\omega$; Prosper itidem in Epist. ad Ruff. solut. obj. 4. Author hypognosticon, lib. 6. Glossa interlinearis & Lyranus, qui discretè statuit hos fuisse præordinatos à Deo, cuius ordinatio non potest frustrari, Carthusianus, Erasmus, Estius, Emanuel Sa, Lintrensis & alii. Inest quoq; ad hoc sua interpretatio quod in eo usus est Lucas præterito plusquam perfecto, τεταγμένοι ἦσαν, quo denotatur non præiens quædam dispositio, sed prævia & antegressa ordinatio; ut mirum fuerit quod Corvinus contra Molinazum hic imperfectum

imaginatus sit, contra principia Grammaticæ Græcæ; Nam τὸ τεταγμένοι ἦσαν à verbo τάσσω, idem est quod τετυμμένοι ἦσαν, à verbo τύπτω. Ad hæc non simpliciter dicuntur τεταγμένοι ad fidem, sed ad vitam æternam, ad quam nemo subjectivè & intrinsecè benè dispositus censetur priusquam crediderit & Christum cognoverit. 4. Etiam si verbum hoc esset necessariò militare quo τάσσεσθαι idem sit ac describi militiæ cœlesti, nihil tamen huic nostræ sententiæ decederet; tunc enim dicerentur actu credidisse & vexillum Christi subiisse, quotquot jam ad hanc militiam delegerat & conscripserat summus imperator nempe Deus. 5. Absurdè dicerentur jam fuisse τεταγμένοι, hoc est dispositi in acie & in ordine militari sub vexillo Christi qui crediderunt, cum nemo priusquam credat in illis militiæ Christianæ ordinibus locum habere censetur; Et quandoquidem est fides, Tirino hinc teste, initium salutis, qui potuissent isti jam sub salutis & Christi vexillo dispositi & ordinati fuisse antequam crederent? 6. Si hi qui τεταγμένοι ἦσαν, hac sua dispositione contradistinguuntur ab indignis, non materialiter tantum, quod ultrò concedimus, sed etiam formaliter, ut pertendit Tirinus, tum debent hi digni fuisse qui vocarentur & crederentur: & sic dabuntur non solum merita *de congruo* ante salutis initium, licet ea sanior Theologia Pontificiorum respuat, sed etiam *de condigno*, quod hactenus in adversariorum scholis fuit inauditum. 7. Neque tiro-nes, quales hos fingit Jesuita, sunt ordinati & dispositi in acie, sed eò variis præexercitamentis & præludiis solent præparari. 8. Tum si hi intrinsecam aliquam habuerint dispositionem ad fidem & vitam æternam, illa fuit vel ab ipsis, contra expressum Pauli testimonium 1. Cor. IV, 7. & constantem Antiquitatis sententiam quæ salutis initium gratiæ divinæ deputandum asserit, vel à Deo; quo concessio debuit hæc dispositio melior fluxisse ex liberrima ipsius electione, juxta quam hos potius quam illos fide donare & salvare per fidem decreverit. 9. Duplicem fingere electionem, aliam absolutam & completam, aliam conditionatam, remotam & inchoatam, est ἀπροσδιόνυσον & à stylo Scripturæ alienum. 10. Quo argumento fiat verò simile Tirino, non servatos fuisse omnes qui tunc crediderunt, ipse viderit; qui illis tamen deputat sincerum veritatis indagandæ studium & salutis assequendæ affectum,

affectum, quo qui tenentur nullâ verosimilitudine possunt excludi salute. Interea tamen id observandum synecdochicas eas locutiones esse in Scripturis frequentissimas, quibus sic compellantur communitates, ut in commendando habeantur quasi in illis omnes essent boni, in reprehendendo quasi omnes essent mali; quod & observatum Augustino epist. 59. ad quaest. 6. *Scriptura mos est ita loqui de parte tanquam de toto: sicut Corinthios in primis epistola sua partibus, ita laudat tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum; & postea in nonnullis epistola ipsius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent, propter quosdam qui tales erant.* Iam divinarum Scripturarum consuetudinem per omne corpus litterarum ejus creberrimè sparsam quisquis diligenter adverterit, multa dissolvat qua inter se videntur esse contraria. Ex hac ergo regula si quis pertinacius contendit verosimile non esse ut omnes illi qui ad prædicationem Paulinam Christianisimam sunt amplexi, eum sint amplexi verâ & salutiferâ fide, sed hanc lassam subiisse pisces bonos & malos, respondebitur ibi denominationem fieri per Lucam à potiori parte; ut statuat & quotquot verè crediderunt (quique non fuerunt προκασιποι) fuisse præordinatos à Deo ad vitam æternam, & quotquot ex auditoribus Pauli in illa concione & conversis extrinsecè ad Christianismum erant præordinati ad vitam æternam actu credidisse & salvificâ fide Christo adhaeruisse. Quare verissimum est & quotquot verè crediderunt ex illis fuisse salvatos, quia erant præordinati ad vitam æternam, & quotquot tunc aderant & audiebant (de illis enim loquitur Lucas) ex præordinatis ad vitam æternam, credidisse & vera fide Christum amplexos fuisse, atque ex illis auditoribus & conversis tunc, hos omnes & solos perseverasse in fide & gratia, & salutem æternam adeptos fuisse, ut benè dixerit Lintrensis ad hunc locum; *Non est autem admittendus ille Commentarius quo qui hîc dicuntur præordinati vel ordinati in vitam æternam, intelligantur à seipsis eò ordinati.* Neque enim dubium esse potest, quin Dei ipsius prædestinationem, prædeterminationem, seu prædestinationem ejusque effectum S. Lucas hic dicere voluerit; non hominis conatum divinâ gratiâ nondum præventi, ac ne præventi quidem; sed opus Dei commendare, hominem suâ gratiâ prævenientis & deinde subsequenti; Ita infra cap. 16. versu 14. ait de Lydia purpurarâ quod Dominus ei aperuerit cor ut assunderet his qua dicebantur à Paulo; &

aliis locis multis *salus nostra à primo initio usque ad finem divina potentia & misericordia adscribitur, ut qui gloriantur in Domino glorientur.* At, inquit alii, isti *τεταγμένοι* opponuntur *τοῖς ἀτακτοῖς*. R. Non esse hanc legitimam oppositionem, cum opponantur *ἀτακτοὶ τοῖς εὐτακτοῖς* qui ordini constituto inhaerent eumque servant religiosè, non *τοῖς τεταγμένοις*, qui extrinsecùs sunt ad aliquid præordinati & constituti. At, inquit, si electi ad vitam qui crediderunt; E. reprobi erunt qui non crediderunt. R. Nihil in eo esse periculi si dicamus eos qui pertinaciter & finaliter rejiciunt Dei verbum, esse reprobos & *προγεγραμμένους εἰς τοῦτο τὸ κρίμα*. At non habet textus *ὅσοι προτεταγμένοι, aut προωρισμένοι ἦσαν* sed tantum *τεταγμένοι*. R. Æquè benè ni fallor intellexisse hoc verbum Authorem V. V. & ipsum Chrylostomum ac modernos Pelagianos; hi autem Lucam intellexerunt de præordinatione & prædestinatione divina; Et uti antea monui ipsum præteritum plusquam perfectum docet de præordinatione sumi debere. Adde verba Petri Lintrensis; *In græco quidem codice non legitur compositum (præordinati) sed simplex (ordinati) verum id non refert; quoniam eadem est Dei ordinatio qua præordinatio; tantum hoc est discriminis quod præordinatio sit de rebus que nondum sunt; hanc enim antecessorem involvit particula (præ) ut sit rerum antequam ipsæ sint vel fiant; ordinatio autem dicatur & de rebus priusquam sint & de rebus jam existentibus: eadem differentia est inter destinare & prædestinare.* At *τεταγμένοι* erant ad vitam æternam, quod cum gaudio & alacritate receperint Euangelium. R. Imo ideo cum gaudio & alacritate & fide Euangelium receperunt quia *τεταγμένοι ἦσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον*. At sensus est, inquit Becanus, *omnes illos credidisse in tempore, quos Deus ab æterno prævidens credituros præordinavit ad vitam æternam.* R. Si hîc debeat esse sensus, ergo intelligendus est textus de electione absoluta & completa, cum absolutè & completè, juxta hos præscientiarior, electi sint ad gloriam illi quos prævidit Deus credituros & perseveraturos in fide. Deinde si hi credidissent juxta quod præviderat Deus eos credituros, non arcesseret Lucas eorum fidem à præordinatione divina, sed potiùs præordinatio divina ex illa fide foret derivanda. At, inquit alii apud eundem Becanum, hoc pertinet ad ordinationem Dei per Prophetas prædictam, de Gentilibus successuris in locum Judæorum à fide deficien-

Scientium: R. Verum nec patitur Jesuitarum doctrina ut qui sunt electi ad gratiam, dici queant ideo præordinati ad gloriam & vitam æternam; neque agit Lucas de Gentilibus in communi vocandis in locum Judæorum, sed speciatim & distinctè de iis è Gentilibus, quibus ideo cœlitus datum est ut crederent, quod jam à Deo præordinati essent ad vitam æternam.

Eph. 1. 4. Elegit nos) Quantum & huic loco insit momenti ad hanc causam monet rectè Bellarminus *lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 10.* qui observat quod Apostolus non ait *Elegit nos quia sanctos vidit futuros, sed in essentia sancti: Neque ait Elegit nos propter bonum usum liberi arbitrii aut gratia, sed secundum propositum voluntatis sue, & hoc in laudem gloria gratia sue:* Et sanè omnes circumstantiæ textus illius militant veritati: Particula enim illa *sicut*, ostendit benedictionum illarum spiritualium, de quibus versu præcedenti, fontem non aliunde repetendum quam ex prædestinatione Dei; & seipsum Apostolus cæteris conjungit (*elegit nos*) ut connotet eam electionem de qua fidelium quisque debet esse persuasus in sua conscientia; & dicimur electi in Christo, id est servandi per Christum *πρὸ καταβολῆς κόσμου*, ut sic illius electionis certitudo & firmitas inconcussa ostendatur; ac com 5. forma & modus illius electionis distinctiùs explicatur, prædestinatione nostri in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum secundum beneplacitum suum; Quam autem sæpè Augustinus hoc testimonio Paulinè sit usus, haud facile dixerim; Videtis *lib. 1. ad Simplicianum q. 2.* sed maximè *lib. de prædesti. Sanctorum cap. 17. 18. & 19.* Hoc testimonium fusè propugnant contra Synodica Remonstrantium Amesius in *Antiisyn. cap. 4.* & contra Grotium Coccejus in *Exercitat. ἑρμηνευτικῆν de princ. Epist. Pauli ad Eph.* Mihi satis erit Tirini commentarium excutere; Sanè quod omnes causas prædestinationis nostræ hîc commemorari asserit Tirinus haud gravatè concessero; ut efficiens sit Deus qui prædestinavit & elegit: materialis nos; formalis secundum propositum voluntatis suæ; finalis laus gloriæ gratiæ suæ: Sed *ibi* Tirinus errat quod putat hîc statui Iesum Christum causam exemplarem prædestinationis com 5. eò quod dicimur prædestinati in adoptionem filiorum per Iesum Christum *in ipsam*; nam illud *εἰς αὐτὸν*, non denotat causam formalem prædesti-

prædestinationis, sed potius finalem adoptionis; quatenus voluit nos Deus adoptare in seipsum, id est ut sui essemus, ipso Emanuele Sà interprete. Ita Syrus interpret sic habet, *Et prædestinavit nos sibi & posuit nos in filios per Iesum Christum*: Oecumenius clarius, *εις υιοθεσιαν δ'ε, ποιαν; την εις αυτον, φροσι, φερυσαν τον θεον*. Errat itidem Tirinus, quod ad formalem causam prædestinationis referat illa verba ult. com. 4. *εν αγαπη, in charitate*: illa enim potius ad formam & normam sanctificationis, ad quam sumus electi, debet referri: Quod si cum Syro interprete, Hieronymo, Budæo & nonnullis aliis, illud *εν αγαπη* conjungas cum *προδρισσας*, tum non tam causam formalem prædestinationis denotabit, quam potius causam ejus *προηγμενην*, nempe gratuitam Dei dilectionem quæ fuit vere benevolentia & nullius complacentia, cum nihil aliud esset in nobis quo moveretur quam nostra perditio & miseria. At illud in primis nobis merito displicet quod prædestinationis causam meritoriam faciat Iesum Christum: Quamvis id asserat hoc loco Jesuita, & idem magno molimine conetur adstruere Brochmannus *locus de prædest. cap. 3. quæst. 3.* tamen statui non potest: nam si causa meritoria electionis esset Christus quæ Mediator, tunc homines eligerentur non ut miseri & peccatores, ut tota docet Scriptura, sed ut redempti per Christum & in ipso Deo grati & accepti: Et cum animam suam posuerit pro ovibus suis & iis quos Pater ipsi dedit redimendos, oportet electionem quæ oves redimendæ sunt designatæ, esse priorem in significatione illius destinatione ad eas redimendas: Nec foret prædestinatio in bono *gratia preparatio*, uti statuitur ab Augustino, *de præd. SS. cap. 10.* si ab illa non fluere ipsa Christi ordinatio in redemptorem hominum. Imo dum ipse Tirinus paulò post, effectibus prædestinationis & electionis accendet ex v. 7. *Redemptionem & remissionem peccatorum*, primam illam suam thesim de Christo causa meritoria prædestinationis evertit: Tam enim absurdum est redemptionem quæ est in Christo Iesu statuere simul causam meritoriam & effectum prædestinationis, quam idem esse alicujus rei causam & effectum. Adhæc universalis gratiæ patroni vel debebunt electionem universalem Huberi & Puccij propugnare, vel debebunt dicere quo sensu electionis quorundam causa meritoria sit Christi redemptio: Cur enim non omnes

nes

nes eligerentur per Christum si omnes ab ipso sunt redempti? Si dicas ex distinctione Remonstrantium, fundari prædestinationem in Christi merito, non respectu impetrationis quæ est universalis, sed applicationis quæ est particularis & restricta ad solos credentes, tum fidem quâ quis speciatim sibi applicat meritum Christi omnibus commune, constitues electionis causam, (quod Lutherani non audent dicere) non simpliciter meritum Christi. Quid quod vocatio quæ prior est fide ab electione fuit, unde applicatio per fidem meriti Christi, non potest esse prior electione, nisi seipsâ prior & posterior fingatur? Nec illud elegit nos *in ipso*, denotat vel Christum quâ λόγος & sapientiam Patris esse causam efficientem electionis, prout *ἐν αὐτῷ* id est per ipsum omnia creata dicuntur; quæ fuit sententia Cl. Gomari, nostri quondam Præceptoris Doctissimi & Prædecessoris postea in hac Academia: Vel nos fuisse jam Christo infitos per fidem cum electi fuimus, uti pertendebant olim Remonstrantes in *Collatione Hag.* sed cui sententiæ postea renunciarunt in *scriptis suis Synod.* Sed propriè, *ἐν* posito pro *διὰ*, uti etiam explicatur in versu sequenti, & quod sæpiùs obtinere in Scripturis nemo nescit, imo hic nominantim versu 7. significat nos esse electos per Christum, redimendos nempe sanctificandos & glorificandos; ut electionis nostræ decreto constitutus sit in fundamentum omnium mediorum per quæ ad finem eramus adducendi. Ita Clemens Alexandrinus *Strom. lib. 2.* dicit illum μακαρισμῶν, de quo David *Beati quorum remissa sunt peccata*, pervenisse ἐπὶ τὰς ἐκλειλεγμένους ἀπὸ τοῦ θεοῦ διὰ ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν. Hinc 1. Pet. 1, 2. dicimur electi κατὰ πρόβλεψιν θεοῦ, in sanctificatione Spiritus, ad obedientiam & asperisionem sanguinis Christi; id est ad fidem & justitiam in Christo & per ipsum obtinendam: & 2. Tim. 1, 9. dicitur Deus nos servasse & vocasse vocatione sanctâ, non secundum opera nostra, sed secundum proprium propositum & gratiam datam nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia, manifestatam vero nunc per apparitionem Servatoris nostri Jesu Christi, qui & mortem abolevit & vitam protulit & incorruptionem per Evangelium: Ergo sumus servati per eam Christi gratiam quæ jam juxta Dei propositum æternum & ex illo nobis decreta & destinata fuerat. Hæc de

causis prædestinationis annotatis à Tirino ex loco qui est præ manibus & ad eum: Ejus vero effectus statuit à Paulo recenseri v. 7. *Redemptionem & remissionem peccatorum*; v. 11. *vocationem nostri seu conversionem ad fidem & justitiam*; & v. 6. *gratificationem nostri per infusionem gratiæ sanctificantis, qua grati & gratiosi reddimur Deo & toti curiæ cælesti*; & v. 5. *adoptionem filiorum ad cælestem & æternam hereditatem*; denique v. 8. *omnem id est summam maximeque sublimem sapientiam seu cognitionem rerum divinarum & prudentiam rerum ut oportet agendarum*. In quibus nihil ferè occurrit reprehendendum nisi quod illud *ἰχάρτωσιν ἡμᾶς*, v. 6. interpretatur de gratiæ infusa & inhærente; cum non per illam, sed per meritum Christi & in ipso dilecto suo nos sibi reddiderit Pater gratos & acceptos, nosque beneficiis suis gratuitis propter eundem cumulaverit. Sed ex illis effectis prædestinationis & electionis patet Primò non hîc intelligi electionem tantum ad gratiam sensu Becani; cum electio ea quæ confert & producit in electis omnia ista effecta quibus positis glorificationem eorum sequi necesse est, debeat esse necessario electio certa ad gloriam. Secundò electionem hanc non significare, ut pertendit Grotius cum suis gregalibus, vocationem ad sanctitatem ex officio præstandam; quandoquidem ipsa tum vocatio tum sanctificatio actualis illius effectis debent annumerari. Tertiò prædestinationem & electionem hanc non esse vel ex redemptione Christi vel ex operum aut fidei prævisione, sed absolutam ad redemptionem, fidem, sanctitatem, adoptionem, hereditatem cælestem. Nec est quod metuat Becanus ne sic constituamus sanctitatem finem gloriæ ad quam sumus electi: nam sumus electi ad sanctitatem quæ demum plena erit in gloria, & sic ad gloriam per sanctitatem. Quartò turpiter Tirinum sibi contradicere, dum asserit Deum nos elegisse *ut si vellemus ipsius gratiæ cooperari, fieremus & essemus sancti, nec Apostolam hic loqui de electione absoluta, nisi quantum est ex parte Dei, cum ex nostra parte requiratur consensum & cooperationem ut alibi dicit de suamet electione Gal. 1, 18*. Item non loqui de immediata electione ad gloriam, ut vult Suarez, sed ad fidem, justitiam, sanctitatem; ac eodem modo usurpari verbum *prædestinari* com. 5. nempe *inchoatè seu ad justitiam*. An enim electio hæc esset suspendenda ex consensu & cooperatione arbitrii nostri, quæ ipsum consensum

firmum

sum censetur efficere, eo quod illius effectis annumerentur à Paulo vocatio, adoptio, sanctificatio ipsa? Et quid absurdius tribui posset Paulo, quam cum fingitur revera dixisse Deum nos elegisse si vellemus eligi? Nam hinc aliquid erit specialis beneficii & quod ex hypothesei adversariorum non sit commune omnibus hominibus? An Paulus vel per somnium cogitarit de suspendenda sui electione ex libero suo arbitrio cum dixit Gal. 1, 16. se à Deo efficaciter & gratiosè vocatum ad Christi cognitionem, non illicò consilia miscuisse cum carne & sanguine, hoc est cum suis consanguineis, ut ipse Tirinus ibi interpretatur? Quandoquidem è contrario his verbis vocationis divinæ efficaciam insinuat, quæ tanta fuit, ut absque ulteriori mora vel deliberatione, Deo vocanti juxta propositum suum alacriter obsequeretur. Et unde Jesuitæ probabunt posse dari electionem quæ sit absoluta ex parte Dei non ex parte nostri, quasi possent homines Dei consilium etiam absolutum irritum facere, nec Deus posset efficere quod *absolutè* intendit & decreverit? Quo argumento conficiet, distinguendum inter prædestinationem inchoatam & completam, cum *προβρισμος* sit certa destinatio ad finem ultimum? Quibus indicis demonstrabunt, eam non esse electionem immediatam ad gloriam, quæ est ad fidem, justitiam, sanctitatem, adoptionem, illa omnia in electis effectura? Nempe tantæ volis erat liberi arbitrii vires in salvo esse, nec homines nimis obstructos reddi gratiæ divinæ, ut nullum opinionum portentum ideo refugiant Jesuitæ. At, inquit Tirinus, Paulus *omnes Ephesios imò omnes Christianos, dicit hinc prædestinatos & electos: certum tamen est multos illorum fuisse reprobos & postea damnatos; quod completè & absolutè prædestinatis vel electis ad gloriam accidere non potest. Sed jam supra monuimus has locutiones Apostolorum esse synecdochicas & denominationem in illis fieri à nobiliori parte; Sic enim ecclesia in genere dicitur corpus Christi mysticum & gloriosum, respectu demum verè fidelium & sanctificatorum, non hypocritarum illis permixtorum: Et cum certas notas proponat Apostolus istius electionis & prædestinationis, facile est intelligere hoc electorum & prædestinatorum elogium inter Christianos, his solum convenire qui has notas in se habent & ostendunt. Videatur Jansenius reddens rationem ex sui Augustini principiis & doctrinâ*

Trinâ Scripturarum quo pacto Scriptura Christianos omnes electos & prædestinatos vocent, lib. 9. de grat. Christi Salvat. cap. 16.

Vnde Rom. vi. versu ult. Vita) Si omnia loca Scripturæ in quibus gratiæ Dei nostra salus ad scribitur, & per quæ omne meritum, per consequens omnis prævisio meritorum excluditur, essent hîc expendenda, in immensû hic labor excreseceret: Nec incassum vita æterna hîc χάρισμα dicitur, id est donum gratuitum per Iesum Christum; quo spectat dictum Augustini de grat. & lib. arb. cap. 8. Si vita bona nostra nihil aliud est quam Dei gratia, sine dubio & vita æterna, que bona vita redditur Dei gratia est; Et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. Nihil ad eum locum annotavit Tirinus quod huc multum faciat, nisi dum statuit optimo iure vitam æternam omni ex parte vocari & esse gratiam & gratuitum donum; quod sane verum non erit, si ex cooperatione nostra efficacia gratiæ quâ ad illam præparamur sit suspendenda. Imo dum ibidem statuit vitam æternam esse mercedem iustitiæ non ex se seu ex natura rei, sed ex gratuito decreto & promissione Dei, suorum evertit placitum de meritis ex condigno: Sed hæc aliò spectant^r

Solum hic addo, ex eo quod) Hac cautelâ non potest tam insolens & Pelagiana doctrina incrustrari: Nam falsum est aliquid esse discriminis inter electionem efficacem ad gloriam & prædestinationem æternam: cum prædestinatio sit προόρισμος sive præordinatio ad ultimum finem: Quod si ea includeret præviam, hypotheticam & ex parte Dei destinationem omnium ad eandem gloriam, prædestinati omnes & singuli essent dicendi; & censendus Deus majoris partis respectu excidisse suo finem. Nec capio quo sensu idem decretum includat omnium destinationem hypotheticam ad gloriam, & quorundam tamen efficacem & absolutam electionem ad illam: Aut quomodo possit simul idem decretum esse hypotheticum respectu omnium, & absolutum quorundam respectu; Item includere prævisionem meritorum & status finalis cuiusque, & eorum meritorum atque omnium mediorum ad gloriam præparationem & collationem: Cum præparatio & collatio mediorum ad gloriam pendeat ex prædestinatione divina, non aliunde certius colligi potest quinam sint prædestinati ad gloriam, quam ex actuali collatione illorum mediorum, quæ non est promiscua & universalis, sed ad eos restricta quos

quos per eadem media Deus certò decrevit ad gloriam adducere: Quod si media ad gloriam acquirendam necessaria, quia gratuita sunt, à prævisis nostris meritis non pendent, an ex prævisione meritorum pendebit electio nostra ad gloriam, quæ non minus est gratuita, unde electio gratiz dicitur Rom. xi, 6? Et debuit scotomate percussus fuisse Tirinus cum huc protulit locum Ioh. xv, 16. qui agit non de prædestinatione conditionata vel omnium, sed de absoluta electione singularium quarundam personarum; non facta ex prævisione fructuum vel operum bonorum, sed ad eorum productionem: Infulsè Becanus *cap. 14. de Deo q. 4. §. 32.* ut se hinc extricet, (in quo prætulit facem Remonstrantibus nostris) conatur hoc restringere 1. Ad electionem ad Apostolatam; cum dicantur electi ut fructus in ipso Christo profertur permanentem in vitam æternam: & Toletus *annot. 20. in 15. Ioh.* agnoscat non minus hîc intelligi electionem ad fidem quam ad Apostolatam. 2. Ad electionem ad gratiam contradiſtinctè ab electione ad gloriam; cum duas hîc electiones fingere, sit absque Scriptura loqui, & contra illam: Qui enim homines eligerentur ad gratiam quæ medium est certum gloriæ consequendæ, nisi electi & prædestinati essent ad gloriam? 3. Ad Providentiam communem, ita ut ad prædestinationem non pertineat: cum tamen specialis electio, qualis hæc, Providentiæ communi tribui nequeat, & Tirinus hic noster, hanc electionem qualemcunque demum eam finxerit, agnoscat spectare ad prædestinationem. Nec valet Becani instantia, hanc electionem non fuisse efficacem in omnibus respectu gloriæ, ut patet in Juda: Quamvis enim Christus communiter de suis Apostolis sic loqueretur per eam synecdochen de qua diximus antea etiam ex Augustino, tamen hoc elogium solos eos spectabat de quibus dicebat Joh. xiii, 18. Ego scio quos elegerim, & Joh. xvii, 12. Quos dedisti mihi custodivi & nemo ex illis periit nisi filius perditionis. Nec multò sanior suo Becano noster Tirinus *ad hunc locum*, qui agnoscit quidem hinc sequi electionem & vocationem ad fidem esse gratuitam, sed quod unâ manu dederat, conatur alterâ eripere dum addit, licet enim assensus fidei pendeat à nostro arbitrio & consensu, illuminatio tamen interna & excitatio ad assentiendum fidei non pendet à nostro arbitrio, sed est à solo Deo. Nam quid aliud

est hoc dicere, quam nos potius Deum eligere quam ab ipso eligi, quandoquidem ex nostro assensu & arbitrio pendet efficacia suæ electionis, & in nostra manu sit eam irritam facere? Quam melius Augustinus *tract. 86. in Ioh.* cujus verbis hanc diatribam claudere operæpretium est. *Hac est, inquit, illa ineffabilis gratia; quid enim eramus quando Christum nondum elegeramus, & ideo non diligebamus? Nam qui eam non elegit quomodo diligit? Nunquid jam in nobis erat quod in Psalmo canitur, Elegi abjectus esse in domo Domini magis quam habitare in tabernaculis peccatorum? Non utique. Quid ergo eramus nisi iniqui & perditii? Neque enim jam crederemus in eum ut eligeret nos: nam si jam credentes elegit, electas elegit: cur ergo diceret, Non vos me elegistis, nisi quia misericordia ejus prevenit nos? Hic certè vacat vana illorum ratiocinatio qui præscientiam Dei defendunt contra gratiam Dei & ideo dicunt nos electos ante mundi constitutionem quia præscivit Deus nos futuros bonos, non seipsum nos facturam bonos; non hoc dicit qui dicit, non vos me elegistis: quoniam si propterea nos elegisset quia bonos futuros esse nos præsciverat, simul etiam præscisset quod eum nos fuissetis præcæ electuri. Non enim aliter esse possemus boni, nisi forte dicendus est bonus qui non eligit bonum: Quid ergo elegit in non bonis? Non enim electi sunt quia boni fuerunt, qui boni non essent nisi electi essent; alioquin gratia jam non est gratia si præcessisse contendimus merita; hac quippe electio gratia est de qua dicit Apostolus, Sic ergo & in hoc tempore reliquia per electionem gratia Dei salva facta sunt: unde subjungit, Si autem ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Audi in grate, audi, Non vos me elegistis sed ego elegi vos: Non est ut dicas, ideo electus, sum quia jam credebam. Si enim credebas in eum jam elegeras eum. Sed audi Non vos me elegistis: Non est quod dicas antequam crederem jam bona operabar, ideo electus sum. Quid enim est boni operis ante fidem, cum dicat Apostolus Omne quod non est ex fide peccatum est? Quid ergo electuri sumus audiendo, Non vos me elegistis, nisi quia mali eramus & electi sumus, ut boni per gratiam nos eligentis essemus? Non est enim gratia si præcesserant merita. Est autem gratia: Hac igitur non invenit, sed efficit merita: & videte Charissimi quemadmodum non eligat bonos, sed quos elegit faciat bonos. Ego inquit elegi vos & posui vos ut eatis & fructum afferatis & fructus vester maneat. Nonne iste est fructus de quo jam dixerat, Sine me nihil potestis facere? Elegit ergo & posuit ut eamus & fructum afferamus: nullum itaque fructum antea nos eligeret habebamus.*

CONTRO-

CONTROVERSIA XIV.

D C

GRATIA DEI.

Respondente

GUALTHERO HEGEMAN Elburgo-Gelro.



NAM **GRATIA** propriè dicta est **DONUM SPIRITUALE**, non ex ipsâ naturâ vel naturalibus principijs profluens (ut volebat Pelagius:) sed superadditum naturæ, seu **SUPERNATURALE**, à Deo immediatè collatum creaturæ rationali. Idque sive conferatur **ANTE LAPSUM** in peccatum, ut conrigit Angelis Gen: 1, 1. & Adamo & Evæ Gen: 2. & humanæ naturæ Christi, quem Ioh: 1, 14. *Vidimus plenum gratiæ & veritatis.* Sive **POST LAPSUM**, quæ duplici titulo *gratia* dici potest; Primò, quia in debita; Secundò, quia indignis collata, qualis est ea omnis, quam nobis intuitu meritorum Christi largitur quotidie Deus; undè & *gratia* Christi vocari consuevit. Rom: 111. 24. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.*

CENSUR A. *Gratia propriè dicta est*) Post fusè tractatum caput de Prædestinatione & libero arbitrio, non est operæpretium ut huic materiæ de *Gratia* prolixè inhæreamus: Hic autem graviter impegit à limine noster Tirinus, idque non uno modo: Quamvis enim sui Bellarmini *lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 1.* describat epitomen, tamen cœcum cœcus sequutus, incidunt ambo in foveam. Vitiosè igitur *Gratiam propriè dictam donum spirituale* vocat: nam *χάρις* & *χάρισμα* non debent confundi; & quamvis omnia Dei dona spiritualia & salutaria ad nos deriventur ex Dei *gratia*, ut dicat quilibet cum Apostolo 1. Cor. xv, 10. *Gratiâ Dei sum id quod sum*, tamen omnis Dei *gratia in nos vel erga nos donum* ipsius dici nequit, nisi valdè catachresticè: *Varia Gratia* significata in Scripturis non est necesse ut hic excutiam; re-

repetantur ex Flacco Illyrico in *Clavi Scriptura* & Hieronymo Zanchio *lib. 4. de nat. Dei cap. 2. q. 1.* nec non Brochmanno *loco de Gratia Dei cap. 1. sect. 1.* Nobis sufficiat annotasse, *Gratiam Dei* bifariam posse intelligi, vel affectivè vel effectivè. *Affectivè* notat Dei erga nos amorem, favorem, benevolentiam; Tum eam quâ nos ab ævo dilexit & elegit ad vitam; Unde electio dicitur electio gratiæ Rom. xi. 5. Et hanc Bellarminus V. S. *cap. 2.* vocat gratiam æternam, citato ad hanc rem loco Eph. i, 6. Tum eam quâ nos in tempore gratos habet, charos & acceptos in Filio dilectionis suæ; Quo potissimum sensu gratiam & pacem sæpissimè Apostolus precatur fidelibus ad quos scribit; Eò spectant præsertim loca Luc. i. 30. Rom. i. 11, 27. Tit. i. 11, 7. *Effectivè* verò gratia Dei notat tam vim atque efficaciam actualem, quam Deus potenter exerit in suorum conversione, regeneratione & sanctificatione, de qua Eph. i, 19. ii, 8. iii, 20. quàm omnia beneficia spiritualia hominibus collata, vel ad communem totius Ecclesiæ ædificationem, vel ad specialem uniuscuiusque salutem; quo significatu sumitur, i Cor. xii, 4. 7. 8. xv, 10. Act. xi, 23. & alibi passim. Porro inter gratiam affectivam & effectivam illud est discriminis, quod illa est erga nos, hæc in nobis; ad illam homines tantum objectivè se habent, ad hanc verò subjectivè.

Non ex ipsa natura vel naturalibus) Quamvis Pelagius naturæ beneficia gratiæ annumeraret, & initio omnia naturæ & libero arbitrio adscriberet, postea tamen naturæ adjunxit aliquam nomine tenus gratiã non modo externam institutionis, doctrinæ, exemplorum, mortis Christi, sed etiam internam quæ consisteret in illuminatione illa & persuasione morali, quæ etiam Jesuitæ, Sociniani & Remonstrantes gratiam Dei convertentem definiunt. Eò tandem devenisse Pelagium, ut hanc gratiam internam confiteretur constat ex Augustino *lib. 4. de gratia Christi contra Pelag. & Cælest. cap. 7. & 8. & de hæres. ad Quod vult Deum cap. 88.* Item ex Synodi Carthaginensis *Cann. 3. & 5.* Sed hæc est astutia Jesuitarum ita Pelagianismū durius describere, ne suus cum Pelagianis syncretismus tam palam sit. At de hoc postea erit ulterius dicendum.

Idque sive conferatur ante lapsum) Antea ad *Cont. xi, n. 2. 12. 3.* disse-
ruimus de primi hominis gratia, & tùm Pontificiorum hac in parte in-
constan-

constantiam multiplicem declaravimus, tùm etiam ostendimus justitiam originalem, quam gratiæ nomine plerumque intelligunt, non fuisse quid super naturaliter additum protoplastis, sed ipsis concretam & connaturalem fuisse; quod idem statuendum de Angelis in integritate conditis; Nec video quí multùm dissimilis centeri debeat omnis illa gratiæ plenitudo, quæ Christo quàm homini tribuitur, quandoquidem in humanam naturam ex unione hypostatica redundavit; ut etiam Thomas & alij Theologi Pontificij docent apud Becanum, *cap. 3. de Incar. q. 2.* unde Christo connaturalis fuisse dicitur Alvarezio *lib. 7. de auxil. disp. 69. §. 9.* Quanquam locus híc Tirino citatus ex Joh: 1, 14. sit parum ad hanc rem; cum Christus ibi dicatur plenus gratiæ & veritatis, non tàm subjectivè, quam effectivè, sive, ut loquitur Toletus *in comm. ad ea verba, ab effectu & redundantia in nos, quia nobis gratiam & veritatem communicavit*; quod etiam nostrates Belgæ colligi ostendunt ex v. 17. Sed ista de gratia primi Adami & Angelorum ante lapsum, item de gratia in humanam Christi naturam effusa, de qua potius intelligi deberet locus qui extat Luc: 11, 52. parùm hic faciunt ad rhombum: cùm omnes, quæ agitantur Controversiæ de necessitate, amplitudine, operatione, efficacia gratiæ, spectent ad gratiam medicinalem & liberatricem naturæ lapsæ, alterius planè generis à gratia sanitatis, uti dicitur Jansenio *lib. 2. de grat. sal. per totum, ac præsertim cap. 3.* Nam ante peccatum competeat arbitrio libertas, postea vero vulneratio & captivitas.

Sive post lapsum qua duplici) Quod gratiam liberatricem sic dici putat Tirinus, quod & sit *indebita & indignis*, hoc est eam non meritis vel merentibus conferatur, benè facit: Nam ita Scriptura gratiam meritis vel operibus opponit, ut merita & gratia sint planè ἀσυνκλήσια & ἀσύστα Rom: XI, 6. 35. Unde Augustinus *lib. 2. contra Pelag. & Cal. cap. 24.* Gratia Dei non erit gratia ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo; Si autem *indebita* est, Tirine, & *collata indignis* ea omnis gratia quam nobis quotidie largitur Deus, ut híc fateris, dicas ergo nobis qualem gratiam possis mereri etiam *de condigno*, ut tu & tui statuitis? Sed neque illud simpliciter verum, quod omnis Dei gratia medicinalis nobis obveniat *intuitu meritorum Christi*; nisi intelligatur de omni ea

gratia, quæ sigillatim unicuique nostrum confertur à primo nostræ vocationis momento inclusivè : Aliàs Electionis æternæ gratia non est facta intuitu meritorum Christi, ut ad Controversiam superiorem docuimus, quia per illam demum nobis destinatus est Christus in Sospitorem et Liberatorem : Imò nec gratia illa, quâ in tempore datus est nobis juxta dictum Esajæ 1x, 5. Joh. 111, 16. potest fundari in ipsius meritis: qui enim datus est ut mereretur nobis vitam & salutem, eorum meritorum intuitu datus dici nequit. Cœterum omnium salutarium beneficiorum quæ consequimur, & totius efficaciz quam exerit Deus ad operandum in nobis & velle & perficere, unicum Jesum Christum fontem & originem agnoscimus, ut pote ex cujus plenitudine haurimus omnes & gratiam pro gratia Joh. 1, 16. & qui nobis à Deo Patre factus est sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio I. Cor. 1, 30.

Num: 2. GRATIA alia est GRATIS DATA tantum, quæ primariò & principaliter confertur ad spiritualem Ecclesiæ utilitatem, non verò in particulari ad utilitatem ejus qui illam accepit. Tales novem recenset Apostolus I Cor: XII, 8. &c. Alia est gratia etiam GRATUM FACIENS hominem Deo, quæ primariò ac principaliter datur ad propriam ipsius spiritualem utilitatem. Et hæc vel est HABITUALIS, seu permanens v. g. fides, spes, & aliæ virtutes, tam quæ præcedunt justificationem, & inchoatè seu initialiter gratum faciunt; quam quæ sequuntur, ut charitas, & virtutes morales, quæ unà cum gratiâ justificante infunduntur. Vel est ACTUALIS, seu transiens, nempe specialis, sed non permanens motio Dei interna ad actum vel opus bonum producendum. Ioh: xv. 5. *Sine me nihil potestis facere.*

CENSURA. *Gratia alia est gratis data*) Hanc distinctionem, quo sensu à Tirino profertur, in genere non improbamus, ut nempe per gratiam gratis datam tantum, intelligantur Charismata illa varia Spiritus Sancti, quorum fit mentio I, Cor. XII, 8. quæ frequentiora orant sub initio Christianismi; per gratiam verò gratam etiam facientem intelligatur omnis illa gratia liberatrix, medicinalis & saluifica quam Dei favor adhibet in unoquoque electorum suorum, & singulis ipsorum confert ad eos deducendos in patriam: *Quamvis enim*

enim non sumus grati & accepti Deo formaliter per ullam gratiam habitualiter & subjective nobis inhaerentem, sed tantum per suum ipsius favorem merè gratuitum & Christi meritum, uti liquidò constat ex Eph. 1, 6. tamen nemo illà gratiã medicinali ac habituali donatur & regitur, qui exinde non sit in statu gratiæ, & dicendus Deo gratus & acceptus; prout Maria dicebatur invenisse gratiam coram Domino Luc: 1, 30,

Et hæc vel est habitualis) Quo sensu gratia habitualis pertineat ad gratiam gratum facientem jam dixi, quatenus nempe indulgetur nobis ex illa singulari & speciali gratia Dei, qua *ἰχαρίτωσεν ἡμᾶς*, nos sibi gratos & acceptos fecit in dilecto suo filio: Sed primò valdè ambiguè & perplexè hîc loquitur Tirinus de ista gratia habituali, ut nescias an eam distinguat nec ne à gratia justificante; quod sanè si facit rectè quidem facit, cum habitus infusis virtutum Theologicarum & Moralium sînt à gratia justificante, ad quam nos habemus mere objective non subjective, sîtque illa Dei erga nos, non in nobis ad Deum; sed repugnat suis & suorum placitîs, quibus gratia justificans his infusis virtutibus Theologicis & moralibus definitur. Secundò, falsò fingit dari fidem, spem & alias virtutes quæ præcedunt justificationem, & *inchoatè tantum seu initialiter gratum faciunt*: Nam præterea quod quænam sînt illæ aliæ virtutes à spe, fide, charitate & virtutibus moralibus distinctæ, concipi nequit; nec fide inchoatè tantum aut initialiter justificamur sed totaliter & plenè Rom. 111, 28. Gal. 11, 16. nec formaliter aut efficienter per virtutes Theologicas & morales grati sumus Deo, sed tantum declarativè & consequenter; cum illa nostra acceptatio apud Deum, gratuito ipsius favore in Christo nitatur, juxta quem & ex quo suis largitur & infundit illam gratiam habitualem cujus hic sit mentio; nec virtutes Theologicæ aut morales præcedunt justificandum sed justificatum sequuntur. Tertiò bifariam secum hîc pugnat Tirinus: Nam si *Charitas & virtutes morales* justificationem sequuntur, quid voluit Jesuitæ earum merito justificari apud Deum? Cur non acquiescunt dicto Augustini in Psal. 37. *Fidei justitiam bona opera non præcesserunt, - quam bona opera consequuntur?* Si item Fides, Spes Charitas ad gratiam habituaalem & permanentem spectant, cur Jesuitæ

nobis irascuntur, quod statuamus verum amorem nunquam perire, semen Dei in electis Dei manere 1. Joh. 111, 9. fidem, spem, & charitatem illius esse dona ἀμταμίλητα Rom. x1, 19? Quartò hæc distinctio gratiæ in habitualem & actuaalem, à Neotericis Scholasticis excogitata necdum cognita tempore Thomæ, qui 1. 2. q. 111. per tot. varias divisiones gratiæ propositurus, hujus non meminit, nec inservit Adversariorum scopo, nec admodum necessaria aut accurata videtur: Non inservit ei scopo quem intendunt Adversarii; Volunt enim gratiam habituaalem pendere à nostro arbitrio ejusque liberæ determinationi subesse: prout qui habitum contraxit benè pingendi, potest tamen eo habitu uti vel non uti: Sed licet hoc concedatur de habitibus merè intellectivis aut poëticis, tamen concedi nequit de moralibus & practiis, qui cum voluntati insint, ut pondus corporibus gravioribus, ab ea non determinantur, sed eam potius movent & determinant; quod præfertim competit habitibus infusis gratiæ medicinalis, qui voluntati sanandæ & rectificandæ divinitus destinantur: Majoris enim eos esse efficacæ quam habitus qualitatesque iustitiæ originalis, cujus usus relictus erat libero hominis arbitrio, non minus quam libero arbitrio subest exercitium facultatis locomotivæ in homine, dependenter tamen à Dei providentia & concursu, vel ineliquet, quod discrimen sit agnoscendum inter habitus naturales & infusos, & inter voluntatem liberam & liberandam. Nec sanè verum est per omnia ac universaliter axioma Lessii de prædest. n. 72. habituum usum subesse nostræ libertati, & iis nos uti vel non uti prout volumus. Nam Conscientia habitibus à plerisque Scholasticis & Theologis annumeratur, nominatim à Scoto, Bonaventura, Durando, Gerfone, agnoscente nec planè reclamante Bressero, lib. 1. de consc. cap. 3. quibus è nostris assentitur Alstedius lib. 1. Encyclop. cap. 3. Jam autem non est in arbitrio hominis istius habitus actum elicere vel non: nam sæpè ipso homine invito, actus suos elicit & surdo verberere lancinat, etiam quo tempore minime vellet. Non est etiam illa distinctio factis accurata, aut admodum necessaria; Nam illi habitus non infunduntur à Deo nisi per actuaalem Dei motionem; nec potest concipi quo pacto Deus alicui adulto infundat habitum fidei & charitatis, quin actu illum

minet

minet ejus mentem ut certò assentiatur promissionibus Euangelicis, & ejus incendat voluntatem in sui & proximi dilectione. De adultis tantum loquimur: quomodo enim Deus per Spiritum S. agat in infantibus ad eorum regenerationem & justificationem, definire nec valemus nec volumus: Deinde perperam contradistinguitur Gratia actualis, ceu *gratia specialis auxiliū*, ut dicitur Bellarmino *lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 2.* ab habituali, quasi hæc communis vel universalis statuenda foret: Nec enim fidem esse omnium, sed tantum Dei electorum, in superiori Controversia vidimus. Ad hæc mihi videtur ea quæstio de superaddenda gratia actuali ad habitualement, haud absimilis ei quæ agitur inter Philosophos de intellectu agente superaddendo patienti; quam enim id non sit necessarium videre est apud Burgersdicum *in Idea Philosophia nat. dist. 25. th. 11.* quamvis multos habeat sibi contradicentes, non solum Cosimbricenses, Toletum, Zabarellam sibi nominatos, sed etiam Magirum *lib. 6. Phys. cap. 19.* Sennertum *lib. 8. Physices cap. 1.* Keckermannum *lib. 4. Syst. Phys. cap. 4.* & plures alios. Et sanè quicquid sit de intellectu agente & patiente, cum habitus illi salutiferi, fidei, spei & charitatis, ex speciali & singulari Dei beneficio per Spiritum sanctum, cujus tunc templa sumus, in nobis formentur & firmentur, sintque natura suâ effectivi, eò quod id conveniat omni non solum habitui, sed qualitati, quæ ideo *ποιότης ἀπὸ τῆ ποιῆν* dicitur, ut observatum Gaffarello *Carios. in eund. cap. 4. n. 10.* non video cur aliud principium *quo* omnium actuum fidei & charitatis quæramus, quam illos ipsos habitus, quos ad tales actus infudit primùm, deinde fovet & firmat Spiritus adoptionis *jugi suâ præsentia & efficaciâ*. At, inquires, habitus illi sunt *auxilium sine quo non*: ergo debet illis superaddi *auxilium quo*, ut operemur. R. Negatur antecedens: quia uti jam insinuavi alia est ratio habitus naturalis justitiæ originalis in voluntate libera & sana, cujus respectu erat ille tantum *auxilium sine quo non*; alia habituum supernaturalium & infusorum gratiæ medicinalis in voluntate liberanda & sananda, cujus respectu est *auxilium quo* liberatur, sanatur & ad bonum determinatur atque applicatur. At habitus isti dant tantum posse benè operari: *E. opus est insuper gratiâ actuali*, quâ velimus illa facultate benè uti. R. Negatur iterum antecedens; quia habitus isti infusi non efficiunt

ciunt tantum ut possimus, sed etiam ut velimus, sive potius id efficit per eos Spiritus sanctificationis à quo jugiter pendent in suo & esse & conservari & operari. At eâ ratione deberent fideles in quibus isti habitus sunt permanentes jugiter bene operari; R. Primum negatur sequi: cum sint enim habitus gratiæ medicinalis, ita debent luctari cum morbo, ut quasi per vices morbus suos paroxysmos, medicina suam *ἐπιβοήθειαν* exerat: deinde & sano sensu dici potest hos habitus semel infusos per Spiritum Sanctum semper agere, semperque pergere in Sanctificationis nostræ tela pertextenda, licet non semper æquè potenter, sensibiliter & efficaciter; instar seminis, (nam ei comparatur 1. Joh. III, 9.) quod sic pergit suas vires exerere in foetus conformatione, ut tamen quæ illud recepit & concepit non semper pari modo ejus vim intra se sentiat. At nemo petit quod jam habet; petimus autem quotidie gratiam benè faciendi; R. Falsissimum est non petere fideles quod jam habent; cum ejus quod habent petant quotidie sensum, operationem & incrementum, ut patet ex Luc. XVI, 5. Psal. LI, 12. 13. Cum itaque rogant à Deo gratiam faciendi quod præcepit, *Da quod jubes*, non petunt aliam gratiam intra se ab ea quam jam acceperunt per Spiritum adoptionis & à qua illa ipsa petitis proficitur; sed tantum illius gratiæ intensiorem & operationem; quæ operatio procedit cum Spiritus Sanctus illos ipsos habitus excitat & quasi *ἀναζωπυρεῖ*, ut hîc utar verbo Paulino 2. Tim. I. 6. quod eum usum in nobis ad quem destinati sunt obtineant. Si quis tamen voluerit illam ipsam excitationem fidei & charitatis à Spiritu Sancto, cujus præsentia gratuita à virtutum illarum Theologicarum habitibus est inseparabilis, nomine gratiæ actualis exprimere, contentioni funem cum illo ea de causa non ducam; modò id maneat extra controversiam & ad illam gratiæ infusionem primam nos habere mere passivè, & sic nos ex illa operari, quoties benè operamur, ut id non sit adscribendum voluntati nostræ utenti vel non eâ gratiâ ad suum libitum, sed Spiritui Sanctificationis ejus gratiæ auctori & conservatori, qui cum spiret ubi vult & quomodo vult Joh. I, 8. 1. Cor. XII, 11. modò remissiùs agit in suis, modò intensiùs & feriviùs; sic tamen ut suam virtutem in ipsorum infirmitate perficiat

2. Cor.

2. Cor. XII, 9. Quando igitur *motionem* Dei internam, facit hinc Tirinus transeuntem, non permanentem, id concedi potest de motione hac in actu secundo, non tamen de gratia movente in actu primo; quoniam Spiritus ille author, conservator, excitator habituum inferiorum, nobiscum permanet in æternum juxta Christi promissionem Joh. XIV, 16. 17. Porro incertum est, quò referat Tirinus locum hinc sibi citatum Joh. xv, 5. Num ad gratiam quam vocat habituales, num ad eam quæ actualis ipsi dicitur, cum nequidem in Commentario ad eum locum, mentem suam explicet, ubi tantum id habet; *Sine me, id est, sine influxu mea gratia & auxilii, nihil potestis facere; id est, nullos potestis proferre fructus justitiæ, seu idoneos ad consequendam vitam æternam.* Sed quodcumque sibi velit Tirinus, parum nostra refert, cum latis sit hunc locum, de quo alibi à nobis dictum, Achilleum esse pro necessitate gratiæ, & corrumpi turpiter à Grotio, cum illum sic explicat, *Qui à Christi præceptis & exemplo discedit, ab eo nihil bonæ frugis expectandum est.* Nam illud *χωρίς μου* significat esse separatum à Christo, sive non manere in ipso, hoc est non habere arctam & salutarem cum eo communionem, quæ fit formaliter per Spiritum Gratia & regenerationis, & demonstratur deinde observatione præceptorum Christi & sui exempli imitatione.

Nota: 3. ACTUALIS gratia alia est **EXCITANS** animam ad actum pium, & vocari solet **PRÆVENIENS**, quia excitatio divina prior est & prævenit operationem humanam; Apoc: I I I, 10. *Ecce sto ad ostium & pulso: Sap: VI, 14. Præcæpat eos qui se concupiscunt, ut se illis prior ostendat.* Et consistit partim in intellectu illuminatione: Ioh: I, 9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* partim in inspiratione voluntatis, seu in suavi motione, iustione, invitatione ejusdem ad actum bonum. Cant: I I, 10. *Surge, prope amica mea, & veni,* &c. cap: V, 2. *Aperi mibi soror mea,* &c. Ioh: VI, 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Alia est **ADJUVANS** sive **COOPERANS** vel **CONCOMITANS**, quæ consistit partim in externâ directione ac protectione Dei, quâ & impedimenta removet (dæmonem compescendo, carnis & mundi tentationes comprimendo, &c. I Cor: I, 13. *Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod possitis.* Marc: I, 25. *Obmutescite & exi de homine;*) & varias occasiones ac motiva bonorum operum subministrari curat. Prov: IX, 9. *Da sapienti occasionem & addetur ei sapientia: Partim in internâ cooperatione nobiscum, quâ non solum potentiam*
& vi-

& vires agendi suppeditat, conservat, & confirmat, (ut Pelagius quoque concedebat,) sed insuper speciali influxu ac concursu nobiscum agendo, eundem quem nos effectum supernaturalem nobiscum producit: *Dei enim sumus adiutores*, I Cor: III, 9. *Deus incrementum dat*: v: 7. & c: xv, 10. *Gratia Dei mecum*.

CENSURA. *Actualis gratia alia est*) Hæc subdivisio gratiæ ex Augustino quoad verba est desumpta, sed longè alio sensu à Jesuitis & aliis Pelagii reliquiis, quam ab ipso usurpatur, ut indicatum fuisse Jansenio lib. 4. *de gratia Christi salu. cap. 12. & 17.*

Excitans animum ad actum) Nec solum *præveniens* hæc dicitur, sed etiam *præparans* voluntatem, imò & *operans*, ut à cooperante distinguitur: Est *præparans* voluntatem non quod eâ potentia voluntatis quodammodo proximè præparetur ut in actum influat, ut perperam statuunt Suarezius & Lessius, quos ideo nominatim refutat Jansenius *V. S. cap. 19.* Sed quatenus ipsam volitionem per eam Deus in nobis operatur: quò spectant inter alia Augustini verba lib. *de grat. & lib. arb. cap. 16. Certum est nos mandata servare si volumus; sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus quantum sufficit ut volendo faciamus: Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulò ante posui quod præparatur voluntas à Domino, de quo dictum est, A Domino gressus hominis dirigentur & viam ejus volet; de quo dictum est, Deus est qui operatur in vobis & velle & operari; Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit Faciam ut in justificationibus meis ambuletis & judicia mea observetis & faciatis*: Hinc etiam eadem gratiâ contradistinctè à cooperante operans dicitur, quod primam bonam voluntatem in homine efficiat; prout Augustinus habet ejusdem tractatus cap. 17. *Ut velimus sine nobis operatur; cum autem volumus & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur, tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus ad bona pietatis opera nihil valemus.* Excitans dici debet, non quod stertentes & dormientes vires arbitrii excitet ut possit benè agere si velit; sed quod animam mortuam in peccatis vivificet, ac ad actus vitales suscitet Eph. v. 4. Volebant enim Pelagiani voluntatem ipsam primò ex se emergere, ac per se excitari, ut bonum vellet, sed postea infirmiores ejus motus

motus à gratia adjuvari; Catholici contra ipsos primos in voluntate bonos motus Dei gratiæ eos scienti & excitanti adscribebant. Sed potissimum hodiernis placet nomen Prævenientis, quod præveniat omnem omnino, etiam primum, bonæ voluntatis motum, imò illum producat & efficiat; ita ut non ideo nobis detur *quia volumus*, sed è contrario *per ipsam etiam hoc Deus efficiat ut velimus*, ut docet Augustinus ep. 107. Hac gratiâ Christus non solum ad ostium stat & pulsat Apoc. 111, 20. sed etiam pessulum incredulitatis januæ obductum removet, & vetes frangit ferreos Psal. CVI, 16. Aliàs ipsum stare & pulsare Christi ad externas illius exhortationes & admonitiones referri, nec incitatur Viegas Jesuita, & è nostris affirmat Deodatus *ad eum locum*, ut minùs cominodè istud ad gratiam intus prævenientem, operantem, excitantem possit referri. Quod enim Tirinus eo loco dicit Christum pulsare *per crebras illuminationes atque excitationes externas atque internas*, ingressurus ad eum qui aperuerit, *inspiraciones suas libero suo arbitrio admittens*, non uno modo vitiosum est: Nec enim ita debet conjungi auxilium internum cum externo, ut illud statuatur esse ubicunque hoc fuerit. Deinde excitationes & inspiraciones gratiæ prævenientis, non subjiciuntur libero arbitrio ut penes illud sit eas vel admittere, vel rejicere, sed potius liberum arbitrium sibi subjiciunt, illudque inclinant, movent, applicant & determinant ad agendum. Illud autem, *si quis aperuerit*, non indicat virium esse humanarum admittere Christum, sed tali loquutione Christus ipse in suis hanc apertionem operatur; quam ejus gratiæ efficaciter operanti esse tribuendam constat ex Lydiæ exemplo Act. xv, 14, & Davidis voto Psal. cxix, 18. Adde hîc agi non de irrogenitis, qui primum præveniantur Dei gratiâ, sed de fidelibus & regenitis, quos novas vires ad benè agendum accepisse & etiam plus boni posse facere quam faciunt est certum: unde tenentur bonos illos & pios motus quos in se subtile excitat Spiritus Sanctus fovere & *ἀναζωοποιεῖν* ut loquitur Paulus 2. Tim. 1, 6. iisque se se ultrò permittere, nec contristare Spiritum illum Sanctum, per quem sunt obsignati in diem redemptionis Eph. iv, 30. ut benè monent Belgæ Interpretes ad Apoc. 111, 20. hîc agi de fidelibus & membris Ecclesiæ, quibus jam Spiritus Sanctus erat datus; quod colligere est ex

loco parallelo Cant. v, 2. ubi eadem dicit ad Sponsam suam nempe Ecclesiam, cui quandoque contingit negligentius in officio versari, prout etiam nictant ipsæ Virgines prudentes Matt. xxv, 5. & quandoque bonus dormitat Homerus, debentque sinceræ piorum mentes per submonitionem expergefieri 2. Pet. 111, 1. ut omne veternum alacriter excutiant. Locus Philonis ex Sap. vi, 14. ad hanc gratiam nihil facit; cum agat tantum de studio sapientiæ in genere, quæ ultro se ingerit eorum animis qui ad illam gestiunt, cum revera eruditionis & doctrinæ initium sit velle scire. Sed gratia præveniens non datur concupiscentibus se, quia illa ipsa concupiscentia & sitis gratiæ, est effectus gratiæ prævenientis: Verùm debuit Tirinus hoc uti loco, ad Pelagianissimum suum insinuandum; Sic enim Pelagianos compellat Augustinus lib. 4. contra Iul. cap. 3. *Nam & studium sanctitatis sine adiutorio Dei vultis precedere, quod merito Deum debeat adjuvare non gratis.*

Et consistit partim) Revera gratia Dei ad hominis conversionem agit in utramque facultatem, intellectum illuminando in cognitione veri, & voluntatem movendo ac determinando in appetitione boni. Sed hic Tirinus labitur multifariam: 1. Quod ad gratiam prævenientem, quæ non est singulorum sed electorum, revocet locum Joh. 1, 9. Nam ibi agitur de communicato omnibus & singulis lumine naturæ non gratiæ, ut nostrates Genevenses ac Belgæ, & agnoscente Toletus ad 1. Ioh. annot. 29. in communione Romana ex recentioribus aliqui statuunt, cum Cyrillo lib. 1. in Ioh. cap. 9. Si tamen quis id pertendat referendum ad illuminationem supernaturalem & gratiæ, tum syncategorema erit intelligendum de generibus singulorum, non de singulis generum; non quod omnes & singuli in mundum venientes illuminentur à Christo, sed quod nemo illuminetur ab alio, & omnibus promiscuè & indiscriminatim tam Judæis quam Gentilibus lux illa affulgeat, ut apud eundem Toletum explicat Augustinus. Cui sententiæ imprimis favet quod illud ἐρχόμενον οἰς τὸν κόσμον, non necessitad τὰ πάντα ἀνθρώπων referendum videatur, sed potius ad τὸ φῶς; id est ad lucem, uti statuit ex Cyrillo & Augustino Grotius ad eum locum; huic interpretationi & Toletus suffragaretur annot. 27. nisi obstatet, inquit, communis expositio; cum ea comprobetur aliis Scripturæ testimoniis, ac nominatim

Joh. 111,

Joh. 111, 9. x11, 46. Quod enim statuit Tirinus Christum omnes & singulos illuminare *quantum est ex se*, subsistere non potest; tum quia quosdam justo suo judicio excæcat, tum quia hic agitur de actuali ipsa illuminatione, quæ cum non pendeat ex hominis arbitrio, eo quod omnem illius motum præcedat, ut postea explicabit Jesuita N. 4. deberet esse communis omnium & singulorum, si Christum quantum est ex se omnes & singulos illuminare censeretur. II. Quod gratiæ prævenientis omnem operationem circa voluntatem definiat, *suavi motione, suasionem & invitationem ejus ad actum bonum*. Nec enim mera est suasio moralis, nec nuda invitatio ad bonum cui obsequi vel non, sit penes eam, sed suavissima quidem at simul efficacissima illius tractatio & persuasio, de qua qui plura volet adeat Cameronem in *Defens. contra epist. Viri docti cap. 3.* nec non Jansenium *lib. 2. de gr. Christi cap. 25.* Et meminerit Tirinus ad gratiam prævenientem se referre locum Joh. vi, 44. **Quantæ** autem sit efficaciam illa tractatio docemur Cant. 1, 4. Joh. vi, 37. Sed de eo postea erit dicendum. III. Quod invitationes & adhortationes externas ad fideles & jam regenitos, quales exant Cant. 11, 10. v. 2. trahat obtorto collo ad gratiam internam & prævenientem, quæ sese prima exerit in homine regenerando & convertendo. IV. Quod suavem motionem voluntatis, cum nuda illius invitatione confundat: Si enim effectus Gratiam prævenientis sit motio suavis voluntatis, non ergo tantum per illam invitatur proposito objecto appetibili, sed revera applicatur & determinatur ad illius appetitionem & prosecutionem; quæ etiam ultro & naturam suam sequitur illuminationem intellectus; Nam ut ignoti boni nulla cupido, sic mente collustratâ sufficienter in illius cognitione, non potest voluntas illud non appetere, cum ea sit ejus conditio & constitutio, ut sequatur ultimum judicium rationis practicæ; unde vera charitas, inseparabili nexu cohæret veræ Christi cognitioni, ut multis docemur I. Joh. 11, 1. 9. 10. 11.

Alia est adjuvans) Ut Gratia prior dicitur Antecedens, Excitans, Preparans, Præveniens, Operans, sic hæc dici potest Subsequens, Cooperans, Concomitans: *Subsequens* vel *Consequens* dicitur, non quod voluntatis nostræ motum & determinationem subsequatur; absit ut

ex Domina pedissequam faciamus; sed quod sequatur Prævenientis gratiæ primas operationes, & perficiat quod illa inceperat Phil. 11, 13. Quò spectat illud Augustini *Enchir. ad Laur. cap. 32. Virumque legitur in sanctis eloquijs & Misericordia ejus praveniet me, & misericordia ejus subsequetur me; Nolentem pravenit ut velit, volentem subsequetur ne frustra velit: Et alibi; Ut incipiamus dictum est Misericordia ejus praveniet me: ut perficiamus dictum est Misericordia ejus subsequetur me. Adjuvans similiter dicitur quod corroboret & firmet jam excitatos pios & sanctos motus in voluntate, ut efficiat quod voluerit, aut fortius & vehementius velit quod velle cœperit. Unde Augustinus in *Ench. cap. 32.* monet rectè dictum ab Apostolo, non volentis esse neque currentis, sed miserentis Dei, *ut totum Deo detur qui hominis voluntatem bonam & praparat adjuvandam & adjuvat praparatam. Cooperans quoque ac concomitans statuitur, quia jam nobis operari incipientibus per gratiam prævenientem succurrit ne deficiamus; ut statuit Augustinus de grat. & lib. arb. cap. 17. Et quis istam esei parvam dare cœperat charitatem, nisi ille qui praparat voluntatem, & cooperando perficit quod operando incipit? Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens; propter quod ait Apostolus, Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum perficiet usque in diem Christi Iesu. Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur; tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus; Quam autem à vera Augustini mente & recta ratione ab sint Jesuitæ in horum vocabulorum acceptione, postea videbimus.**

Partim in externa directione) Agnosco quod etiam sic omnia cooperentur in bonum diligentibus Deum Rom: VIII, 27. quem locum Augustinus quoque ad gratiam cooperantem traxit. Jam vero cum externa illa directio, impedimentorum ad benè agendum remotio, tentationum & Satanæ repressio, occasionum benè agendi subministratio, (quanquam eò, si veritas Hebraica spectetur, non satis pertineat locus Prov: IX, 9.) opera sint ipsius Dei nullâ ratione suspendenda ex arbitrij ac voluntatis nostræ cooperatione; oportet gratiam hanc cooperari potius primæ & prævenienti, ut colophonem ei imponat, quam revera nostræ voluntati, ad suos effectus producendos.

Imò

Imò si dicendum quod res est, externa hæc omnia sic debent deputari speciali Dei favori & benevolentiz in suos, ut non satis accuratè ad gratiz operationem in animaz nostræ facultates superiores referantur.

Partim in interna cooperatione) Jam monui quænam sit illa cooperatio, & quo sensu cooperans dicatur, quia, inquit Janfenius *lib. 4. de grat. Christi Salv. cap. 15. operatur aliquid in nobis non sola sed nobis simul cooperantibus, non per simultaneum tantum influxum, ut recentiores intelligunt, (sic enim cooperamur etiam gratia operanti) sed praviè ad effectum istius gratiz, volendo, credendo, desiderando, petendo, pulsando, sagendo &c.* Et sanè multa sunt quæ hîc peccat Tirinus contra seipsum: I. Dum gratiz cooperanti tribuit quod *potentiam & vires agendi* nobis suppeditet, eam confundit cum gratiâ præveniente & sufficiente suorum, cujus est juxta eos id præstare. II. Dum agnoscit Pelagium etiam aliquam gratiam concessisse, quæ saltem potentiam & vires benè agendi suppeditaret, conservaret & confirmaret, ostendit suorum cum Pelagio syncretismum; quandoquidem revera isti nihil aliud tribuunt gratiz, cujus ulteriorem efficaciam suspendunt ex hominis arbitrio. III. Dum cooperationem hanc in simultaneo tantum concursu & influxu nobiscum constituit; cum etiam gratiz prævenientis & operantis ea sit ratio, ut eundem effectum supernaturalem nobiscum producat, quem nos ab ipsa moti, illuminati & excitati producimus: Ut taceam quod absurdè censetur, sensu Jesuitico, cooperari illi gratiz quæ potentiam & vires agendi suppeditaret, quia tunc vis & potentia benè agendi ex nostris viribus atque ex nostra potentia deberet suspendi: & in nobis esset vis & potentia agendi, priusquam eam nobis Deus contulisset, si nempe possemus cooperari illi gratiz per quam ea potentia nobis conferretur. Ita absurdorum ferax est doctrina Tiriniana, quia longius recedit à Dei verbo: De sensu locorum hîc Jesuitæ citatorum, ex I Cor: III, 9. & XV, 10. dixi *ad Super. Cont. N. 5.* Quam parum faciant ad hanc quæstionem, ut & tertius hîc additus ex I Cor: III, 7. *res ipsa loquitur*; nam ibi agitur de favore & benedictione Dei super hominum externo Ministerio, respectu eorum quibus redditum fuit *efficax & salutare*; hîc verò disputamus de gratia Dei non externè ad nos, se exerente super ministerio nostro ad aliorum conversionem, sed

de gratiâ intra nos efficiente & operante, atque cooperante quod nobis bonum est & salutare; Et si deberemus hæc testimonia huc trahere, mira opinionum portenta & plusquam Pelagiana ex illis fabricari possemus. Sed nunc videamus quò spectet longior hic circuitus Jesuitæ, & quâ industriâ non alio fine hic multiplicem gratiam commemoravit, quam ut in liberi arbitrij gratiam revera omnem Dei gratiam subvertat.

Nam: 4. EXCITARI, TRAHI, INVITARI à Deo, NON est mihi LIBERUM; sunt enim motus à Deo solo immediatè nobis immitti, ferè ut solent turpes cogitationes & motus primò primi à dæmone vel corruptâ naturâ in nobis excitari.

LIBERUM tamen mihi CONSENTIRE vel NON CONSENTIRE excitanti, & trahentem, suadentem, invitantem, sequi vel non sequi. Neque enim hæc prædeterminant, aut necessitant voluntatem, sed tantum suaviter alliciunt, & sine vi trahunt ad consentiendum vel cooperandum, sicut trahit sua quemque voluptas. Prov. I, 24. *Vocavi, & renuistis*: Matth: XXIII, 37. *Quoties volui &c. & noluisti*. Act: VII, 51. *Semper Spiritui Sancto resistitis*. Luc: XIV, 16. *Vocati ad cœnam quidam venerunt, quidam noluerunt venire*.

CENSURA. *Excitari, trahi, invitari*) Accipimus Confessionem rectè intellectam; Nempe si tractio & excitatio hæc constet, uti supra ostensum, tum intellectus illuminatione, tum suavi motione voluntatis: Cum enim motio voluntatis sit volitio, sive ipsius determinatio ad volendum, nec pendeat à libero arbitrio, nisi subjectivè, quia fit in ipso, utique nos passivè ac irresistibiliter habere debemus ad primos motus gratiæ convertentis, quæ in nobis efficiat & velle & perficere. Agnoscit Jesuita esse *motum* qui immediatè à Deo nobis immittuntur; atqui motus hi in sunt voluntati & illius subjectivè dici debent: motus verò voluntatis, nihil sunt aliud quam appetitiones ipsæ & volitiones: Ergo ipsæ primæ volitiones bonæ in nobis cientur & excitantur à Deo. In similitudine vero qua Tirinus hic utitur turpium cogitationum & motuum primò primorum à *dæmone vel corrupta natura* in nobis excitatorum, aliquid veri est, aliquid falsi: Hactenus consentit motus primæ gratiæ cum motu primo concupiscentiæ, quod sit utro;

Et utrobique appetitio & volitio; sed inter utramque hoc est discriminis, quod motus illi primò primi concupiscentiæ per gratiam possunt reprimi (quamvis non sine lucta) ne ulterius pergant; sed primus gratiæ prævenientis motus non possit supprimi per inhabitans peccatum quominus perseveret, quia perficit Deus in suis bonum opus quod semel incœpit, & medicina sua morbum superat Psal: CXXXVIII, 8. Rom: v, 20. XI, 29. Phil: I, 6. Motus primò primi concupiscentiæ sæpè evanescent Dei beneficio, nec abripiunt animum in consensum plenum & plenè deliberatum; sed primi motus gratiæ sunt efficaciores, ac vires acquirunt eundo. Longè dissimilius est exemplum dæmonum malas cogitationes suggerentium in hominibus: Nam spiritus impuri, nihil possunt directè & immediatè in facultates animæ principes, intellectum & voluntatem; sed agunt tantum indirectè & mediatè in utramque, vel extrinsecè per objecta, vel intrinsecè per spirituum commotionem, appetitus sensitivi irrationem, sensuum & phantasiæ immutationem ac conturbationem, uti etiam ex Delrio colligere est *disq. Mag. lib. 2. q. 24.* Sed Deus suâ gratiâ & lumen affundit intellectui, & agit directè in ipsam voluntatem; Absit à Christiano peccatore ut non majorem efficaciam tribuat gratiæ divini ad bonum, quam diabolicæ suggestioni ad malum; cum hæc in filiis rebellionis plus factis juvetur innatâ eorum corruptione, per quam animam habent totam piccam & sulphuream ad ignita Satanz tela, ut vel minima scintilla sufficiat ad magnum incendium; illa vero debeat nativæ nostræ corruptionis resistantiam superare & omnia nostras rebelliones sanare, ut loquitur Oseas XIV, 4.

Liberum tamen mihi est) Liberè quidem consentit voluntas gratiæ divini prævenienti & operanti in se quod bonum est, eo quod sine vi trahatur ad agendum; sed fieri nequit ut positâ gratiæ prævenientis operatione, sit in hominis arbitrio actum suum suspendere, aut gratiæ excitanti & moventi non obsequi, quia uti supra ostendimus hoc est gratiæ istius munus proprium, ipsum obsequium in nobis efficere & ex nolentibus volentes reddere: Esto hæc tractio gratiæ suavissima, *ita ut non voluntate tantum, sed etiam voluptate trahamur & ineffabili illâ suavitate quâ Deus animum nostrum perfundit; nec dubitet*
Augusti-

Augustinus *tract. 26. in Ioh.* illud Virgilij hîc accommodare *Trahit sua quemque voluptas*; ne quid hic violenti aut coacti imaginemur, unde trahi dicimur in Scripturis funiculis humanitatis & dentis funibus amoris Osee x1, 4. & Deus, inquit Augustinus V. S. *docendo delectas non necessitatem* (id est coactionem) *imponendo*; *Ecce quomodo trahit, erunt omnes docibiles Dei, trahere Dei est*; quare Christus qui dixerat Ioh. v1, 14. neminem posse ad se venire nisi Pater traxerit eum, illius tractionis naturam explicaturus mox subdit versu seq. *Scriptum est in Prophetis, & erunt omnes docti à Deo; Quisquis ergo audivit à Patre & didicit, venit ad me*; Attamen hæc tractio suavissima ita est & omnis expertus coactionis, (quanquam & cogendi vocabulum hîc admittat Spiritus Sanctus Luc. xiv, 23.) ut simul sit efficacissima, habeatque victricem delectationem, quâ vincitur delectatio peccati, ut loquitur non semel Augustinus *op. ris imperf. contra Iul. lib. 1. & 2.* Hanc veritatem multa comprobant: Nam non est hæc Dei tractio nuda suasio, sed potens persuasio, quâ corda ipsa movet & flectit in obsequium fidei: longè certius quam quæ veteres de Lino, de Orpheo, de Hercule Gallico, saxa & sylvas moventibus, atque infinitis dulcis eloquij catenis corda auditorum ad nutum circumducentibus, retulerunt. Si enim in eloquentiâ hominum tanta est vis, ut sæpè ducat auditores ad libitum, quanto major inerit eloquijs divinis, non extrinsecè tantum annunciatis, sed intrinsecè simul per Spiritum Dei & lumen gratiæ & fidei cordibus implantatis, ac ita miram suam dulcedinem effundentibus in animis electorum? Et hoc nos docet vel suo exemplo Jeremias xx, 7. *Pellexisti me Iehova, quando plectus sum, fortior fuisti me & pravaluisti*: Idein suo exemplo comprobant Apostoli Joh. vi, 68. *Domine ad quem abibimus? Verba vita aterna habes*; Ubi hoc magnete acum cordium & affectuum nostrorum tetigit, illicò ultro ad polum convertitur: Itaque Christus non tantum dicit, *Nemo potest venire ad me nisi Pater traxerit eum*, sed subdit, *& ego suscitem ipsum ultimo die*: unde liquet tractionem illam semper fieri cum successu & effectu, quandoquidem quicumque trahitur, est à Christo suscitandus ad gloriam: Imò idem est Christo trahi à Patre ac doceri à Deo; Quapropter ut quicumque audivit & didicit à Deo venit ad Christum, sic credit in Christum quicumque trahitur

trahitur à Patre: Atque huc faciunt verba Augustini lib. 1. contra duas epist. Pelag. ad Bonif. cap. 19. *Quis trahitur si jam volebat? Et tamen nemo venit nisi velit; Trahitur ergo miris modis ut velit ab illo qui novit intrus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines quod fieri non potest nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant: Quæ sententia petit jugulum commenti Tirimiani ad Ioh. vi, 44. Deum in actu primò quantum ex se est trahere omnes, sed in actu secundo, sive de facto, non trahi nisi qui voluerint: Nam si tractio esset omnium, omnes venire deberent, cum veniant de facto quotquot trahuntur, non quod nolentes veniant, sed quod illà tractione fiant volentes. Longe sanior hac in parte Tirino, Tolætus annot. 21. in 6. Ioh. Visitur, inquit, Scriptura hoc verbo (trahendi) ut efficaciam divina vocationis explicet quâ homines suis vitis maxime immersos & durissimo tempore in iis nutritos, nihil nisi carnale sapientes & appetentes, temporis momento convertit; ut omnibus quæ summopere & diu dilexerunt relictiâ Christam sequantur; Hæc efficax & solius divina dextera mutatio tractio dicitur, non quod vi & necessitate ad Deum trahantur, sic enim minus efficax esset motio, sed quod ab his quæ sola & vehementissimè diligebantur & propter quæ omnia prius commovebantur, volens & libens homo ad omninò contraria repente convertatur, quod experientiâ compertam est frequentissimè, dum homines inimici Christi, persecutores, carnales, jam diu vitiis dediti, uno verbo in spirituales viros omnia præterita damnantes & abominantes divina lucis radio conversi sunt; quo argumento nititur Origenes lib. 2. contra Celsum in fine ad probandam divinitatem Christi ex Gentium conversione. De hac tractione efficacissima agitur etiam Ioh. xii, 32. & eodem spectat quod habet Paulus Eph. 1, 19. 2. Thes. 1, 11. Phil. 1, 13. Adde Jerem. xxxi, 18. 33. Ezechielis xxxv 1, 36. 2. Pet. 1, 3. Ex quibus omnibus luculenter constat homines à Deo converti non leni duntaxat & morali suavione cui assentire & dissentire super sit in libero eorum arbitrio, ut cum Pelagianis, Socinianis, Jesuitis & ex illis, docet Arminii Schola, meritò ideo condemnata à synodo Dordracena in tertio & quarto doctrina capite, reject. errorum §. 7. 8. 9; sed in suavi simul ac potenti operatione, quæ insuperabiliter suum effectum consequatur. Quin irresistibilitatem illam, quam impugnarunt Remonstrantes, unâ hac invincibili ratione volumus adstruere; quod ipsismet fatentibus irresistibilis sit illuminatio*

natio intellectus per lumen gratiæ in cognitione salutari D. N. Jesu Christi; intellectu autem sufficienter collustrato in cognitione veri boni, necesse est voluntatem sequi & ad illud se convertere (maximè Deo in illam quoque operante) tum quia ut *ignoti nulla capido*, sic summi boni cogniti ea est indoles & natura ut cieat appetitum & voluntatem ad se; bonum enim esse quod omnia appetunt vel ipse Aristoteles docere potest *Ethicorum lib. 1. c. 1.* tum quia ea est voluntatis humanæ conditio & constitutio ut subsit intellectui, est enim appetitus intellectivus, & determinetur ab illius ultimo judicio practico. Bellarminus *lib. 3. de gr. & lib. arb. cap. 8.* hanc proponit sextam conclusionem quam multis comprobat, *Voluntatis electio pendet necessario ab ultimo judicio practica rationis.* Maneat ergo contra Tirinum per gratiam Dei prævenientem simul & operantem, non quidem cogi vel necessitari necessitate coactionis voluntatem ut invita & reluctans sequatur; tunc enim noluntas esset non voluntas; sed tamen necessitari necessitate infallibilitatis eventus & determinari ad agendum; ut benè dixerit Prosper, *Omnipotens hominem cum gratia salvat, ipsa suum consummat opus;* & Augustinus *de corrept. & grat. cap. 12.* *Subveniens est infirmitati voluntatis humana, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur:* Videtis hac de re Jansenium *De gratia Christi Salvat. lib. 2. cap. 24. & 25.* Tunc autem voluntas non cooperatur sed potius suboperatur gratiæ, dum acta agit; nam ut scitè Augustinus *de gestis Pelag. cap. 3.* (qui liber extat seorsum editus cum ejus imperfecto opere contra Julianum, Lutetiæ apud Sebastianum Chappellet, anno 1617) *Plus est agi quam regi; qui enim regitur aliquid agit & à Deo regitur ut rectè agat; Sed qui agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur; & tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere, Quotquot Spiritu Dei aguntur hi filii sunt Dei. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se agenda commendet (id est permittat) qui malè agere non potest, & hoc cum fecerit ab illo se ut faceret adjutam non dubitet, cui dicitur in Psalmo, Deus meus, misericordia ejus præveniet me.*

Prov. 1, 24. Vocavi) De tribus prioribus horum locorum dixi *ad Cont. præced. N. 5. pag. 33. & 34.* Quæ de externa invitatione ad præstationem

nem officii ibi dicuntur non debent extendi ad gratiam intus prævenientem & operantem: Si enim hæc necessariò illam comitaretur, venirent omnes & nemo renueret: Quotquot renuunt & nolunt venire, id faciunt suâ culpâ, quoniam eorum rebellio est voluntaria & libertima; Quotquot auscultant & volunt venire, id faciunt Dei gratiâ, absque qua nec voluissent unquam nec potuissent: Adhæc dici posset quod etiam invitâ Jerusalem, ejus nomine urbis primores intelligendo ut factum ab Interpretibus Belgis, illius filii sub alas Christi recepti fuerint, conversis è plebe quotquot ad Dei electionem pertinebant, ut liquet ex Es. 1, 8. Rom. 1x, 29. Restiterunt semper Judæi increduli Spiritui Sancto externè eos compellanti ministerio Prophetarum, ut patet ex Act. vii, 52. adde Act. xxviii, 52. & 2. Pet. 1, 21. non verò internè illuminanti, inspiranti, trahenti & convertenti; quia Spiritus Sanctus hoc sensu carnis resistantiam tollit, & delectationem peccati vincit delectatione gratiæ & justitiæ. Idem statuatur de quarto loco Luc. xiv, 26. Sic quidam non venerunt ad cœnam quia noluerunt, rejicientes contra seipsos Dei consilium, ut dicitur Luc. vii, 30. ut quotquot venerint & voluerint venire, voluerint & venerint ex speciali gratiâ, quâ compulsi sunt intrare, & absque quâ æquè noluissent, æquè non venissent ac alii. In iis qui non venerunt, fuit invitatio duntaxat externa; in iis qui venerunt fuit etiam motio interna ex singulari gratiâ illius qui de suo facit quod lubet & omnia operatur in omnibus.

Num: 5. ADIUVANS, CONCOMITANS, & COOPERANS gratia etiam non nocet LIBERTATI nostræ, quia non se sola producit actum, sed solum concurrat & cooperatur unâ cum nostro libero arbitrio ut dixi Contr: xiii, b. 5. Neque verum est voluntatem nostram, (ut fingit Lutherus,) solum passivè se habere, instar luti in manu figuli: vel activè quidem, sed modo mortuo, (ut Calvinus,) quia I Cor: xv, 10. dicit Paulus, se laborasse unâ cum gratiâ, & cap: III, 9. nos adjuutores esse Dei.

Objectiones solvi Rom: ix, 16. Non est volentis neque currentis. Sap: iv, 11. Reptas est ne malitia mutaret intellectum. Rom: xi, 33. è alio modo sapientia, &c. & alia quæ Contr: xiii. Num. 5. proposui.

*Luth. in
epist. ad
Gal. Calv.
l. 2. Inst.
c. 3. 9. 10.*

CENSURA. *Adjuvans, Concomitans & Cooperans* Qui pertenderet Libertati nostræ gratiam Dei vel prævenientem vel subvenientem

nocere, toto cœlo aberraret; cum ipsa sit gratia liberans quâ in veram filiorum Dei libertatem asserimur. De collateralitate & coordinatione quam Jesuitæ imaginantur liberi arbitrij & gratiæ, diximus ad N. 5. *Contr. preced.* quo amandamus benevolum Lectorem; qui & ibi reperiet examen locorum hîc citatorum ex 1. Cor. xv, 10. & 111, 9. Ex eo quod Ministri Ecclesiæ suo Ministerio & labore Deo *εὐεργετοῖ* in aliorum salute promovenda & procuranda conversione, nihil potest colligi pro collateralitate & cooperatione liberi nostri arbitrij cum gratiâ divinâ in nostri conversione & regeneratione. Et cum Numero superiori tribuerit Jesuita libero nostro Arbitrio *cooperationem* gratiæ prævenienti, non video cur ex tali cooperatione à gratia præveniente subvenientem & concomitantem distinguat: Voluntas nostra se habet *meré passivé* ad gratiam prævenientem, cujus efficaciam & operationem in se recipit, ut Lutherus in eo perperam venerit carpendus Jesuitæ; imo se tunc habet ut *mortua* & vivificandâ (quanquam id expressis verbis non dixerit Calvinus, sed tantum *Inst. lib. 2. cap. 3. §. 9. non 10.* ut citatur Tirino, Davidem, suscipiendo personam hominis à Deo alienati, ac ita petendo, *quæcumque electis suis in regeneratione confert Deus, similem mortuo, optare se iterum creati ut ex mancipio Satana fiat Spiritus Sancti organum*; in quo quid Momi isti queant reprehendere non video) quandoquidem eramus mortui in peccatis nostris Eph. 11, 1, & vivificati ideo dicimur ibid. com. 5. Animas nostras vivificandas & suscitandas à morte peccati, in primo instanti suæ vivificationis aliter se habere quam passivé & obedientialiter & *modo mortuo*, qui dixerit, is pari ratione resurrectionem hanc primam & spiritualem vivificationem negaverit. Postquam vero vivificati per gratiam prævenientem cœpimus velle, tum per subvenientem ne frustra velimus, agimus acti; prout Bernardus scitè inducit Ecclesiam ita loquentem *Serm. 2. in Cant. Trahe quodammodo invitam ut facias voluntariam, trahe torpentem ut reddas currentem*: Etenim ut bene monet Calvinus *V. S. §. 14.* quod docet quandoque Augustinus *non tolli gratiâ voluntatem, sed ex mala mutari in bonam, & quum bona fuerit adjuvari, significat tantum hominem non ita trahi ut sine motu cordis quasi extraneo impulsu feratur, sed intus sic affici ut ex corde obsequatur.*

Obiectio

Objectiones solui) De nono capite epistolæ ad Romanos diximus fusè ad n. 8. *Controversia præcedentis*: Ad comina 16. hinc sibi objectum nihil Tirinus habet quo evertat dogma Augustino-Paulinum, *Omne bonum opus non nisi gratiam in nobis facere*. Illud Pauli *velle & currere*, referre vel ad Jacobi diligentiam in hædo apparando, vel Esauifeltinationem in sua venatione instituenda, dilutius est quam ut multis debeat refutari: Non debuit eo usque hac in parte arrisisse commentum Anastasii Cornelio à Lapide & Tirino, ut illud suis lectoribus tam avidè propinarent; cum Toletus ejusdem secum ordinis homo, illud honestè rejecisset *annot. 23. ad Rom. 9.* & illi suam sententiam opposuisset, quâ putat simpliciter hanc esse mentem Pauli; *Deus dicit miseroribus cujus voluero misereri, sequitur ergo non ex operibus sed ex Dei voluntate esse, ut unus bonus consequatur non alter, nec esse volentis neque currentis sed Dei miserentis*. Dies me deficiat si hic omnes eos Pontificiæ etiam communionis referrem scriptores qui statuunt hunc esse illorum verborum Pauli sensum, quem notavit etiam Augustinus *epistola 105.* quod quis sit electus à Deo non esse ex merito bonæ voluntatis, neque ex merito boni operis, seu conversationis præcedentis aut prævisæ, sed ex solo ac libero beneplacito Dei miserentis. Quin ipse Tirinus similitudinis quam hinc imaginatur, hanc proponit apodosim, quod *planè liberum sit Deo ut misereri, ita etiam non misereri alicujus, sed relinquere in suis miseris*, alios eripièdo: in quo se ipsū impugnat; oportet enim eos æquali esse loco & conditione, quorum Deus potest vel misereri vel non misereri pro libitu; aliàs si illi quorum miseretur præ aliis, benè utendo communiori gratiâ se dignos præstiturunt illâ misericordiâ, illi non ex mero Dei beneplacito sed ex suo merito aliis præferuntur. Nec plus inest salis in eo quod statuit Tirinus id non provenire ex *volitione, cursu, vel præviis meritis horum vel istorum (seu ex operibus legis Moisaica Judaorum, vel legis naturalis Gentilium)* sed ex solo nutu & beneplacito Dei volentis tam nobilem benedictionem & filiationem alligare rebus naturalibus vel ceremonialibus, sed solis supernaturalibus, puta fidei & spei in Christum, tanquâ dispositioni ad justiciam (quâ sum filii Dei) congrua & necessaria. Etenim cum omnium omnino operum & conatuum nostrorum prævisione excludat Apostolus ab hoc electionis divinæ proposito, & certū sit ipsos conatus & motus fidei & spei in Christum tū ab ipsa electione æterna fluere, tū

à Dei gratia in nobis & effici & perferri, non est quod volitioni ulli aut cursui, magis morali, quam cæremoniali aut naturali, adscribamus meritum vel electionis gratuitæ, vel gratiæ ex illa, quæ prævenit ut velimus, & subvenit ne frustra velimus: Et huc faciunt verba Augustini *Enchir. ad Laur. cap. 32. Si nullus Christianus dicere audebit, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat, restat ut propterea rectè dictum intelligatur, Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & preparat adjuvandam & adjuvat preparatam.* Legatur totum illud caput 32. cum *Notis* eruditissimis nostri Dançi; Locum alteram ex Philonis Sapia, libro licet apocrypho cap. IV, 11. objiciebat Pelagio Augustinus *epistola 105. ut probaret infantes infidelium non damnari ex prævisione & præscientia peccatorum quæ fecissent, si vixissent; cum tamen ut benè ipse monet de prædest. Sanct. cap. 14. id dictum sit, secundum pericula vite hujus, non secundum præscientiam Dei; quia hoc præcivit quod futurum erat, non quod futurum non erat; id est quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset: Nos vero eundem locum, saltem Tirino cui est Canonice autoritatis, possumus objicere probaturi, non ex bono usu gratiæ per liberum arbitrium gratiam dari vel gloriam; cum ipsi priorum liberi fœderati, subducantur peccato in tempore & in gloriam recipiantur ante & citra omnem usum liberi sui arbitrii; ut sic intelligamus pari ratione adultos nihil boni vel præstare vel consequi, nisi ex sola Dei gratia & per illam. Tirinus *ibi*, nihil habet huc spectans, nisi quod in genere id refert ad privilegium justorum præ impiis; Verum enimvero cum nolit id speciatim ad Enochum referri; & hoc præmaturæ mortis privilegium in genere spectet maximè eos qui obeunt suum diem ante omnem usum liberi arbitrii & priusquam ullo bono opere se discreverint ab impiis, debet potius statui privilegium electorum præ reprobis. Tertius Locus ex Rom. XI, 33. cui sequentia commata debent addi ostendit nullo bono usu liberi arbitrii, aut alio bono nostro opere, nos homunciones præoccupare ullam Dei gratiam, cum omne quod habemus sit merè gratuitum & exprofundissima illius misericordia scateat. Sed de hoc loco, locus erit forte commodior dicendi, ubi*

di, ubi de meritis erit agendum. Aliâ vero Scripturæ testimonia quæ Tirinus sibi objiciebat *Cont. xiii, n. 5.* ibi ab ejus strophis vindicavimus.

Num; 6. Per peccatum non ita læsa vel debilitata est humana natura, ut (quod somniat Lutherus, Melanchthon, Kemnitius &c.) citrà specialem gratiam Christi suis solius viribus naturalibus N I H I L omninò boni possit, seu N O S S E, seu A G E R E. Nam experientia docet, etiam I N F I D E L E S & E T H N I C O S (solo lumine naturali multa naturalia & moralia nosse, etiam (contrà Calvinum & quosdam alios sectarios a.) Deum esse & esse unum, esse infinitè perfectum, immensum, æternum, omniscium, omnipotentem, &c. esse colendum, amandum, sequendum, &c. multa item opera naturalia & moralia prout decet, solis naturæ viribus exercere; cum præcis proportionetur cognitioni. Rom: II, 14. *Gentes naturaliter qua legis sensu faciunt: cap: I, 21. Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Exod: I, 21. *obstetricibus Ægyptijs quia timebant Deum, edificavit domos:* Ezech: XXI, 18. *exercitibus Nabuchodonosoris, propter Tyrum justo bello versam, præmia decernuntur à Deo.* Matth. v, 46. *diligere eos qui nos diligunt, dicit pronum & connaturale esse homini, & etiam publicanos atque Ethnicos id facere.*

*Luth: as-
fert; 6. &
16. Me-
lanct. in
locis &
Apologiâ.
Kemnit.
in exam.
Trid.
Calv. in
antidoto
Trid. a.
Supra cõ-
tr. I. n. I.*

CENSURA. *Per peccatum non ita læsa*) Nulla erat necessitas cur necessitatem gratiæ elevaturus Jesuita, hic suam crambem recoqueret de viribus arbitrii in statu peccati & prætensis bonis operibus infidelium & Ethnicorum: Nec operæ pretium est ut his imimoremur; cum antea demonstraverimus tam lethale vulnus libero hominis arbitrio illatam fuisse per peccatum, ut donec liberetur à Christo, ad nihil valeat nisi ad malum; sitque incapax omnis bonæ & salutaris productionis; nihilque aliud fuerint vitæ Ethnicorum virtutes quam splendidiora vitia; Vide præcedentem tomum *Cont. xi. N. 6. & 10. item Cont. xii, n. 5. & hoc tomo Cont. xiii, n. 3. & 4.* Nihil vere & simpliciter boni ac Deo grati posse cognosci aut præstari ab homine peccatore, gratiâ Dei destituto, tota clamat Scriptura, præsertim *Joh. xv, 5. Matt. VII, 18. Rom. VIII, 7. I. Cor. II, 14. 2. Cor. III, 5. & residuum illud boni, quod hic pertendit Tirinus eum nosse & posse, tale est tantum secundum quid & planè insufficiens ad salutem. Quasdam luminis & æquitatis naturalis reliquias Dominus superesse voluit, tum ad impiorum ἀναπολογίας, tum externæ disciplinæ inter homi-*

ter homines fovendæ & conservandæ ergo, absque qua societas humana in merum latrocinium abiret. Ad Controversi. 1. u. 1. quo nos hic amandat Jesuita, Calvinum ab ejus calumnia circa cognitionem Dei naturalem liberavimus: Sed neque saltem convenienter lascioso illi residuo lumini, vitam suam peccatores instituere, constat ex Rom. 1, 21. 22. 23. & adeo falsum est axioma Tirinianum praxim proportionari cognitioni, ut é contrario certum sit semper in hominibus sub peccato plus superesse scientiæ quam conscientiæ, plus theoriæ quam praxi, plus notitiæ quam virtutis: Nemoque est eorum qui illud Medæ non debeat usurpare, *Video meliora proboque deteriora sequor*: Et quanquam oderit Pacuvius homines ignavâ operâ philosophâ sententiâ, tales tamen erant plerique omnes Ethnicorum sapientissimi, in quos & illud quadraret Epicteti, μέχρι τῆς λέγειν ἀνευ τῆς πράττειν.

Rom. 11, 14. *Gentes naturaliter*) Gentes naturaliter quæ legis sunt faciunt primò potius præcipiendo faciendâ suis legibus, quam ipsamet præstando; deinde non omnia & singula exequendo quæ Deus in lege præceperat, nedum eo modo quo præceperat, sed tantum quædam ex illis, dum externæ honestati, quanquam ex gloriâ mundi, utcunque studere videntur. Ipsemet Tirinus ibi, id restringit ex dictamine conscientiæ ad multa opera legis naturalis; & Cornelius à Lapide distinctius, ad Rom. 2. n. 116. *Gentiles licet faciant ea legis quæ facilia sunt, ut honorare parentes, dare elemosynam, cavere furia & cades, non tamen possunt totam Legem facere*; unde necessariò remanent sub legis maledictione, juxta ipsius Legislatoris sanctionem Deut: xxvii, 26. & Iacob: ii, 10. Et cum illud ipsum quod faciunt malè faciant, quia non ex fide Rom: xiv, 23. Heb: xi, 6. & extra Christum Ioh: xv, 5. non nisi comparatè & secundum quid, bonum censeri debet, cum absolute & ex Dei judicio malum sit & vitiosum.

C. 1, 21. *Cum cognovissent*) Hic homo seipsum debellat, nam vel ex his verbis liquet quam non apud Gentiles praxis proportionaretur cognitioni. Ex occulto Dei judicio evenit, hominem sub peccato plus adhuc boni nosse quam posse, quo ei prima hæc excusatio eripitur, *Nesciebam*. Nec video quid hinc velit exculpere Tirinus qui ad hunc versum nihil annotavit; sed ad 23. pertendit adversus Catharicum,

num, communionis Romanæ Theologum, & qui Concilio Tridentino interluit, etiam Sapientiores Philosophos, v. g. Trismegistum, Socratem, Platonem, Senecam &c. omnino Idola coluisse. Quod si lumen hoc naturale τὸ γινώσκον Dei sufficisset homini in statu peccati ad illum eò deducendum ut ritè Deum glorificaret, saltè illius rei specimen ali-quod edidissent Sapientiores illi philosophi, qui in ea scientia cœteris erant versatiores; quod cum in nemine contigerit, satis ostendit ex his Pauli verbis colligi quidem meritò quid debuerint & quod fuisset eorum officium ex cujus neglectu jure plectuntur, non tamen quid potuerint & quæ essent ad id virium suarum reliquæ.

Exod. 1, 12. *Obstetricibus*) Non satis erat Jesuitis bona opera tribuere infidelibus & Ethnicis, nisi insuper ea facerent præmiorum meritoria: Sed frustra. Nam 1. Hæc remuneratio non fuit ex debito sed ex gratia. 2. Iste obstetrices non fuerunt infideles & gratiâ Dei destitutæ in hoc bono peragendo; Nam ipse Tirinus *ad hunc locum* admittit Hieronymi, Ruperti, Thomæ & Pererii sententiam, eas egisse *ex supernaturali timore & amore Dei*; Idem statuit Cornelius à Lapide; & plerique Judæi volunt, ut notat Lyranus, eas non Ægyptias fuisse sed Hebræas; ut parum appositè adhibeantur hîc à Tirino obstetricaturæ suo errori, de infidelium & gratia destitutorum bonis operibus.

Ezechiel xxix, 18. *Exercitibus*) Oculatiores oportet esse Jesuitas serpente Epidaurio, qui etiam in castris Nebucadnetzaris, suo tempore latrocinium publicum in totum Orientem exercentis, bona opera compensatione digna apud Deum reperiant. Erat ille Princeps cum suis virga furoris divini, ut Attila quondam se flagellum Dei vocabat. Ejus ambitione Deus utebatur ad varios populos castigandos & puniendos; Cum ita per ipsum Tyrios longâ & durâ obsidione pressos fatis macerasset, eum convertit in Ægyptios, illius expeditioni benedicendo, & ampla inde spolia ipsi concedendo; quæ dicuntur concessa suis militibus in stipendium laborum exantlatorum in obsidio Tyri, quod sibi isthîc militaverint; non sanè quod Nebucadnetzar ejusque milites, hoc fecerint animo & intentione serviendi Deo, sed quia præter eorum mentem Deus illâ ferociâ & ambitione utebatur

ad sua judicia in alios exercenda. Ipse Tirinus *ad eum locum*, ex suo à Lapide, agnoscit Nebucadnetzarem ejusque exercitum, non servisse Deo *formaliter seu ex intentione obsequendi divina providentia, sed saltem materialiter & reipsa, complendo id ipsum quod Deus completum optabat & volebat*; In quo non magis servit Deo, quam Herodes & Pilatus, Judas & Judæi, facientes ea omnia quæ manus & consilium Dei decreverant fieri Act. IV, 28, aut illi Reges de quibus Apoc. xvii, 17. Ut autem istud servitium Deo præstitum, quod ex parte ipsius Nebucadnetzaris erat totum vitiosum, non nisi improprie servitium Dei erat, quia non ut mandatis Dei obsequeretur, sed ut suæ Ambitioni & Crudelitati ac Rapacitati litaret hæc Nebucadnetzar faciebat, unde ipse & sui Ezech: xxx, 12. *mali* appellantur, etsi Deus illo alio fine uteretur; sic merces ei assignata, non est merces nisi improprie, quatenus volebat Deus ejus vires integras conservare ad opus suum peragendum, & spe prædæ hanc tempestatem in Ægyptum derivare. Id non dixerim solus, dicat mecum Cornelius à lapide, Patrocles nostri Achilles, qui *ad eum locum* rejectâ sententiâ suorum Pinti & Sà, videlicet Nebucadnetzarem *Tyrum invasisse bello justo*; unde Deus pro hoc obsequio *moraliter bono, infideli aliàs & impio* huic regi dedit mercedem, non ex condigno sed ex congruo, scilicet spolia Ægypti; arbitratur verius quod ille *inscius materialiter tantum serviveri: Dei providentia & justa vindicta in vastanda Tyro; formaliter vero & ex intentione obsecutus sit sua superbia & ambitioni regnandi*: unde colligit mercedem quoque dici datam ei non proprie sed materialiter, in quantum voluit Deus & statuit ut ipse, quia voluntatem suam in Tyro punienda compleverat, ornaretur & honoraretur regno Ægypti: unde paullò post subdit, *Sicut ergo improprium fuit hoc eorum meritum & impropria adimpletio voluntatis divina, ita & impropria fuit eorundem merces; proprie enim fuit donum Dei non merces*: Addo nec tam donum Amoris & Benevolentia, quam Providentia justissima, Dominia principum uti lubet ab uno ad alium transferentis. Videatur & de eo idem Author in *Canonibus Prophetis facem præferentibus* quos præfixit Commentariis suis in quatuor Prophetas Majores, *Can. 36. & 37.* ubi hoc ipsum fuse diducit; & solide refutat quæ Tirinus hîc de bonis operibus exercituum Nebucadnetzaris & eorum mercede proprie dicta vigilans somniavit.

Matt. 7.

Matth. 7, 46. diligere eos) De istis Ethnicorum & Publicanorum bonis operibus, diximus *tomo 1. Cont. xii, n. 5. p. 575*. Si diligentes se diligere, sit bonis operibus Jesuiticis annumerandum, etiam inter Cannibales & Ponti Euxini accolas, bona opera reperientur, cum nullam unquam gentem Deus siverit eo usque efferari ut naturam humanam penitus exuerit, & omni modo illis communibus notionibus extinctis in absolutam feritatem abierit.

Nam: 7 Ex quibus (contra eosdem hæreticos) colligo, POSSE hominem solis NATURÆ viribus implere SINGULA seorsim PRÆCEPTA naturalia & moralia, saltem faciliora, & quando non pulsatur graviore aliqua tentatione; Possè etiam uno alterove actu AMORIS NATURALIS Deum ut auctorem naturæ DILIGERE SUPER OMNIA. Hæc enim omnia requiruntur, ut Deus prout par est glorificetur: quod Rom: 1, 21 etiam à gentibus gratiæ Christi destitutis exigit S. Paulus. Colligo secundo falsissimum esse, quod ijdem hæretici contendunt, omnia hominum opera, seu fidelium, seu infidelium, esse peccata: de quo supr. Controv. XII num: 5.

CENSURA. *Ex quibus contra eosdem hæreticos*) Hæc non sunt Catholica contra Hæreticos asserta, sed Hæretica & Pelagiana dogmata, ab omnibus Catholicis jure merito reprobata: Ex ijs enim quæ hæcenus disputavi *Cont. xi, n. 10. xii, n. 5. & xiii, n. 3. 4. 5.* facile est colligere quam falsum sit quod hîc pertendit Tirinus; Ideo etiam pudore suffusus, restringit suum assertum ad præceptorum naturalium & moralium, *saltem faciliora, & quando homo non pulsatur graviore aliqua tentatione*: Cum tamen non desint inter suos qui putent etiam hominem solis naturæ viribus tentationes gravissimas posse superare; ideo in Bulla quadam Pij V. & Gregorij XIII. hæc est 29. propositio quæ rejicitur in Adversarijs Jesuitarum; *Non soli fures ij sunt & latrones, qui Christum, viam & ostium veritatis & vita negant, sed etiam quicumque aliunde quam per ipsam in viam justitiæ, hoc est ad aliquam justitiæ conscendi posse docent, aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur aut ab ea non superetur.* Videatur de hac proscriptioe Jansenius *lib. 4. de statu nat. lapsa, cap. 26.* Ex quo id insuper colligo Vasquesium evidenter contradicere nostro Tirino dum *ex professò*
docet

docet (ita loquitur Janfenius) *nullam tentationem superari, nullumque moraliter opus bonum fieri, sine gratia Christi.* At hic nolter, quod multi alii é suo sodalities ad omnem tentationem extendunt, de sola graviore intelligit; Et *moralia* quædam præcepta impleri posse statuit sine gratia, cum ille neget ullum *moraliter* opus bonum ita peragi posse. Vtri credemus? Quam longé melius & Scripturæ convenientius qui statuunt hominem solis viribus naturæ nihil posse præstare quod sit verè bonum & non inquinatum peccato; ac proinde nulli tentationi quâ ad peccatum aliquod sollicitatur, nisi per aliud peccatum resistere; quorum utrumque fuscè demonstratur à Janfenio ex suo Augustino *lib. 3. de statu natura lapsa per totum*, nominatim *capp. 15. 16. 17. 20. 21.* In Tirino nostro præterea hic monendum cenleo; I. Quod frustra usus sit vocabulo *seorsim*; quia nulla proponitur ratio, cur quod de singulis *seorsim* & distributivè dicitur, non possit de singulis *conjunctim* & collectivè intelligi. II. Quod perperam præcepta *naturalia* & *moralia* distinguere videatur, cum omnia præcepta moralia sint juris naturalis & immutabilis. III. Quod restringendo suum paradoxum ad *saltem faciliora*, quænam illa sint debuisset exponere. IV. Quod cum facilioribus hisce annumeret, *Diligere Deum super omnia*, debuisset saltem indicasse, quænam ergo sint ista difficiliora, quandoquidem hoc est primum & maximum mandatum legis, teste Christo *Matt. xxii, 38.*

Posse etiam uno alterove actu) Nempe isti homines exactè norunt quid liberi sui sit arbitrij, quidque ejus valeant humeri quid ferre recusent. Sed nihil insolentius aut impudentius potuit excogitari hoc asserto: Parum est quod longè maximum Dei præceptum levioribus & facilioribus annumerat, præ eo quod tribuit homini peccatori & infideli actus *amoris naturalis* in Deum, quo ceu author naturæ diligatur super omnia. Amoris illius naturalis in infidelibus nec volam videbat nec vestigium Apostolus, cum asserbat omnes sub peccato esse *θιςυγεις* Rom. 1, 30. & neminem esse qui faciat bonum, aut quærat Deum, ne unum quidem Rom. 11, 10. 11, 12. Si talis amor in Ethnicis & infidelibus reperiri posset, tum desinerent illi pertinere ad civitatem diaboli; cum amor sui usque ad contemptum Dei, & amor Dei usque ad contemptum sui inter civitatem diaboli & Dei distinguat, ut docet Augusti-

Augustinus *lib. 14. de C. Dei cap. 18.* Qui videre volet quam longè à principijs Augustini recedant illi qui *Deum naturalibus viribus diligi posse arbitrantur*, ut hic noster, relegat Janfenium *cap. 16.* (quo id probandum ex professo suscepit) *lib. 1. de statu pura nat.* Absit sanè à nobis, ut in ijs qui sunt fide destituti & naturà filij iræ Eph. 11, 3. naturalem Dei amorem etiam, ne quid desit ad crudum Pelagianismum, in supremo gradu imaginemur: *Omne etenim pietatis opus nisi semine recta Exoritur fidei, peccatum est*, ut ait Prosper in *Epigrammatis*. Quid quæso sibi de suis viribus sub gratia non persuadebunt Jesuitæ, si etiam putent absque ea se posse *Deum ut authorem natura diligere super omnia?* Sed quâ fronte audent ipsis Ethnicis sine gratia vendicare, quod nullus Sanctorum in hac vita, etli donatus gratia & Spiritu dilectionis, sibi ipsi tribuere tam absolutè unquam audebit?

Hac enim omnia requiruntur) Quapropter inde colligimus à contrario Gentiles non posse Deum, uti par est, glorificare, etli ad id ex officio teneantur; siquidem ipsum glorificare convenienter nemo potest, nisi qui eum dilexerit super omnia, quod cum nec cadat nec cadere queat in ullam infidelem, nullus ideo infidelis poterit ipsum glorificare uti par erat.

Colligo secundo falsissimum) De eo diximus & nos *tom. 1. Cont. xii, n. 5.* quoniam ibi egit tantum Tirinus de infidelium operibus: Nec enim statuimus fidelium opera omnia esse peccata, ut clamat Calumnia; sed tantum nulla esse tam perfecta, quin ex nativa eorum corruptione aliquid adhuc navi & vitij contrahant: *Nihil est ab omni parte beatum; & hic si aspiciam illud obtinet In magnis voluisse sat est.* Nunquam ita splendet nostra luna, quin adhuc suas maculas retineat. Audiatur hinc Jesuita Adrianum Trajectensem, qui postea fuit pontifex, cujus verba *ex com. in 4. sentent.* refert Cassander *Consult. art. 6. pag. 37. edit. Colon. anni 1577.* *Sunt merita nostra veluti baculus arundineus, cui dum quis innixus fuerit, confringit & perforat manum innitentis; & quasi pannus menstruata sunt omnes justitia nostra: jugiter igitur super pannum bona vita quem operibus justitia teximus, stillamus sanie diversorum criminum.*

Nam: 8. Sed nemo sine GRATIA (quod volebat Pelagius) solis natura

turæ viribus potest longo tempore OMNIA PRÆCEPTA naturalia & moralia IMPLERE, qualvis tentationes constanter superare, omnia peccata devitare &c: idque propter innatam Libero arbitrio mutabilitatem, instabilitatem, & quasi impotentiam (ferè qualis est in aleâ) semper eodem modo agendi. Thren : 1, 8. *Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est.* Et Rom: VIII, 3. dicuntur hæc impossibilia fuisse legi Mosaicæ & I. Cor: X, 13. Christianis speciatim promittitur Deum non permisit eos tentari supra id quod possunt; quo insinuat id aliorum respectu subinde permitti.

CENSURA. *Sed nemo sine gratia*) Fallitur multum Tirus si putat se hac arte, Pelagij nomen potius, quam doctrinam refugisse; Longè alia erat sententia Pelagij, quam quæ hîc commemoratur: Cl. Menardus, Proprætor Andium, *in notis suis ad Opus imperfectum Augustini contra Julianum pag. 470.* hanc refert Pelagij & Celestij de gratia Confessionem; *Liberum sic esse consistemur arbitrium, ut dicamus nos semper Dei indigere auxilio, & tam illos errare qui cum Manichæis dicunt hominem peccatum vitare non posse, quam illos qui cum Ioviniano asserunt, hominem non posse peccare; uterque enim tollit libertatem arbitrij: & pag. 471.* quid Concilium Carthaginense Patrum cXIV. anno 418. celebratum responderit Zozimo Pontifici Romano, qui hæresiarchorum istorum tutelam suscepisse videbatur, acriùs Africanos carpendo, quod illos condemnassent; *Constituisimus, inquit, in Pelagium atque Celestium per venerabilem Episcopum Innocentium de Beatissimi Apostoli Petri sede prolatam manere sententiam, donec apertissimâ confessione fateantur Gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, non solum ad faciendam justitiam nos per actum singulos adjuvare, ita ut sine illa nihil vera, sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Totam deberem Vossij & Janfenij historiam Pelagianam retractare, si deberem fusiùs ostendere Jesuitarum cum Pelagio consensum, ubi præsertim cœpit à natura ad gratiam transire & molliùs loqui quam fecerat ab initio: Equidem nusquam distinxit Pelagius iuter præcepta faciliora & difficiliora, sed indefinitè loquutus, potius de eo quod posset esse ex vi liberi arbitrij, quam de eo quod actu esset, revera idem statuebat cum nostris Jesuitis, nec Controversia fuit Catholicis cum Pelagio, an tantum quædam præcepta Dei servari & quædam tentationes minus vehementes ad
breve

breve saltem tempus superari possent ex solis viribus naturæ absque gratiâ, sed simpliciter an posset absque actuali Dei gratia fieri aliquid boni, qualecunque illud esset, aut ulla tentatio superari: Affirmabant Pelagiani, affirmant cum illis Jesuitæ; Nos cum Catholicis & Augustini sequacibus negamus: Imo si expendantur propius quæ sibi & quæ Pelagio hîc tribuit Tirinus haud difficile erit eos inter se conciliare: Nam Pelagius juxta hunc statuebat posse *omnia* præcepta servari sine gratia; *hic singula*: Nec dicat se *faciliora* saltém intelligere; cum Dei dilectio supra omnia sit omnium difficillimum: aut de singulis *seorsim* loqui non conjunctim; cum omnia possit qui singula, & in isto magno singula conjunctim observentur: aut minus vehementes se intelligere tentationes, non *quas libes*; cum nequeat assignari gradus in quo consistat vehementissima & irresistibilis tentatio, & absurdum sit aliquam irresistibilem posse dari tentationē, nullam irresistibilem gratiam; quasi dæmoni plus liceat quam Deo in liberum arbitrium: aut se intelligere præstitam obedientiam ex viribus naturæ ad breve tempus, *non longo tempore*: cum diurnitas aut brevitatis temporis hîc nihil faciat; ut enim nihil decedit gratiæ perseverandi, in schola Jesuitica, sive quis diutius perseveret & ad multos annos, sive quis minus diu perseveret & tantum ad aliquot menses, sic nihil decedit viribus naturæ, sive continetur diu sive non tam diu continetur obedientia quæ potest ex illis præstari. Tum hîc Jesuitis esset definiendum, quid esset discriminis inter tempus à Pelagio assignatum & suum: Plus & minus speciem non variant: Et petiero libenter à Jesuita quî fiat, ut is qui potuerit *uno al-tero-ve actu amoris naturalis Deum ut auctorem natura diligere super omnia*, nequeat primo illi & secundo actui, tertium & quartum in continenti adjicere, & repetitis illis actibus habitum perfectionis contrahere? Aut cur is qui paulatim assueverit minus vehementes tentationes repellere, nequeat tandem etiam vehementiori resistere, ut Milo Croti- niates, qui vitulum quotidie levando eum tandem bovem portare assuevit? Nonne fatius fuisset prodigiosum illud dogma *N. præcedentis non proposuisse*, quam in hoc arma nobis subministrare quibus *oversatur* & Jesuitæ Pelagianismi disertè convincantur?

Idè propter immasam) Priùd admittimus & in rem nostram conver-
timus

timus quod hic revera *impotentiam* bene agendi tribuat Tirinus Libero arbitrio; quam tamen alibi nostrorum hæresibus annumerat: Cum enim is solum benè agat qui *constanter* benè agit manetque quadratus in bono proposito, ut statua in sua basi, is necessario cenferi debet non posse benè agere, qui constanter benè agere non potest. Deinde libenter velim edoceri ab aliquo Jesuita num *innata* illa mutabilitas, instabilitas & quasi impotentia semper eodem modo agendi, quam Tirinus deputat libero arbitrio, insit illi vel à peccato, vel à natura: Si enim insit ei à natura, nullo gratiæ aut gloriæ lumine hic Mercurius fixus reddi poterit, aut firmari hic vertumnus. Juvat enim gratia naturam, non mutat, & hanc furca licet expellas, Horatio teste, semper usque recurret: Si ei insit à peccato, ut revera inde habet quicquid habet navi & vitii, non à Deo, cur malunt Jesuitæ hinc comminisci, immutabilitatem, instabilitatem, & quasi impotentiam, semper eodem modo agendi (juxta quam tam impossibile erit homini sub peccati tyrannide malè agere semper, quam semper benè agere, & tam necessariò licet sit malus debebit aliquando bonos fructus proferre, quam necessariò non semper bonos profert) quam ingenuè & bonâ fide absolutam benè agendi impotentiam in homine peccatore & gratiâ destituto confiteri? Cum & ita censuerit Antiquitas Catholica contra Pelagium, & eò nos ducat Sacra Scriptura, etiam iis in locis quæ Tirino hic citantur: Ea sanè non *alea* modo benè modo malè cadenti, nostrum confert arbitrium, sed arbori malæ & putridæ non nisi malos & putres fructus proferenti; nec tribuit homini sub peccato impotentiam positivè sumptam, ut sonat potentiam diminutam in prima specie qualitatis, sed impotentiam privativè dictam, ut sonat carentiam facultatis ad benè agendum; cum extra Christum nihil possimus Joh. xv, 5. nec possit animalis homo percipere ea quæ sunt Dei 1. Cor. 11, 14. aut prudentia carnis se subicere Dei legi Rom. viii, 6.

Thren. 1, 8. Peccatum) Instabilitatem Liberi arbitrii hinc exsculpere nemo sanus poterit; cum agat Propheta non de eo quod obvenit Jerosolymis ad intra ex habitu peccandi, sed de eo quod passa fuerit ad extra in pœnam peccatorum suorum: Nam Tirinus ipse *ibi*, illa verba, *Propterea instabilis facta est*, sic explicat; *Variabilis, propterea varie jactata est; q. d.*

Ideo

Ideo loco nota est Synagoga, & captiva in Chaldaam abducta; nempe adificium à fundamento dirvulsum propellent fluctus in certam ruinam. Et hoc ei minatus nuper Ieremias xxiv, 17. & olim Moyses Deut. xxviii, 25. Et quæso qui potuit Tirino in mentem venire ut hæc traheret ad instabilitatem liberi arbitrij, cum Ieremias é contrario hic queratur (vel ipso interprete) de stabilitate & constantia nimia Synagogæ in peccando; quæ carpi non potuisset, si id esset innatum arbitrio humano, non posse magis quam aleam, semper eodem modo agere? Nam illud *Peccatum peccavit*, sic Tirinus interpretatur, *id est graviter & assidue peccavit peccato Idololatria quasi spirituali fornicatione*: Bonum sanè fuisset Jerusalem instabilitatem hanc habuisse, nec tam assidue malè egisse.

Et Rom. viii, 3. *hac dicuntur*) Etiam hoc loco recessit Tirinus à suo Commentario; Nam ibi non tantum Paulum de lege Mosaica, sed etiam de *naturali* interpretatur, neque illam impotentiam adscribit mutabilitati & instabilitati innatæ arbitrij, sed potius nostræ corruptioni; *Quod*, inquit, *impossibile erat omni alteri legi tam Mosaica quam naturali*, (non moror in præsentiarum istam distinctionem) *in qua id est quatenus & quia infirmabatur, id est infirma, invalida, impotens erat, partim propter carentiam gratiæ & auxiliij ad id necessarij, partim per carnem id est propter naturam humanam nimis infectam & immersam concupiscentijs carnis & peccatis, qua lex per se tollere non poterat.*

Et 1. Cor. x, 13. *Christianus*) Bene est quod Tirinus agnoscit Deum subinde permittere de aliis ut tententur supra id quod possunt; dum eos justo judicio mancipat Tentatori, nullasque gratiæ vires illis suppeditat absque quibus tamen resistere nequeunt; Nam ut hinc constat tentationum victoriam ex Dei pendere auxilio, quo deficiente (ut in multis deficit, sed semper justè) necesse est hominem peccatorem illis succumbere, sic evidenter indidem liquet nulli tentationi resistere posse eos qui gratiâ Dei destituuntur. Sed obiter hîc venit Commentarius Tirini ad hunc locum à nobis castigandus. Ibi primò contra nos insert, quod Deus si non permittit ergo multo minus præcipit impossibilia; Sed vide quam vitiosè arguetur; Nam hîc planè aliter ratiocinatur, Si non permittit in Christianis ut supra id quod possunt tententur, ergo permittit in aliis; unde juxta ipsius consequentiam sequetur, ergo

saltem quibusdam Deū præcipere impossibilia, quibus permittit luctari cum tentatione ex qua non possunt eluctari. Secundò hinc infert *in comment.* nullā esse tentationem tantam quin Dei gratiā vincī possit, idque benè; Sed addi debuisset, quin Dei gratiā tandem vincatur & superetur; virtus enim Dei iis quibus sufficit sua gratia per infirmitatem consummatur 2. Cor. xii, 9. Verum ut id perperam omissum, sic vitiosè addita quæ sequuntur: & hanc gratiam non solis electis, sed omnibus Deum invocantibus paratam esse: Nam quī posset omnibus iis esse parata, quos ipso fatente Deus subinde permittit tentari supra id quod possunt? Tum absurdè hinc finguntur quidam invocantes Deum, piè utique & ex fide, uti par est, qui tamen electi non sint; cum illis solis detur Spiritus precum & fidei. At nemini mirum esto quod tam jejunè Pelagium hoc loco Jesuita impugnaverit; Nam ut fortiùs Patriarcham suæ Societatis debellaret, minus civile fuisset.

Num: 9. NEMO etiam SOLIS NATURÆ VEREBUS (quod volebant Pelagiani & Massilienses) potest quidquam circà SUPERNATURAM LIAM seu credenda, seu agenda: Ioh: xv. 5. Sine me nihil potestis facere; sunt enim altioris ordinis, nec proportionata naturæ. Vnde etiam factā sufficienti propositione mysterii supernaturalis, & positis sufficientibus signis, miraculis, indicijs & argumentis quibus probetur illud posse & debere meritò credi; non potest voluntas (ut putavit Arminius, & Calvinus falsò impingit doctoribus Scholasticis) sine aliā speciali gratiā Dei imperare intellectui, ut fide Christianā mysterio illi assentiat, teque captives in obsequium fidei 2 Cor: x, 5. Patet Ioh: vi, 29, non hominis, sed Dei opus hoc est ut credatis. v: 66. Nemo potest venire ad me, (etiam primo initio seu accessu fidei) nisi datus ei fuerit à Patre, v: 44. Nisi pater meus traxerit eum: Matth: xi. 27. Nemo novit patrem aut Filium, nisi cui voluerit Filius revelare. Eph: i. 8. Fides donum Dei est. 2 Cor: i. 3. Non quod sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra à Deo est. 1 Cor: xi. 3. Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.

Ex quibus patet, longè minùs posse sine speciali gratiā obtineri aliquid eorum quæ nobiliora sunt fide: v. g. spem, charitatem, actus meritorios, vel his proportionata initia, desideria vel prævias dispositiones.

Quomodo hæretici, Mahometani, & dæmones credant & contremiscant, dixi Iac: ii, 19.

CENSURA. Nemo etiam (solis natura) Punicā fide hic Pelagianorum &

Arm.
in thes.
Calv. lib.
2. Inst.
cap. 2.

rum & Massiliensium, siue Semipelagianorum sententia refertur: Nam uti etiam in Controversia præcedenti ostensum, ipsemet Pelagius sic posse, velle, agere, distinguebat, ut saltem prius gratiæ divinæ adscriberet; & donec Jesuitæ Iansenii *Stataram*, siue parallelum Errorum Massiliensium & suorum solidè refutarint, nunquam eluent culpam non solum syncretismi cum Massiliensibus, sed etiam hæreseôn tetriorū, quarum se reos peregerunt dum sui Molinæ commentum novum & ante inauditum pro suo adoptarunt, eo modo & ordine quem refert Iansenius in præfatione *Statara* ex Fuligatto Iesuita in *vita Bellarmini*. Nam ut id tantum spectem quod est præ manibus, Massilienses supernaturalia non attribuebant naturæ viribus, sed gratiæ, quam ut Jesuitæ, proponebant attemperatam tum libero arbitrio, tum generali Dei proposito de omnibus servandis, adeoque liberalissimè & sufficienter in omnes effusam, ut possint si velint, prout docet Iansenius *Statara nota 34. 37. 38. 39. 44.* Et ne insuper subterfugium quærant Jesuitæ in eo quod gratiam actualem internam, ut Tirinus hic contra Arminium, requirere videantur, etiam eam admisisse Iesuitico sensu Massilienses monet Iansenius *nota 42.* quod multis probat *lib. 8. de her. Pelag. cap. 6. & 7.* Et ostendit Iesuitas *Statara nota 55. & seqq.* Massiliensibus gravius errare in multis: Primum quod Massilienses initium fidei & in ea perseverantiam sibi adscribebant, hi omnes virtutes: Secundum quod illi initium salutis, hi totam suam potestati vendicent; Tertium quod illi post initium fidei veram gratiam actualem agnoverint, hi nullam. Quartam quod illi intelligant veram Christi gratiam cum libertate consistere, hi nequaquam; Cætera ex eodem authore requirantur; Sed Massiliensibus missis, eundem errorem quem Tirinus hic illis affingit ipse errat manifestè, si meminerit eorum quæ N. 7. dixit. Nam ad Supernaturalia debet pertinere amor Dei quo super omnia diligatur; Eum tamen ibi ex viribus naturæ arcessebat; Si dicat naturalem illam fore dilectionem, quia naturaliter notum sit Deum esse diligendum, eâ ratione omnem fidem & novæ vitæ obedientiam poterit naturalibus accensere; quoniam universa Decalogi & legis moralis doctrina juris est naturalis, ut ipsi statuant Pontificij; quod patet inter alios ex Antonio Fernandez de Moure in *Exam. Theol. Moral. p. 1. cap. 1. n. 3.* Nec minus naturaliter notum est Deo credendam ceu primæ veritati

ritati, quam eum esse amandum ceu primum bonum; unde sequetur non minus fidem in Deum, quam dilectionem Dei naturalibus illis, quæ juxta Jesuitam non pendent ex gratia, posse annumerari: Et cum idem de Moure *ibi cap. 4.* fidem, spem & charitatem ceu virtutes Theologicas primo Decalogi præcepto mandari & contineri statuat, ut & Iohannes Benedicti Minorita *Summa pecc. lib. 1. cap. 8.* & ipse Catechismus Romanus *p. 3. cap. 2. §. 4.* hoc autem primum præceptum, ut reliqua Decalogi, sit naturale atque ad naturalia pertineat, utique naturalibus & nobis possibilibus sine gratiâ debent annumerari ipsæ virtutes Theologicæ; ut nihil supernaturale restet quod soli gratiæ sit deputandum. Addo ipsummet Tirinum supernaturalia hîc commemorare non solum *credenda*, sed etiam *agenda*. At hæc agenda alia non erunt quam quæ ex Dei lege & Decalogo naturaliter nota sunt, adeoque juxta Tirini placita naturaliter possibilis. Sed liberatius agamus cum eo; Suntu simpliciter supernaturalia, id est naturalis nostræ activitatis sub peccato sphæram longè excedentia, quæcunque creditu & factu sunt necessaria ad salutem (in aliis quæ salutaria non sunt, quid possit nec-ne homo peccator, parum nostra refert; maneat modo quod ex Augustino habet Concilium Arausicanum *can. 22. Nemo habes de suo nisi mendacium & peccatum*) tamen nec bonâ fide gratiam ad illa requirunt Jesuitæ: Eam enim tantum admittunt per modum auxilii *sine quo non fiunt*, cum tamen esset agnoscenda per modum auxilii *quæ fiunt*; In eo anathemate perculsi ab eodem Concilio Arausicano, tum *can. 9.* his verbis, *Divini est muneris cum rectè cogitamus & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus: Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur*; tum præsertim *can. 7.* *Si quis per naturæ rigorem bonum aliquod quod ad salutem pertinet vita æterna cogitare ut expedit, (sic melius Sirmondus, quam Carranza) aut eligere, sive salvari id est Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis, Sine me nihil potestis facere; Et illud Apostoli, Non quod idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. De loco Joh. xv. 5. hic Tirino citato, diximus & supra ad Num. 2. & fusc*

fusè in præcedenti Controversia, ad Num. 4. & quantum illi insit energiz ad propugnandam gratiz necessitatem, ipsum Concilium Arausicum satis ostendit.

Sunt enim altioris ordinis) Optimè: Sed cum his quæ altioris sunt ordinis, agenda quoque Tirinus annumeret, idest *Moralia*, cur in *præcedenti Controversia n. 4.* vires liberi arbitrii in homine post peccatum residui, non solum ad opera *naturalia*, sed etiam ad *moralia* extendebat? Et cum supernaturalia sint ipsi altioris ordinis nec *proportionata* naturæ, cur *ibid. n. 5.* naturæ vires & liberum arbitrium *circa opera supernaturalia* ex professo propugnabat? Mendacem oportet esse memorem.

Vnde etiam facta sufficienti) Et illud benè quod ad gratiam externam, quæ sufficientem exhibeat rerum credendarum revelationem, & probationem, requirat gratiam intus agentem; nam frustra Paulus plantat & Apollos rigat, nisi Deus dederit incrementum. Atque illinc fit quod è duobus pari præconio externo institutis, alter credat alter non, alter convertatur & resipiscat, alter in suis peccatis continet: Est opus conversionis nostræ majoris molis, quam ut solâ Arminianorum morali persuasione, in qua vel ipsis Jesuitis meritò vapulant, peragatur, aut ad illud sola Euangelii externa manifestatio sufficiat, ut Sociniani pertendunt, quibus omnis Dei gratia in hac externa revelatione consistit. Hic tamen in speciali gratia assignanda errat Tirinus bifariam; 1. Quod cum ex suis hypothesibus, eam gratiam intelligere debeat, cujus efficacia suspendatur ex libero hominis arbitrio, illi tamen tribuit operationem in voluntatem; Si enim agit hæc gratia in voluntatem, positâ jam omni morali illâ suasionem quâ probatur supernaturale mysterium *posse & debere meritò credi*, utique voluntatem ipsam determinabit, non vero determinabitur à voluntate: 11. Quod speciali huic gratiæ nihil aliud tribuat quam quod imperet intellectui ut *fide Christianâ* veritati revelatæ assentiatur; cum tamen nec intellectus possit assensum cohibere erga veritatem sufficienter sibi comprobatam; nec assensus fidei pendeat ex voluntatis imperio, sed ex persuasione & illuminatione Spiritus Sancti; nec imperio voluntatis subsit intellectus, sed voluntas è contrario subsit intellectui, uti

suo loco probavimus: Quare specialis gratiæ operatio non in eo sita est quod per illam inclinetur voluntas ad assensum imperandum veritati sufficienter annunciatae & comprobatae, sed quod suo lumine colustret intellectum in persuasionem rerum externè propositarum, & voluntatem inflectat ad earum debitam dilectionem & reverentiam, atque sic ipsam fidem in nobis operetur: quod Lydiæ liquet exemplo cui Deus cor aperuit ut attenderet iis quæ dicebantur à Paulo Act. xvi, 14. Cum ergo intellectus se captivat in obsequium fidei 2. Cor. x, 5. id non sit vi imperii quod in illum exerceat voluntas, sed ex persuasionem efficacissima ipsius Spiritus Sancti, quæ debetur gratiæ luminis non minus in intellectum quam in voluntatem agenti; imò ordine naturæ prius in intellectum quam in voluntatem, & potius per intellectum in voluntatem, quam per voluntatem in intellectum. Intellectus enim per fidem se subjicit Christo, non ut assentiatur rebus vel dubiis vel sibi incertis, sed ut res quas caro & sanguis non capiunt, de earum divinitate edoctus à Deo, certissimâ fide admittat, & compescat ex illa persuasionem quicquid ratio humana in contrarium gannare vellet vel garrere. Cæterum Calvinus noster *lib. 2. Inst. cap. 3. §. 7. & seqq.* meritò disputat contra Scholasticos sic voluntatem nostram à Deo moveri ut motioni postea vel obtemperare vel refragari nostræ non sit electionis; nec enim Apostolum docere, ut loquitur §. 10. *offerri nobis bonæ voluntatis gratiam si acceptemus, sed ipsum velle in nobis efficere*: Sed ibi non tribuit Scholasticis, quod solam externam gratiam absque interna sufficere censuerint: quanquam id sequitur ex eorum doctrina, qui volunt hominem converti merâ suasionem morali, quam admittere vel respuere sit penes voluntatem; nam ad suasionem moralem sola gratia externa posset sufficere.

Patesc. Joh. vi, 29.) Atqui hæc omnia loca talem gratiæ *irresistibilis* important, quæ non voluntatis arbitrio subijciatur, sed ipsammet voluntatem sibi subijciat, nec tantum efficiat ut possimus si voluerimus, sed revera ut velimus: quod causæ Jesuiticæ jugulum petit. Est revera in nobis Dei opus ut credamus; quia ipse suo Spiritu fidem in nobis operatur. Sic tamen probamus quod habet Augustinus *trakt. 25. in Joh.* Christum non dixisse *Hoc est opus vestrum, sed hoc est opus Dei*, ad fi-
 dei

dei authorem nos deducturus, ut putemus illum locum Ioh. vi, 29. parum hac facere, cum fides hic dicatur opus Dei non efficienter, sed præceptivè, quasi *requisitum à Deo*, ut benè Tirinus in *Comm.* explicat. Sic enim Christus respondet quæstioni sibi factæ in versu præcedenti, Quid faciendum ut operemur opera Dei? Ideo etiam Belgæ interpretes hunc locum conferri volunt cum I. Ioh. 111, 23.

V. 66. *Nemo potest venire*) Nempe Deus non dat tantum nobis gratiam quâ possimus venire & credere, sed revera dat ut veniamus; imò trahit nos attractione non minus suavi quam efficaci, uti patet ex duobus his locis. Etenim *comm.* 65. (non 66. ut malè citatur Tirino) Christus explicat quod dixerat priùs *com.* 44. De hac tractione jam dictum supra ad n. 4. Non malè quidem Tirinus ad Ioh. vi, 44. statuit Patrem trahere *per internam gratiam suam quâ & obscurum intellectum illuminet & tandem voluntatem alliciat & suaviter trahat*; sed quod addit id fieri *non necessitando sed invitando*, perperam dicitur; Nam hæc tractio est est tam efficax ut non quidem coactionem, sed necessitatem sive infallibilitatem eventus importet; Nec dubium quin significet amplius quam nudam invitationem: cum omnes invitati non veniant, sed veniant quotquot trahuntur: Ridiculè etiam distinguitur Tirino tractio in actu primo & in actu secundo, q. d. potentialem & actualem; cum omnis tractio sit actualis ad Christum deductio, uti liquet ex Ioh. vi, 37.

Matt. xi, 27. *Nemo novit*) Quantum pendeat hæc salutaris Dei & Christi cognitio ex specialis gratiæ illuminatione, docemur insuper Matt. xi, 25. xvi, 17. I. Cor. 11, 14. Et cum agnoscat Tirinus ad Matt. xi, 27. quod hanc notitiam salutarem absque Christi *revelatione tam interna per illuminationem & inspirationem, tum externa per doctrinam suam nemo unquam assequeretur*, quâ fronte audebit eam gratiam fingere universalem, cum omnes internè illuminari & inspirari eò sit falsius quod nequidem omnibus externè quolibet temporis articulo & momento proponatur doctrina Christi?

Eph. 11, 8. *Fides Dei donum est*) Sic Phil. 1, 19. Atque cum sit donum merè gratuitum, hinc fit quod non sit omnium 2 Theff. 111, 2. sed tantum *electorum Dei* Tit. 1, 1, Sed non possum hic præterire Tirin's inopuden-

impudentiam in explicatione loci Eph. II, 8. *Gratia*, inquit, *seu beneficio gratuiti auxiliij divini estis saluati* (inchoatè, id est justificati) *per fidem qua ex libero arbitrij nostri consensu & cooperatione cum Dei gratia praveniente efficitur; unde non est ex nobis solis, neque ex merito operum precedentium, sed Dei donum est liberale ac gratuitum: Quia etiam iste voluntarius & liber assensus noster non posset à nobis elici nisi gratuita illustratione divina praveniremur, excitaremur ac roboraremur. Vnde rectè colligunt Scholastici, initium justificationis & salutis nostra non posse dici ex nobis esse, sed necessariò divine gratia adscribendum.* Quibus in verbis plures sunt errores quam syllabæ. I. Gratia hæc quâ sumus servati, non notat gratuitum Dei auxilium, sed gratuitum & æternum illum favorem & amorem quo nos in Christo complectitur: Ideo Johannes à Gorcum Estii & Cornelii à Lapide abbreviator hic pro eodem sumit *gratiâ & gratis*. II. Non initium tantum salutis sed progressus & complementum debet gratiæ tribui Rom. VI, 23. III. Ad fidei effectiorem in nobis non cooperatur gratiæ divinz liberum arbitrium, cum fides per gratiam in illo producat. IV. Si illa sit mens Apostoli, fidem non esse ex nobis solis sed etiam ex Deo, tam verum erit dicere fidem non esse ex Deo (supple solo) sed ex nobis, quam fidem non esse ex nobis sed ex Deo: Ideo Hieronymus ad eum locum sic loquitur: *Et hac ipsa fides non est ex vobis, sed ex eo qui vocavit vos: Hoc autem ideo ne forsitan cogitatio occulta subreperet, si per opera nostra salvi non sumus, certè vel per fidem salvi sumus, & alio genere nostrum est quod saluamur; addidit itaque & dixit fidem quoque ipsam non nostra voluntatis esse sed Dei muneris.* Addo & Theodoretum: *Non enim* (inquit) *nostrâ sponte credidimus, sed vocati* (vocatione efficaci) *accessimus, & cum accessimus non exegit vita puritatem & innocentiam, sed solâ fide susceptâ condonans peccata.* V. Ad voluntarium nostrum & liberum assensum producendum, non concurrat gratia medicinalis Christi, ut auxilium sine quo non, sed ut auxilium quo, neque ejus illustratio permittit se electioni voluntatis, sed eam actu & efficaciter determinat. VI. Nihil hîc Jesuita dicit cum suis Scholasticis, quod non dicant Pelagiani, adscribendo hæctenus gratiæ salutis initium, quod ab illa sit posse, at ipsum velle & operari à nobis. VII. Sic revera homini ejusque arbitrio suæ salutis initium tribuitur; Nam istud demum est initium salutis

salutis, quo quis incipit discerni à non servandis: at homo secundum istos incipit à non servandis discerni libero suo consensu.

2. Cor. 111, 5. *Non quod ex nobis*) Quod si ex se nemo potest cogitare aliquid boni, ergo multo minus operari: Hunc locum edè produci à Concilio Arausicano 11. Can. 7. supra vidimus; Idein urget Augustinus de *pred. Sanct. cap. 2.* Quin ipse Tiranus ad eum locum agnoscit quod *nequidem sufficientes sumus cogitare aliquid edè conducens, nempe quod vere bonum vel virtuosum sit; quodque de condigno vel de congruo juvet ad fidem, gratiam, conversionem vel salutem.* Hæc autem quomodo concilient Jesuitæ cum iis quæ hîc extant n. 7. & 10. viderint ipsi. Sed quod dextrâ dederat Tiranus mox sinistrâ eripere conatur. *Non negat, inquit, Apostolus (ut fingit Calvinus) liberum arbitrium nostrum cooperari gratia Dei, sed solam ex se esse insufficientem ad bona & supernaturalia opera, seu exercenda seu tentanda; ut explicat Concilium Arausicanum & S. Augustinus cum aliis Patribus; qui hîc docent contra Semipelagianos omne fidei salutisque initium ac desiderium non esse ex libero arbitrio, sed ex gratia præveniente, quâ excitatum, roboratum & adjutum liberum arbitrium, cooperatur si vult eidem gratia, ejusque influxui supernaturali in opus naturale concursum suum præbet, sibi suæque naturæ viribus commensuratum; Sufficientia ergo liberi arbitrij, id est potentia ac vires ad opus naturale producendum, non est ex libero arbitrio, sed ex Deo.* Sed & hîc multa sunt vitiosa: Quam enim benè hic locus citatur à Veteribus in Semipelagianos, tam justè objicitur Jesuitis, quicum illis paria imo pejora faciunt, ut supra ex Jansenio Pontificio Episcopo probatum. Deinde gratiæ cooperari & cum illius influxu concurrere ac velle utrumque, bonum est & virtuosum: Atqui hæc Tiranus tribuit libero arbitrio distinctè à gratia; ergo illi sufficientiam tribuit ex se ad aliquid verè bonum & virtuosum, contra quam ipse mentem Pauli explicaverat. Adhæc si ex se insufficientem erat ad ista, qui sit quod cooperetur gratiæ, etiam *per concursum sibi suæque naturæ viribus commensuratum?* Præterea si liberi arbitrij concursus cum gratia, sibi suæque naturæ viribus est commensuratus, quare negat Tiranus sufficientiam liberi arbitrij, id est potentiam ac vires ad opus naturale, esse ex libero arbitrio? Nam quid amplius à libero arbitrio exigitur in Schola Jesuitarum ad supernaturalia, nisi ut

cooperetur gratiæ & concurrat cum illa? At si cooperetur & concurrat per vires sibi suæque naturæ commensuratas, quomodo negabitur illas vires & ex consequenti illam sufficientiam ei inesse à natura? Undenam haberet ut cooperetur gratiæ? Sane non ab ipsa gratia cui debet cooperari, cum causarum socialiter & collateraliter non subordinatè agentium, una vim & efficaciam agendi ab altera non habeat; & gratiæ ipsius efficacia omnis suspendatur ex libero arbitrio, quod nisi voluerit cooperari gratiæ, ipsa frustra erit. Superest ergo ut juxta Tirinum à seipso facultatem & vim ac sufficientiam habeat cooperandi, concurrendi, imò ipsam gratiam ad supernaturalium productionem determinandi & applicandi: Sed longè certius Apostolus inculcat quod omnis nostra *ικανότης* sit à Deo, à quo proficiscitur & posse quod volendum, & velle quod possumus; adeoque non socialiter nostrum liberum arbitrium gratiæ cooperari, sed potius ei suboperari & actum ab illa atque determinatum agere.

1. Cor. xii, 3. *Nemo potest*) Tirinus ad eum locum introducit Apostolum etiam constantes in fide moventem, non esse quod ex se jactent, cum id ex se non habeant, (citato ad marginem loco nobili 2 Cor. iv, 7. qui huc potissimum facit) sed à Spiritu Sancto; Nemo enim potest dicere Dominus Iesus, id est agnoscere, invocare, (ut oportet seu proficue ad salutem) profiteri vel predicare Iesum esse Dominum suum, Messiam & Dei Filium, nisi in Spiritu Sancto, id est per gratiam Spiritus Sancti: Quæ verba ut non malè exprimunt mentem Apostoli, sic ostendunt à Dei gratia speciali & salutari esse, non solum ut agnoscere & invocare possimus Iesum Christum, sed etiam ut actu & de facto ipsum agnoscamus & invocemus.

Ex quibus patet) Sanè ex his patet omne nostrum bonum uni Deo esse in solidum adscribendum; cum ad illud naturâ nostrâ inepti planè & inhabiles simus; Verum quod actus hîc meritorios imaginetur Jesuita ac nobiliora quædam fingat salvificâ fide & spem illi ac charitatem præferat in ordine ad salutem obtinendam, Dei verbo & rectæ rationi adversatur.

Quomodo Hæretici, Mahumetani) At, ô Tirine, nihil ad Iacob. ii, 19. de Hæreticis, nihil de Mahumetanis, dixisti: Tantum dæmonum fidem, sive supernaturalis statuatur, sive naturalis, de quo tuorum commemoras

moras discrepantes sententias, nihil illis potuisse nisi ad majus tormentum asseruisti. Sanè dæmonibus fidem supernaturalem tribuere, (id est quæ pendeat ex illuminatione gratiæ) ut citati Tirino statuunt Durandus, Alensis, Magister, Catharinus, Salmeron, & probabile censent Valentia, à Lapide & Justinianus, quò & ipse Tirinus propendet, est tam absurdum, quam absurdè gratiæ quæ est in Christo radij menti dæmonum affunderentur; Si quam habent fidem historicam sive persuasionem de veritate verbi divini, pendet ex naturali & acquisita eorum noticia; De Mahumetanis vero, quos ipsi Theologi Pontificiorum simpliciter infidelibus annumerare solent, nec immeritò, superfluum videtur quærere quamnam habeant fidem; cuni omnis eorum persuasio de Numine non manca modo sit, sed falsa & vitiosa. Idem dico de hæreticis; qui errare potius circa res fidei quam credere sunt censendi. Et si videantur fide historicâ Dei verbo assentiri, qualiscunque sit illa fides, gratiæ medicinali in Christo non debet tribui; ut nec ea quæ est τῶν ἀπὸς καὶ τὸν πιστεύοντων, Luc. VII, 13. quæ licet Spiritui illuminanti per Dei verbum tribui possit, tamen Spiritui sanctificanti & sananti, ut nec fides miraculorum, deputari nequit.

Nam: 10. Nolim tamen negare (quod negant Lutherus & Calvinus) posse hominem SOLIS NATURÆ VIRIBUS, aliquo modo sed improprie dicto, SE DISPONERE ad gratiam prævenientem obrinendam à Deo. Si enim viribus naturæ fecerit aliquanto tempore quod in se est, Deus infalibiliter gratiam illam ipsi conferet. Si enim illuminat omnem hominem Ioh: 1, 9. quanto magis eum qui facit quicquid in se est? Et quid amplius potest homo? Hinc Daniel Cap: IV, 24. Nabuchodonosori suadet, Peccata tua elemosynis redime. Tob: IV, 11. Elemosyna non patietur animam ire in tenebris; & Cap: XI, 9. Elemosyna à morte liberat, purgat peccata &c.

Luth. art.
36. Calv.
supra. 3.

Et verò multis alioquin impossibilis esset salus: & per Deum abesset Eccl: xv, 11. quo minus tales converterentur & salvarentur.

Sed hæc DISPOSITIO non est (ut Massilienses volebant) per se, proprie dicta, propinqua, & ex naturâ suâ proportionata, vel ex se impetratoria aut meritoria gratiæ, nè de congruo quidem; sed solum est PER ACCIDENTENS, improprie dicta, improporcionata ac remota dispositio, & planè inferioris ordinis, cui non ex rei naturâ, vel exigentiâ, sed ex merâ DEI liberalitate, intuitu solum meritorum Christi beneficium istud confertur.

fertur. Luc: XIV, 21. *Exi cito in plateas & vicus, & pauperes ac debiles & claudes & coecos introduc huc.*

CENSURA. *Nolim tamen negare*) Sed quomodo posset homo mortuus se ad vitam disponere, vel directè vel indirectè, cum sit incapax omnis boni? Nonne ita præveniret potius Dei gratiam suis dispositionibus, quam ab ea præveniretur? Nonne sic fieret sibi initium suæ salutis, & Paulo petenti Quis te discernit ab altero 1 Cor. IV, 7. posset respondere confidenter, Egomet? Et qui potuit Tirinus tribus ante lineis sub finem Num. præcedentis, *prævias dispositiones* citra gratiam abrogasse, ut eas statim in arce collocaret? Quærant Jesuitæ, quærant Remonstrantes Synodici, quibus placuit ad eundem lapidem ithpingere, illarum dispositionum, propriè vel impropriè dictarum, specimina in Matthæo Publicano, Paulo persecutore, Latrone sceleribus suis debitam crucem sustinente, & ijs generatim de quibus Christus Matt. x 1, 25. an tale quid sint reperturi. Et cum hæ dispositiones imaginariæ, sint revera *Merita de congruo* de quibus ad *Cont. xvi.* plura erunt dicenda, non est quod his evertendis diutiùs nunc immorer.

Si enim viribus natura) At cum fecerit homo in statu naturæ corruptæ quod in se est, nihil revera fecerit boni, cum ex se nihil habeat præter mendacium & peccatum. Et unde probabunt Jesuitæ Deum *infallibiliter* gratiam collaturum ei qui *aliquanto tempore* quod in se est fecerit? Ubina enim Deus se obstrinxit ad hoc præstandum, cum ipsi semper liceat de suo facere quod lubet? Et si *aliquanto tempore* debet homo agere quod in se est, quamdiu oportebit eum vires naturæ hîc explicare antequam Deus gratiam adiiciat? Si qui unquam fecerunt quod in se erat, sensu Jesuitico, illi sanè fuerunt Ethnicorum Philosophi, & alii celebres & inlyti virtute viri, quales Aristides, Scipiones, Fabricii, Epaminondæ & similes. An ergo Deus eos ideo infallibiliter gratiâ salutari donavit, ut possit Tirinus dicere id à quo Erasinus parum aberat, Sancte Socrates ora pro nobis? Tum iste nixus virium naturæ ad præviam dispositionem, vel est necessariò in omnibus qui servantur, vel in quibusdam tantum: Si necessariò in omnibus, præterea quod ita disponere seipfos debebunt ipsimet infantes,
quos

quos Deus præmaturâ morte ad se evocat, nulli amplius miraculosæ conversioni locus supererit, quâ homines derepentè ex lupis & hædis in oves & pastores abeant. Si in quibusdam tantum, non video cur Deus expectet dispositiones quorundam, & aliorum prævertat omnes conatus, quò sic magis gratuitò hi servantur quam illi; aut cur velint Jesuitæ abique Dei verbo & contra illud tales dispositiones prævias propugnare, quæ cum in omnibus servandis non extent vel excitentur, eo ipso non sunt necessariæ ad salutem.

Si enim illuminat omnem) De hoc loco dictum *supra ad n. 3.* Sed vide quam ineptè & ridiculè arguetur Jesuita: Ibi enim volebat hæc verba ad gratiam prævenientem pertinere. Quod si autem gratia præveniens datur omni homini, ejus utique dispositio non expectatur; Imò nec unquam ex viribus naturæ poterit se disponere ad gratiam, siquidem actuali gratiâ jam quasi ab ipsis cunabulis præventus est. Retorque ergo hoc argumentum in Tirinum, ac dicito, Si gratiâ præveniente donantur omnes homines venientes in mundum, qui poterunt sese disponere postquam in mundum venerint ad eam adipiscendam? Ridicula vero est Jesuitæ interrogatio; *Ecquid amplius potest homo?* nempe quam facere quod in se est. Non enim gratia ei datur quia fecerit quod in se est, sed ideo quia nihil habet quod facere possit nisi peccatum; unde dicit Christus de se ipso quod non venerit vocatum justos, sed peccatores ad resipiscentiam.

Hinc Daniel 10, 24.) Eleemosynas perperam Tirinus annumerat dispositionibus ad gratiam; quia ut notat ipse ad eum Danielis locum, *sunt opera illius justitia*, quâ proximo ex charitate debemus quod nobis præstari vellemus: An autem poterit justitia & charitas in homine ante gratiam reperiri? Annon Paulus disertè ostendit etiam effusissimas liberalitates in egenos nihil prodesse homini charitate destituto 1. Cor. XIII, 2. nec apud Deum æstimari? Quî ergo posset per illas se acceptum Deo præbere & ejus præoccupare gratiam? Et quâ fronte eleemosynas Nebucadnetzaris hîc ad solas dispositiones prævias refert Jesuita, cum *infra Cont. XVII, n. 13.* ex hoc eodem Danielis loco, eleemosynas velit probare esse satisfactorias pro peccatis, *meritorias vitæ æternæ, & impetratorias beneficiorum divinatorum?*

Sane eleemofynas non suadet Daniel Nebucadnetzari, ut dispositiones ad gratiam, sed ut seriz & sincerz conversionis & emendationis testimonia & fructus, exercendos in eos quos antea tyrannide & iniquitate suâ spoliaverat & opprefferat; ac si mollissimis verbis ipsi diceret Propheta, quod Simon Petrus dicebat Simoni Mago Act. VIII, 22. 23. Resipisce ab ista malitia tua & deprecare Deum si forte remittetur tibi machinatio cordis tui; video enim te in felle amarissimo, & in connexu injulitiz positum: Porrò quam non fa- veat hic locus Daniel. IV, qui est com. 27. juxta Hebraicum textum, non 24. ut citatur Tirino, meritorijs nostris Jesuitis, suo loco videbi- mus. Quz ex Tob. IV, II. & XII, 9. adduntur ab ipso minus huc faciunt: tum quia Scriptor est Apocryphus, qui non facit argumentum necessarium, tum quia quz his locis tribuuntur eleemofynz, illi so- lum competit quz fit in statu gratiz & ex illa.

Et vero multa alioquin) Sed cum hę dispositiones non faciant tibi salu- tem possibilem absque gratia, & fiat nobis salus possibilis per gratiam absque his dispositionibus, hoc argumento nihil concluditur: Ut mul- tis salus sit impossibilis, imo omnibus absque gratia, dogma est ve- rissimum, & quod nihil absurdi continet; nec illa impossibilitas de- bet Deo tribui, sed homini peccatori, cui justo suo judicio Deus de- negat gratiam illam indebitam, sine qua non potest servari, & ex qua si adesset, servaretur: nec aliud sibi vult Syracides loco hęc citato.

Sed hac dispositio non est) Primùm cum tam tenue discrimen constituat Jesuita inter se & Semipelagianos, non est quod illis dexteram Socie- tatis recuset; saltem concedat se *improprie* hæreticum esse si inter tuas & Semipelagianas dispositiones id tantum sit discriminis quod illas Massilientes proprias, improprias vero vocent Jesuitz; ut de re con- cordes de nomine tantum dissentire videantur. Secundò neque aliud hic censuisse Massilientes quam Jesuitas, nisi quod hi in pejus progi- ciunt, supra ex Jansenii parallelo indicatum. Tertiò mirum est Ti- rinum tam turpiter secum pugnare, idque multis modis; Negat eas quas propugnat dispositiones ex viribus naturz esse meritorias & im- petratorias gratiz, vel etiam *de congruo*; at illis dispositionibus annu- merat eleemofynas quas *Com. XVII, n. 13.* facit impetratorias quorum
libet

libet beneficiorum & meritorias vitæ æternæ. Negat has dispositiones suas esse primæ gratiæ meritorias etiam de congruo; at si ulla merita de congruo sint admittenda, prout inferiùs ea propugnat Tirinus *Com. xvi. n. 2.* extra has dispositiones imaginarias non erunt querenda. Vult beneficium gratiæ illi dispositioni concedi, *non ex rei natura vel exigentia, sed solâ Dei liberalitate, intuitu solum meritorum Christi*: at cum idem possit & debeat statui de illis ipsis operibus quæ faciunt Jesuitæ meritoria ex condigno, hac observatione nihil decederet virtuti meritorie istarum dispositionum. Non concedit hanc dispositionem esse proportionatam gratiæ; attamen eam facit tantarum virium, ut cum absque ea impossibilis nobis foret salus, debeat per eam possibilis aditus fieri ad gratiam & salutem: Quare debet esse proportionata gratiæ & salutis quandoquidem ejus beneficio fit nobis possibilis adeptio gratiæ & salutis. Deniq; ita videtur necessariam statuere (si modo sibi constet) hanc dispositionem, ut absque eâ multis impossibilis esset salus; sed hîc profert locum Lucæ xiv, 21. quo demonstratur etiam salutem possibilem esse & obtingere Dei gratiâ absque tali prævia dispositione, quam nemo sibi imaginabitur in his debilibus, pauperibus, claudis, cæcis, quos Deus vult ad nuptias adduci. Porrò quia & hic & in sequentibus citatur Tirinus illo Pelagiano axiomate, *Faciendi quod in se est Deus non denegat gratiam*, nonnulla ad illud paucis veniunt annotanda ex Becano Jesuita p. 2. *Theol. Schol. tr. 4. cap. 5. q. 2.* Is etenim statuit Thomam, Bonaventuram & quosdam alios, hoc axioma sic interpretari, *Faciendi quod in se est. ex prima gratia præveniente Deus non negat ulteriorem gratiam*; Quosdam vero sic, *Faciendi quod in se est ex viribus natura, Deus non negat gratiam prævenientem*. Jam autem primo sensu, quem Becanus propugnat, non potest hîc usurpari; cum agat Tirinus de homine se ipsum ad primam gratiam ex viribus naturæ disponente; In secundo autem sensu agnoscit Becanus suos non convenire: *In posteriori sensu, inquit, de quo hîc agitur, ab alijs asseritur, ab alijs negatur*. Cur ergo Tirinus nobis pro Canone Theologico proponit regulam falsæ positionis, & de qua adhuc inter suos sub judice lis est? Adhæc Becanus hîc nova utitur distinctione, ut ita nonnisi minima pars istius regulæ defendi possit. *sed adhuc, inquit, distinctione opus est: Nam si sensus sit Deum*

infalli-

*infallibiliter dare gratiam prævenientem, propter bonum opus factum ex solis natura viribus, negari debet; Sic enim donatio illa non esset gratuita, sed debita. Si autem sensus sit Deum certâ lege statuisse ex sola sua misericordia & liberalitate conferre omnibus auxilia gratia, qua sufficientia & necessaria sunt ad salutem, modo ipsi non impediant, sed faciant quod in se est, videtur admitti posse: Ratio est quia cum Deus velit omnes homines saluos fieri, debet etiam velle dare sufficientia media quibus salui fiant; Non quidem propter opera liberi arbitrii, sed propter suam bonitatem & merita Christi. Hic vero 1. hujus axiomatis sensus qui intenditur à Tirino, repudiatur à Becano: Negat enim Becanus Deum *infallibiliter* dare gratiam prævenientem operanti ex viribus naturæ: At juxta Tirinum hæc gratia debet *infallibiliter dari*, quoniam alioquin multis impossibilis foret salus, quod tanquam grande absurdum averfatur. 2. Secum pugnat ipse Becanus; Etenim negat in primo membro id *infallibiliter* futurum, quod in secundo asserit *certâ lege à Deo esse constitutum*. 3. Nonnisi timidè & dubitanter suam mentem, quam forte Tirinus, etsi perperam, voluit exprimere, idem Becanus exponit: Nec enim rotundè dicit illo sensu quem fingit hoc axioma esse admittendum, sed tantum eo sensu *videri* admittendum; De eo autem quod *videtur esse*, tam verum est dicere quod non sit quam quod sit, ut ajebat Parmenides. 4. Posset quoque distingui inter prædispositionem suiipsius positivam, quam Tirinus asserit, & negativam sive non impeditioem, quam insinuat Becanus. 5. Absurdè auxilij prævenientis & sufficientis collatio dicitur omnibus certâ Dei lege statuta, *modo ipsi non impediant, sed faciant quod in se est*; quandoquidem ad auxilium sufficiens & præveniens, quilibet merè passivè se habeat, & pendeat illud non ex prævia aliqua hominum actione aut dispositione, sed ex sola Dei misericordia & liberalitate. Tum si illis demum qui faciunt quod in se est, id auxilium gratiæ primæ & prævenientis communicatur, quâ fiet de illis cæcis & claudis, qui absque talibus dispositionibus sunt adducti ad nuptias? Quid etiam de Philosophis Ethnicis statuemus, qui licet ex stylo Jesuitarum fecerint quod in se est, tamen gratiam & notitiam Christi non obtinuerunt? 6. Nec ratio allata à Becano probat quod intendit: Nam etsi hoc falso supposito quod Deus velit & decreverit omnes omninò servari, inde sequa-*

sequatur omnibus sufficientia media esse concedenda, tamen ex necessitate sufficientis gratiæ omnibus conferendæ per illam hypothese[m], nequiquam sequitur sufficientis gratiæ omnibus collationem ad eos restringi qui fecerint quod in se est; imò potius contrarium, videlicet etiam illis qui non fecerint quod in se est ex viribus naturæ, sufficientem gratiam esse conferendam, quandoquidem eorum quoque salutem Deus velle sit censendus; nec possint à merito Christi excludi, atque per consequens à gratia quæ ex illo pendet, qui ex viribus naturæ non fecerint quod in se est, quin ex illis dispositionibus imaginariis gratia & meritum Christi & salus æterna tanquam ex putri paxillo suspendatur.

Nam II. Vnde concludo, NULLI profus adulto, etsi necdum fidei, DEESSE ex parte Dei AUXILIA GRATIÆ necessaria & sufficientia ad conversionem, & salutem. Nam talis faciens quod in se est, sensim à Deo juvabitur, partim internis partim externis auxilijs, ut ad fidem & justitiam deveniat, ut docet S. Thomas; Exemplo sit *Eunuchus Regine Candacis Act: VIII, 27.* *Cornelius centurio cap: x. I.* & seniculus ille cujus mentio fit in *gestis Iosephi Anchetæ societatis Iesu in Brasilia: Et ideo Rom: I. 20.* dicit meruò S. Paulus, *Gentes inexcusabiles esse, &c. Quid enim Es. v. 4. ulrà debui facere vinea mea & non feci? Matth: XXVII, 37. Quoties volui &c. & nolui? Thomas*

q. 14. de Veritate art: II. ad I.

CENSURA. Vnde concludo, nulli prorsus) Primò consequentia hæc falsa est: Nam gratiæ sufficientis universalitas nulla ratione potest colligi, vel ex illo axioma te Jesuitico, *Faciens quod in se est Deus non denegat gratiam;* cum enim universi non faciant quod in se est ex naturæ viribus, universalis non erit gratia quæ ad eos tantum pertinebit qui faciunt quod in se est; vel ex dispositionibus Tirinianis quæ possunt floere ex viribus naturæ; cum enim sint planè gratiæ improporionatæ, nullo argumento hæc ex illis, etsi darentur in omnibus, sequi posset. Deinde & consequens ipsum est falsissimum; Nam cur potius gratia sufficiens ad salutem & conversionem semper præstò erit omnibus adultis quam omnibus infantibus, ex quibus tam multi pereunt quotidie inter homines à fide Christiana alienos, imò ex sententia Pontificiorum, in ipsa Ecclesia Christiana, quos cum absque Baptismo decesser-

decefferint, nec potuerint eum vel petere vel suscipere, ipsimet Jesuitæ damnatos in æternum pronunciant? Adhæc quid absurdius quam etiam hominibus necdum fidelibus gratiam sufficientem assignare? Nam ut insistamus Tirini distinctionibus, hæc Gratia, quæ *nullis adultis* deest *etsi necdum fidei*, primò non est gratis data, nec gratum faciens; Non prior, quia illa nihil per se facit ad salutem & conversionem; Non etiam posterior quæ nequit convenire homini necdum fidei, cum nemo sit gratus & acceptus Deo nisi fidelis Heb. xi, 6. Secundò nec est iterum imaginaria hæc gratia vel habitualis vel actualis; Non prior, quia cum illa fidem, spem, charitatem complectatur, non potest inesse homini infideli: Non posterior, cum ita foret vel præveniens & operans, vel subsequens & cooperans, quorum tamen neutrum dici potest: cum præveniens operetur fidem & velle, subsequens fidem corroboret & efficiat ne frustra voluerimus. Sed quoniam plerisque arripit illa distinctio Gratiæ in Sufficientem & Efficacem, quam è lacunis Pontificiorum hauserunt tum Remonstrantes, tum etiam nonnulli Lutherani, nominatim Brochmannus *loco De grat. Dei cap. 2. q. 7.* operæpretium est ut paulò diligentius in illam inquiramus: Eam enim nec immeritò multis impugnarunt ceu absurdam & alienam à Sacra Scriptura plurimi è nostris, ut nominatim Molinæus *Anat. Armin. cap. 37. & seqq.* Paræus *Castig. lib. 1. Bell. de grat. cap. 2.* Rivetus *Summa Con. tract. 4. q. 4.* Et nos etiam in superiori controversiæ ea diximus quæ illi gratiæ sufficienti ejusque universalitati evertendæ sufficiant, imò & in *Systemate loco 2. th. 50.* rationem paucis reddidimus cur hæc distinctio non sit admittenda; Et sanè non posset ea gratia censerì sufficiens ad salutem, cui alter gradus gratiæ, efficax scilicet, adjici debet ut quis actu fervetur. Si enim efficax gratia à sufficienti non nisi eventu distinguitur, ut placet ferè Jesuitis omnibus & Brochmanno V. S. tum non est gratiæ ipsius, sed tantum eventus distinctio; & quoad gratiam, distinctionis membra inter se coincidunt, quandoquidem omnis gratia sufficiens est efficax, id est habet efficacitatem & vim efficiendi. Præterea ille eventus à quo dicitur pendere hæc distinctio erit vel à gratia vel à libero arbitrio: Si posterius ab homine pendeat efficacia gratiæ, non ab efficacia Dei; Si prius aliquid

amplius

amplius gratiæ debet esse in ea quæ efficit conversionem & salutem quam in ea quæ nihil tale efficit. Adhæc ipse Paulus jugulum petit istius distinctionis 2 Cor. xii, 9. illo Christi dicto ad se, Sufficit tibi mea gratia; unde liquet efficacem semper esse eam Dei gratiam quæ nobis sufficit ad salutem, & quâ Deus virtutem suam in infirmitate nostra perficit. Rivetus quoque V. S. & Alvarez lib. 8. de Aux. disp. 71. §. 1. ex Paulo Bennio de eff. grat. cap. 3. 4. 8. 14. ostendunt non solum ipsi Bennio sed etiam Olorio & Johanni Anthonio Delphino, qui fuit membrum Concilii Tridentini, hanc distinctionem improbari. Jansenius etiam lib. 3. de gratia Christi Salu. multus est ut evertat istam distinctionem: Nam cap. 1. ostendit, nullum dari auxilium sufficiens post lapsum, quin simul efficax sit; hoc enim repugnare multis principiis Augustini & Ecclesiæ; cap. 2. suscipit demonstrandum adjutorium purè sufficiens, sive auxilium sine quo non, ad gratiam naturæ, id est primi Adami pertinere, lapsorum vero reparationi inutile & perniciosum esse; cap. 3. explicat quam monstrosa sit gratia sufficiens, prout à recentioribus explicatur, & quare excogitata; item demonstrat gratia congruæ auctores non nisi sufficientem habere, sublatoque peccato originali naturam liberi arbitrii integram & illasam inducere; capite 4. ex natura gratia ostenditur nullis dari sufficientem gratiam juxta sensum recentiorum; cap. 10. probat excecatos & obduratos carere gratiâ sufficienti, qua videant & moveantur ad bonum; & cap. 11. infideles carere gratiâ sufficienti ad salutem tam proximam quam remotam, & omnibus principiis ejus: & cap. 12. gratiam sufficientem infidelium à Semipelagianis excogitatam esse; ac capitibus insequentibus refutat omnia argumenta quæ Jesuitæ pro gratiâ sufficienti ejusque universalitate proferunt; ut his velle diutius immorari post viri illius Doctissimi & Communionis Pontificiæ cæterum tenacissimi ἀρσιβείαν, foret revera actum agere: Et quæ Brochmannus ex Es. v, 1. 2. 3. Ezech. xii, 2. Matt. xxiii, 37. Act. viii, 51. profert, hæcenus dedimus explicata: Nec quæ sufficiunt κατὰ τὴν, vel in ordine mediomm externorum, vel ad inexcusabilitatem, debent extendi ad sufficientiam absolutam, ut nihil ex parte Dei ultra requiratur ad conversionem & salutem nostram, sed totum ex libero nostro consensu pendeat: Quare assertioni Tirinianæ ceu absurdæ, Pelagianæ &

nã & falsã hanc reponimus, Omnibus & singulis in peccato demeris-
 deesse jure merito auxilia necessaria & sufficientia ad conversionem &
 salutem, quã cum dispensentur ex singulari Dei favore & electione non
 sunt promiscua & omnium, sed tantum electorum, uti eventus ipse do-
 cet. Et cum non sit auxilium sufficiens nisi etiam intus adsit, quia ad sa-
 lutem & conversionem debet intus operari, quĩ posset omnibus auxili-
 um sufficiens etiam internum assignari, cum ne quidem ordinaria & ex-
 terna media Verbi & Sacramentorum omnibus & singulis præstò sint;
 uti fusiùs *ad super. Controv.* monuimus? Quod verò erroris sui angipor-
 tum constituit Tiranus in illa vocula *ex parte Dei*, nihil est; Nam si hoc
 sibi velit, ex parte Dei promitti gratiam sufficientem facienti quod
 in se est, primò proferre deberet tabulas signatas illius promissio-
 nis, quã nusquam extat in Scripturã: Deinde absurdè dicitur id ne-
 mini *deesse*, quod conditionaliter ex parte Dei promissum fuerit:
 Sic enim pari ratione diceres nemini *deesse* sapientiam, valetudinem,
 fidem, vitam ipsam æternam, quia Deus conditionaliter hæc om-
 nia promisit in Scripturis. Si hoc sibi velit ex parte Dei nemini *de-
 esse* auxilium sufficiens, quia Deus posset dare omnibus, longè id
 erit absurdus; nam eadem ratione dixero, non defuisse opes Iro,
 Therfici fortitudinem, Vlyssi pulchritudinem, quia Deo non deerat
 potentia & facultas hæc munera ipsis conferendi. Si denique hæc sit
 mens illius clausulæ *ex parte Dei* nemini *deesse* auxilium sufficiens,
 quod de facto illud Deus det & non offerat modo sed conferat om-
 nibus & singulis (prout id solum censetur propriè mihi non deesse
 quod habeo de facto, non simpliciter quod hoc vel illo posito forte
 possum habere) etsi omnes & singuli auxilio quod habent non utan-
 tur & nolint uti, primò supponetur quod est in quæstione, nem-
 pe auxilium simpliciter sufficiens de facto adesse alicui inefficaciter;
 deinde hoc sequetur absurdi, hominem qui jam voluerit & fecerit
 quod in se erat, inefficaciter ideo habere auxilium sufficiens, quia
 nolit & non faciat. His absurditatum & contradictionum labyrinthis
 debent implicari, qui gratiæ divinæ veritatem detrectant agnoscere.

Nam talis faciens) Sed talis nempe infidelis & irrogenitus, faciens
 quod

quod in se est nihil faciet boni, nihil cui Deus vel ex condigno vel ex congruo priorem gratiam indulgere debeat. Thomas ex Thoma est intelligendus, qui 1. 2. q. 114. art. 5. negat posse sibi quenquam ullo modo mereri primam gratiam, quod tamen erit concedendum, si infallibiliter detur facienti quod in se est; & art. 6. putat fidelem & pium posse alteri mereri primam gratiam sed tantum de congruo: quia congruum est, inquit, ut dum homo bene utitur sua virtute, Deus secundum superexcellens virtutem excellentius operetur. Sed cum tale meritum de congruo pro alio deputet demum ei qui est in statu gratiæ, si alibi loquutus est de faciente quod in se est, intellexit quoque de pio & fideli jam gratia donato, uti etiam supra hanc esse mentem Thomæ Becanus Jesuita agnoscebat.

Exemplo sit Eunuchus) Seniculi Brasiliensis fabulam, fabulonibus Jesuitis relinquo, de quibus jam olim dixit Melchior Canus, *deluengas vias luengas mentiras*. Eunuchi & Centurionis exempla huc non faciunt; Eos enim irrogenitis & infidelibus annumerare nefas; de Eunucho ipse Tirinus sic loquitur ad Act. viii, 27. *Hic venerat adorare, id est sacrificium offerre in Ierusalem; Ex quo colligo hunc Eunuchum non fuisse Gentilem religione (ut vult Beda, Hugo, Cajetanus, Lortius & Sanchez) sed profelytum, ut docet Irenæus, Carthusianus & alii apud Baronium. De Cornelio idem Tirinus αυτοκατακριτος sic loquitur Act. x, 1. post virtutes Cornelii enumeratas quatuor, quod esset religiosus & timens Deum, quod curaret ut & omnis domus sua talis esset, quod multas faceret elemosynas, quod assidue vacaret orationi; Porro ex his ni fallor contra S. Basilium, Chrysostomum, Oecumenium & Stapletonum constat, Cornelium antequam Petrum accerseret, iustum fuisse & in statu gratiæ, quod & v. 22. & 34. disertè affirmatur, & est pene communis Doctorum sententia. Ideo Augustinus de prad. Sancti. cap. 7. pertendit quod non sine aliqua fide donaret & oraret; Nam quomodo invocabat eum in quem non crediderat? Ita Thomas 2. 2. q. 10. art. 4. negat Cornelium tunc fuisse infidelem: consentit & Bernardus serm. 78, in Cant. & Gregorius 1. hom. 19. in Ezech. Non virtutibus venit ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes. Cornelius enim Centurio cuius elemosyna ante baptismum, Angelo testam-*

te, laudata sunt, non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera; Nam ei per Angelum dicitur Oraciones tua & eleemosyna ascenderunt in conspectum Dei; Si enim in Deum verè & ante baptismum non crediderat, quid orabat? vel quomodo hunc Omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bono perfici petebat? Sciebat igitur Creatorem omnium Deum; sed quod ejus omnipotem Filius incarnatus esset ignorabat; neque enim poterat bona agere nisi credidisset; Scriptum namque est, Sine fide impossibile est placere Deo: Fidem ergo habuit cujus oraciones & eleemosyna placere potuerunt; Bona autem actione promeruit (id est obtinuit, consecutus est) ut Deum perfecte cognosceret & incarnationis ejus mysterium crederet, quatenus ad Sacramentum baptismatis perveniret. Per fidem ergo venit ad opera, sed per opera est solidatus in fide; Immane quantum hodierni Papistæ ab istius Papæ sententia discrepant.

Et ideo Rom. 1, 20. dicit) Certum quidem id, τὸ γνωστὸν τῷ θεῷ ex operibus naturæ manifestatum sufficere ad inexcusabilitatem hominum; at inde frustra colligas, ergo in lumine illo naturali auxilium esse sufficiens ad conversionem & salutem; Etenim cum ipse Tirinus ad Rom. 1, 9. illud γνωστὸν Dei interpretetur id quod naturali lumine cognosci potest de Deo, quis nisi Pelagii ducatur Spiritu, naturam mutabit in gratiam, & residuum lumen naturæ in auxilium gratiæ sufficientis ad conversionem & salutem? Vide & de hoc loco quæ dicta sunt supra ad n. 7. De duobus aliis locis dictum sufficienter in Controv. Superiori ad n. 5. & 8. Beneficia varia collata Israelitis tam temporalia quam spiritualia ex natura rei debuissent illis fuisse motiva prægnantia ad officium & gratitudinis fructus, unde succederunt abundè eorum ingratitudini condemnandæ; Sed illa suffecisse simpliciter & absolutè absque gratia interiori ad fructificationem salutarem, putandum non est: Idem dico de invitatione Christi, quæ tamen in electis efficax fuit, ringentibus urbis primoribus: adeo ut lapis ab ædificatoribus reiectus positus tamen fuerit in caput anguli. Sufficenter ad inexcusabilitatem vocantur, qui nolunt venire; Sed non sufficienter vocantur ad salutem, nisi quibus datur ut venire velint.

NUM: 12. Etiam maximis PECCATORIBUS, IMPOENITENTIBUS, EXCOECATIS, & INDURATIS non defunt hæc auxilia durante hac vitâ. Rom: II, 4. An ignoras quam benignitas Dei ad poenitentiam, quan-

quantum ex se est, se adducit? Tu verò secundum duritiem tuam & impenitentem, cor, tibi iras tibi iram & indignationem. Vnde & Pharaò Exod: IX, 27. c. X, 16. aperte fateatur, se peccasse, obdurando cor suum: & ideo etiam meritò punitur.

Quomodo Deus dicatur obdurare, ibid: exposui: ut & Eccles: VII, 14. quo sensu nemo possit corrigere quem Deus desepxit.

CENSURA. *Etiam maximis peccatoribus*) Supra monuimus Janfenium his paradoxis ex professo se opponere, nec immeritò: Nam cum homines impenitentes indurentur & excœcentur justo Dei iudicio, non potest remanere cum actu solemnè iustitiæ vindicativæ, quâ Deus istos vult perditos, gratia medicinalis & sufficiens ad salutem; Ut homo simul justâ Dei irâ tradatur pravis suis cupiditatibus, scotomate percuriatur ut palpet vel in meridie, permittatur spiritui illi qui cum efficacia agit in filiis rebellionis, & tamen consequatur à Deo ceu intendente ipsius conversionem & salutem auxilium sufficiens ad utrumque, insani sit syncipitis qui statuat: Ipsimet Pontificii pertendunt quodlibet peccatum mortale gratiam expellere, si non physicè & actu, saltem merito & moraliter, nam hic discordes sunt; Quomodo igitur consistet auxilium gratiæ sufficientis, cum impenitentia & obduratione illa voluntaria, quæ est primus & certissimus gradus ad perditionem æternam? Hoc quidem voluisse veteres gratiæ hostes, quod hic statuit Jesuita, Prosper docet de ingratis cap. 10. ubi dicit quod illi hanc formam gratiæ adscriberent;

*Vt sanctos vocet illa quidem invitetque nec ullum
Præteriens, studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum,
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Iudicioque suo mota se extendere mente
Ad lucem oblatam, qua se non subtrahat ulli,
Sed cupidos recti juvet illustretque volentes.*

Verum ipse Prosper cap. 11. hoc tanquam paradoxon & à Scripturis alienum respuit, eò magis quod ne quidem externa verbi divini prædicatio omnibus offeratur;

*Dic unde probes quod gratia Christi
nullam omnino hominem de cunctis qui generantur,*

Præter

*Prætereas, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit? Nec enim vel tempore nostro
Omnibus in terris iam certum est insinuatam
Christi Evangelium.*

Et sane cum Deus nonnullis suum auferat candelabrum, famem immittat & sitim verborum suorum & talentum ipsis concreditum justè subtrahat, non possum capere quî talibus supersit lumen gratiæ, quibus etiam ablatum est meritò quicquid ferè residuum habebant luminis naturæ?

Rom. 11, 4. An ignoras) Benignitas, patientia & longanimitas Dei, quâ differt scelerum pœnas, non potest auxilium gratiæ sufficiens ad conversionem constituere; Illa quidem ex parte rei hominem etiam in statu peccati ἀγει, ducit ac invitat ad pœnitentiam; Agnoverunt ipsi Ethnici esse ideo seram Numinis iram; qua de re extat egregius Plutarchi libellus; Habet enim cœlestis hæc Nemesis pedes laneos, sed tandem manus ferreas, & solet tarditatem pœnæ compensare gravitate supplicij. Verum non sufficit externa hæc pœnæ dilatio ad hominis cor emolliendum & affectus inflectendos in melius: Ideo adjicit Paulus, quod homo in statu peccati indormiscat illi longanimitati diviniæ, nec animadvertat quid sui ex illa foret officij, sed contra audentior eat, & contemptis divitijs benignitatis diviniæ, ignorans quonam per eam revocaretur, innatâ duritiâ & corde quod resipiscere nescit, thesaurifet sibi iram in diem iræ: Porro non debemus hic Deo simpliciter tribuere ejusque decreto & consilio, quasi ipse quantum ex se est, ut amat hic loqui Tirinus, omnem adhibeat operam ad hominis conversionem, quod nonnisi secundum quid deputatur ejus beneficentiæ & longanimitati, hoc est revera beneficijs quæ effundit in peccatores & dilationi ejus pœnæ quam aliàs sunt commeriti: Nec enim dicit Paulus quod ipse Deus quantum in se est hominem peccatorem adducat ad pœnitentiam, sed ὅτι τὸ χρηστὸν τῆ θεῶ, (benignitas illa Dei quæ pœnam differt, & patienter fert peccatores) εἰς μετανοίαν σὶ ἀγει; quatenus nempe, ut benè Belgæ Interpretes, rationes illa & tempus suppeditat resipiscendi: Hinc Titelmannus Minorita, sic παραφράζει totum hunc locum. *Fortè autem persuades tibi impunitatem propterea quod expectas*

expectat Deum & vindictam differi ita sua: Noli errare: Num enim ideo speras in finem effugere, tu qui alios iudicas in eo quod agis qua nunc Deus dissimulat? Quare copiosam Dei benignitatem per quam tibi parcat & longanimitatem per quam te expectat, & tolerantiam per quam te sustinet sic contemnis, abutens eis in malitia tua augmentum? Nunquid non advertis his modis Deum te allicere & quodammodo invitare ad poenitentiam? Tu vero é contrario propter durum & impoenitens cor suum (quod te facit dona Dei non attendere & beneficiis non emolli) cuncta nunc data expendis in damnationem tibi comparandam, coacturandam & coemendam. Et Erasmus ipse; An Dei lenitas tibi spem facit impoenitatis, & ob immensam & exuberantem bonitatem suam quoque poenam differens multa toletet, tibi venit in contemptum, quasi vel ad commissam conivseat vel saveat etiam maleficiis? Nec intelligis hanc divinam in te lenitatem haud quidem impunitatem polliceri nocentibus, sed blandè invitare ad poenitentiam ac respicientiam, ut beneficiis illius obrutus incipias tandem tibi displicere? Caterùm iute Dei in te mansuetudinem ipse tibi vertis in cumulum damnationis tuae: Dum enim obstinatâ mente, qua nullis rationibus ad poenitentiam queat emolli, Deum ad meliora provocantem aspernaris ac repellis, recedis & accumulâs tibi thesaurum ira divina.

Vnde & Pharaó Exod. ix, 27.) Sed quid inde concludet Jesuita? An etiam Pharaoni ad id à Deo excitato ut suam in illo potentiam & iustitiam exereret, adfuit auxilium tam externum quam internum, quo posset hoc Dei consilium frustrare & evertere? An cum Deus gradatim sua severissima iusta tamen iudicia in ipsum exequabatur, ejus intendebat conversionem & salutem? An præsentia gratiæ & auxilii sufficientis colligetur ex eo quod equuleo impositus, culpam agnovit & se peccasse confessus fuerit? Sed quis fando audivit gratiæ divini esse ascribendam qualemcunque peccati confessionem, iudicis torturâ extortam, qualem ex desperatione ipse Judas edidit Matt. xxv r i, 3. 4. non μετανοεῖς sed μεταμελεθεῖς, ut ibi observat Tirinus, id est, posteriore seu subsequente curâ, (sceleris jam patrati) se excrucians, eo solum quod conscientia remorderet, sine petitione aut spe veniæ, sine cura offensi Dei, ferè ut in inferno? Ut non sine stupenda contradictione addat Tirinus in confessione Judæ & pecuniæ abiectione laudabile & efficax initium poenitentiae fuisse; cum laudabile & efficax poenitentiae quæ est ad salutem

ritem initium, debeat esse seria *μετένοια* non nuda *μεταμίλησις*, & tristitia quæ secundum Deum est, non tristitia mundi, uti distinguit Apostolus 2 Cor. VII, 10. Porro de Pharaone & illius induratione fuisse diximus *tomus 1. Cont. XII, n. 9. pag. 614. & seqq.* quo nunc remittimus Lectorem ne actum agamus: Ita seipsum indurabat ultroneâ suâ perveraciâ, ut etiam Deus iusto suo iudicio ipsum induraret; quæ divina induratio cum excœcationem & ipsius luminis naturalis subtractio- nem iustam inferret, nequibat cum præsentia gratiæ supernaturalis & auxilii ad conversionem & salutem sufficientis subsistere. Eò potest inservire locus Ecclesiasticus VII, 14. hic Tirino citatus. Etenim Salomon omnipotentiam Dei celebraturus, affirmat neminem posse corrigere quod ipse perverterit, sive distortum reddiderit: Quod sic ad defectus naturales, cujuscumodi sunt claudorum & cœcorum, Chal- dæus & Hieronymus referunt, ut Tirinus *ibi* pertendat posse cum *Theologis etiam extendi ad defectus spirituales excœcatorum & obduratorum in mala, quos Deus deserere ac despiciere dicitur.* Cum itaque in defectibus naturalibus sic homo se habeat ut seipsum non possit corrigere, sed id debeat fieri supernaturali Dei auxilio, etiam ita se habebit in defe- ctibus spiritualibus, cum iustè à Deo excœcatur & obduratur, ut nul- las habeat vires per quas possit se emollire & visum spiritualem recu- perare. Nec valet limitatio Tiriniana, quod Deus dicatur hos *despi- cere ac deserere, non omninè & ex toto, (nam nunquam negat eis sufficientia auxilia ad resipiscendum) sed ex parte & respectu aliorum, quibus longè plura nobiliora & efficaciora subsidia largitur.* Etenim ut sit analogia defectu- um naturalium & spiritualium, necesse est non minus obcœcato & indurato divinitus deesse auxilium sufficiens ad resipiscendum, quam defunctis cœcis & claudis vires sufficientes ad videndum & ambu- landum: Nec dicit Salomon agrè posse corrigi, sed absolutè neminem posse corrigere eum quem Deus despexerit vel curuaverit: Si nemo possit eum corrigere, ergo nec seipsum ipse corrigere valebit, quod tamen posse debet si adsit sufficiens auxilium: Nec prætereun- dus hic stupor Tirini, qui dum aliis comparatè tribuit *efficaciora* auxi- lia his quos Deus despexerit, debet illis non tantum auxilium suffici- ens, sed etiam, positivè saltem, *efficax* assignare.

Num. 13.

Nam: 13. Sed neque de **INFANTIBUS** in utero, vel **AMENTIBUS** in peccato mortali morientibus dici potest, per Deum abesse Eccli: xv, 11. quo minus justificari & salvari possint: quia non per Deum, (qui, quantum ex se est, non minus hos quam reliquos omnes homines vult salvos fieri 1 Tim: 11, 4.) sed per causas secundas stat, quod ad requisitum statum, in quo necessaria remedia ipsis applicari possint, non perveniant: & iustissimas rationes habet Deus cur illas causas secundas non impediat: Matth: xx, 15. *Aut non licet mihi, quod volo, facere?*

CENSURA. Sed neque de infantibus in utero) Hic Tiranus primò falsam illam suorum retinet hypothesin de æternâ damnatione omnium infantium qui decedunt abque baptismo; cum tamen inter fœderatos & non fœderatos tam expressè distinguat Scriptura 1 Cor. vii, 14. Act. 11, 39. Sed de eo diximus tom. 1. Cont. xi. n. 10. Præterea contra sua suorumque principia tribuit amentibus peccata mortalia in quibus moriantur; cum tamen pertendant nullum peccatum mortale committi, nisi ex libero arbitrio; mente captos autem & infantes libero arbitrio carere. Tertiò non satis sceleriter se expedit ex illo argumento quod post Augustinum Dominicani tantoperè urgent, ut probent non esse omnes prædestinatos ad salutem conditionaliter si crediderint, nec omnibus sufficiens adesse auxilium quo credant aut credere possint, cum pereant in communi peccato & miseria tot infantes & tot amentes, quibus cum ne quidem adsint naturalia, multò minus supernaturalia quæ illa necessario præsupponunt, tribui debent. Quamvis enim mitius velim judicare de infantibus fidelium, imò & de amentibus sub fœdere natis (quorum par ferè ratio) quam Pontificij, tamen semper stringit argumentum respectu infantium & amentium non fœderatorum, quorum & derelictio in massa peccati solius Dei iusto beneplacito nititur, & omnimoda absolutaque in eo statu est impotentia & insufficientia ad bonum, ut illos etiam gratiæ sufficientis participes facere, sit revera cum ipsismet amentibus delirare & insanire. Nec ideo de illis simpliciter dici potest quod per Deum absit, quandoquidem ex peccato communi, cujus sunt rei coram Numine, iusta illi causa suppetit eos deserendi & sibi relinquendi: De loco Syracidis dictum est tom. 1. Cont. xii. n. 9. p. 629. & de Paulino fulè in Cont. xiii. n. 8. Si Deus hos qui pereunt

citra

B b 2

citra ullam suam culpam actualem, servatos voluisset, cum voluntati ipsius nihil possit resistere, etiam media & auxilia suppeditasset illis efficacia ad salutem: Sed eo ipso quod pereant, argumentum est irrefragabile Deum nolle omnes & singulos servare, sed tantum ex omni hominum genere, conditione & gente, eos quos pro singulari sua *judicia* prædestinavit ad salutem. Blasphemum enim est quod dicit Tirinus, velle Deum quoad se etiam horum justificationem & salutem, non minus quam eorum qui actu justificantur & servantur, sed *per causas secundas stare quod ad requisitum statum, in quo necessaria remedia ipsis applicari possint, non perveniant*; quasi vero causæ secundæ queant consilium & voluntatem Dei interturbare vel impedire, cum omnis earum causalitas & activitas ab ipso pendeat, atque ab eo ordinatæ sint in executionem eorum quæ decrevit fieri; & detestanda sit Leonardi Lessij Jesuitæ impudentia quæ asserit perfectissimam providentiam non requirere ut singulæ actiones in particulari, cum omnibus earum circumstantiis præordinentur à Deo; ac prædefinitionem divinam non se extendere ad ea omnia ad quæ se extendit Dei causalitas; in quo jure merito vapulat Alvarezio *lib. 4. de Aux. in appen. ad Disput. 28. dubio utroque*. Si ne passerulus quidem in terram decidit sine ipsius nutu Matt. x, 29. quanto minus in ullo mortalium extinguetur vel vita animalis ut moriatur, vel vita rationalis ut mente destituatur, absque ejus beneplacito consilio? Vllumne erit malum pœnæ, qualia hæc, quod ipse non fecerit? Amos. 111, 9. Et quomodo Deus de crevisset dare istis gratiam sufficientem si liceret per causas secundas; cum illæ ipsæ causæ secundæ sint ab ipso decretæ, ordinatæ, dispensatæ ad sic agendum, ex eo consilio & decreto quo statuit eos gratiâ destitutos, in perditione communi relinquere? An Deus *quantum ex se non minus hos vellet servare & justificare, quam qui de facto justificantur & servantur, qui illas causas dispensat, disponit & ordinat, per quas fit ut non perveniant ad eum statum in quo remedia gratiæ illis possint applicari*? Si hos non minus quam alios servare vellet, cur non in illis æquè ac in alijs sic disponeret causas secundas ut per illas pervenirent ad eum statum in quo auxilia gratiæ ipsis non minus quam alijs applicari possent? *At inquit Tirinus, Iustissimas rationes habet Deus*

bet Deus cur illas causas non impediat. Resp. Quamvis causæ secundæ non agant per meram Dei non impeditiōem, sed per efficacem ejus ordinationem, tamen his verbis causæ suæ jugulum petit Jesuita: Nulla enim alia ratio potest proferri cur Deus illos, obice posito causarum secundarum, nolit ad statum salutiferum pervenire, ad quem obice isto remoto alios deducit, nisi justissimum & liberrimum simul ipsius beneplacitum, juxta quod indebitam gratiam negat cui vult, ut cui vult confert, quia licet ipsi de suo facere quod lubet Matt. xx, 15. Nec unquam poterunt Jesuitæ illam sive non impeditiōem, sive potius efficacem dispositionem causarum secundarum, per quas isti arcentur à statu salutifero, dum vel in utero extinguuntur, vel mente emota nascuntur potius quam alii, rejicere in aliquem actum liberi eorum arbitrii quo gratiâ sibi oblatâ neglexerint uti, cum ante & contra omnem liberi sui arbitrii usum, ab omni gratia exclusi sint.

Nam: 14. Conversus ad fidem, sed ob aliquod peccatum mortale cui inhæret, destitutus charitate & gratia justificante, potest (etiam sine nova gratia præveniente) vi solius FIDEI ET SPÆI multa BONA OPERA, non solum MORALIA, sed & SUPERNATURALIA exercere: cum habitus FIDEI & SPÆI ex se sint operativi: Potest ergo vel metu gehennæ, foeditate peccati, vel bonitate DEI, excitari ad attritionem & dilectionem Dei; quid ni & ad contritionem? Luc. xv. 18. *Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam, Pater peccavi &c.* Potest enim Christianus quantiscumque peccatis obnoxius, resurgere à peccatis quotiescunque vult, ut Tridentinum definit.

*Teid. sess.
6. c. 14.
& 29.*

CENSURA. *Conversus ad fidem (sed ob)* In paucis his verbis, copiosa est leges errorum quos indicasse refutasse erit. 1. Ambiguitas est in nomine *Conversi ad fidem*: cum dicatur vel etiam de eo qui duntaxat externa professione adductus est ad eam fidem quæ creditur, vel antonomasticè de eo qui internâ regeneratione donatus est & ornatus eâ salvificâ fide quâ creditur. *Conversio ad fidem priori duntaxat sensu*, nullam vim supernaturalem benè agendi tribuit homini, cum eum non liberet à servitute peccati, & talis semen verbi divini recipiat juxta viam vel inter spinas & saxa, non vero in cotte bono & honesto; unde dicatur merito nobiscum quidem non tamen ex nobis esse 1. Joh. 11, 19. Et quot quæso sunt qui fidem

Bb3

Christia-

Christianam vel admittunt vel profitentur absque ea fide quâ corda purificantur, & absque qua quicquid sit peccatum est Rom. xiv, 23? II. Absurdum est conversum ad fidem posteriori sensu, destitutum fingere charitate & gratiâ justificante. Nam hac fide justificantur quotquot eam habent Rom. iii, 28. Gal. ii, 16. atque ita per charitatem est efficax Gal. v, 6. id est, Titimo ipso *ibi interprete, per charitatem in pia opera se diffundit*, ut charitas sincera non magis à vivâ & vivificâ fide possit separari, quam lux à sole aut calor ab igne: adeo ut ea fides sit mortua nec magis vera fides, quam verus homo, homo pictus aut mortuus, quæ charitate & bonis operibus non demonstratur Jac. ii, 17. 18. 26. An vera quæso & salvifica fides & opus Dei dicetur ea quæ Tirino iudice ad Iac. ii, 14. *sine operibus est exsucca, exsanguis, elumbis, & sæda instar cadaveris putrescentis*? III. Nec verum est in charitate gratiam justificantem, aut hanc in qualitate aliqua nobis in hærentem consistere: Nam gratia justificans est gratuitus Dei favor quo nos complectitur in Christo & propter ipsius satisfactionem nos absolvit à reatu peccati: Charitas vero est fructus & consequens nostræ gratuitæ justificationis, cum bona opera non præcedant justificandum sed sequantur justificatum. IV. Quamvis peccata graviora & altè conscientiam depalescentia (nam alia esse mortalia alia venialia naturâ suâ falsum esse suo loco demonstravimus) meritorie extinguant gratiam, hoc est digna sint propter quæ auferatur à nobis, nisi Dei misericordia supra nostram iniquitatem prævaleret, & de facto ad tempus ejus sensum efficaciamque consolatoriam auferant quamdiu fidelis illis in hæret, tamen hoc est semel regentorum privilegiû, ut in nullum unquam incidant peccatum, quod physice & de facto expellat & ejiciat *semen Dei* quod manet in ipsis I Joh. iii, 9. estque ea gratia quâ semel donati sunt verè ἀσβεστος & donis Dei ἀμεταμέλητος merito annumeranda, eò quod tandem ἀναζωογονημένοι ipso peccato superior evadat, & fidelem ex infirmitate lapsam erigat ad resipiscentiam, quod Davidis, Petri & multorum aliorum exemplis palam fit: Ut merito de lapsis in idololatriam suo tempore dixerit Cyprianus ad Antonium; *Ne putemus mortuos esse sed magis sanianimes jacere eos quos persecutione funesta sauciatos videmus: qui si in totum mortui essent, nunquam de eisdem postmodum & confessores & martyres ferrent; Sed*
quoniam

quoniam est in illis quod poenitentia sequente revalescat, ad virtutem de poenitentia robur armatur. Imo quamvis aliquandiu videantur hæere in luto, nec semper, quod optabat Salvianus, *pernicitate poenitudinis tam velox sit remedium resurgentis*, ut vix possit apparere vestigium collapsi, nihilominus tamen tandem aliquando resurgunt, & etiam ex diuturniori lipothymia ad se redeunt, imo ad Deum: sicut arbores quæ emortuæ videbantur hiemis tempore tamen postea revirescunt. v. Ut homo peccato graviori implicatus, quamdiu illi inheret & eo delectatur, nec expergit ad poenitentiam, possit præstare bona opera etiam supernaturalia ex spe & fide, tam absurdum est, quam hominem simul ex carne & spiritu agere posse, (licet enim insit fideli hoc duplex principium *quæ* suarum actionum, tamen nunquam agit ex utroque simul, sed tantum successivè) aut alium posse tunc fingi actum bonum & supernaturalem fidei & spei, quam resipiscentiam ex peccatis & dilectionem Dei & proximi. vi. Huic absurdo proximum & illud est quod homo simul fingatur destitutus charitate ac gratiâ justificante ex fide, & tamen dicatur bona opera etiam supernaturalia exercere. An enim negabimus eum justificatum gratis & gratum esse Deo, qui non tantum habet fidei & spei habitum, sed etiam ex illa fide (sine qua impossibile est placere Deo, & per quam placet Deo quicquid ex illa fit) bona multa moralia & supernaturalia operatur? An ei denegabimus charitatem, qui ex habitu fidei & spei operativo, (sed per charitatem non aliter) agit & operatur? An eum pronuntiabimus charitate destitutum, qui *multa bona opera non solum moralia sed & supernaturalia* vi fidei & spei exercent? Annon fit vi gratiæ, quod fit vi fidei & spei? Sed bonum opus quod fit vi gratiæ nunquam erit charitate destitutum; imo nihil propriè *bonum opus* erit, quod non fiat in charitate. vii. Cum hæ tres virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas, multò magis quam tres Ethnicorum Charites indissolubili nexu inter se cohæreant, cur Jesuitæ censent peccato, quod vocant mortale, potius charitatem extinguî, quam Spem aut Fidem, aut magis esse operativum sub peccato habitum Spei vel Fidei, quam habitum Charitatis? viii. Et si novâ gratiâ præveniente non habeat opus fidelis, ut à peccato aliquo graviori in quod incidit resurgat, tamen non potest resurgere de facto, nisi eadem illa gratia quâ olim præven-

præventus primum effectum fuit in ipso ut vellet credere, efficiat quod in ipso ut velit peccato renunciare & se ex laqueis carnis & mundi expedire. Igitur satis esto quod fideles & regeneriti vitæ spiritualis extinctum principium intra se habeant, quod non subest ut habitus acquisitus eorum voluntati, sed quod ipsas eorum voluntates sibi subicit easque determinat ad agendum, modò remissius modò vehementius, ut Spiritui illi, qui spirat ubi vult placet illius gratiæ & fidei semel datæ Sanctis vim & ἐνεργειαν modò intendere modò remittere. Quandoque videtur gratia hæc ἡσυχάζειν, dum homo auscultat carni lubentius quam par erat, & suis se permittit vitiosis affectibus; Sed postmodum Deus verbi sui ministerio, alijsque varijs medijs externis eam excitat & ἀναζωπυρεῖ, atque per eam hominem deducit ad seriam resipiscentiam; ut semper omnis mali quod facit culpa sit rejicienda in ipsius negligentiam & desidiã, laus vero omnis boni Dei gratiæ adscribenda.

Potest ergo vel metu) Mitto distinctionem absurdam, inter attritionem & contritionem: Tirinus attritionis & contritionis hîc facit tria motiva communia, metum gehennæ, fœditatem peccati, bonitatem Dei: At si iisdem motivis & principiis nitantur, inter se distinguï non poterunt, nisi intensiõne & duratione, quod tamen rejicit Becanus *de Sacram. cap. 35. q. 1. §. 5.* Sed de his alibi dicendum. Mitto quod vera resipiscentia solo *metu gehenna* non potest excitari: oderunt peccare mali formidine pœnæ, sed boni virtutis amore: Mitto quod dum ex fœditate peccati & bonitate divina arcessit attritionem & forte contritionem, contra suorum placita attritionem confundit cum contritione: Nam juxta Becanum *V. S. §. 3. Contritio propriè dicta quatenus distinguitur ab attritione, est detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, ex motivo charitatis:* At motivum est charitatis ubi est detestatio peccati vel ex illius fœditate, vel ex Dei bonitate; Nam 1. odisse peccatum propter illius fœditatem est revera Deum amare, unde eadem contritio cujus motivum est charitas, *ibidem* Becano describitur *detestatio peccati super omne detestabile:* 2. Averfari peccatum ex Dei bonitate est illud averfari ex Dei charitate: cum charitatis objectum sit ipsa Dei bonitas, prout bonum vulgo dicitur esse, ex principijs Aristoteli-

Aristotelicis, quod omnia appetunt. Mitto quod simul conjungat Jesuita *attritionem & dilectionem Dei*, cum tamen juxta placita suorum hoc differat attritio à contritione, quod illa sit absque dilectione Dei, huic necessariò charitas adjungatur. Mitto quod titubanter admodum hic loquatur, nec ausit hunc transire Rubiconem Pelagianum & ore rotundo tribuerè homini in peccatum mortale lapsò facultatem contritionis absque novo motu gratiæ actualis. Sufficiat & fidelibus in peccatum lapsis, suppetere ex inhabitatione gratiæ & Spiritus Sancti certum & infallibile principium resipiscentiæ salutaris, & ad illam per varia media variisque motivis ex inhabitantis gratiæ inspiratione & motu actuali sic eos deduci, ut absque illa efficaci motione nunquam ad salutem resipiscerent; id liquet ex Scriptura Ezech. xi, 19. 20. Act. xi, 18. 2 Tim. ii, 25.

Luc. xv, 18. Surgam & ibo) Prodigii parabola non potest satis commodè referri ad fidelium jam regentorum resipiscentiam particularem, ad quam tenentur tum ordinariè propter peccata quotidianè incurfionis, tum extraordinariè propter ea graviora in quæ aliquando incidunt, qualis fuit Davidis & Petri. Nam Prodigii exemplum, sive hominem lapsum ab Angelis distinguat, ut nonnullis placet apud Thomam *in catena ex Chrysof.* sive potius Gentiles à Judaico populo, ut omnes ferè interpretes, fatente Tirino *ad Luc. xv, 12.* quod *Veteres passim per hos intelligunt Gentiles & Iudæos quorum proprium erat murmurare*, cum notet non hominis jam ante fidelis resipiscentiam ex lapsu aliquo singulari, sed hominis antea fide & gratiâ destituti primam & universalem conversionem, non potest tam pium & sanctum propositum aliunde proficisci quam ex gratiâ Dei præveniente & vivificante, cum antea *mortuus* iste fuisset, com. 24. Substantia quam dilapidavit non denotat dona gratiæ medicinalis, sed, ut etiam monet Stella, beneficia naturæ, rationalitatem, scientias &c. quæ miserrimè decoxit; Si enim remansissent in illo Fides & Spes ceu habitus ex se operativi, non fuisset ille induendus à patre stolâ novâ, quæ Tirino interprete ex Hieronymo, Augustino, Beda, *significat gratiam habitualem cum omnibus habitibus supernaturalibus*, inter quos fides & spes primum locum obtinent.

Potest enim Christianus) Fateor etiam vero Christiano & qui talis sit non

æquivocè & de nomine tantum, sed de re & univocè, suppetere vires spirituales resurgendi à suis peccatis, sive se ex tentationum vinculis & illecebris carnis hæctenus eripiendi ut peccatum in ipsum non regnet; Fateor has vires quas in renovatione sua accepit, & quantum patitur carnis quam circumgestat infirmitas, ipsum exerere quoties voluerit; Sed ut velit per gratiam quâ instructus est à peccatis suis resurgere, opus est ipsiusmet gratiæ vim suam singularem ad actus istos singulares in ipsamet voluntatem exerentis. Porrò quamvis non multum morer quid definiverit *λειτουργία* Synodus Tridentina, tamen ejus decreta locis hîc sibi citatis Tirinus latius extendit quam textus iple patitur; Utroque loco statuitur *posse* fideles post baptismum lapsos, *per Dei gratiam resurgere*; sed tantum abest ut negetur isthîc novo gratiæ motu ad istam resurrectionem opus esse, quo omne pendeat ex humano arbitrio, quod pertendit Jesuita, ut potius contrarium inde possit haberi; nempe dari quidem post lapsum, contra quam censuerunt Novatiani, reparationem per pœnitentiam, quam veteres quandoque dixerê secundam post naufragium tabulam, sed tamen id tribuendum Deo excitanti, ut habetur *cap. 14. sess. 6.* eò magis quod cum *can. 29.* dicantur lapsi *posse per Dei gratiam resurgere*, necessariò *nova gratia præveniens & excitans* ibi debeat operari; quandoquidem *ejusd. sess. 6. cap. 15.* ut ejus lemma habet, *quolibet mortali peccato gratiam amitti* definitum est. Sanè si post amissam gratiam peccato mortali, per gratiam ab illo est resurgendum, novâ gratiâ donandus erit peccator quâ possit resurgere. Et quid de Jesuitis circa Scripturas speremus, quandoquidem eam sibi faciunt licentiam in sensu eo affingendo suo Conciliabulo Tridentino, à quo videtur remotissimum fuisse?

Num: 15. Sed talis, si diu maneat in statu peccati mortalis, NON potest longo tempore OMNIA PRÆCEPTA implere, omnia nova peccata mortalia vitare, vel quasvis tentationes constanter superare, ut idem Tridentinum definit: *Causa est instabilitas humana, de quâ supra n.8.* hæc enim citra copiosa gratiarum auxilia, (quæ filiorum sunt, non hostium Dei, Matth: xv, 26.) facile præcipitabit peccatorem in nova peccata.

*Trid. sup.
c. 2. 22.*

CENSURA. *Sed talis si diu maneat* Oberrat Jesuita eadem chorda, & uno

& uno posito absurdo, multa alia illi inædificat. Si homo in statu peccati mortalis constitutus & gratiâ destitutus, possit si non longo tempore, saltem ad breve tempus, omnia præcepta implere, omnia nova peccata mortalia vitare, qualvis tentationes constanter superare, ergo poterit etiam mereri in statu peccati & absq; gratia, contra quam censent Pontifici & ipse Tiranus infra statuit *Cont. xvi. n. 1.* Deinde nulla est ratio, cur homo qui posset citra auxilium gratiæ hæc præstare saltem ad breve tempus, nequiret diutiùs eodem modo in officijs ijsdem continuare. Si enim possit hoc facere ad biduum, cur non etiam ad triduum? Si per tres dies, cur non per septimanam? Si per septimanam cur non per mensem? Si per mensem cur non per annum? Præterea Jesuitarum esset definire, quamdiu quis debeat manere in statu peccati mortalis, ut illam contrahat impotentiam de qua hîc Tiranus; sive quamdiu debet differri Sacramentum imaginarium pœnitentiæ quo ex Pontificia doctrina resurgitur à mortali peccato, ut dilationis istius reus excidat potentiâ illâ bene agendi per omnia, quam aliàs etiam in peccato mortali retineret, si non nimis diu illi inhæreret. Ad hæc non video cur tam scrupulosè disputetur à Jesuita quamdiu homo in peccato mortali possit omnia peccata vitare & omnia Dei præcepta implere, cum nullus sit tam iustus & ita regenitus ut possit etiam sub ductu gratiæ, vitam suam absque omni lapsu & peccato transigere, eamque impeccantiam consequi quam anhelabat Pelagius: Nam in multis labimur omnes Jac. 111, 2. & *nil omnino peccare proprium est Dei*, inquit Clemens Alexandrinus *lib. 1. pedagog. cap. 2.* ut citat Tiranus *ad eum locum Jacobi*, quem dum vult restringere ad peccata venialia, frustra est; cum omne peccatum naturâ suâ & ex intrinseco merito sit mortale; imò septies in die cadere iustum docet Salomon Prov. xxiv, 16. quod sane si de lapsu non solum in pericula sed etiam in peccatum intelligatur, non potest ad venialia restringi; tum quia nulla talia sunt naturâ suâ, tum quia ex hypothesi adversariorum potius ex mortali quam ex veniali lapsu per pœnitentiam resurgatur; unde Hieronymus citatus Emaniueli Sâ *ad hunc locum, iusti vocabulam non admittit qui per pœnitentiam semper resurgit.* Et Salazar eodem refert hæc verba Gregorii 1. *lib. 8. id Reg. cap. 15. De iustorum casu scriptum est, Septies in die cadit iustus & resurgit: iustorum*

justorum certè casus quodammodo status eorum est, quia permittuntur aliquando cadere, ut semper valeant fortius stare, instar Anthei, qui quoties terram contingebat, novas contra suum adversarium vires resumebat; Imò & hæc Augustini *serm. 58. & Temp.* *Si forte aliquis ex vobis ut se habet humana fragilitas calliditate diaboli superatus & capitalibus criminibus involutus, templum Dei in se violando destruxerit, citò de malo iniquitatis suæ consurgat, ne consuetudine peccandi in ipsis se ruinis suis sepeliat.* Cur ergo disputatur quamdiu possit homo in statu peccati mortalis omnia præcepta implere, omnia nova peccata mortalia vitare, qualvis tentationes constanter superare, cum ne id quidem possit in statu gratiæ? Denique cum ex falsa hypothese Jesuitarum, ad hoc ut quis servari possit, debeat hæc omnia posse quæ hic commemorantur, & hæc non possit qui hæsit aliquamdiu in peccato mortali quo extinxit in se Dei gratiam, necesse est ut resurrecturo ex illo lapsu nova gratia suppeditetur, ex qua illam facultatem & potentiam recuperet, contra quam *N. præced.* Tirinus assererat; qui hic eadem fide quâ ante suam profert Concilium Tridentinum; cujus duo Canones hîc ei citati planè contrarium docent ejus quod affirmat, ut dum impudentiùs Pelagianismo suo inhæret, etiam Anathemata suorum, qui si non castiùs sentiunt saltem cautiùs loquuntur, incurrat: Canon 2. *sess. 6.* ita habet; *Si quis dixerit ad hoc solum divinam gratiam per Christum Iesum dari ut faciliùs homo justè vivere ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed agrè tamen & difficulter possit, Anathema sit.* At qui dicit, ut Tirinus, hominem in peccato mortali non posse longo tempore justè vivere, omnia præcepta implere &c. ille dicit eum posse sine gratia, quâ caret in illo statu, & per liberum arbitrium justè quidem aliquamdiu vivere, sed *agrè tamen & difficulter.* Canon vero 22. *ejusd. Sess.* sic loquitur; *Si quis dixerit justificatum, vel sine peccati auxilio in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit:* At dicere etiam sine gratia & in statu damnationis posse quem aliquamdiu omnia præcepta implere &c. multo plura dicit quam qui justificatis perseverantiam tribuendo sine auxilio speciali Tridentinum Anathema incurrerent.

Causa

Causa est instabilitas humana) Hac de re & nos diximus supra ad n. 8. Quod etiam fideles & pii, (nedum alii) sine crimine non vivant, oriuntur ex carnis infirmitate & peccati inhabitantis reliquiis, quæ sæpè de recto tramite vel maximè sanctos abducunt, & efficiunt ut nonnulli claudicando cum Iacob Bethalem perveniant.

Hac enim citra copiosa) Et hic noster Tirinus suo more agit. Nam 1. dicere deberet an hæc *copiosa gratiarum auxilia* requirantur ad illa simpliciter præstanda de quibus agit, an tantum ad illa præstanda diutius & constantius; Si posterius dicat, incurrit Anathematismum Concilii Tridentini V. S. imò Concilii Milevitani *can. 5.* Si prius evertit ipse suum dogma & relinquit colligendum nihil istorum posse hominem in statu peccati mortalis, cum non habeat copiosa illa auxilia gratiæ; nec filiorum sed hostium Dei censu veniat ex sententia Jesuitarum. II. Cum statuit copiosa auxilia gratiæ requiri ad ea præstanda constanter quæ ægré aliàs præstantur ab homine in statu peccati mortalis, huic videtur aliquod gratiæ auxilium, licet minùs copiosum, adhuc tribuere, quod nihil aliud est juxta locum hic sibi citatum ex Matth. xv, 26. quam panem filiorum hostibus assignare; quanquam neque hic locus agat de ijs qui jam ante fide fuerint donati, de quibus disserit Jesuita, sed de exteris & alienis à fœdere, qualis erat illa mulier; neque verum sit illicò inimicos esse Dei eos é fidelibus & electis, qui infirmitate humanâ in gravius aliquod peccatum labuntur, uti patet exemplis Davidis, Petri & aliorum. Quamvis enim id sit internum peccati quod committunt meritum, ut ipso jure faciat separationem inter eos & Deum, & quantumdiu in illo suo peccato hærent non queant ullum sensum suæ adoptionis percipere, attamen manent de facto in favore & amore Dei, nec ipsi obversantur tanquam inimici quos velit perdere, sed tanquam filii ægri, aut oves aberrantes, quos sanare & ad officium revocare velit; ut etiam facit semper, in quibusdam citius in aliis serius; prout solet suam virtutem in electorum & fidelium infirmitate perficere: Interim si juxta Tirinum ea est instabilitas humana ut per eam non possit diu stare etiam ille qui fide & spe præditus est, quod semper facile præcipitet

peccatorem in nova peccata, quid fiet de eo qui omni fide & gratia fuerit destitutus, nisi ut hac illâ suâ instabilitate necessariò de opeccat in peccatum præcipitetur & ex Scylla in Charybdim feratur?

Num: 16. Potest hæc OMNIA qui est in statu gratiæ, atque ita perfectè verare etiam potest usque ad vitæ suæ finem, ut idem Tridentinum definit. *Trid. sup. c. II. & 18.* Sic Zacharias & Elisabeth Luc: I, 6. *Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querelâ: Iob: I, 8. Vir rectus & re- cedens à malo: c. XXVII, 6. Non me reprehendi cor meum in omni vitâ meâ. Et Luc: XVII, 10. Cum feceritis omnia que præcepta sunt vobis, &c. dicite, quod debimus facere fecimus. Matth: XIX, 17. Si vis ad vitam ingredi serva mandata.*

CENSURA. *Potest hac omnia qui est*) Quid valeant humeri regenitorum & fidelium, quid ferre reculent, jam ante visum; Quamvis eam à Deo sint consecuti gratiam ἀμεταμέλητος qua decertent bonum certamen fidei & cursu suum tandem fœliciter absolvant, tamen cum nemine eorum tam benè agitur in hoc stadio, ut omnia Dei præcepta perfectè implerent, in nullum peccatum prolabantur, nulli succumbant tentationi, nec debeant dicere quotidie, *Dimitte nobis debita nostra*, non modo pro aliis, aut humiliter tantum, ut volebant Pelagiani, quod damnavit expressè Concilium Milevitanum *Can. 7. & 8.* sed pro seipsis & veraciter; quod illi Patres ejusmodi Scripturæ testimoniis & rationibus confirmant, quæ nostris perfectistis in pudorem dandis sufficiunt: Uterque Canon sic habet. *Item placuit ut quicumque dixerit in oratione Dominica ideo dicere sanctos, Dimitte nobis debita nostra, ut non pro seipsis hoc dicam, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro alijs qui sunt in suo populo peccatores, & ideo non dicere unumquemque sanctorum Dimitte mihi debita mea, sed Dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro alijs potius quam pro se justus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim & justus erat Apostolus Iacobus cum dicebas, In multis enim offendimus omnes; Nam quare additum est Omnes, nisi ut ista sententia conveniret & Psalmo ubi legitur Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens? Et in oratione Sapientissimi Solomonis, Non est homo qui non peccet. Et in libro Iob, In manu omnis hominis signat ut sciat omnis homo infirmitatem suam; Vnde etiam Daniel sanctus & iustus cuors*

flus cuius in oratione pluraliter diceret, Peccavimus, iniquitatem fecimus & c. qua ibi veraciter & humiliter confitetur; & ne putaretur quemadmodum quidam sentiant, hac non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit Cum orarem & confiterer peccata mea & peccata populi mei Domino Deo nostro; Noluisti dicere peccata nostra, sed populi sui dixit & sua, quia futuros istos qui tam male intelligunt tanquam Propheta praevidit. Item placuit, ut quicunque verba ipsa Dominica orationis ubi dicimus, Dimitte nobis debita nostra, ita volent à sanctis dici, ut humiliter non veraciter hoc dicatur anathema sit. Quis enim ferat orantem & non hominibus sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit qua sibi dimittantur debita non habere: Et jam ante sufficienter piorum & regentorum labilitatem propugnavimus variis in locis; Absit ut perfectionem quæ est metæ vindicemus stadio, in quo omnis nostra iustitia remissione peccatorum constat non perfectione virtutum.

Aique ita perseverare etiam potest) Nemo est electorum & salvificæ fide semel à Deo donatorum, cui non detur etiam à Deo non modò ut possit perseverare, sed etiam ut velit & actu perseveret, juxta Pauli dictum Phil. I, 6. & sortem quem nectit Rom. VIII, 28. 29. Imo ipsa salutis certitudo, quam vera in Christum fides importat, importat quoque certitudinem perseverantiæ, cum salus absque perseverantia haberi & adiri nequeat; ut absurdè Remonstrantes hac negata, illam adhuc se retinere profiteantur: Dicere enim, Sum certus me servandum si perseveravero, & interea incertum esse de sua perseverantia, propter horrendam Bertij doctrinam de Apostasia sanctorum, revera esset non certum esse de sua salute; Longè melius pia Antiquitas: Nemo Christi anus nisi qui ad finem usque perseveraveris, inquit Tertullianus de præscript. Interea hæc perseverantia (de qua videatur egregia dissertatio Roberti Sarisburiensis Episcopi contra Thomsonum, & opus eadem de materia Cl. Ludovici Crocij) non consistit in sanctificationis sic intemperate continuatione, ut nulla labe peccati aspergatur, nullo lapsu graviori interturbetur; sed in jugi conservatione, non ignis sacri Vestalium Romanarum, sed Spiritus sancti & feminis illius divini, cujus vñ sumus regenti in spem vivam, ac custodimur per fidem ad salutem paratam revelari præstituto tempore I. Pet. I, 5. & quod paulatim & grada-

gradatim ita se exerit in novo homine nostro formando, ut licet per varias tentationes, infirmitates & ægrotudines, (quemadmodum in muliere prægnante formatur & firmatur paulatim conceptus fœtus, et si ipsa interdum sua animi deliquia, sua fastidia, suosque morbos periculosissimos patiat) tandem adolescat in virum adultum ad mensuram plenæ staturæ Christi Eph. 1v, 13.

Vt idem Tridentinum definit) Primus Canonum hîc citatorum aliò pertinet: ibi anathemate percellunt novi Salmoines, qui dixerit *gratiam qua justificamur esse tantum favorem Dei*, cum tamen sit ipsissimum Pauli assertum Rom. 111, 24. Sed hæc materia & istius Canonis irregularis integrum corpus, est Controversiæ sequentis. Alter anathema dicit ei qui dixerit *Dei præcepta homini etiam justificato & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia*: Sed anathema illud recidet in istorum Justitiariorum & Perfectistis-phariseorum caput, quorum quilibet cum Patriarchis suis paratus sit dicere, *Quid est amplius faciendum & faciam illud?* Sane ejus quod possibile statuitur exempla possent proferri, & præsertim qui hanc facultatem & facilitatem implendi Dei legem jactant, eam deberent re & opere demonstrare; Sed quem ita mortificatum & sanctificatum Jesuitæ procudent nobis vel Jesuitam vel Monachum, qui possit vel ausit gloriari, nullum esse Dei mandatum quod ad amissum non impleverit, nullum peccatum in quod inciderit? *Quis gloriabitur se Deum diligere ex toto suo corde eoque amoris gradu qui exigitur à lege, quin ab illo ipso suo corde mendacii arguatur?* *Quis ex illis Perfectistis manum suam in sinum miserit & conscientiæ adhibuerit, quin eam leprâ plenam retrahat?* *Quantum est quod nescimus, inquebat ille; sed quantum est, dicam ego in quo quotidie deficiamus; & errores suos quis intelligat Psal. xix, 13?* *Quod si possibile est istis legem accuratè servare, non erit legi impossibile homines ad salutem adducere, contra quam docet Paulus Rom. vii, 3.* Nec video quid differat ab hoc Jesuitico & Tridentino dogmate, paradoxon illud novæ cujusdam & verè paradoxæ Theologiæ, *Præcisitas & singularitas, est modus inseparabilis à vera pietate, propter ἀντιστοχαστικὸν legis*: Si enim propter ἀντιστοχαστικὸν legis omnis verè pius debet esse præcisianus & singularis, (licet singularitas sit

nota

nota superbiz, & eam hodiè profiteantur Monachi ut quondam Phari-
 ſei, quorum ſecta erat ἀκριβεσάτη & præciſiſſima) nullus erit verè pius
 qui legem totam in omnibus & ſingulis ſuis præceptis ſecundum ipſius
 ἀκριβοσάτωρ accuratè & exactè non ſervaverit; Sed hujus paradoxo &
 ineptarum præciſitatum quas ejus Author commendat, ex Monacho-
 rum, Anabaptiſtarum, Brouwniſtarum & Independentium lacunis
 derivatas, ſpeciale examen non eſt hujus loci: ad noſtrum Tirinum
 revertamur.

Sic Zacharias & Elizabeth) Hic quaſi per ſaturam digeruntur ea Scri-
 pturæ loca quibus noſtri perfectiſtæ cum Celeftio Pelagiano, quem
 rehat Auguſtinus eximio opusculo *de perfect. juſtitia* ſuum ſuſtinent
 factum; Sed parum foeliciter: Quæ de Zacharia & Eliſabetha dicun-
 tur, non debent trahi ad abſolutam impeccantiam aut carentiam pec-
 cati in ipſis; cum Zachariæ incredulitas expreſſè carpatur in Euan-
 gelio, cujus & pœnam quoque non evaſit; & hi *juſti ambo*, inquit Au-
 guſtinus, *atque legerant inter ipſa mandata quomodo peccata ſua mundarent*;
 Sed erant ambo *juſti* coram Deo, quia ſincerè, ſine fūco, fraude & hypo-
 criſi ſtudebant iuſtitiz & pietati, & comparatè ad homines honeſtam
 & religioſam ducebant vitam, quæ nulli juſtæ reprehentioni apud
 alios exponeretur; At ex ſincero juſtitiz & ſanctitatis ſtudio, &
 religioſa ac inculpata coram hominibus converſatione ac obſervatione
 ſeria conſtitutionum legalium, quæ deſtinabantur potiffimum ad ho-
 mines ſuorum peccatorum convincendos & ab illis expiandos, fa-
 bricari omnibus numeris perfectam juſtitiam inhærentem & omnis
 nxi abſentiam, liberalior eſſet conſecutio quam aut recta ratio aut
 ſtilus Scripturæ admittat. Procul ab ea fuit Didacus Stella *in hunc lo-*
cum; qui non ſolum negat hanc eorum juſtitiam *nihil culpa admixtum*
habuiſſe, nixus authoritate Davidis Pſal. CXLIII, 2. & Jac. III, 2.
 Ef. LXIV, 6. Job. IV, 17. ſed etiam addit quod *ſi ſecundum modum huma-*
ne conditioni commenſuratum hæc juſtitia conſideretur, *ſic electi & omnes qui*
in divina amicitia exiſtunt, aliquo modo juſti dicuntur apud Deum: Hunc au-
 tem modum explicat cum ait, *Parum aut nihil eſt coram hominibus eſſe ju-*
ſtum, *ut ſunt hypocriſta qui foris juſti apparent*, *intus autem omni virtute ſunt*
vacui; *Magni autem faciendum eſt aliquem coram Deo juſtum eſſe*, *ut parentes*.

* B. Iohannis, quorum *laus*, ut inquit Paulus, non ex hominibus sed ex Deo erat. Grotius non malè censet hîc commendari sincerum pietatis studium coram Deo, & famam apud homines integram: sed additâ prudenter hac cautelâ; Neque ideo putandum est de quibus id dicitur eos communi natura humane aut etiam temporum illorum imbecillitati fuisse exemptos: Nam & David dicitur fecisse quod rectum erat in conspectu Dei neque à præceptis ejus recessisse unquam extra id quod commisit adversus Uriam, cum tamen præter illud atrox facinus multa ejus πλημμελήματα sit ausum advertere in sacra historia; sed quibus non interrompebatur studium illud pietatis quod Deus præcipue respicit. Uno verbo à dicto secundum quid ad dictum simpliciter non procedit argumentum. Job eodem sensu quo illi dicitur fuisse vir rectus & recedens à malo, nempe comparatè ad alios & quoad sinceritatem & quantum patiebatur humane sortis ratio; aliàs se hominem à quo nihil esset humani alienum, non modo præstitit, sed etiam non semel confessus est Job. ix, 2. 3. 15. 20. 30. 31. xiii, 25. xiv, 16. 17. & alibi passim. Quod verò dicit cap. non xxix, ut malè Tirinus, sed xxvii, 6. & passim suam integritatem prædicat, id debet sumi 1. de sinceritate ἀνυπόκριτῳ quam servaverit in Dei cultu, contra quam ejus amici criminabantur; 2. secundum ἐπιτιθεῖσιν Evangelicam, non secundum Legis ἀκριβοδικαίον. Pari ratione Paulus ita se nullius sibi conscium esse profitebatur ut tamen negaret se per id justificari i. Cor. iv, 4. & prout habet Basilius ab ipso Tirino ad hunc locum citatus, *Majorem offensarum partem ne intelligimus quidem, cum tamen in multis omnes offendamus.* Quod vero dicitur Luc: xvii, 10. I. debet intelligi non absolutè de eo omni quod Deus præcepit universaliter & omnibus, sed limitatè & secundum quid, de eo omni quod spectet speciale aliquod ministerium, v. g. Evangelium annunciandi; quo sensu Paulus omnia peregerat quæ sibi fuerant demandata, quando quidem respectu ejus quod in fidei dispensatore requiritur nullius sibi erat conscius, id est Tirino interprete, *nullius infidelitatis in administratione muneris Apostolici*; 2. Si extendatur ad omnes omninò homines & omnia Dei mandata loquutio erit hypothetica, quæ nihil ponit in esse; neminem enim reperiri qui omnia illa præstet, tota docet Scriptura, Job. ix, 3. i. Reg. viii, 46. Matt. vi, 12. Sanè Emanuel Sè obser-

oblerat quod illud *Cum feceritis*, significet *Etiamsi feceritis*; Et eleganter nec monachaliter Didacus Stella, *Docemur hic omnem presumptionem & vanam gloriam vitare; Si enim hi se servos inutiles reputare debent, qui omnia impleverint precepta*, (posito nempe quod tales extarent) *quid nobis incumbit qui in tam multis offendimus, & ea forsitan qua implemus precepta tam imperfecte implemus, ut juxta Esaiam universa justitia nostra sint quasi pannus menstruata?* In loco ultimo Matt. XIX, 17, longè minus adhuc est præsidij pro hac causa; Legis præconium & sanctionem adhibet Christus erga hominem turgentem superbiâ; nec ostendit illis verbis quid possit homo, sed quid poscat lex ab eo qui ex lege justificari & ex legis operibus salutem consequi voluerit. Illum autem tumidum juvenem procul fuisse ab ea legis perfecta impletione quam jactabat, eventus ipse liquidò comprobavit. Quod si nemini obtingat vita æterna nisi omnia legis mandata impleverit & servaverit, sanè nemo erit qui servabitur, cum nemo sit qui non peccet, & qui offendit in uno præcepto fiat reus omnium aliorum Jac. II, 10.

Nam: 17. Licet enim hæc longo tempore non possit continuare justus sine novo subinde AUXILIO SPECIALIS GRATIÆ, (nam etiam in justo manent infirmitas, ignorantia, concupiscentia & alia vulnera animæ, Rom: VII, 15.) hoc tamen auxilium, (quia ex ordinatione Dei debetur justis, ut pote amicis & filijs Dei, Luc: XV, 31. *Omnia mea tua sunt*), NUNC QUAM petentibus DENEGABITUR; *Petite*, Matth: VII, 7. *& dabitur vobis.* Sicut denegatur peccatoribus nisi convertantur; *Sciunt enim Ioh: IX, 31. quia peccatores Deus non exaudit.*

CENSURA. *Licet enim hac longo tempore*) Magna est in isto homine contradictionum seges. Etenim quod primo negaverat n. 15. de homine in statu peccati, nempe posse eum longo tempore omnia precepta implere, omnia nova peccata mortalia vitare, vel quasvis tentationes constanter superare, & simpliciter affirmaverat n. 16. de homine in statu gratiæ, nunc negat de eodem, ut revera juxta ipsum nihil sit discriminis quoad hæc inter statum peccati mortalis & statum gratiæ. Nam in utroque statu, homo hæc omnia nequit longo tempore, sipe auxilio specialis gratiæ, unde sequatur quod saltem hæc omnia possit

possit in statu utroque, ad breve tempus sine gratia. Deinde fingere hominem in statu gratiæ aliquid posse aut præstare quoad sanctificationem & perseverantiam attinet, sine auxilio specialis gratiæ, est contradictorium; cum status gratiæ & exercitiū pietatis & perseverantię sub illo, debeatur gratiæ specialissimæ, non vero alicui auxilio universali & indifferenti. Quare ad omnes & singulos actus pios & sanctos opus est speciali Spiritus Sancti motione, inspiratione & determinatione ad agendum, cum non agamus nisi acti: Atque specialis istius gratiæ, *actualem* alij appellant, munus est non vires supernaturales benè agendi si voluerimus, quas Jesuitæ suspendunt ex gratia habituali, diuturno temporis usu attritas & debilitatas recreare & reparare, quod videtur hic sibi velle Tirinus, sed efficere ut velimus & faciamus: Estque hoc gratiæ specialis auxilium, quod nec sine gratia quotidie à Deo petimus, cum non petamus posse bonum sed facere, juxta illud *Deus quod jubet*: hoc enim quod Deus jubet, non est ut possimus, sed ut faciamus quod bonum est. Et cum ex Jesuitarum hypothesi jam ante per gratiam sufficientem illud posse omnibus competat, aliud petat oportet qui gratiæ auxilium implorat, cum nemo petat id quod jam habet.

Nam etiam in justo manent) Et cum hæc remaneant etiam in justis & fidelibus, satis ostendunt, 1. Nec eos qui justis & fideles dicuntur vivere absque peccato; cum hæc animæ vulnera (quæ num alia sint in disciplina Jesuitica quam infirmitas, ignorantia & concupiscentia, nescio; saltem non memini plura his tribus enumerari solita à Jesuitis) sint peccaminosa & peccata, uti aliàs fusiùs fuit demonstratum, etiam ex ipso loco Rom. VII, 15. qui hic citatur à Tirino; videatur *tom. 1. Cont. xii, n. 7. II.* Nec ita esse liberatum à servitute peccati arbitrium humanum in justificatis & fidelibus, quin adhuc nativæ corruptionis in ipsis residuæ pondere prematur, & ad peccatum vehementer inclinetur; adeoque non conferre gratiam justis illam facultatem & facilitatem benè agendi & non peccandi quam in se fingunt adversarii; Nam ubi est infirmitas ad benè agendum, ubi est boni quod agendum foret ignorantia, ubi illa est concupiscentia per quam videas meliora probelque deteriora sequaris, ibi sane non est ea sanitas, ea

tas, ea valentia, ea pollentia, ea libertas indifferentiæ ad bonum & malum quam sibi tribuunt Jesuitæ.

Hoc tamen auxilium) Agnoscimus Deum suorum precibus tantum semper indulgere auxilii & gratiæ quantum expedit & requiritur ad ipsorum salutem pedetentim conficiendam & telam quam in illis cœpit Spiritu suo tandem pertexendam; Sed Spiritus ille qui spirat ubi vult, nunquam eâ mensurâ justis suam gratiam distribuit, ut possint esse in hoc mundo absque omni peccato, cum hæc plenitudo sanctificationis sit patriæ & metæ non stadii & viæ. Petenti itaque quomodo debet peti, Dei gratia nunquam depegabitur juxta promissionem Christi Matt. VII, 7. quantum ipsi fat erit ad salutem consequendam; Sed non semper ea plenitudine mensuræ quam vel ipse fidelis optaret, ut liberetur ex hoc corpore mortis; Exemplo sit ipse Paulus, qui cum 2 Cor. XII, 8. ter, id est *frequenter* inquit *ibi* Tirinus, Dominum rogasset ut liberaretur ab illo *stimulo* in carne sua, quem Tirinus interpretatur *motu concupiscentiæ magis accensa à damone*, qui *phantasiæ suæ turpia* objiceret & *humores ad sanguinem* Apostoli *ad talia* inflammaret (quo jure id statuat Tirinus, viderit ipse; cum non sit verosimile Apostolum qui se dono continentiæ à Deo præditum profitebatur 1 Cor. VII, 7. libidinis veneræ ardentem fornacem & *delectationes illas morosas*, de quibus tam multa Casuistæ, in pectore tuo circumgestasse) id consequi non potuit, sed responsum ei à Deo, *Sufficit tibi gratia mea, nam potentia mea per infirmitatem consummatur*. Cum itaque nequidem sanctissimi hic possint omne quod vellent, nempe liberari penitus ab inhabitante peccato & vexâ quæ ex illo, debent velle quod possunt, & in ea mensura gratiæ divini quam fuerint consequuti acquiescere.

Quia ex ordinatione Dei debetur) Primo verbum *debendi*, hic crudius adhibetur ad statuminanda merita; cum tamen Deus nemini sit debitor, & gratia omnis ita sit indebita, ut eam debitam facere, sit illam abnegare. Deinde non video quid sit discriminis inter id quod hic dicitur de justis, & id quod supra n. 11. de omnibus adultis asserabatur, eorum nulli deesse ex parte Dei auxilia gratiæ necessaria & sufficientia ad conversionem & salutem: ut pari loco sint Jesuitæ ingrato, justi & injusti, *fideles & infideles*.

D d 3

tantum

tantum gratiæ consequuntur pii, quia sunt filii Dei, quantum requiritur ad perseverantiam finalem, sed non quantum exigeretur ad im-peccantiam Pelagianam & Jesuiticam. Quam autem parum appositè huc faciat filii prodigi parabola, dixi supra ad n. 14. Et cum Tiri-nus ad *Luc. xv, 28.* annotet quod *indignatio & querela fratris senioris hic solum adjungatur ut murmur Pharisæorum ob reductionem peccatorum indignan-tium resundatur, utpote qui immerito doleant ob id quod Deo & cælisibus extre-mum gaudium creat; hic enim (inquit) est totius parabola scopus, uti fuit & occasio, non assequor quo jure hunc invidum & murmuratorem Pha-risæorum seipsum justificantium typum velit accensere justis & Dei a-micis ac filiis, quibus ex ordinatione divina gratiæ specialis auxilium debetur; cum tali invidio, ingrato & murmuratori, nihil præter eje-ctionem è domo & supplicium à Deo debeatur; Et cum hæc parti-cula, omnia mea tua sunt, exaggerandæ tantum queruli istius mur-muratoris invidiæ destinetur, non vero significandæ omnis gratiæ salutaris in illum effusionem, meminisse debuisset Jesuita regulæ quam ipse non incommodè proponit ad *Matt. xx, 12. Solem (in-quit) tum in hac tum in aliis parabolis multa adijci solius ornatus gratiæ, qua pre- inde non debent necessariò accommodari; Quod si in hac omnia essent ad vivum refecanda, hic major natu frater diceretur nunquam fuisse mor-tuus, nunquam peccasse, nunquam ab officio defecisse; unde factum ut veterum nonnulli Angelos in eo satis coactè intellexerint.**

Sicut denegatur peccatoribus) Concedo nemini salvificam gratiam de-negari, nisi qui sit illà indignus; sed tamen nemini datur quia dig-nus sit; Et quomodo penderet specialis gratiæ auxilium ex peccato-rum conversione, cum è contrario eorum conversio pendeat ex illo speciali auxilio absque quo manerent & morerentur in suis peccatis. Ita etiam gratia hæc quoad continuationem sui petitur à Deo, ut ta-men absque gratia eadem non petatur; quare Spiritus *precum* etiam di-citur Spiritus gratiæ *Zach. xii, 10.* quo cum destituantur impij & pec-catores, adeoque neque precentur ex fide *Jac. i, 6.* mirum non est eos non exaudiri à Deo *Ioh. ix, 31.* Nec enim hoc illius cæci axio; ma, quod aliàs non *usquequaque* verum esse ex Augustino monet *Ema-nuel Sa*, debet sumi de omnibus peccatoribus, quales sunt omnes homines

homines etiã fideles, sed de publicis transgressoribus & sceleratis qualem scelerati Judæi Christum faciebant *ibid.* com, 16. & 24.

Nam: 18. Ut quis OMNIA peccata VENIALIA longo tempore vitare possit, NULLI, quantumcunque justo, in hac vitã concessum, (ut vidimus *Contr: XII, n. 3.*) præterquam B. Virgini *Deiparæ*, uti de eã tenet Ecclesia, inquit Tridentinum, & colligitur ex scripturis suprã citatis *Contr: XI, n. 9.*

*Trid. sess.
6. c. II.
CAN. 23*

CENSURA. *Ut quis omnia peccata*) Et nos distinctionem illam peccatorum Venialium & Mortalium *ad Cont. XII, n. 3.* refutavimus, Quod nulli autem concessum est, quantumcunque justo, ut in hac vita sit absque peccato, argumento est justitiam nostram non in virtutum perfectione, sed in peccatorum remissione consistere.

Præterquam B. Virgini) Conciliabuli Tridentini doctrinam Marianam, æquè parvi pendimus, ac quæ *tom. 1. Cont. XI, n. 9.* protulit Tirinus ut probaret B. Virginem originali peccato caruisse: Quod si Ecclesie Romanæ figmentum quod *speciali Dei privilegio* B. Virgo nequidem venialiter unquam peccaverit, non sit colligendum aliunde quam ex iis Scripturis quæ ibi Tirinus citavit, ejus sanè asserti futilitas soricum instar suo se prodetindicio; Nam speciale hoc privilegium Virginis nititur juxta Tirinum iis argumentis quibus probatur ejus immunitas ab originali peccato; At illa argumenta nulla sunt, etiam iudicibus plerisque Pontificiis; ergo & nullum erit speciale illud privilegium quod inde arcessitur; An ab omni peccato immunis fuisset B. Virgo toto suo curriculo, quæ & concepta fuit in originali peccato, ut homines reliqui, & mortem tandem subiit quæ stipendium est peccati? Et cum abundet gratia ubi peccatum prius abundavit *Rom. v, 20.* quosensu potuisset B. Virgo dici *κεχαριτωμένη*, id est gratiam consecuta *Luc. 1, 28.* nisi peccato obnoxia fuisset? Quis nobis persuadebit eam aut nunquam precatam fuisse Deum, aut ex sua oratione dispunxisse eam *clausulam* quam omnibus præcepit Christus, *Dimitte nobis debita nostra?* Quomodo potuisset fieri particeps salutis quæ est in Christo, si nullius peccati rea fuisset coram Deo, quandoquidem ille non venit vocatum justos sed peccatores ad resipiscentiam & salutem? Si

Antiqui-

Antiquitatem consulamus, eam ab hoc paradoxo remotissimam deprehendemus; exceptâ scholâ Pelagij quæ suam impeccantiam, isto exemplo voluit confirmare: Origenes & multi Græci post ipsum, interpretantur *Gladium* de quo Simeon Luc. 11, 35. de scandalo quod B. Virgo passa est cum Apostolis in morte Christi: Sixtus Senensis enotavit Chrysofomi, Origenis, Augustini testimonia, in quibus B. Virgo taxatur incredulitatis, dubitationis, importunitatis, vanæ gloriæ, *lib. 5. Bibl. Sanctæ, ann. 104. & lib. 6. annot. 58. 138. 139. 140. 185.* Et quamvis Augustinus *de nat. & grat. cap. 36.* sic respondeat ad exemplum B. Mariæ à Pelagio productum, ut de illa *propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere velit questionem*, hoc est interpretate ipso Dominico à Soto apud Rivetum *Apol. pro Virg. lib. 1. cap. 18.* (quod ut & sequens 19. lectu dignum est circa hanc quæstionem) nolit de ea disputare, quam ejusdem modestiam libenter imitemur si per adversarios liceret, attamen eam proponit regulam generalem *in lib. de perf. justitia*, quæ ipsam B. Virginem complectitur, nullamque exceptionem admittit, quâ hanc Controversiam absolvimus; *Quisquis fuisse vel esse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto uno Mediatore Dei & hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est divina Scriptura, & necesse est ut impiâ contentione asserat, esse posse homines qui sine Mediatore Christo liberante atque salvante sine liberi salvique à peccato; Quisquis autem dicit post acceptam remissionem peccatorum ita quemquam hominem vixisse in hac carne vel vivere ut nullum habeat peccatum, contradicit Apostolo Iohanni.*

CONTRO-

CONTROVERSIA XV.

DE


IUSTIFICATIONE.

Respondente

PETRO BAUMANNO
Moersensi.

Nomen.

I.



Nomen IUSTIFICATIONIS in S. Scriptura alio quando significat solam externam declarationem seu imputationem justitiæ, ut Prov: XVII, 15. *Qui justificat impium, & qui condemnat justum, uterque abominabilis est apud Deum.* Luc. VII, 35. *Iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis:* Sed hoc non est perpetuum (ut volunt nostri hæretici) nam sæpè significat veram productionem, acquisitionem, vel augmentum justitiæ: ut Rom: IV, 5. *Credenti in eum qui justificat impium.* Isajæ LIII, II. *In scientiâ suâ justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* Dan. XII, 3. *Qui ad justitiam erudiunt* (Hebraicè qui justificant,) *multos &c.* Eccli. XVII, 22. *Non verearis usque ad mortem justificari.* Apoc. XXI, II. *Qui justus est, justificetur adhuc.*

CENSURA. *Nomen justificationis in sacra*) Imo non aliter sumi in Scripturis quam significatione forensi, prout ille justificari censetur qui justus & insons pronuntiatur & absolvitur à reatu, si præsertim de nostra justificatione coram Deo sermo fuerit, est nobis certissimum; Non aliud sonat Hebræis verbum *prv sîdek* in Piel, & *prvî hiseddick* in Hitpahel; Loca hæc Tirino citata id evidenter probant, sed & alia multo plura, ut Gen. XLIV, 16. Exod. XXIII, 7. Deut. XXV, 1. 2. Sam. XV, 4. I Reg. VII, 32. Job. XI, 2. XIII, 18. XXII, 3. XXVII, 5. XL, 3. Psal. LXXXII, 3. Es. V, 23. XLIII, 9. 26. XLV, 25. L, 8. Jer. III, 11. Ezech. XVI, 51. 52. Nec alia ratio Psal. LI, 5. & CXLIII, 2. etsi de utroque hoc loco diversum statuatur Socinus *Pralect. cap. 14.* Justificatur Deus in sermonibus suis non tantum quando se justum & veracem exhibet, sed etiam quando talem eum palam homines agnoscunt & consententur; cum similis planè locus extet Luc. VII, 29. ubi dicuntur ple-

E e

tur plebei & publicani, qui Johanni auscultaverant, justificasse Deum. In altero Psalmo dicitur neminem justificatum iri coram Deo, quod nemo mortalium in se consideratus & operum suorum respectu sit absolvendus à reatu & omni ex parte justus apud Deum declarandus; cui simile extat Job: IV, 17. Dan. VIII, 14. quod Hebraicè extat וְיִצְרָחֵל Verſio quidem Græca habet καὶ καθαρῶσθῆναι τὸ ἄγιον, ac Latina Vulgata, *Et mundabitur Sanctuarium*; sed præterea quod hoc demum solo loco id verbi in Niphal usurpatur, non malè *justificandi* verbum hîc retinuerunt Belgæ interpretes & Deodatus in Italica versione; cum revera tunc illatum Sanctuario opprobrium ab Antiocho Deus vindicaturus esset, & palam ac solemni judicio declaraturus sibi non idolo fuisse consecrandum: Nec alia quam forensis significatio verbi δικαιῶσις in N. T. ut Matt. XI, 19. XII, 37. Luc. VII, 29. 35. x, 29. XVI, 15. XVIII, 14. 2 Tim. III, 16. Præsertim non alio usu & sensu venit id vocabuli, quoties Paulus differit de nostri justificatione coram Deo; Nam. I. Eam justificationem opponit non semel condemnationi, cui significandæ apud Hebræos usurpatur verbum וְיִצְרָחֵל *hisfiang* quod non est malum & sceleratum infusâ nequitia facere, sed pro scelerato & malo condemnare; quod verbum cum Deut. XXV, 1. 1 Reg. VIII, 32. Prov. XVII, 15. expressè opponatur τὸ ἰσχυρὸν *hisfiddick* quod justificare est, satis indicat hoc non significari justitiæ infusionem, sed juridicam absolutionem. Eandem antithesim justificationis & condemnationis habet expressè Christus Matt. XII, 37. Eam vero servari à Paulo in negotio nostræ justificationis per Christum patet ex Rom. VII, 1. 33. 34. II. Negat Paulus passim nos justificari ex operibus, Rom. III, 28. 1 Cor. IV, 4. Gal. II, 16. asserit nos gratis justificari, & ex throno gratiæ Rom. III, 24. Heb. IV, 16. non justitiâ nostrâ, sed Christi 1 Cor. I, 30. 2 Cor. V, 21. Phil. III, 9. nostram justificationem definit remissione peccatorum in sanguine Christi Rom. IV, 5. 6. 9. & etiam ad id axiomata fori humani usurpat, ut Rom. VI, 7. ubi dicitur liberatus vel justificatus à peccato is qui mortuus est, ut regulariter inter homines non solent mortui ad tribunalia rapi, aut de reatu condemnari. Hinc Jurisconsulti dicunt morte tolli crimen rei, paucis exceptis; uti videre est apud Matthæum de Crimin. ad lib. 48. ff. tit. 19. cap. 3.

Sed

Sed de his, pluris postea. Saltem qui hæc paucula attenderit facile agnoscat non alio sensu quam absolutorio & forensi, justificandi verbum usurpari à Paulo in beneficio illo explicando quod prædestinatis & vocatis deputat Rom. VII, 29. Nec inficiatur Toletus *in cap. 2. Rom. annot. 13.* hanc significationem esse frequentissimam in Scripturis.

Sed hoc non est perpetuum) Imò verò ubi de hominis coram Deo justificatione agitur, nec contrarium evincunt loca hinc Tirino citata; Non Rom. IV, 5. Nam ibi justificatio impij, ab Apostolo ex Davide explicatur per remissionem peccatorum, non per justitiæ habitualis infusionem aut promotionem: Quin non foret justificatio impij, si alio sensu sumeretur quam pro judiciali absolutione ex throno gratiæ, ejus qui aliàs tanquam impius ex throno justitiæ & severitatis fuisset condemnandus, quanquam ita absolutus & justificatus non relinquatur impius, sed sanctificetur paulatim & renovetur ad imaginem Dei: Abominatio quidem est Jehovæ qui justificat impium Ex. XXXIV, 7. si id fecerit citra omnem debitam satisfactionem, quo sensu nec ipse Deus impium unquam est justificaturus I Reg. VII, 32. Sed Deus eos qui in se impij sunt & damnabiles justificat & absoluit ex prævia pro illis satisfactione Christi, qui factus est peccatum pro nobis ut essemus justitia Dei in ipso 2 Cor. V, 21. Non Es. LIII, 11. Justificamur enim Christi notitiâ, ut illius fide; Neque ejus notitia habitualiter & inhæsitivè facit justos, sed justificantur coram Deo & pro justis absolvantur qui ipsum norunt ad salutem Ioh. XVII, 3. & verâ fide ejus meritum amplectuntur: Quin juxta Tirinum *ad eum Esaiæ locum*, Prophetâ ibi explicat *pacta conventa inter Deum Patrem & Christum, quibus pro passione & morte Christi decernuntur premia, redemptio, justificatio & glorificatio omnium hominum, qui Christo fideles adhererint.* Vult enim Tirinus, quo jure viderit ipse, scientiam Christi eò loci sumi non objectivè de ea quâ cognoscitur à suis, sed subjectivè de ea qua ipse scit quid inter se & Patrem conventum fuerit. Sed planior est sententia Cornelij à Lapide, cui apud ipsam Vatablus & Sanchez ad stipulantur, hic agi de nostri justificatione per cognitionem & fidem Christi quo etiam alluserit Paulus Rom. I, 25. Non Dan. XII, 3. Nam I. V. V. à qua recedere nefas Jesuitis, non habet verbum justificandi, de quo disputamus,

tamus, sed erudiendi ad justitiam. 2. Fidi Euangelij Ministri dicuntur alios justificare ut alios servant 1 Tim. IV, 16. 1 Cor. IX, 22. quatenus sunt organa quibus Deus utitur ad promovendam Electorum suorum salutem, eosque adducendos ad justificationem illam gratuitam, quam in sanguine Christi coram se consequuntur; ut nulla subfit ratio cur hinc sumatur vocabulum istud de habitualis justitiæ infusione, cum nec illa sit propriè Ministrorum Ecclesiæ. Non Eccl. XVIII, 22. Nam præterea quod liber iste est Apocryphus, Tirinus *ibi* statuit Syracidem Græcè habere *ne differas justificari seu à statu peccati per penitentiam transire ad gratia statum.* Et Græca revera sic habent, καὶ μὴ μετρίως ἕως θανάτου δικαιωθῆναι; id est, Ne expectes usque ad mortem justificari, sive justus haberi, pronunciari & judicari. Non denique Apoc: XXII, II. Nam ibi qui justus est, justitiâ civili & externâ, ut nulli hominum censuræ & reprehensionis subfit, debet tamen adhuc justificari coram Deo & consequi ab ipso remissionem peccatorum suorum per merita Christi; quia illâ suâ justitiâ non potest subsistere in Dei oculis, & licet nullius rei malè administratæ fuerit sibi conscius, nullius-ve fraudis aut injustitiæ datâ operâ in proximum exercitæ, per id tamen non justificatur, ut de se Paulus loquitur 1 Cor. IV. 4. Scio non deesse interpretes etiam nostros, qui illud Apocalypseôs dictum referant vel simpliciter ad justarum actionum exercitium & studium, ut Piscator; vel ad justificationis nostræ gratuitæ majorem declarationem & manifestationem per bona opera, ut Belgæ interpretes; vel ad nescio quâ secundam & continuatam justificationem apud Deum, ut Gomarus; Sed hoc uno loco specialem significationem vocis δικαιωθῆναι excogitare nihil attinebat; quandoquidem sensus est planus & obvius quo dixi modo; nemini videlicet confidendum illi justitiæ & innocentie civili per quam honestè vivat, suum cuique tribuat, ac neminem lædat (pro ut etiam Ribera Jesuita ex antithesi quam fecit Johannes inter ἀδικία & ἀδικίον, justum interpretatur eum qui nemini nocet, sed unicuique reddit quod suum est) sed egere amplius gratuitâ illâ absolute & justificatione apud Deum, quæ nobis obtingit fide in Christo, absque qua nulla ratione posset in judicio consistere; Ita Paulus propriæ illi suæ justitiæ & innocentie renunciabat, ut gratuitæ istius justificationis

tionis coram Deo compos fieret Phil. III, 6. 9. Addunt nonnulli locum Jac. II, 21. 24. Sed ibi justificari dicitur operibus non fide tantum, qui coram Deo justificatur non fide mortuâ & evanidâ, sed verâ & vivâ, quæ bonis operibus se talem demonstrat; ut illud *Strabus* iſtius *ipſius* dicatur, Piscatore interprete, per metonymiam effecti, pro justificari *ex tali fide qua conjuncta fit cum bonis operibus, non autem ex fide qua operibus caret.*

Nota: 2. Neque CAUSA FORMALIS Iustificationis nostræ est aliquid nobis extrinsecum (ut iisdem contendunt,) sed DONUM REALE nobis INTRINSECE inhærens; Rom. III, 24. *Iustificati gratis per gratiam Dei, per redemptionem Christi; Ad Tit. III, 5. per Spiritum Sanctum in nos effusum justificari dicimur gratiâ Christi, imò renovati & regenerati. Rom. VIII, II. Spiritum Sanctum habitas in vobis, &c. & Eph. III, 15. dicimur fieri nova creatura: c. IV, 24. Induere novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiâ & sanctitate. Atqui renovatio, regeneratio, &c. inducunt realem effectum formaliter inexistentem: Ibid. v: 7. cuique nostrum datur gratia secundum mensuram donationis Christi: Rom. v, 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis: v: 15. vocatur Gratia Dei & donum. v: 17. Abundantia gratia & donationis: v: 19. Sicut per inobedientiam Adami peccatores constituti sunt multi (utique peccato & injustitiâ verè ac reipſâ animæ inexistente, ut ipsi met hæretici fatentur,) ita per Christi obediendum iusti constituentur multi, justitiâ verè ac reipſâ inhærente: Matth. v, 16. justitia nostra comparatur luci. 2 Cor. I, 22. pignori ac sigillo. I Ioh. II, 19. unctio. c. III, 9. semini, &c. Ioh. IV, 14. aque vive salientis in vitam æternam. Rom. VIII, 10. Spiritus vivis propter justificationem: Atqui vita est nobis maxime intima, semen, sigillum, unctio sunt in ipſo agro, cerâ, unctio.*

CENSURA. *Neque causa formalis*) Cum justificatio nostra per Christum, fita sit in remissione peccatorum & absolutione ab omni reatu, ex Redemptoris nostri imputata nobis justitia, obedientia & satisfactione plenissima, quam per fidem apprehendimus & nobis applicamus, non potest vel justitia illa qua stamus coram Deo esse aliqua perfectio nobis inhærens subjectivè, quia sic justificaremur ex operibus legis contra quam tota docet Scriptura, & aliàs nulla inest etiam perfectissimis justitia quæ judicij divini catinum possit sustinere Psal. CXLIII, 2. *vel multo minus formalis ratio justificationis nostræ*

esse quid nobis intrinsicum & inherens, quandoquidem ad illam nos habemus meré objectivé, ut rei in foro ad sententiam absolutoriam quam à iudice consequuntur. Est justificatio ἐκ τῶν πρὸς τὴν, ut relationes dicuntur Aristoteli, adeoque ejus causa formalis ridiculè & ἀφίλοσοφῶς statuitur aliquid intrinsicum termino illi quem respicit. Egregium quidem est beneficium, donum & munus; sed qui statueret omne donum reale intrinsicè inherere donatario, is ludibrium deberet non modo ICtis sed omnibus qui sensu communi utuntur: Dantur etiam res incorporales quæ solo intellectu percipiuntur, cujusmodi sunt hæreditates, obligationes, servitutes & similia quæ in jure consistunt; talia dona intrinsicè inherere donatarijs nemo sanus unquam dixerit. Donum est & beneficium Principis, Nobilitatio, Legitimitio, Restitutio in integrum, quarum formalis ratio non potest censeri absoluta quædam qualitas intrinsicè nobis inherens. Hinc juxta Augustinum *de Sp. & litt. cap. 26.* justificari gratis idem est quod justos haberi, justos deputari; sicut (inquit) dictum est de quodam, Ille volens se justificare, id est ut justus haberetur & deputaretur. Et apud Ambrosium *Author Comm. in Epist. Pauli*, Pelagianus licet, imo forte ipse Pelagius *ad Rom. 8.* Quomodo impletur in nobis justificatio nisi cum datur Remissio omnium peccatorum? & Bernardus *serm. 23. in Cant.* Sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium cui soli peccavi: Omne quod mihi ipse non imputare decreverit, sic est quasi non fuerit; Non peccare Dei justitia est, hominis justitia, indulgentia Dei; Et *epistola 190. contra Abaylardum*: Assignata est homini aliena justitia, qui caruit sua: Homo qui debuit, homo qui soluit: Satisfactio unius omnibus imputatur, sicut omnium peccata ille unus portavit. Cur ergo formam justificationis in alio constituamus quam in non imputatione sive remissione peccatorum, ex imputatione meriti ac satisfactionis Christi? Sed videamus quibus argumentis suam justitiam inherentem, nostri justitiarum comprobent.

Rom. 111, 24. Iustificati) Sed qui justificantur gratis δωρεάν & Dei gratiâ, non justificantur ex justitia inherente; cum gratia & opera non possint hîc simul consistere *Rom. x1, 6.* Nec possumus aliter justificari per Redemptionem quæ est in Christo, quam si nobis ejus satisfactio & meritum ad justitiam imputetur: Ipse Tirinus *ad Rom.*

111, 23. statuit quod cum *has gratia sit prorsus nobis indebita, fateri cogimur nos gratis, id est sine ullis nostris meritis pravius justificari per Christum*: Hinc quæ hic χάρις dicitur, ne habitum nobis inhærentem ex ea faciant adversarii, appellatur χριστός & φιλανθρωπία Dei Tit. 111, 4.

Ad Titum 111, 5. per Spiritum) At formalis ratio justificationis nostræ, non est gratia Christi, ad quam nos habemus objectivè non subjectivè; Non renovatio & regeneratio, quæ est justificationis gratuitæ non forma, sed fructus & consequens; nec enim bona opera præcedunt justificandum sed justificatum sequuntur; Non Spiritus Sanctus in nos effusus, qui conscientii nostris intimat absolutionis nostræ per merita Christi sententiam, & ipsam regenerationem efficit. Ipse Titimus ad eum locum sic loquitur; Apparuit seu illuxit humanitas φιλανθρωπία, id est amor ille singularis erga homines, non ex merito operum nostrorum justorum, (qua nulla ante erant) sed secundum gratuitam suam misericordiam, salvos nos fecit, id est justificavit, per lavacrum regenerationis, id est per baptismum quo exterius abluimur, sed interius per infusam Spiritus Sancti gratiam renovamur ac regeneramur in filios Dei & heredes vite ac gloria æternæ. Ubi in veritatis gratiam multa sunt notatu digna; Nam 1. benè distinguit Jesuita, inter baptismum quo exterius abluimur & Spiritus Sancti efficaciam quâ interius sanctificamur, ne ille credatur regenerationem producere ex opere operato. 2. Jure quoque distinguit justificationem à regeneratione; contra quam videtur facere in hac suâ objectione. 3. Dum opera iusta removet à justificatione, petit jugulum suæ causæ, & justificationem ex meritis operum ac inhærentem justitiam evertit. Hic vero affingit Apostolo quod ipse non dixit, videlicet nos justificari per Spiritum Sanctum in nos effusum. Paulus enim primo in genere, operibus nostris & meritis exclusis, salutem nostram rejicit in Dei meram misericordiam & gratiam quæ est in Iesu Christo; demde in specie, salutem illam duobus beneficiis definit, regeneratione cujus Spiritus Sanctus est author in nobis, & justificatione quam per Christum obtinemus. Neque mens illius est ideo effundi super nos copiosè Spiritum Sanctum, ut per ipsum justificemur, sed ideo nos ex misericordia Dei servari per Christum, in quo & obtinemus primitias Spiritus Sancti & regenerationis λύτρον, ut ita justificati & consequenter regenerati,

regemiti, hæredes fiamus vitæ æternæ; Et cum Titelmannus, Eras-
mus, Cornelius à Lapide, illud *justificari* hoc loco interpretentur *pur-*
gari à peccatis, fiat autem illa purgatio, remissione gratuitâ peccato-
rum, non video cur in alio formalis ratio justificationis nostræ debeat
constitui.

Rom. VIIII, 11. *Spiritus*) Habitat in nobis Spiritus Sanctus, 1. Ut sit no-
bis arrhabo & pignus nostræ absolutionis sive justificationis coram
Deo; quo spectat promissus à Christo lapillus ille albus, index senten-
tiæ absolutoriæ Apoc. II, 17. qui ἄψος dicitur; eo quod iudices al-
bis calculis uterentur ad absolvendum, nigris ad condemnandum;
unde album calculum mittere dixere Græci ad agialiter pro absolvere,
quod refert Ovidius *Met.* 15.

Mos erat antiquis niveis atrisque lapillis

His damnare reos illis absolvere culpâ.

Unde Tirinus ipse *ad Apoc.* 11, 17. calculum album interpretatur *favem-*
tem sententiam felicitatis & gloria ipsi æternum affutura. II. Ut non tantum
obliget cordibus nostris certitudinem justificationis illius nostræ
gratuitæ, quæ in absolutione à peccatis ex justitiæ Christi imputatione
sita est, verum etiam ut sanctificet nos intrinsicè & corporibus no-
stris, quæ illius templa, immortalitatis ad resurrectionem gloriosam in-
dat femina; Quod etiam Tirinus *ad Rom.* VIIII, 11. benè explicat, his
verbis; *Spiritus enim Sanctus qui per gratiam sanctificantem habitat in anima*
justi, causa est resurrectionis & vitæ gloriosa etiam corporis. Non potest gra-
tia sanctificans tribui justo vel justificato, quin evidenter sanctificatio
à justificatione distinguatur; quamvis hæc duo beneficia utpote inse-
parabilia sæpè uno nomine exprimat Antiquitas, uti factum nomina-
tim ab Augustino *lib.* 2. *contra Iul.* *Iustificatio in hac vita secundum tria*
conferitur; prius lavacro regenerationis quo remittuntur cuncta peccata; Dein-
de congressione cum vitis à quorum reatu absoluti sumus; Tertio dum nostra ex-
auditur oratio qua dicimus, Dimitte nobis debita nostra.

Et *Ephes.* III, 15. *dicimur*) At I. etiam justificatio, quo sensu à nobis
ex usu Scripturæ sumitur, realem habet effectum in nobis; cum ex illa
reatus noster auferatur omnis, & jus inviolabile conferatur ad vitam
æternam, etsi formalis ejus ratio in justitia inhærente non consistat.

2. A rege-

2. A regeneratione & renovatione sive sanctificatione, ad justificationem non procedit argumentum; cum longè alia sit ratio justificationis, quàm absolvimur à reatu peccati & ex Christi meritis pro perfectè justis censemur apud Deum, ac idoneis per consequens hæredibus vitæ æternæ; alia sanctificationis sive renovationis qua paulatim macula peccati eluitur in nobis & nova creatura inducitur, ac novus ille homo induitur qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate. Hanc justitiam & sanctitatem novi hominis inhærentem unicuique fidelium confitemur; sed cum sit multis numeris manca & imperfecta, & cui inniti ac confidere nec tutum sit nec licitum, formalem rationem justificationis nostræ apud Deum, ubi opus est justitiâ absolute perfectâ, constituere nequit.

Ibid. v. 7. *Vnicuique*) Hæc gratia non est ea quæ Scholasticis dicitur *gratias faciens* (quandoquidem illa nobis non inest formaliter & subjective, utpote quæ Dei notat benevolentiam, favorem & amorem, uti aliàs à nobis observatum) sed ea potius quæ dici debet *gratis data*; quandoquidem tunc metonymicè pro gratuita effusione Charismatum Spiritus Sancti necessariò sumenda est: Gratiam vero hanc, quæ ut monet Cornelius à Lapide *ad eum locum*, cuique data est *non una & pars*, sed *varia & dispersa*, idque *ex mensura gratuita donationis Christi*, (quam varietatem gratiæ gratis datæ Paulus explicat versu 8. 9. 10.) facere formaliter & inhærentèr justificantem, est à stylo Scripturæ nimis alienum; & χάριν hîc idem esse quod χάρισμα disertè monet Oecumenius, hac maxime ratione, quod cum antea docuisset Paulus esse fidelium πάντα κοινὰ, quia ὁ θεὸς ἡμᾶς ἐπὶ τοῖς ἀντοῖς ἐκάλεισεν, ἕθεν ἡ πλεῖσθ ἀπειρίας, πᾶσιν ἀθανάσιαν, πᾶσιν ζωὴν αἰώνιον ἐπηγγείλατο, πᾶσι δόξαν ἀθάνατον, πᾶσιν ἀδελφότητα, πᾶσι κληρονομίαν, κοινὴ πάντων ἐγένετο κεφαλὴ, πάντα συνήγαγε καὶ συνεκάθισεν, scrupulus ille restabat eximendus, πῶθεν ὁ μὲν μίζον, ὁ δὲ ἑλαττον ἔχει χάρισμα; & ostendit Apostolus id procedere ex sapienti & liberrima Christi dispensatione, qui variâ illa Charismatum distributione optimè consulit ædifficationi suæ Ecclesiæ.

Rom. v. 5. Caritas) Nec toto hoc capite quicquam est præsidii pro sententiâ Pontificiorû. Sive charitas Dei intelligatur ea quâ ipsû diligimus,

ut plerique volunt Pontificii cum Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 7. sive ea quâ ipse nos diligit, ut fatente Tirino ibi, interpretantur Chryso- stomus, Ambrosius, Cajetanus, Toletus, adde Theophylactum, Erasmus, Isidorum Clarium, (nec enim utraque potest simul intelli- gi, ut voluerunt Thomas & Haymo & vellet utcunque Tirinus, & de postrema loqui Paulum liquet disertè ex v. 8.)* neutra exprinet formalem rationem justificationis nostræ: Non prior quam operatur in cordibus nostris Spiritus sanctificationis; nam illa charitate ejusque merito non justificamur apud Deum; tum quia est fructus & conse- quens fidei, cui soli nostra justificatio tribuitur in Scripturis; tum maxi- mè quia vel Tirino agnoscente, posterior est justificatione: *Diffundi- tur, inquit, hac charitas in nobis per ipsummet Spiritum Sanctum qui non per sola dona sua, sed & per propriam personam justificatis datur: Est igitur po- sterior Spiritu Sancto qui eam operatur; & Spiritus Sancti datio ad eam efficiendam & diffundendam est posterior justificatione, siqui- dem datur non justificandis sed justificatis: Et si illâ gratiâ Spiritus San- cti sic in nos effusâ, ut ipse non per sola sua dona sed per propriam suam personam nobis detur, formaliter justificamur, debet persona quoque Spiritus Sancti esse formalis ratio nostræ justificationis; quod non solum coincideret cum Osiandri delirio, sed etiam superaret er- rorem quem Tirinus ibi carpit in Lombardo statuente 1. Sent. dist. 16. & 17. charitatem qua Deum diligimus esse ipsummet Deum. Non poste- rior, cujus documentum, pignus & sensum penitissimum consequi- mur in adoptionis Spiritu; quia ex illa quidem manat efficienter justi- ficatio imo & redemptio nostrâ, sed illâ formaliter nos justificari Pa- pistæ nunquam audebunt statuere; Addo quod tota contextus series ostendat Paulum illam dilectionis divinæ effusionem in cordibus no- stris per Spiritum adoptionis nos obsignantis in diem redemptionis, sic arcessere ex gratuita nostri justificatione, de qua jam loquutus fuerat versu 1. ut nequeat illa formalem justificationis rationem constituere. Adhuc ineptiora sunt quæ addit Jesuita ex com. 15. & 18. ejusdem capi- tis. Nec enim ipse versum 15. de justificatione interpretatur, quæ nobis subjectivè insit, sed donum & gratiam asserit esse gratuitum beneficium, pu- ra redemptionem, satisfactionem, meritum Christi; Quod si Redemptio, Satis- factio*

facio, Meritum Christi potest dici & revera est gratia & donum Dei, licet nobis intrinsecè non inhaereat, nonne idem poterit statui de justificatione, quæ fit ex Merito, Satisfactione & Redemptione Christi? Com. 17. non 18. commemoratur quidem *πιστις τῆς χάριτος ἢ τῆς δωρίας*, eo quod amplius recipiamus in secundo Adamo quam amisimus in primo, & cum hic lateritiam duntaxat domum evertisset ille marmoream nobis eam restituat. Sed ad quid ex mente Pauli abundans illa *χάρις & δωρία, δικαιομάτος ἰνός*? Utique, ut ipse explicat com. 18. *ὡς δικαιοσύνη ζωῆς*, in Iustificationem vitæ. Illa verò *δικαιοσύνη*, illud *δικαίωμα*, an alio sensu quam forensi sumitur? Neutiquam: quandoquidem *δικαίωση & δικαίωσι* ex uno Christo, opponitur disertè com. 16. & 18. *κατάκριμα* sive condemnatio ex uno Adamo: Iam verò ut condemnatio in omnes venit iusto illo iudicio Dei, quo omnibus imputat lapsum primi hominis, et si ille lapsus qui fuit actus transiens, non insit omnibus ejus posteris subjectivè & formaliter, nam mors regnat etiam in eos qui nequidem peccarunt ad similitudinem transgressionis Adæ ibid. com. 14. ita justificatione in omnes qui sunt Christi, pervenit gratuito illo iudicio quo ipsis imputatur ejus satisfactio & meritum; Quoad verbum 19. primò posset in Tirinum retorqueri hoc argumentum: Nam *Com. xi, n. 7.* statuebat per inobedientiam Adami filiorum suorum nomine admissam, neque adhuc remissam sed morali æstimatione remanentem, omnes constitui peccatores: Cur non ergo poterimus constitui iusti, sive justificati apud Deum per obedientiam Christi, electorum nomine præstitam, & eorum omnium factam per moralem æstimationem, sive imputationem? Deinde ut directè respondeam, Peccatores per unius inobedientiam sumus constituti bifariam; 1. Meritoriè per justam imputationem transgressionis Adami, ceterum omnium posterorum suorum nomine admissæ, adeo ut reatum mortis, non sibi tantum, sed omnibus tuis contraxerit: 2. Effectivè, per depravationem illam naturæ quam sibi suo lapsu accessit, & quæ ad omnes ejus posteros generationis lege specificè propagatur: Ut autem sumus peccatores in Adamo duplici modo, nempe imputatione numericæ illius culpæ quam nostro & suo nomine commisit, & generatione quâ ab eo propagatur in omnes nativa illa corruptio, quæ re ipsa unicuique nostrum

strum subjectivè inest, ita sumus justi in Christo bifariam, imputatione nempe quâ illa obedientia perfectissima quam præstitit nostro omnium nomine, numericè nostra censetur & reputatur coram Deo; & regeneratione, quâ incorrupto semine verbi & Spiritus sui, paulatim nos ad sui reformat imaginem, ac in nobis inhzrentem justitiam suâ similem pedetentim producit. Et quamvis Paulus primum membrum comparationis istius potiùs urgeat quam secundum, tamen ex secundo nihil aliud sequetur quam nos etiam subjectivè & inhzrenter sanctificari per regenerationem, sicut inhzrenter & subjectivè per generationem polluimur; Sed hoc non impedit quominus justificemur coram Deo imputatione obedientiæ Christi ad meritum, sicut condemnationi subsumus imputatione transgressionis Adami ad reatum: Nec tamen debet inesse justitiæ & sanctitati inhzrenti meritum absolutionis, sicut etiam pollutioni subjectivæ & inhzrenti inest reatus & meritum condemnationis: tum quia debilior, infirmior & imperfectior est hæc inchoata sanctitas & justitia inhzrens, quam ut alicujus sit meriti coram Deo, tum quia tollendo reatui utriusque tam qui est ex lapsu primo nobis imputato, quam qui comitatur nativam corruptionem omnibus inexistentem, plene sufficit illa justificatio, quæ fit imputatione meritorum & obedientiæ Christi. Itaque non procedit argumentum Tirini; Etiam justi inhzrenter constituimur obedientiâ Christi, cujus efficaciam regenerationis & sanctificationis gratiam & spiritum consequimur; Ergo non justificamur obedientiâ eadem Christi nobis imputatâ ad justitiam coram Deo; Etenim qui illud ponit hoc non tollit, sed potius præsupponit, cum sanctificatio justificationem sequatur.

Matt. v. 16. Injustitia nostra) Quæ hic insuper congerit Jesuita multò minus faciunt ad rhombum. Lux illa bonorum nostrorum operum, quâ alijs ad ædificationem & pietatis studium præluere debemus, nostra justitia non appellatur à Christo: & quamvis hoc nomine possit venire secundum quid & comparatè ad alios homines, tamen absolutè non potest censi nostra justitia coram Deo, apud quem quicquid inest nobis lucis meræ sunt tenebræ. 2 Cor. 1, 22. pignus & sigillum dicitur non justitia nostra, sed ipse Spiritus adoptionis; unde quod pignus

MS VO

nm vocat V. V. dicitur Græcè ἀρραβὼν τοῦ πνεύματος; & non aliter in-
 telligendum vel ipse Tirinus satis agnoscit, qui pignus Spiritus inter-
 pretatur, ipsum Spiritum Sanctum simul & testimonium bona conscientia sug-
 gestio à Spiritu Sancto, quod est quasi arrha futura gloriæ; quorum neutrum
 vel nostra justitia coram Deo, vel formale justificationis nostræ dici
 potest: Imo sigillum Apostoli, Jesuita non de justitia sed de signo cru-
 cis in fronte & in anima caractere indelibili, tam ineptè interpretatur, quam
 certum est hæc tria Pauli unctionem, sigillum & arrham, pertinere
 ad præsentiam & efficaciam Spiritus Sancti in cordibus nostris unâ te-
 stantis cum spiritu nostro nos esse Dei filios Rom. VII, 16. Quò
 spectant similes loci Eph. I, 13. 14. & IV, 30. Infra Contr. xx, n. 3. hunc
 locum 2 Cor. I, 21. Tirinus adferet pro Sacramento confirmationis;
 nunc eum profert pro justitia inhærente, quâ justi sumus apud Deum;
 adeo istis hominibus facilè est illudere Scripturæ & per suam Alchy-
 miam omne ex omni facere. Ibidem ad Confirmationem quoque tra-
 hit locum I Joh. II, 27. quem hîc de nostra justitiâ ridiculè interpre-
 tatur; Utrumque absurdè; cum hoc pertineat ad unctionem spiritua-
 lem quam per Christum in Spiritu illuminante, corroborante, læti-
 ficante consequimur: Agit enim de unctione quâ docemur, quod nec
 justitiæ formaliter, nec Confirmationis mimico Sacramento potest
 competere: Ipse Tirinus ibi unctionem hanc interpretatur gratiam
 Spiritus Sancti & sapientiam, nullâ justitiæ factâ mentione: Bellarminus
 lib. 3. de Verbo Dei cap. 10. hunc locum interpretatur de cognitione dog-
 matum, quæ fideles jam acceperant ab Apostolis & cooperante unctione Spi-
 ritus Sancti didicerant. Lorinus ad eum locum, suspicatur χρισμᾶ metonymi-
 cè poni pro χριστῷ, qui summus est animarum nostrarum infallibilis Do-
 ctor. Soli Tirino Lyncei fuerunt oculi, ut hîc formalem causam ju-
 stificationis nostræ per inhærentis justitiæ productionem observaret.
 Nec ad inhærentem justitiam pertinet formaliter sed efficienter tantum
 semen Dei, de quo I Joh. III, 9. cujus vi regeneramur in Dei filios I.
 Pet. I, 23. Joh. I II, 5. 9. Seminis autem illius divini ut manentis sic sese
 sensum exerentis in nobis, fructus illi sunt qui fructus Spiritus appellantur
 Gal. v, 22. 23. non vero justificatio nostra apud Deum; Nam virtutes illæ
 & bona opera quæ cœlesti illo semine pullulant, sequuntur justificatum,

non præcedunt justificandum, & factores legis justificatio præcedit non factoribus accedit, ut sæpius inculcat Augustinus, & bene ex illo Espensæus Sorbonista *in epist. ad Tit. cap. 3. digress. 12.* Joh. 17, 14. agitur de Spiritu Sancto & ejus salutari operatione ad nostram regenerationem, ut fuse ostendit Toletus *ad illud cap. annot. 9. & 10.* Sed in habitualibus donis Spiritus Sancti formalem rationem nostræ justificationis coram Deo consistere nec dicit Christus, nec quisquam veterum ibi annotavit; Est aqua juxta Tirinum, quia 1. *animam à peccatis & vitiis abluit*; 2. *virtutibus fecundam facit*; 3. *asum concupiscentiæ & passionum aliarum refrigerat*; 4. *sitim spiritualem explet & sedat.* Atqui horum nullum est quod formaliter ad justificationem pertineat; Primum enim spectat non ablationem reatus ad justificationem coram Deo; ea debetur sanguini Christi; sed ablutioem maculæ ad sanctificationem; ad quam spectant pariliter secundum & tertium; Quartum verò caput ad consolationem & contentationem animæ pertinet, cujus omnem sitim, etiam justitiæ, restinguit Christi justitiâ & satisfactione, quam ei applicat; In ultimo loco tam parum est præsidii, nempe Rom. VIIII, 10. Etenim agnoscimus vivere spiritum fidelium, (licet adhuc propter inhabitantis peccati reliquias morti corporeæ obnoxiorum) vitâ non modo spirituali sed etiam inextinguibili de qua Paulus Gal. II, 28. idque *διὰ δικαιοσύνην* propter justitiam, tam imputatam Christi quam inchoatam Spiritu regenerationis & tandem absolvendam; Sed non admittimus glossam Tirini, quam habet *ad eum locum*, Spiritum nostrum vivere vitâ spirituali gratiæ *propter justificationem, id est, per & propter justificantem & vivificantem gratiam, quam in spiritu sancto anima nostra producit, fovet & continuo auget Spiritus Christi.* Siquidem 1. *δικαιοσύνην* non justificationem significat, sed generalius est vocabulum quo justitia denotatur. 2. Verum est per justificationem animam nostram vivificari efficienter & consequenter, non tamen formaliter. 3. Quamvis à Spiritu Christi proficiatur, foveatur & augeatur continuo in piis gratia vivificans, ad veteris hominis mortificationem & vivificationem novi, tamen neque hæc est formaliter justificans, neque gratia justificans in nobis producit à Spiritu Christi; cum illa sit extra nos in Deo nos per meritum Christi justificante & absolvente.

Num. 3.

Nunc 3. Hinc sequitur, CAUSAM FORMALEM nostræ justificationis, seu TOTALEM, seu PARTIALEM, non posse dici solum extrinsecum FAVOREM DEI, seu NON-IMPUTATIONEM peccatorum, etsi (ut iidem omnes fingunt,) hæc revera in nobis permanent non deleta, non remissa, sed tantum tecta pallio justitiæ Christi: Nam præter jam dicta constat justos non solum æstimari, sed revera etiam esse rectos corde Ps: VII, 11. & *sans* Marc: II, 17. & Ioh: VII, 23. Constat nos à peccatis ablui, I Cor: VI, 11. mundari, dealbari, cor mundum creati, spiritum rectum innovari in visceribus, Ps: L. 9. & 12. sanctitate veritatis Eph: IV, 24. toti pulchri esse, Cant: IV, 7. deponere veterem hominem, induere novum, transferri de morte ad vitam, &c. Eph: IV, 22. & I Ioh: I III, 14. Et quomodo possibile est, Deum aliter judicare vel æstimare, quam res in se ipsa verè & à parte rei est? Nonne impossibile est falli aut mentiri Deum? Heb: VI, 18.

Dices, Ps: XXXI, 1. *Beati quorum tecta sunt peccata*; *Beatus cui non imputavit Dominus peccatum*. Ps: CXXI, 2. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Sed hæc ibidem exposui.

CENSURA. *Hinc sequitur causam*) In his verbis multa sunt σφαλματα: Primò per calumniam puerilem nobis affingitur quod statuamus per non imputationem peccatorum illa remanere in nobis non deleta, non remissa, sed tantum tecta pallio justitiæ Christi. Etenim in Scripturis hæc planè sunt æquipollentia, peccata non imputari, tegi, remitti, deleri, imputari justitiam sine operibus, uti patet ex Psal. CXXII, 1. 2. & Rom. IV, 5. 6. 7. 8. Qui ergo permanerent peccata in nobis, quæ quod tecta sunt merito, obedientiæ & satisfactione Christi, quæ nobis in justitiam imputatur, eo ipso deleta & remissa sunt, ut nobis nequeant amplius ad condemnationem imputari? 2. Perperam hæc duo simul rejiciuntur à causa formali justificationis nostræ, extrinsecus favor Dei & non imputatio peccatorum; tum quia gratuitus Dei favor non formaliter sed efficienter potius & originaliter ad justificationem nostram pertinet; tum quia actus Dei formaliter justificatorius non tantum est negativus non-imputationis peccatorum ad pœnam, sed etiam positivus remissionis eorundem & imputationis justitiæ Christi ad meritum & premium: Quo sensu in Disputatione mea inaugurali, habitâ Leydæ octavo Julii anno 1625. thesi 10. asserui, formalem rationem justificationis nostræ coram Deo statuendam esse in imputatione justitiæ Christi (2 Cor. V, 20. Rom. V, 9. Eph. 1, 7. Rom. V, 19.) sive quod idem est in

est, in solempni remissione omnium peccatorum & gratuita nostri acceptatione apud Deum; ut quemadmodum propter deliquia nostra ei imputata punitus fuit Christus in terris, ita & nos propter ejus justitiam nobis imputatam coronemur in cælis. Quod refero obiter, quia cum his similia tradidisset Syst. loco x, the. 46. & xi, th. 53. insignis aliquis Sycophanta, iniquissimus Tribunalis iniqui faber & infessor, inter alias calumnias quibus totus est confusus & quas pergit huc usque in me evomere, mihi in eo versatilem Theologiam ausus est affingere, & petere num idem docuissent olim Sedani quod nunc Groningæ. Equidem mihi nolim probro verti, si cum Solone semper discam senescendo; ita mihi Dia Veritas semper cordi erit, ut undecunque affulgeat eam censeam amplectendam: Errare humanum est, in errore cognito perseverare, diabolicum; Adhæc ita pacis studiosus ab ævo fui, ut in rebus aut indifferentibus aut dubiis, tutius judicarem vel premere quod sentirem, vel permittere aliis ut in suo sensu abundarent, quam ideo cum quoquam ex Collegis contentionis funem ducere. Quam moderationem si isti Tribunitij Tribunalium iniquorum editores & approbatores, semper servassent, minus turbarum dedissent in Ecclesia. Interim tamen perpetuo me eadem dixisse & docuisse de Iustificatione, nec aliud in Gallia aliud in Belgio sensisse, liquet ex ijs quæ jam protuli ex Disputatione mea inaugurali, in qua Facultas Theologica Leydensis tunc temporis acquievit. 3. Est mirum in modum involutus Tirini discursus; Nescias enim an absolutè rejiciat necne non-imputationem sive remissionem peccatorum à formali nostra justificatione; Videtur quod non, dum ait *non posse dici solum &c.* At videtur quod sic, dum negat causam formalem justificationis seu totalem seu partialem posse dici non-imputationem peccatorum. Ast in eo Scripturæ, Rationi, Antiquitati, Suis repugnat: Scripturæ; Nam David apud Paulum Rom. iv, 6. 7. 8. beatitudinem hominis, id est, Apostolo explicante, ejus justificationem collocat in non-imputatione, sive confectione & remissione peccatorum; Rationi; Nam cum justificari sit in foro Dei absolvi à reatu & non condemnari, sane frustra sit qui neget eum justificari cui peccata remittuntur, aut illi peccata remitti cui ad reatum & pœnam non imputantur. Antiquitati; Nam Augusti-

Augustini hæc sunt verba in Psal. 32. *Totum gratia Christi imputatur, non meritis nostris; Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Non in quibus non sunt inventa peccata, sed quorum sunt tecta peccata; Cooperata sunt peccata; tecta sunt, abolita sunt: Si texit peccata Deus noluit advertere; si noluit advertere noluit animadvertere; si noluit animadvertere noluit punire: noluit agnoscere, maluit ignoscere. Quid enim eras videre peccata, nisi punire peccata? Et Basilii similiter hom. 29. Quid est nostra justitia? aude; Beati quorum sunt remissa iniquitates. Suis; Nam Bellarminus lib. 2. de justis. cap. 9. agnoscit non imputationem peccati pertipere ad justificationis definitionem; Et Concilium Tridentinum vilius est noluisse imputationem justitiæ Christi & remissionem sive non-imputationem peccatorum rejicere in totum à justificatione, Sess. 6. can. 11. Si quis dixerit homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ & charitate qua in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhereat, aut eam quâ justificamur esse tantam favorem Dei, anathema sit.*

Nam præter jam dicta constat) De jam dictis à Tirino, etiam jam diximus. Cum non putativè tantum sed imputativè justii sumus justitiâ Christi, hinc non falsò justii æstimamur, sed verè tales censemur, ut verè is liber est à debito, cui solutio præstita ab expromissore suo apud creditorem imputatur; unde nullam amplius subesse condemnationem ijs qui sunt in Iesu Christo asserit Paulus Rom. VIII, 1. Interea si velit Tirinus justificatos coram Deo, omni omnino labe & vitio in sese carere, quod necesse erit posito formalem rationem justificationis in subjectiva & inhzrente cujusque perfectione consistere, gravissimè errat, & talem fingit justificationem quæ nulli mortalium contingat in hac vita; cum nemo uti aliàs probatum, sine crimine vivat; & Augustinus ideo jure statuat omnem nostram justitiâ potius in peccatorum remissione quam in virtutum perfectione sitam esse. Dicuntur pii Psal. VII, 11. recti corde, non quod sint ab omni vitio immunes, aut illà sui rectitudine stent formaliter coram Deo, sed quod sint sinceri & ἀνυπόκριτοι, non δόλοιοι & qui habeant לב לב cor & cor Psal. XI, 3. Marci II, 17. tales non possunt intelligi justii qui justificentur gratiâ Christi, cum dicantur non egere summo medico: quod justitiariorum

rum nostrorum credo nemo de se statuerit; Nec illi verè justi sunt & sani, sed tantum sibi tales perperam videntur quos Christus non vocatum venit; Huc spectat quod dicitur Joh. ix, 41. Si cæci essetis non haberetis peccatum; nunc vero dicitis videmus, itaque peccatum vestrum manet. Id etiam patet ex historia Euangelica; Nam peccatores illi ad quos commeabat Christus ceu animarum medicus erant *τελῶναι καὶ ἁμαρτωλοὶ*; justi verò ad quos non venerat, erant illi superciliosi Pharisæi, qui se justos falsò reputabant, nec indigos gratiæ Christi, uti Ferus annotat *ad Matt. ix, 13*. Ut mirum sit Tirinum *ibi* & Grotium *ad Marc. 11, 17*. hos justos interpretari, qui revera tales essent, cum Hieronymo teste *in Matth. ibi Dominus suggillet Scribas & Pharisæos qui justos se estimantes, peccatorum & publicanorum consortia declinabant*. Et Theophylactus ad utrumque locum Matthæi & Marci, monet Christum cum dicit, non veni vocare justos, *per ironiam* loqui, ac ita carpere Pharisæos qui seiplos justificabant, *quia nullus hominum erat justus*, nullus non indigos opis & gratiæ Christi. Cui usui adjiciatur à Tirino locus Joh. vii, 23. divinare non possum.

Constat nos à peccatis) Abluimur à peccatis bifariam, remissione ut tollatur reatus, & renovatione ut macula deleatur: Paulus autem 1 Cor. vi, 11. utramque ablutionem sic complectitur ut disertis verbis priorem justificationi, posteriorem sanctificationi deputet, ac illam nomini Christi, hanc Spiritui Dei distinctè adscribat. Quod verò Stapletonus *in Antidotis*, & Titelmannus *in Paraphrasi sua Epist. Pauli*, agnoscunt hîc quidem duo denotari, nempe remissionem peccatorum quæ veterem turpitudinem aboleat & renovationem internam quæ novam sanctitatem inducat, sed illam sanctificationem, hanc justificationem Paulo appellari, est valde absurdum; cum revera justificemur remissione peccatorum, ut evidenter docet tota Scriptura, & renovatione interna sanctificemur. Quid enim erit Paulo *δικαιῶν* nisi *μὴ κατακρίνειν*? David pariter in Psalmo LI. juxta Heb. hæc duo petit, & peccati sui remissionem ut in illius sensu & certitudine magis magisque corroboraretur (eam enim Nathan jam illi annunciaverat 2 Sam. xii, 13.) & animi sui renovationem per Spiritum sanctificationis; quæ duo beneficia licet non separanda, ut libenter damus Bellarmino *lib. 2. de Justif.*

Iustif. cap. 6. tamen sedulo sunt distinguenda; & illa duo peti à Davide, ipse Bellarminus monet *ad eum Psal.* Verum ut prius ad justificationem sive non-imputationem peccati pertinet, sic posterius spectat internam mentis & affectuum renovationem & reformationem ad imaginem Dei, quâ *malis habitibus sublatis*, ut loquitur Bellarminus *ad Ps. 50. 3. & concupiscentiâ mortificatâ anima candidior & pulchrior fiat & hoc etiam ad resistendum temptationibus fortior.* Ut verò agnoscimus talem renovationem, reformationem, sanctificationem internam comitari & consequi remissionem peccatorum & justificationem nostram, sic solum negamus eam sanctificationem, utpote valdè adhuc mancã & imperfectã, censei posse justitiam nostram coram Deo cui tutò confidamus & per quam in ipsius tribunali consistere possimus. Citat nobis Tirinus ex illo Psalmo v. 9. & 12. sed ipse primum de remissione peccatorum quæ obtinetur *aspersione sanguinis Christi*, cum Eusebio & Theodoro benè interpretatur; & alterum de spiritu peccato distorti & incurvati rectificatione, sive confirmatione in bono, quod est internæ renovationis. Quæ Scriptura docet Cant. 1v, 7. de pulchritudine Ecclesiæ, debent intelligi, 1. De ea quam consequitur in Christo & illius beneficio, ut Luna luminis sui plenitudinem habet à Sole; Si enim in se consideretur negari non potest, quin adhuc suas maculas, suumque nigrorem retineat: 2. De ea quam obtinebit in cælo, ubi quod est ex parte abolitum fuerit, Eph. v, 27. Quin apud Emanuelem Sà *ad Cant. 1v, 7.* Hieronymus 3. *contra Pel.* id refert ad futuram vitam. Nec video qua fronte Tirinus hunc locum ex Canticis proferat, quandoquidem supra *Cont. xi, n. 9.* eum ad immaculatam conceptionem B. Virginis referebat. Quæ itidem leguntur in Scripturis, de veteri homine exuendò, de induendo novo qui conditus est in justitia & sanctitate, de resurrectione spirituali & novæ vitæ studio, quò spectant nominatim quæ citat Tirinus ex Eph. 1v, 22. ostendunt quidem dari aliquam justitiam inhærentem in fidelibus, saltem inchoatam; sed non probant, quod oportebat, talem eam esse per quam formaliter & meritorie coram Deo justificemur. Locus 1 *Joh. 111, 14.* est magis ineptus, cum non agat de resurrectione spirituali vel prima quâ novæ vitæ studetur, sed de redemptione ex

morte æterna & jure ad vitam æternam quod consequimur beneficio justificationis, & cujus certi reddimur fide per charitatem operante, uti patet ex Joh. v, 24. Et Lorinus *ibi*, *synonyma* putat *transire de morte ad vitam & non venire in judicium.*

Et quomodo possibile est) Deus sanè mentiri & falli nescius, rem hinc æstimat & judicat uti est; nempe eum qui erat in se peccator & reus debendi, intercedente fideiussoris satisfactione, liberari à debito, nec amplius pro debitore censeri. Deus non fallebatur, quando fecit Christum esse peccatum pro nobis & in ipsum derivavit pœnas peccatis nostris debitas, ut nos essemus justitia Dei in ipso 2 Cor. v, 21. Quamvis enim ipse Christus sui respectu & in se esset innocentissimus, tamen quia personas nostras voluit sustinere, peccata nostra fuerunt illi imputata acsi ipse ea commisisset; Non ergo fallitur viceversa, quando nobis, licet naturâ filiis iræ & dignis quoad nos tantum morte æternâ, imputat Christi obedientiam & satisfactionem, acsi ipsi per nos eam præstitissemus. Tum demum Deus aliter judicaret & æstimaret quam res est, si pro perfectè justis subjectivè & formaliter reputaret eos qui adhuc varijs sordibus peccati sunt obnoxij, quod videntur velle Pontificij; Sed manet veritas judicij Divini in tuto, quando eos pro justis reputat in Christo ipsis condonando sua peccata, eorumque obliviscendo, quos tamen novit in se & ex se reos esse peccati & mortis; cum nisi tales essent justificatione & remissione peccatorum non egerent.

Dices Psal. xxxi, 1.) Est juxta textum Heb. Psalmus 32. in quo quantum sit præsidii pro veritate supra visum. Tirinus *ad eum Psal. & ad Rom. 1v, 7. 8.* eadem habet, videlicet, tegi peccata per infusionem gratiæ justificantis, sicut hiatus tegitur terrâ injectâ, & nuditas inductis vestibus, & non imputari quia non insunt, aliàs imputanda si adessent: Sed Davidi idem est remissio, non imputatio & tectio peccati; tegitur cum remittitur ac remittitur cum non imputatur ad pœnam; quare ut non remittitur per infusionem gratiæ justificantis, (quæ est chimæra Pontificia) sed *gratis & condonatione* ut ipse Tirinus explicat, sic etiâ eadem tegitur & non imputatur; non ut commissum non fuerit; quod enim factum est infectum fieri nequit; sed ut pro non commissio habeatur, vel pro commissio non habea-

habeatur : Bellarminus in *Psal.* hunc agnoscit peccata tegi & remitti idem esse. Quotquot peccata committunt homines ea transeunt actu, sed remanent reatu : Ea ergo postquam perpetrata fuerint tegere, quid aliud erit quam illa gratis condonare, nec ad reatum imputare? Si spectemus jus Dei de quo Rom. 1, 3, deberent meritò imputari, quia commissa fuerunt, & morali æstimatione remanent quamdiu non condonantur ; Sed per remissionem gratuitam non imputantur ad reatum & teguntur etiam oculis Dei, non ut Deus non videat illa commissa fuisse, sed ut censeatur illa non advertere & agnoscere, qui animadvertere nolit, sed velit ignoscere. Sic per legitimatorem, aut restitutionem in integrum quæ obtinetur à Principe, tegitur vel natalium vel factorum alicujus infamia, non ut fiat eum natum fuisse ex legitimo thoro, aut nihil turpe vel infame admisisse, sed ut eo loco censeatur in Republica ac si ex legitimis nuptiis natus foret, & nullum unquam famæ ac honoris fecisset naufragium, ita ut non possit ipsi quod præcesserit vel objici, vel imputari, vel probro verti : Et sanè tantum abest ut illi demum peccatum non imputetur qui peccato caret, ut è contrario, solius peccatoris beatitudo hæc sit quod peccata quæ commisit, sibi non imputentur ad condemnationem, ut etiam Bredembachius ad hunc *Psal.* non imputationem per remissionem explicat, citatis quoque verbis 1 Joh. 1, 8. 9. Hæc sanè tam perspicua sunt, ut vim faciant conscientiis suis Pontificii quoties tenebras huic luci conantur offundere. Charitas dicitur tegere multitudinem peccatorum 1 Pet. 4, 8. quatenus non omnia resecat ad vivum, sed præterit, dissimulat, non agit summo jure, quod inter homines summa injuria censeatur ; Ideo Salazar ad Prov. x, 12. illud sic interpretatur, *Delictio superveniens præteritis delet oblieratque dissidii & contentionis causas, injurias & delicta contra se commissa condonat ;* & Tirinus ipse ad eundem Salomonis locum, sic loquitur ; *Vniversa delicta operit charitas, dissimulans, regens, excusans amictuum errata ; operit quoque tum in seipso per a murmur, obliterando acceptam injuriam, tum in offendentem beneficiis eum excitando ad non amplius offendendum sed redamandum.* Eodem ergo sensu Deus, qui charitas, censeatur pro summa sua dilectione agere erga peccatores, eorum peccata tegendo, remittendo & non severè imputando ad poenam ;

imo eos insuper sanctificando & regendo Spiritu suo, ut in posterum cautiùs mercentur, & sani facti à peccatis continuandis sedulò quantum in se est abstineant.

Psal. CLXII, 2. Non justificatur) Psalmus est juxta Hebræos 143. ad quem sufficiant quædam ex Augustino; *Qui, inquit, cum illo volumus intrare in judicium, nisi qui ignorantes Dei justitiam suam volunt constituere?* at hoc faciunt adversarii: Item, *Non litigemus, nolo tecum habere causam, ut ego proponam justitiam meam, tu convincas iniquitatem meam;* Item, *Omnis vivens justificare fortè potest se coram se, non coram te; Quomodo coram se? sibi placens, tibi displicens; coram te autem non justificabitur omnis vivens: Noli ergo intrare in judicium mecum Domine Deus meus; Quantumlibet rectus mihi videar, prodacis tu de thesauro tuo regulam, coaptas me ad eam & pravus invenior.* Longè aliter debuisset Propheta loqui si voluisset ex inhærente sibi & propria justitia subsistere & justus censerì apud Deum: Ibi vero Tirinus nihil habet quod huc propriè faciat: *Illud non justificabitur, sic reddit; Nemo est qui per omnia & semper sit justus, inquit Augustinus, nam nullus est homo qui toto vita sua tempore non admittat aliquod peccatum: unde non potest Lutherus hinc probare omnia opera justì esse peccata.* Sed & Augustino & Luthero & Davidi imponit Jesuita: Augustino qui uti modò vidimus longè aliter loquitur, atque statuit nullum ita reperiri justum & rectum quem Deus quolibet temporis articulo non possit ex justitiæ & legis suæ norma peccati convincere & damnare. Luthero, qui non statuit omnia opera justorum esse peccata, sed & nullum ita justum esse habitualiter quin variis peccatis non sit adhuc obnoxius, & nullum opus tam accuratè bonum fieri à nobis, in quo Deus varios nævos non possit animadvertere, si illud ad legis suæ trutinam voluerit expendere. Davidi, qui non tantum vult neminem esse qui per omnia & semper sit justus, sed revera neminem esse vel habitualiter & ex hominum ac sua opinione justissimum, qui ullo temporis articulo possit per propriam suam justitiam subsistere coram Deo. Hoc enim respectu testatur alibi neminem esse justum, neminem qui benè faciat, ne unum quidem *Psal. XIV, I. LIII, 4.* & Bellarminus *ad locum* qui est præ manibus, observat nec justos in via justificari coram Deo, *quoniam etiam si justì sint quia criminibus carent, tamen etiam*
peccato-

peccatores se esse intelligunt, quia peccatis quotidianis non carent, & dicunt cum aliis sanctis, Dimitte nobis debita nostra, Matt. 6. & Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, 1 Iob. 1.

Nam: 4. Neque etiam solam REMISSIONEM PECCATORUM, (quam videtur Calvinus subinde admittere.) Quia IUSTIFICATIO non solum tollit materiam odij, (sic enim essemus omnes æqualiter iusti, infra n. 21.) sed etiam formaliter facit nos amicos, domesticos, (Eph: 1 I, 19.) & filios Dei; heredes regni cœlestis (Rom: VIII, 17.) imò consortes divina nature; 2 Pet: 1, 4. quæ omnia per solam remissionem peccatorum non possunt formaliter causari.

Calv. l. 3.
Inst. c. 11.

CENSURA. Neque etiam solam Remissionem) Primum vitiosè facit Jesuita quod remissionem peccatorum ab eorum non-imputatione de qua n. preced. & imputatione justitiæ Christi, de qua n. seq. distinguat; cum revera idem sint; Iohannes Gerhardi Loco de Iustif. §. 198. etsi vehementiùs antea contra Piscatorem disputasset, (cujus etiam sententiam non ulquequaque probamus, licet nolimus Christi justitiam in particulas ut sit ab alijs concerpere, & passioni ejus satisfactionem, actionibus meritum seorsim tribuere, cum Christus totus sit noster, & eadem ipsius obedientia ad crucem usque simul sit satisfactoria & meritoria;) optimo jure pertendit gratuitam peccatorum remissionem & justitiæ per Christum partem imputationem, vel realiter à se invicem non differre, vel certè à se invicem separari non posse; cum Apostolus in propria sede hujus doctrina Rom. 1v, 2. probaturus justificationem fieri per imputationem justitiæ sine operibus v. 6. afferat testimonium Davidis ex Psal. xxxii, 1. in quo tantum remissionis sive non imputationis peccatorum fit mentio; Lam verò quorum unum ex altero directè affirmatur & unum per alterum reciproci affirmatione probatur, ea non differunt realiter, vel certè ab invicem separari nequeunt; Adde quod remissio peccatorum complectatur non solum peccata commissionis sed etiam peccata omissionis; Cuiusque igitur propter Christum fide datur remissio peccatorum, illi eo ipso perfecta Christi justitiæ imputatur, hoc est propter Christum condonatur quod commissum, & imputatur quod omissum; ac proinde qui fide in Christum à Deo justificatur, pro perfectè iusto censetur, quasi nihil eorum quæ contra legem Dei fecit, commiserit; nec quicquam eorum quæ

facere

facere debuit omiserit; Inde est quod in compluribus Scriptura locis per solam peccatorum remissionem justificatio describatur, uti nemo dixerit vel imputationem justitiæ Christi excludi, vel imperfectam justificationis definitionem proponi, sed connotatur simul imputatio justitiæ Christi propter quam peccata credentibus remittuntur: Eo ipso quod justitiæ per solutionis Christi nobis imputatur, nostra injustitiæ debitorum non imputatur sed tegitur. Præterea Tirinus malâ tide hîc Calvinî mentem proponit, quasi solam remissionem peccatorum seclusâ imputatione justitiæ Christi, statuat esse justificationem nostram: Bellarminus enim lib. 2. de justif. cap. 2. scribit Calvinum lib. 3. Inst. cap. 11. §. 3. disertis verbis justificationem in peccatorum remissione & justitiæ Christi imputatione constituere. Adhæc vidimus supra quid Scriptura, quid Patres, quid ratio hîc suadeant. Agnoscunt adversarij saltem remissionem peccatorum ad formalem rationem justificationis pertinere, quamvis eam solam negent esse: Quod si aliquid ulterius ei isthoc in officio est conjungendum, id quodcunque sit, debet ejusdem esse generis & conditionis, quod videlicet non subjectivè nobis insit sed ad quod ut ad illam merè objectivè nos habeamus; Nam formalem alicujus rei causam vel rationem variis partibus planè heterogeneis constare, cum præsertim formæ rerum sint indivisibiles, rectè rationi reluctatur. Ideo Georgius Caslander in Consult. art. 4. qui est de justif. sic loquitur; Et hoc quidem extra controversiam est justitiæ illam qua justificamur consistere in remissione peccatorum, hoc est cum propter meritum passionis Christi, quam suscepit nostrâ causâ, peccata nobis non imputantur, quod nihil aliud est quam ipsum Christi meritum ad remissionem peccatorum nobis imputari.

Quia justificatio non solum) Sed revera huic rationi nihil inest ponderis: tum quia æqualiter omnes coram Deo justificantur per Christum, uti infra videbimus, tum quia remissio peccatorum, ex imputato Christi merito, illa omnia efficit quæ hîc ex Eph. 11, 19. Rom. v 111, 17. 2 Pet. 1, 4. à Tirino commemorantur. Etenim cum Satisfactio Christi pro nobis prælitata, sit non solum Exsolutiva, sed & Reconciliativa & Meritoria vitæ æternæ, ut docent ipsi Scholastici, necesse est eum reconciliari Deo, & per omnia illi gratum esse & acceptum cui ex imputata satisfactione Christi remittuntur omnia peccata, tam commisionis

missionis, ut nihil censeatur fecisse eorum quibus odium Dei merebatur incurrisse, quam omissionis, ut nihil censeatur eorum omisisse quæ erant faciendæ ex sanctione legis, Hoc fac & vires, ad hæreditatem cœlestem consequendam: ut non immeritò in peccatorum remissione David & Paulus hominis summam beatitudinem constituent, id nullo jure facturi, nisi remissio peccatorum nos constitueret Dei amicos, domesticos, filios & hæredes, imo & consortes divinæ naturæ; quandoquidem nisi hæc adsint homo miserimus remanebit.

Nam: 5. Neque IUSTITIAM CHRISTI, seu actualem, seu habitualem, NOBIS gratuito IMPUTATAM à Deo, & æstimatam quasi nostram, nos FORMALITER justificare, (ut ijdem hæretici contendunt) patet: quia hæc & extrinseca nobis est, & (ut est unica ac indivisa,) esset æqualis in omnibus: faceretque omnes æquè justos atque est Christus. Et hæc non fuit saltem Angelis imputata: per quid ergò illi justificantur?

Illud 1 Cor: 1, 30. *Christus factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio*, ibidem explicui.

CENSURA. Neque *justitiam seu actualem*) Justitiæ Christi nomine intelligimus omnem illam obedientiam quam præstitit Patri pro nobis, de qua Ph. 11, 7. 8. & quæ aliàs Theologis satisfactio & meritum ejus dicitur; nec consistit in habituali illa sanctitate & perfectione, quâ in se fuit ἀμωμος, sed in actuali præstatione & perfectione omnium eorum ad quæ tenebamur, & quæ præstitit ac perperessus est bono & loco nostro, quando factus fuit ὑπὸ νόμου Gal. 1v, 4. imo factus κατάρα Gal. 111, 13. ut non redimeret à legis maledictione atque filiorum adoptionem conferret. Plenissimam & sufficientissimam illam satisfactionem à Christo præstitam, hic præsupponimus contra Socinianos; aliàs eam vindicaturi ab eorum strophis & argutiis, si Deus dederit ut quæ de Volkeli accuratâ refutatione agitamus, queamus perficere: Hanc verò satisfactionem, obedientiam, justitiam Christi, nobis à Deo ceu nostram imputari, & in illa imputatione atque remissione per illam peccatorum nostrorum formalem rationem nostræ justificationis consistere, apud Orthodoxos omnes in confesso est; In diuersa abeunt 1. Sociniani, qui remissionem peccatorum ex sola Dei sui jus remittentis liberalitate absque ulla satisfactione suspendunt, & homi-

H b

nes

nes ipsius fidei merito & intuitu justificari sive pro justis haberi apud Deum asserunt; ut videre est nominatim apud Socinum ipsum *cap. 15. & 16. prelect. suarum*, & Volkelium *lib. 4. de relig. cap. 3. 11.* Remonstrantes, qui ab initio triturantes cum juvenca Socini, partim in gratuita acceptilatione fidei, partim in remissione peccatorum per Christum nostram justificationem collocarunt, ut videre est in ipsorum *Confessione cap. 18. §. 3.* In eo quidem pudibundiùs censent & loquuntur quam Sociniani quod etiam remissionem peccatorum per Christum faciant partem justificationis nostræ; sed aliàs cum ipsis imputationem justitiæ Christi rejiciunt & id cujus intuitu justis censetur apud Deum nobis inhæreere statuunt. III. Weigeliani, Anabaptistæ, Suenckfeldiani, qui licet non idem sentiant de justificatione nostri coram Deo, tamen in imputatione justitiæ Christi subfannanda & propria ac inhærente justitia propugnanda consentiunt. Eorum errores & deliramenta annotavit Brochmannus *de Justif. cap. 2. q. 3.* Sanè Suenckfeldius, uti patet ex Breviculo errorum ipsius collecto à Tossano & ad Zanchium misso *Epist. Zanchij parte 1. pag. 356. & seqq.* justificandi verbum sensu Pontificio non forensi & Scripturæ sumptum voluit. IV. Andreas Osiander, qui in Academia Regiomontana Professor anno 1549. hanc thesim proposuit: *Non Christi Servatoris obedientiâ legi divinæ præstitâ, ejusdemque imputatione per fidem hominem peccatorem coram Deo justificari, sed solâ essentiali atque aternâ Dei justitiâ, qua in nobis habitans, faciat nos justia agere; Sanguinem autem Christi totamque legis impletionem ab ipso præstitam hoc promeruisse ut essentialis illa Christi justitia nobis donaretur.* De isto videatur quoque Sleidanus *de Rep. & Rel. Comm. lib. 22. v.* Ipsi Pontificij, qui nullum non moventes lapidem ut suam justitiam constabiliant, compendiosissimam ad id rati sunt fore viam, si justitiam Christi ejusque imputationem de ponte deijcerent. Omnibus istis communis est scopus propriæ justitiæ stabilimentum; commune motivum, insitus à natura menti humanæ Pharisaismus; communis scopulus, quod nolint agnoscere justificationem & remissionem peccatorum per Christum idem esse, & revera illam in hac ex Dei verbo esse constituendam; Sed omnes heterodoxos simul profligaverimus, si demonstraverimus paucis meritum & satisfacionem

tionem Christi nobis sic imputari ad justitiam, ut in illa imputatione, non formalis & subjectiva nostra justitia, sed formaliter nostra justitiam coram Deo consistat. Hic delectum habebimus argumentorum, & è multis pauca quædam solidiora proferemus. 1. Justificatio nostra est remissio peccatorum per Christum, uti ex præcedentibus liquet; & ratio nominis ipsius planè forensis id exigit; atqui remissio peccatorum per Christum, illius nixa satisfactione & merito, non potest aliter concipi, quam ex illius meriti & satisfactionis imputatione, Id vidit non solum Cassander V. S. sed quod magis est ipse Bellarminus lib. 2. de Justif. cap. 7. *Imputantur nobis Christi merita, quia nobis donata sunt & possumus ea Deo offerre pro peccatis nostris; & cap. 10. Imputantur Christo peccata nostra quoad debitum satisfaciendi, quod ille spontè suscepit; sic igitur & nobis imputatur justitia ejus quoad satisfactionem quam pro nobis præstitit, &c.* 11. Fides nobis imputatur ad justitiam Rom. 1v, 6. 7. 8. non quod, ut volunt Sociniani & Remonstrantes, ipsum $\tau\delta$ credere per gratuitam acceptilationem, non formaliter constituat justos, sed quod Christus fide apprehensus sit nostra justitia. Non potest $\tau\delta$ credere nobis ad justitiam perfectam imputari, ut ex illius dignitate aut æstimatione justii censeamur apud Deum, quia tunc aliquo opere justificaremur; & jus Dei non imaginariam exigit justitiam quæ per acceptilationem admittatur, (est enim acceptilatio imaginaria solutio *Inst. §. 1. Quibus mod. toll.*) sed plenam & omnibus numeris absolutam atque perfectam: Adde quod cum Apostolo idem sit consequi remissionem peccatorum, justificari gratis, justificari fide, fidem imputari ad justitiam, necesse est fidem hæcenus imputari ad justitiam, quatenus ad justitiam imputatur justitia & satisfactio Christi fide apprehensa, utpote in qua consistit peccatorum nostrorum remissio. Tirini commentum ad Rom. 1v, 4. est alienum, fidem reputari ad justitiam idem esse ac justitiam dari intuitu fidei; Nam fidem reputari ad justitiam est justificari; justificari autem intuitu fidei nemo potest; tum quia nemo justificatur intuitu operum suorum, & maxime fidem reputari ad justitiam est Paulo justificari gratis & justitiam imputari sine operibus; tum quia ex hypothese Adversariorum, prima justificatio quæ est justificatio impii consistit in collatione fidei, ergo non sit fidei intuitu. Quid quod

apud Paulum Phil. III, 9. iustitia fidei non solum opponitur iustitiæ legis, inhærenti & subjectivæ, sed disertè appellatur iustitia quæ est *ἡ πίστις Χριστοῦ*: ut possit dici tam iustitia quæ est Christi ipsius per fidem apprehensa, quam quæ est ex fide Christum apprehendente & in illo acquiescente. III. Obedientiâ Christi constituimur iusti, ut peccatores transgressione Adami Rom. v, 19. Atqui hîc imputatio habet locum, ut supra visum; Ergo & isthic. IV. Christus est Jehova iustitia nostra Jer. xxIII, 6. non essentiali & æternâ suâ iustitiâ per quam formaliter & intrinsecè iusti reddamur, ut Osiander, Suenckfeldius, Weigelius delirarunt; nam illa est incommunicabilis Creaturæ; sed eâ quæ ex illius sanguine & redemptione emergit Rom. III, 24. cujus etiam respectu dicitur nobis factus à Patre, Sapientia, Iustitia, Sanctificatio & Redemptio I Cor. I, 30. & factus pro nobis peccatum ut essemus Dei iustitia in ipso 2 Cor. v, 21. Hæc appellatur iustitia æterna Dan. ix, 24. non quod sit ipsa iustitia essentialis Dei æterni, sed quod per illam æternitatem consequamur; unde dicitur Christus æternam redemptionem invenisse suo sanguine Heb. ix, 12. Dicitur itidem iustitia Dei, non tam subjectivè quam effectivè, quatenus ea nobis à Deo conceditur & ad salutem imputatur. Jam autem non potest esse Christus iustitia nostra, quin ejus obedientia & satisfactio nobis imputetur ad meritum & præmium, eo modo quo ipsi nostræ transgressiones imputatæ fuerunt ad reatum & pœnam. V. Quam sæpè Scriptura sanguini & morti Christi adscribit liberationem ac redemptionem nostram & remissionem peccatorum, adeoque nostram justificationem coram Deo, tam sæpè quoque inculcat hanc imputationem iustitiæ & satisfactionis Christi de qua loquimur; siquidem nequeant nobis nostra remitti peccata in sanguine Christi, quin sanguis ipsius nobis ad expiationem applicetur, & satisfactio ejus nobis imputetur ad iustitiam. Quod si fusiùs his luberet insistere, facile possem ostendere Veterum hanc constantem fuisse sententiam. Cassander V. S. hæc citat ex Bernhardo *epist. 190. Assignata est homini iustitia aliena qui carnis suæ: Item, Si unus pro omnibus mortuus igitur omnes mortui sunt, ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium portavit peccata;* Item ex *serm. 61. in Cant. Domine memorabor iustitia tua solius; ipsa enim est*

mea.

*mea; nempe factus es tu mihi justitia à Deo: Nunquid mihi verendum est ne non tua ambobus sufficiat? Non est pallium breve quod secundum Prophetam non potest operiri duos: Sic Augustinus Ench. ad Laur. cap. 41. Ipse ergo peccatum ut nos justitia; Nec nostra sed Dei; nec in nobis sed in ipso; sicut ipse peccatum non suum sed nostrum, nec in se sed in nobis constitutum similitudine carnis peccati in qua crucifixus est demonstravit. Sed quid Veteres sollicito? Nonne plerique in communione Romana idem docuerunt? Nonne ipsum Concilium Tridentinum Canone eo quem ante citavimus, videtur saltem locum concedere imputationi justitiæ Christi in justificatione nostra? Nonne Pighius, Tapperus, Colonienfes Theologi in *Antididagmate* suo, eam aperte propugnant, ut agnoscit Bellarminus *lib. 2. de justif. cap. 1?* Nonne Stapletonus *lib. 7. de justif. cap. 9.* refert quosdam Catholicos doctrinâ & pietate insignes, statuere tantum per imputationem justitiæ Christi, quatenus fides nostra apprehendit misericordiam Dei, atque justitiam Christi, nos justificari coram Deo? Et quid iniquius in Pontificiis quam suggillare imputationem justitiæ & satisfactionis Christi, dum volunt Supererogationes Monachorum aliis imputari & applicari per Indulgentias Papales?*

Nos formaliter) Justitia ipsa Christi non est justitia nostra formalis & inhærens subjektivè; sed est nostra justitia realis & sufficiens imputativè; nec per illam sumus formaliter justii justitiâ inhærente, sed per illius imputationem sumus formaliter justificati, ut præter eam nulla alia sit materia justitiæ nostræ coram Deo.

Quia hæc & extrinseca) Posterior ratio inferriùs expendetur: omnes sanè æquè sumus justificati gratiâ Christi; Hic sol justitiæ se omnibus possidendum exhibet ex æquo indivisim & in solidum. Prior per se vacillat; Nam ex eo quod justitia Christi extrinseca nobis est, benè colligitur eam nobis formaliter & intrinsecè non inhætere; sed inde non sequitur ergo non posse eam extrinsecè & objectivè nobis imputari. Utique extrinseca erant Christo nostra peccata; & tamen potuerunt ad pœnam & reatum illi imputari ac illius censeri.

Et hæc non fuit saltem) Cum Angelis non opus sit remissione peccatorum, quia non est adhibendum emplastrum ubi non est vulnus, non debuit illis justitia Christi imputari ad justificationem: Nec justificantur

cantur ut nos absolutione à reatu, cum illum nunquam contraxerint; sed stant coram Deo & justi censentur eâ justitiâ originali quam ab initio sunt consequuti & in quâ ab ipso post aliorum lapsum fuerunt gratiose confirmati: Sed quid Angelis cum justificatione impij de qua disputamus?

Illud 1 Cor. 1, 30.) Ibi vult Tirinus Christum esse authorem & datorem sapientiæ, justitiæ &c. sed non posse hac formaliter & imputativè intelligi, quia sic etiam Christi redemptio esset formaliter nostra, id est, nos ipsi essemus nostri redemptores, ipsius sapientiâ saperemus &c. sed tantum causaliter in genere causa meritoria & efficiens, quia scilicet Christus per passionem suam est nobis promeritus nostram sapientiam, justitiam, redemptionem & per suam gratiam ac sacramenta producit illas nobis. Sed dum pugnat cum sua umbra, multa effutit absque sale & judicio. Absurdè dicitur Christus in nobis producere redemptionem per suam gratiam & sacramenta; cum Redemptio nobis non insit subjectivè, sed merè objectivè nos illi obversemur: Absurdè negatur Redemptio quæ est in Christo esse formaliter nostra; formaliter enim redempti sumus & dicimur, nec ideo nostri sumus redemptores; quia redemptio est formaliter nostra passivè, activè Christi: Falsò nobis tribuitur quod statuamus justitiam Christi esse formaliter justitiam nostram; cum nostra sit materialiter & meritorie, quandoquidem nullum aliud meritum, nullam aliam habemus justitiam quâ consistamus coram Deo; unde sequitur formaliter illius justitiæ imputationem nostram justificationem constituere; Ridiculè hæc duo opponuntur formaliter & causaliter; cum etiam formæ suæ insit causalitas, ut ex philosophiâ notum. Agnosco Christum nobis esse promeritum hæc quatuor beneficia, sapientiam, justitiam sanctificationem & redemptionem; sed tamen non eodem modo illa nobis confert. Nam sapientiam nobis confert nos illuminando; justitiam, nobis sua merita impétrando ad peccatorum remissionem; sanctificationem, nos internè regenerando Spiritu suo; & redemptionem, nos tandem potenter vindicando à morte & corruptione, quod fiet in resurrectione mortuorum: Unde liquet quam alienum sit à ratione quæ nugatur Jesuita de his in nobis productis per gratiam & sacramenta: juxta Bernardum, *Serm. 22. in Cant. Christus factus est nobis sapientia*
in præ-

in prædicatione, justitia in absolutione peccatorum. Et Cornelius à Lapidè ad 1. Cor. 1. 9. 44. statuit Christum hæc nobis factum esse primò *satisfactoriè & meritoriè*, idque maximè hic spectare Apostolum: quod postea explicat verbis ad hanc nostram causam apprimè facientibus; *Quia, inquit, Christus pro debito humano, justissimo sanguinis sui pretio satisfecit, & meruit nobis justitiam, sapientiam & sanctitatem, adeoque factum est nobis justitia, quia justitia, id est, satisfactio Christi NOSTRA est, perinde acsi nos Deo satisfecissemus. Vnde ut Theologi docent in Justificatione per Sacramenta, quasi prius natura Christi satisfactio nobis applicatur, ut deinde posterius natura propter eam remittantur peccata & gratia infundatur. Qui ita scribunt debent agi spiritu vertiginis, ut eodem calamo sententiam quam hic propugnamus, impugnent.*

Nota: 6. Multò minus ipsa ESSENTIALIS DEI IUSTITIA, seu ipse Deus in nobis inhabitans, est per se CAUSA FORMALIS justificationis nostræ (ut somniat Lucas Osiander) Nam præter jam dicta omnia, Osiander inde sequeretur, etiam peccatores, etiam dæmones, etiam lapides esse justos, imò æquè justos atque est Deus: quia essentialis justitia Dei cum sit Melanchthonem. unica & indivisibilis, habitat per essentiam & præsentiam suam æqualiter in omnibus creaturis: Pf: CXXXVIII, 8. Si ascendero in cælum, in illic es; si descendero in infernum, ades.

CENSURA. *Multò minus ipsa Essentialis*) Jam ante hoc Osiandri delirium refutavi: Is vero non fuit Lucas Osiander, ut somniat Tiritinus, sed Andreas: Lucas autem in *Enchir. Controv. Pontif. cap. 10. Anabap. cap. 4.* imputationem justitiæ & meriti Christi orthodoxè propugnat. Sed facilis hic fuit lapsus ob cognominis identitatem. Andree occasionem videtur præbuisse ad hoc paradoxum Stancari Collegæ sui assertio, Christum nonnisi humanitatis respectu Mediatorem esse; cui dum fervidiùs se opponit, ac vergit in sententiam planè contrariam, prout dum vitant stulti vitia in contraria currunt, huc delapsus est ut nollet obedientià & satisfactione Christi nobis imputatà nos justificari, sed ipsiusmet Dei essentiali justitià in nobis habitante ac producente justas & sanctas actiones. Quousque vero valeat ratio Tirini contra hanc imaginationem haud facillè dixerim. Solida erit & in ex-

in expugnabilis si voluerit Osiander iustitiâ Dei essentiali & inhabi-
tante nos formaliter esse justos; sed infirma ac nullius ponderis, si
tantum statuerit, nos per illam efficienter esse justos, in quantum
opera iustitiæ & vitæ novæ vi & efficacîâ illius à nobis producuntur:
At utrumlibet voluerit, abundè refutatur, imputatione satisfactionis
Christi solidè confirmatâ.

Luth. ad Galat. 2. Num: 7. Neque SOLA FIDES (ut vult Lutherus, & Melancton
Melâcht. in Cōfess. August. cum IMPUTATIONE IUSTITIÆ CHRISTI: Nam Apostolus ad
Gal. v, 5. solam spem iustitiæ dicit ex fide expectari; & v: 6. *Fidem per dile-*
ctiorem operari. & I COR: XIII, 1. *Si habuero omnem fidem, &c. charitatem autem*
non habuero nihil mihi prodest; & Iacobus c: III, 20. *Fides sine operibus mortua est.*
Et nonne iustitia facit nos implere totam Dei legem? Controv: XIV, n. 16.
Atqui plenitudo legis Rom: XIII, 10. non est fides (quæ consistere potest cum
peccato mortali & iniustitiâ I Cor. XIII, 1.) sed dilectio: Rursus nonne ius-
titia nos facit conformes imagini filii Dei? Rom: VIII, 29. *nonne per iustitiam ge-*
rimus imaginem Christi? I Cor. XV, 49. *nonne iustitia manet in sæculum sæculi?*
Pf. cxi, 3. Atqui fides in Christo nulla fuit. Ioh. III, 11. Quod vidimus, te-
stamur; & fides evacuatur cum morte I Cor. XIII, 10.

Quando fides ad Gal. III, 11. & Hab. II, 4. dicitur iustificare, accipi-
tur non sola, sed prout conjuncta est charitati. Sic Ioh. III, 15. *Qui credit in*
filium, habet vitam æternam. Luc: VIII, 50. *Crede tantum & salva eris, sed sanis*
tate corporali.

CENSURA. *Neque sola fides*) Propriè loquendo Deus est qui
iustificat; Nec fidei tribuit Scriptura quod nos iustificet; sed tantum
statuit quod iustificemur fide, non principaliter, materialiter & mē-
ritoriè, quasi fides sit id cuius intuitu, respectu & merito iusti ha-
beamur apud Deum, sed partim objectivè & metonymicè, partim
instrumentaliter & apprehensivè, quatenus habet pro objecto iusti-
tiam & satisfactionem Christi, & illam apprehendit ac nobis applicat
cœu unicam rationem consistendi coram Deo. Itaque nostri non con-
jungunt solam fidem cum imputatione iustitiæ Christi, cœu causas so-
cias, partiales & coordinatas justificationis nostræ; sed subordinant
fidem iustitiæ Christi ejusque imputationi, cœu unicum organum à
Deo destinatum, (ut unus oculus in nobis est destinatus ad videndum
& species visibiles recipiendas) ad imputatam nobis à Deo Christi ius-
titiâ,

stitiam recipendam & nobis applicandam. Solâ itaque fide nos justificari statuimus, non ad exclusionem vel gratiæ Dei, vel satisfactoris & justitiæ Christi, vel verbi & sacramentorum quibus hoc justificationis beneficium nobis annunciat, offertur, obsignatur; sed ad exclusionem omnis alterius habitus aut virtutis in nobis: quo sensu Paulus non semel docet fide nos justificari, non operibus: Cum enim justificatio sive remissio peccatorû in Christo per modum promissionis gratiæ nobis offeratur, unica ratio; ejus potiundi eamque recipiendi fides est: Hæc sola est Rebecca quæ primogeniti nostri odoratis vestibus nos induit, ut sub illis, cum Jacobo, benedictionem paternam consequamur. Hæc sola manus est quâ tam pretiosum thesaurum recipimus. Solâ autem justificamur fide, at non solitariâ; hoc est eâ solâ justificamur, sed non eâ quæ sola foret & destituta charitate. Sic oculus solus videt, non tamen videt si solus sit & revulsus à capite, quia tunc neque propriè oculus est: Ut hoc sensu solâ fide justificari hominem statuamus, graves sunt rationes; Nam nullum aliud est organum spirituale, Christi & ejus beneficiorum receptivum ac intrinsecus applicativum præter fidem, quâ ipse habitat in nostris cordibus Eph. 111, 17. Et cum opera fides excludat in justificatione, debet ut activa justificatio solius est Dei peccata nostra remittentis per Christum ac illius justitiam nobis imputantis, sic passiva esse solius fidei oblatam in Christo justitiam & remissionem peccatorum apprehendentis, recipientis & nobis applicantis. Quid quod ipsa Scriptura conceptis verbis ita loquitur? Sic enim Christus Archisynagogo dicebat Marc. v, 36. *μὴ φοβῆ μίνον πιστεύω*, Ne time solum crede: Idem habetur Luc. vi 11, 50. Sic Paulus Gal. 11, 16. juxta V. V: Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi; qui nisi per fidem, *οὐκ ἂν μὴ δια πιστεύω*, justificatur, eum solâ fide justificari oportet: Nec particulam illam esse tantum adversativam, ut ponatur pro *sed*, verum etiam exceptivam & exclusivam omnis alterius rei congeneris, ut sit eadem quod *sed tantum*, patet ex Adversariorum confessione; nam Cornelius à Lapide ad Gal. 11, §. 43. agnoscit hanc propositionem hic admittere Thomam & Adamum Salsbont, *Homo non justificatur ex operibus legis, sed tantum ex fide Christi*; Nec quicquam decesserit bonæ causæ, etsi concedamus illam particulam esse tantum adversativam

fativam, & poni pro *sed*, ut Matt. XII, 39. & I. Cor. VII, 17. Aliud videtur exigere tertius locus Emanueli Sà citatus ex Joh. v, 19. sed in illius locum reposueris jure Joh. XVII, 12. Nam cum antithesis Paulina excludat à justificatione opera legis, charitatem ipsam quæ legis est complementum, ab eadem excludi oportebit. Addo quod licet illa particula *ἰὰ μὴ* vel *εἰ μὴ* aliquando sit adverbativa tantum, non sequitur tamen hoc loco eam merè adverbativam non etiam exclusivam & exceptivam esse, ut 2 Tim. II, 5. Nec etiam veteres abhorruisse ab ea loquutione, quâ *sola fide* dicamur justificari, agnovit ingenuè Cassander *Consult. art. 4. Habes* (inquit) *etiam hæc loquutio, exempla veterustatis; nam Origenes in epist. ad Rom. demonstrat, fide sola absque operibus aliquos esse justificatos; Et Hilarius de paralytico, A Christo, inquit, per fidem remissa est quod lex laxare non poterat, fides enim sola justificat.* Sic Basiliius *hom. de bamil.* vult hominem agnoscere *se verà destitit justitiâ, sed justificari πῖς ἐξ μόνῃ τῇ εἰς χριστὸν, sola in Christum fide.* Sic Chrysostomus *ad Rom. 4.* ferè initio; *Fide salvari eum qui opera non habebat nihil fortè fuerit insolentia; eum vero qui rectè factis conspicuum se fecerit, non ex ipsis sed sola fide justificari hoc demum admirabile est.* Hæc ad gustum & pro instituti nostri ratione sufficiant. Audiamus nunc quid noster Tirinus proferat in contrarium.

Nam Apostolus ad Gal. v, 5. Neuter locus ex epistola ad Galatas favet Tirino; Non prior, cujus mens non est, nihil aliud fidem adferre quam spem aliquam justitiæ, non vero ipsam justificationem; sed nos verè & saluificâ fide justificatos certò expectare speratos justitiæ illius quæ est in Christo fructus, nempe vitam æternam; quod patebit expendenti loca parallela Rom. VIII, 24. I. Pet. I, 9. Nec Cornelius à Lapide *ad eum locum Gal. v, 5.* diffitetur esse *qui spem justitiæ accipiunt gloriam æternam*, quæ etiam corona justitiæ dicitur 2 Tim. IV, 8. Ipse Emanuel Sà spem justitiæ interpretatur, *id quod justitiæ ut primum sperat*; Quod si tamen malueris cum Cornelio à Lapide *spem justitiæ interpretari justitiæ spei id est speratam*, non erit sentus quem hic videtur Tirinus somniare, quasi fides spem tantum excitet justitiæ, non justificet ipsa, cum tamen Pontificii primam quam comminiscatur justificationem fidei tribuant; sed is qui à Titelmanno, imo Theophylacto ipso, exprimi-

tur,

tur, nos non ex lege & littera sed ex spiritu spem habere justitiæ consequendæ ex fide sive per fidem; ut fides non statuatur excitans spem justitiæ, sed spes expectans justitiam ex fide. Non posterior; cum in eo non dicatur fides per charitatem operari nostram justificationem; sed tantum illa vera fides quæ sola æstimatur in Christo, describitur quæ & qualis sit, non sterilis & mortua, sed viva & fœcunda *ὡς ἀζάρως ἐνεργουμένη*; ut sic non significetur principium formale quo operatur, sed effectum materiale quod operatur & ex quo, ut causa quælibet ex suis effectis cognoscitur. Tirinus ipse hoc agnovit *ad hunc locum*; Fides (inquit) in Christum, non sola nec inanis aut otiosa, sed qua charitate perficitur, (quod tamen verbum licet à Syro interprete usurpatum, est alienum à mente Pauli) & per charitatem in pia opera se diffundit; ad quæ Cornelius à Lapide, ex quo mutuatus est sua Tirinus, adjicit; Nam fides qua charitatem & opera non habet fides est demonum non Christianorum, ait *Aufelmus*: Theophylactus disertus est inter veteres, Omnia à fide pendem qua per charitatem operatur, hoc est, qua debeat semper efficax & vivax demonstrari per dilectionem erga Christum; Ita de sole dici posset, quod per calorem operetur, non quod calor sit forma solis, sed quia *ἐνεργεία* & efficacia solis ex caloris productione agnoscitur: Neque potest charitas forma fidei statui, cum illius sit effectus, ut disertè docemur 1 Tim. 1, 5. aut censeretur efficax ad nos justificandum per ipsam charitatem, quandoquidem ipsi adversarii volunt primam justificationem fidei, non charitati, cui secunda debetur, esse tribuendam.

Et 1. Cor. xiii, 1. *Si habuerit*) Etsi de fide saluificâ & justificante ageret Apostolus, ex propositione ejus hypothetica tantum sequeretur necessariam esse charitatis cum fide conjunctionem, non vero vel charitatem etiã justificare, vel illam de facto esse separabilem à fide: Illa responsio quæ nititur aliàs usû Scripturæ, ut Gal. 1, 8. debet subsistere ex hypothesi adversariorum. Nam eodem modo Paulus loquitur de fide, quomodo differit de martyrio, quod etiã sine charitate nihil profuturum asserit; At de martyrio pro Christo non sic loquitur, quasi ejus omnis efficacia sit à charitate, aut absque charitate esse queat; Etenim Cornelius à Lapide *ad hunc locum*, docet 1. Martyrium saltem antecedem & ex opere operantis, posse esse sine charitate, sic tamen

ut consequenter & ex opere operato in sui termino semper adducat charitatem : Ergo efficacia illius ad gratiam justificantem & charitatem ipsam conferendam, à charitate non est : Docet itidem 11. *Martyrium ex quacunque virtute obitum conferre gratiam justificantem etiam primam, quasi ex opere operato, ut docent Theologi, (Pontificij) scilicet & consequenter conferre charitatem, nec ab ea ut termino suo separari posse; adeoque Apostolum loqui quoque de traditione corporis in martyrio materiali & formali, sed conditionatè; quasi dicat, Si martyrium esse posset sine charitate, nihil prodesset; ita, inquit, S. Chrysostomus & Theophylactus: unde Theodoretus & S. Basilius ep. 75. ad Neocæsarienses notant hìc esse hyperbolem.* Quo jure quælo pertendent Jesuitæ non potuisse Apostolum æquè conditionatè loqui de fide ac de martyrio, quasi dixisset; Si fides esse posset sine charitate nihil prodesset. Sed damus Apostolum revera absolutè loqui utrobique; cum & martyrium etiam pro veritate possit sustineri ex vanitate & absque charitate, ac Pontificia doctrina de martyrio conferente gratiam ex opere operato, ceu multifariam inepta & absurda sit reiicienda, & fides de qua Paulus, similiter possit esse & operari sine charitate; Verum pertendimus hanc non esse fidem salvificam quæ ad gratiam gratum facientem pertineat, sed esse fidem miraculorum & signorum uti dicitur Chrysostomo in 1. Cor. 12. quæ pertinet ad gratiam gratis datam, sive ad extraordinaria Charismata Spiritus Sancti, prout illis expressè annumeratur fides à Paulo 1 Cor. xii, 9. Ubi disertè noster Tuirinus observat, intelligi non præcisé fidem Theologicam, sed excellentem illam quæ vocatur fides miraculorum, inf. cap. seq. v. 2. Unde Theophylactus monet Paulum hìc per prophetiam & fidem omnia charismata comprehendere; aut enim, inquit, in verbis aut in operibus sunt miracula; Et Paulum agere de fide miraculorum, quâ etiam montes transferrentur, nemo negare potest; Hanc vero totâ sui naturâ differre ab ea de qua nunc disputamus, non inficiabitur Tuirinus si meminerit discriminis à se assignati supra Cont. 14. n. 2. inter gratiam gratis datam & gratiam gratum facientem: & fidem miraculorum etiam in reprobos posse cadere, constat ex Matt. vii, 22. cum fides salvifica sit tantum electorum Tit. 1, 1. Adhæc loquitur Apostolus de ea fide quæ absque charitate nihil planè prodesset ad salutem; Sed ex mente Pontificio-

rum

rum fides quæ ad gratiam gratum facientem spectat, etiam nondum informata per charitatem, prodest tamen dispositivè saltem ad justificationem & salutem, & ut loquebatur Tirinus in *Cont. præced. inchoatè seu initialiter gratum facit*; Ergo non loquitur Apostolus de ea fide quæ ad gratiam gratum facientem spectat, de qua disputamus. Loquitur quoque Apostolus de fide operante & *ἐργυμένη*; quandoquidem vel montes illâ transferrentur; At Pontificii volunt fidem in Christum de qua differit alibi Paulus in negotio justificationis, omnem suam *ἐργυειν* & vim agendi à charitate consequi. Ergo non de ea agit 1 Cor. xii, 2. quæ citra charitatem maxima tamen haberet *ἐργυειν*. At, inquires, Paulus hoc loco omnem fidem intelligit, ergo non de sola fide miraculorum loquitur: R. Intelligere eum omnem fidem, quæ sit ejusdem generis cum prophetia & dono linguarum; & pertineat ad Charismata Spiritus Sancti & gratiam gratis datam; & quâ possint patrari omnia miracula etiam maxima, cujusmodi foret montium translatio Luc. xvii, 6. Aliàs si omnes species fidei hic intellexisset Apostolus, deberet intelligi non solum de fide informi, uti dicitur Pontificiis, quanquam & hæc prodest dispositivè ad salutem, sed etiam de fide formata, quam tamen per charitatem sic formari volunt, ut absque charitate concipi nequeat. At *fides miraculorum*, inquit Cornelius à Lapide, *includit & supponit fidem propriè dictam qua principium est justificationis*: R. Id tam falsum esse quam falsum est gratiam gratis datam includere gratiam gratum facientem, cum disparatè opponantur & specificè distingvantur; Et sanè illa fides quæ principium est justificationis, etiam antequam ex hypothese adversariorum informetur per charitatem, prodest ad aliquid. At, inquit idem, *Fides miraculorum est excellentissima fides*; E. si potest esse sine charitate, etiam justificans esse poterit. R. 1. Sequelam falsam esse; tum quia non potest esse justificans nisi adsit charitas, maximè ex adversariorum sententia, tum quia non procedit argumentum ab uno disparatorum ad aliud; Nec sequeretur equum vel bovem non debere esse quadrupedem, eo quod homo qui est excellentior, bipes est. 2. Antecedens esse falsum; Nam si fides miraculorū absolutè esset excellentissima, excluderet omnes alios gradus fidei, hoc

est tam fidem formatam quam informem : prout numerus quaternarius non binarium tantum includit sed etiam ternarium, & anima rationalis non vegetantem modo, sed etiam sensitivam facultatem : Nec aulit dicere Jesuita excellentius esse montes transferre, quam peccatorum suorum molem verâ & salvificâ fide in Christum devolvere, & charitatis fructus ex illâ producere. Quare Apostolus fidem hanc quæ montes moveret ceu excellentissimam describit non comparatè ad fidem justificantem, sed comparatè ad fidem miraculorum quæ minoris esset efficaciz, nec tam insigne miraculum posset edere. At *Fides juxta Apostolum*, Augustino teste *lib. 15. de Trinit. cap. 18. sine charitate esse potest, prodesse non potest.* R. Augustinum disertè ibi loqui tam de fide miraculorum quam de ea quâ & demones credunt & contremiscunt; aliàs ipse *epist. 85.* docet quod fides sine spe & sine charitate esse nolit; & *lib. 83. quasi. q. 76. Iustificatus* (inquit) *per fidem quomodo potest nisi justè deinceps operari?*

Et *Iacobus 11, 20. Fides*) Hinc equidem sequitur non justificare eam fidem quæ sola fuerit & absque operibus, cum eo ipso non magis dici debeat fides quam homo mortuus homo censeretur, sed ex eo quod fides quæ sola fuerit non justificet malè colligi fidem solam non justificare supra à nobis est annotatum. Sed quoniam noster Tirinus *ad Lac. 11.* multum sibi plaudit in hoc loco, paucis ejus vestigia relegamus; Missis ijs qui nodum secare maluerunt quam solvere; epistolâ Iacobi ad libros Apocryphos rejectâ, agnoscimus velle eum disputare contra eos, quicumque illi fuerint, qui ex Pauli sententia, quâ statuebat fide nos justificari non operibus, perperam intellectâ, bonorum operum studium ceu inutile & superfluum negligebant; Agnoscimus quoque bonorum operum præsentiam & necessitatem variis argumentis Iacobum urgere; Sed negamus rationem conciliandi Iacobi cum Paulo esse quam profert Tirinus; videlicet Iacobum exigere ad justificationem *opera Legis Christiana facta ex fide & gratia Christi*; Paulum verò à justificatione removere *sola opera legis Mosaica & naturalis, facta viribus solius naturæ sine fide & gratia Christi; qualia exercebant Gentiles & iustabant Iudæi*; Nam Paulus opera nostra qualiacunque sint removet à justificatione, etiam ea quæ ex fide facta sunt; tum quia ipsiusmet Abrahami bona opera in statu gratiæ facta
Paulus

Paulus excludit ab ejus justificatione; tum quia bona opera quæ verè talia sunt, sequuntur justificatum, non præcedunt justificandum: Quid igitur? Vel Augustino teste in *Psal. 31. & lib. qq. 83. q. 76.* Jacobus in epistola sua vult corrigere eos, qui malè Paulum intelligendo *volebant bene operari, de solâ fide præsumentes.* Eos igitur ut arguat non vult docere alia esse opera quæ excluderet Paulus ab ijs ad quæ ex officio tenemur; sed ostendit tantum fidem illam quam tales jactarent & præsumerent, imaginariam, falsam, inanem & umbratilem fore, & planè alterius generis ab ea cui Paulus nostram tribuit justificationem, quæ viva est, vera, solida & efficax per charitatem; Id probant omnes textus Jacobi circumstantiæ; Nam eam intelligit fidem quam dicat aliquis se habere v. 14. & quæ in verbis duntaxat & professione externa consistat; ut si quis pauperi nudo & stipem petenti, bona det verba sed nihil subsidij v. 15. item quæ sit mortuâ v. 17. & quæ non sit demonstrabilis per bona opera v. 18. & quæ sit homini communis cum dæmone v. 19. Tali fide non justificatur homo; sed eâ demum quæ vera, quæ viva, quæ ex operibus demonstrabilis fuerit, qualis fuit Abrahami: Ipse Tirinus agnoscit fidem eam intelligi à Jacobo, *quæ vana sit, inanis, infructuosa possessori suo; item exsiccata, exsanguis, elumbis & fœda, instar cadaveris putrescentis;* quæ sanè elogia cum non ausint tribuere Adversarii fidei illi quam adhuc informem vocant, quandoquidem statuunt nos per illam saltem dispositivè justificari, debent ultrò agnoscere Jacobum loqui de inani nomine & merè externâ professione fidei, quæ instar nummi adulterini ostendet quidem summi Magistratus *improportionem* & insignia, sed cuprum habeat pro auro, vel stannum pro argento; ut non alij damnentur Jacobo, quam qui virtutem verba putant si cum Horatio loqui debeo. At inquires, ut se habet anima ad corpus, sic se habet charitas ad fidem versu 26. Ergo eam informat; Respondeo, Jacobum *πνιματος* nomine non intelligere animam, sed iudice etiam Vulgato interprete spiritum, id est spirationem, halitum, flatumque vitæ, quo cessante, cessat vita moriturque animal; prout etiam spiritus nomen sic usurpat Tertullianus *Apol. cap. 6. Ideo & oscula propinquis offerre necessitas erat, ut spiritus indicarentur.* Cajetanus sanè negat animam posse intelligi, & agnoscit Lorinus ad eum locum, quod possit

possit intelligi spiratio & halitus, ex quo animalis vitam colligimus: hinc fit quod ori hominis moribundi, aut de cujus morte dubitatur, apponimus speculum cognituri an superfit aliquis halitus, an ulla spiratio: Verba Cajetani non pigebit apponere; *Appellatione Spiritus non significatur anima, sed halitus seu flatus: Et aptè comparat opera flatus; Quemadmodum enim corpus animalis, si non spirat mortuum est; ita fides si non parit opus mortua est; Flatus siquidem est effectus corporis vivi, & similiter operatio est proprius effectus fidei viva; Unde apparet quo sensu superius dixerit, fidem sine operibus mortuam esse; non quod sentiat opera esse formam fidei, sed quod sentit opera esse concomitantia fidem, sicut halitus concomitatur vitam corporis.* Nec juvat hanc causam Grotij *comm. in 2. Jac.* imaginatio, quod quia *πνεῦμα* quandoque animam significat, ut *Luc. xxiii, 46. Act. vii, 59.* eam debeat hic retinere significationem; Nam mens Iacobi non est alia quam ostendere mortuam esse eam fidem quæ bonis operibus non demonstratur, prout mortuum est corpus in quo nulla superest spiratio index vitæ *Eccl. ii, 22.* At, inquit Tirinus, hæc fides de quâ Iacobus est vera fides, sicut cadaver est verum corpus. R. Cadaver esse quidem verum cadaver, sed non esse verum corpus ejusdem speciei & naturæ cum corpore vivente: Quare ut cadaver & corpus vivens juxta Philosophos totâ specie differunt, necesse est totâ quoque specie differre fidem mortuam & fidem vivam: Nec *σῶμα* hic præcisè sumi debet pro mole quantitativa & corporea, cujus partes sunt extra partes, sed potius pro homine vel pro animali, quod vivere intelligatur si adhuc respiceret, & si non, censeatur mortuum; ut hic illud Plautinum in *Persa* quadret, *Omne ego pro nihilo esse duco quod fuit quando fuit, tanquam hominem quando animam efflarit, quid eum quæras qui fuit;* Nam etiam *σῶμα* Græcis & corpus Latinis quandoque de homine dici observant eruditi ad *Apoc. xviii, 13.* de quo & nos olim aliquid monuimus *Antich. Revel. part. 2. cap. 14. n. 8.* At, inquit Tirinus, disertè operibus Abrahami & Rahab tribuitur eorum justificatio; R. Non esse eam Jacobi mentem quam illi affingunt Jesuitæ. *Com. 21.* Abraham dicitur justificatus fuisse operibus offerens Isaacum filium suum super altari; non quod *causastitè & meritorie*, ut pertendit Tirinus, illâ immolatione filii sui justificatus fuerit, sed quod fidei salutaris & justificantis, adeoque suæ per

per illam justificationis hoc addiderit testimonium: unde etiã hanc immolationem fide factam asserit Paulus Heb. x1, 17. Nam aliàs certum est quod jamdiu ante Abraham justus & justificatus erat coram Deo, non tantum *inchoativè*, ut fingit Tirinus, & justificatione primã, sed etiã *perfectivè* & justificatione secundã; quippe qui jam ante natum Isaacum in circumcissione acceperat signum & sigillum justitiæ fidei Rom. 1 v, 11. idque, Tirino *ibi ad rom. 10.* agnoscente, *multis annis post adeptam justitiam.* Fingere cum Tirino quod immolatione filij sui Abraham fuerit justificatus *perfectivè*, quia *de condigno promeritus est suis operibus majus incrementum justitiæ quam ante habuerat*, multa absurda involuet; Nam justificatio non cadit sub meritum, neque capax est incrementi aut decrementi magis quam adoptio; & debuerit Abraham eousque non nisi *inchoativè* esse justus ex suppositionibus Jesuitarum, & omni merito de condigno destitutus, quandoquidem, Tirino judice, *ad inchoationem justitiæ requirantur opera fidei, spei & pœnitentiæ tanquam necessaria dispositiones & merentur illam de congruo; ad perfectionem verò vel incrementum justitiæ etiam concurrunt ut propriè dicta causa & merentur illam de condigno, ut loquitur Tridentinum (sess. 6.) & fusè probat Bellarminus. (l. 4. de justif. cap. 18. & seqq.)* Ad has nempe incitas & angustias rediguntur adversarij dum volunt mordicùs tueri operum justificationem in Abrahamo. Non nescio plerosque hîc verbum *justificandi* sumere declarativè & ostensivè, quod oblatione filij sui ostenderit se verã & salvificã fide jam ante justificatum fuisse, quæ est quoque Doctissimorum Belgarum interpretatio; Sed tamen neque rejicienda est Piscatoris sententia, justificatum dici Abrahamum operibus, metonymicè pro fide verã & vivã quæ se ubi opus fuit exeruit per bona opera. Hinc additur à Jacobo versu 22. *ὅτι ἡ πίστις συνεργεῖ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις ἐτελειούθη.* Si fides cooperatur operibus, ergo opera non sunt forma fidei, ex qua sua illa actuatio & *ἐνέργεια* procedat: Non aliã igitur mens Apostoli, quam fidem illam quã justificabatur Abraham coram Deo, simul *ἐνεργειαν* suam exeruisse ad productionem bonorum operum, ex quibus ejus perfectio *innouit*; Nam sic 2 Cor. x1 1, 2. perfici dicitur virtus Dei in infirmitate, hoc est perfecta ostendi & demonstrari; ideo ibi verbum *τελειώται* Tirinus reddit *illustrius manifestatur*. Neque adderet Jacobus

ebus tunc completam fuisse Scripturam, Creditit Abraham Deo & hoc illi reputatum est ad justitiam, si aliud sibi vellet quam filii sui immolatione exeruisse solemne testimonium vivificæ illius fidei ex qua jam multo ante justificatus fuerat. De Rahab idem esto judicium; dicitur justificata ex operibus nuncios excipiens, id est justificata fide quæ per opus egregium se illicò manifestavit: Nam ab ea id factum fuisse per fidem testis est Apostolus Heb. XI, 31. Ex utroque hoc exemplo colligit Jacobus hominem justificari ex operibus, non ex fide tantum, id est justificari non ex inani illa fide, quæ ultra professionem externam fidei quæ creditur non pergit, sed fide salvificâ quæ veram suã *ἐνέργειαν* exerat & ostendat in bonis operibus; quod ostendit tandem hac ratione, fidem nempe, id est externam illam professionem fidei, mortuam esse & ineptam quæ justificet aut conferat quicquam ad salutem, si desint bona opera, ex quibus constet veram adesse fidem, non eam modo quæ creditur, sed eam qua creditur & Christus apprehenditur ut nobis factus à Deo sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio. Ita omnia cohærent in Apostoli ratiocinatione, & manet probatum quod volebat, non sufficere ad salutem externam professionem fidei; sed veram demum & salutarem esse eam fidem quam dato tempore & occasione opera sequantur.

Et nonne justitia facit nos) Justitia qua justificamur coram Deo cum sit ipsiusmet Christi justitia & satisfactio nobis imputata, efficit quidem ut censeamur legem implevisse, sive non amplius censeamur in legem impegisse, omnibus nostris offensis nobis gratuitò condonatis; sed non efficit ut ipsi plenè & perfectè totam legem impleamus, cum in multis impingamus omnes in hac miseriarum valle, & nemo sine crimine vivat: Ostendant nobis Adversarii eos justos inter se in quibus appareat totius legis impletio, & tunc poterunt gloriari se adeptos esse justitiam legis. Et cum tam disertè Scriptura passim justitiam fidei opponat legis justitiæ, ut præsertim Phil. III, 6. 7. 8. 9. & asserat Legi impossibile fuisse quod in carne esset infirma nos ad justitiam adducere Rom. VIIII, 3. & de Judæis justitarians moneat Apostolus Rom. IX, 31. 32. quod sectando legem justitiæ, legem tamen justitiæ non sunt assecuti, quia non ex fide sed quasi ex operibus, absit à nobis,

à nobis ut potius in virtutum nostrarum perfectione, quam in peccatorum nostrorum remissione, nostram justitiam apud Deum collochemus; Sed de Legis impletione à fidelibus dictum est ad *Cor. xiv, n. 16.* quò & faciunt Augustini verba *lib. 1. de grat. Christi cap. 48.* quibus quod de Zacharia & Elizabeth dicitur in Euangelio, dictum vult *secundum quandam inter homines conversationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum justè posset in accusationis & criminationis querelam vocare; Quam propterea in Dei conspectu Zacharias & ejus uxor habuisse referunt, quia in ea homines nulla dissimulatione fallabant, sed ut apparebant hominibus ita noti erant oculis Dei: Non autem dictum est hoc (inquit) secundum illam perfectionem justitia, in qua verè atque omninò immaculati perfectique vivemus; nam & Apostolus Paulus dixit secundum justitiam qua ex lege est se fuisse sine querela, in qua lege etiam Zacharias sine querela conversabatur; sed hanc Apostolus justitiam in stercorebus & detrimentis deputavit, &c.* Et cum justitia live potius justificatio fidelium in hac vita eos non præstet immunes ab omni peccato & iniquitate, quamvis sanctificationis illi adjunctæ beneficio, peccati inhabitantis virus & vires paulatim attenuantur quominus saltem regnet & dominetur ad libitum *Rom. vi, 12.* eò magis agnoscendum nos justificari fide, cum quâ illæ reliquæ imperfectionis quibus sumus obnoxij possunt consistere (licet hic non faciat uti ante visum locus *1. Cor. xii, 2.*) potius quam operibus; quia operum justitia debet esse ex asse perfecta & omni labe carere. Charitas est plenitudo legis subjectivè & inhærenter, si videlicet ipsa charitas omnibus numeris absoluta & nulla labe respersa fuerit, qualis nemini contingit in hac vita; sed fides est plenitudo legis imputativè & objectivè, quatenus Christi plenissimam satisfactionem Deo & legi præstitam pro nobis *Gal. iiii, 11. 12. 13. 14. 15.* nobis gratuitò imputatam in justitiam & remissionem peccatorum acceptat, apprehendit, conscientis nostris applicat, & in illa sola apud Deum acquiescit & confidit.

Rursus nunc justitiâ) Conformitas ad imaginem Christi, tres habet gradus; Primus est justificationis gratuitæ & adoptionis in ipso ex imputata nobis ipsius satisfactione in remissionem peccatorum eorum Deo; ut enim Christus nobis conformis quadammodo factus est cum

K k 2

apparuit

apparuit in similitudine carnis peccati Rom. VIII, 3, non quod in-
 hæsiuér fuerit peccator, sed quod cum illi peccata nostra essent impu-
 tata, inter iniquos fuerit reputatus, factus peccatum pro nobis & pro
 peccatore condemnatus; ita nos simus conformes Christo capiti no-
 stro, cum ipsius obedientia & satisfactio nobis imputatur ad justitiam
 & adoptionem ex illa in Dei filios, ut ipse sit primogenitus inter mul-
 tos fratres. Secundus est sanctificationis inchoatæ in hac vita, cujus
 penicillo paulatim restauratur in nobis imago Dei, de qua Eph. IV,
 24. Coloss. III, 10. Tertius erit consummatæ glorificationis in cælo,
 ubi erimus ipsi similes, quia ipsum videbimus sicuti est I. Joh. III, 2.
 Phil. III, 21. Atque huc potissimum spectat locus I. Cor. xv, 49.
 Præcedentia enim satis ostendunt hic agi de statu quem consequemur
 in resurrectione finali; nec habet Paulus *φορῶμεν πορτεμυς*, ut leg-
 git perperam V. V. sed *φορῶμεν πορταβιμυς*: iam vero quid absurdius
 quam confundere quæ extant in Scripturis tum de glorificatione con-
 summata in vita futura, tum de inchoata sanctificatione in præsentī,
 cum gratuita nostra justificatione & adoptione per Christum? Non ne-
 gamus illi sanctificationi studendum diligenter cujus perfectio erit
 in cælis, sed negamus illius sanctificationis inchoatæ justitiam eam
 esse quâ apud Deum consistere valeamus; odoratiore & perfectiore
 togâ opus est iis qui patris cœlestis benedictionem sunt consecuturi.
 Sed audiamus quo procedat acumen Jesuitæ. Fieri, inquit, debe-
 mus per justitiam conformes Christo; *Atqui fides in Christo nulla fuit;*
 Mitto quod disputetur inter ipsos Scholasticos, num Christo viatori
 fides ullo modo competierit; Nec quicquam facit ad abrogandam om-
 nem virtutem fidei Theologicæ Christo locus Joh. III, 11. Nam sive sit
 ibi *proverbialis loquutio sensè aliquid testantium, quam Christus sibi applicat*, ut
 vult Grotius, sive plurali voce utatur ut Patrem & Spiritum Sanctū se-
 cum connotet, ut statuit Cyrillus & Toletus ex ipso, sive potius desig-
 net, ut benè nostri Belgæ, se & Johannem Baptistam cui fidei habitum
 denegare nemo ausit, hæc visio non opponetur fidei; sed cum nihil
 aliud importet quam certitudinem doctrinæ, illius quam Christus &
 Johannes proponebant, opponetur tantum dubietati & incertitudini
cui obnoxia est doctrina eorum qui palpant in tenebris & sese temerè
ingerunt

ingerunt in ea quæ non viderunt Coloss. 11, 18. Agnosco quoque lumbens, quod licet Christo humanitatis respectu in mundo versanti sua fides, suaque spes, juxta quam in Deo semper confidit mediis in ærumnis & exitum læticem expectavit, tribui debeat, nec sit admittenda Chimæra Scholasticorum de Christo simul viatore & comprehensore, attamen illi non competat fides ea quæ nos justificamur in ejus sanguine; Sed quæ Theologia permittet ita ratiocinari homines; Debemus fieri conformes Christo per justitiam; Atqui fides in Christo nulla fuit; Ergo concludat Jesuita, nulla fides in nobis debet esse. Quod si aliquod robur sit in hac ratione, pari modo colliges, non esse nos filios Dei per adoptionem, quia Christus, cui conformes debemus esse, est filius Dei naturalis; nec remissionem peccatorum facere ad nostram justitiam, quia Christo, cui conformes debemus fieri, nulla peccata remissa sunt; Conformitas aliqua debet esse in re ipsa, ut sicut ipse justus est, nos quoque justii simus & pronunciemur apud Deum; sed non debet esse in modo rei; ipse enim per se justus est & pro tali habitus apud Deum, nos per ipsum, fide ipsius justitiam apprehendendo & nobis applicando; justitia quoque ejus inhærensiva fuit semper perfectissima, nostra verò in hac vita est tantum inchoata, ut illi confidere velle, esset quassata inniti arundini. In alio Tiriniano argumento, non plus est salis; Justitia inquit manet in sæculum sæculi Psal. CXI, Heb. est CXII, 3. At fides evacuatur cum morte 1 Cor. XIII, 10. Si quid insit nervi in hoc discursu, inde sequetur fidem ad justitiam nostram non pertinere, & frustra Paulum tam sæpè fidei justitiam inculcare. Sed 1. Psaltis locus videtur speciatim intelligendus de eleemosyna & beneficentia in pauperes, ut 2 Cor. IX, 10. Sic Minerva apud Homerum *Odys.* 1. Vlysses commonuit ut panes à procis peteret & colligeret, ita cogniturus qui justii, id est benefici forent, qui injustii. 2. Si generatim hanc justitiam velimus interpretari ex collatione ejus quod de viro bono hoc in Psalmo dicitur com. 3. & 9. cum eo quod de Deo dicitur iisdem ferè verbis Psalmo præced. vers. similiter 3. & 9. hinc duo sequentur; 1 Pios justitiz studio constanter & perseveranter inhærere; 11. Justitiz suæ vim, fructum, & præmium manurum in æternum. At quæ dicuntur de justitia inhæ-

tia inhærens, quæ est tantum inchoata in hac vita, non debent præjudicare justitiæ imputatæ, quandoquidem illa hanc necessariò præsupponit. Deinde etiam huic potissimum quam in hac vita per fidem apprehendimus competit manere in æternum, quia est irrevocabilis, & quia vi & merito illius gloria nostra futura est æterna; hunc enim fidei nostræ finem reportabimus, nempe salutem animarum I Pet. I, 9. Imò ipsa fides non tam evacuabitur post mortem quam perficietur & complebitur; prout pueritiam perficit adulta ætas, diluculi lucem ortus solis: Nec fidem evacuandam dicit Paulus loco Tironocitato I Cor. XIII, 10. sed charismata, quibus versu ultimo opponit, ceu majoris pretij, & necessitatis fidem, spem & charitatem: Unde Jrenæus lib. 4. contra hæreses cap. 25. Paulus inquit omnibus cæteris evacuatis manere fidem, spem, dilectionem: Et Tertullianus in libro de patientia circa finem; *Dilectio nunquam excidet; nam cætera evacuabuntur; consummabuntur; Exhaustiuntur lingua, scientia, prophetia; permanent fides, spes, charitas:* Et quamvis fides & spes non sint remanens in illo suo formali cujus respectu ad viam pertinent non ad patriam, remanebunt tamen, tum quoad suum principium, gratiam nempe habitualem, semen Dei & præsentiam Spiritus Sancti cujus templa sumus futuri in æternum, tum quoad suum effectum & præmium, quod etiam manebit in æternum.

Quando fides ad Gal. III, 11.) Quoties Scriptura justificationem nostram fidei tribuit, sic intelligitur illa fides quæ non sola est, sed viva & efficax per charitatem, ut tamen charitas sit nota, adjunctum & consequens necessarium fidei justificantis, non vero concausa justificationis & quæ socialiter cum fide concurrat ad justificationem: Sic in igne lux ea splendet non quæ sola est, sed quam comitatur fervor & calor; nec tamen calor socialiter concurrat cum splendore ignis ad lucendum; hoc enim non etiam caloris est, sed splendoris solius, quamvis ejus splendoris qui non est solus sed quem & calor comitatur; Etenim sola fides apta nata est ad apprehensionem imputatæ nobis justitiæ Christi & remissionis peccatorum in sanguine ipsius in qua fita est justificatio nostra coram Deo; & cum legis opera removeantur à justificatione ex fide, ab eadem debet removeri charitas quæ legis est comple-

complementum Rom. XIII, 10. Ad locum Luc. VIII, 50. non valet effugium sanitatem quidem corporis folius fidei esse, non vero salutem animæ; quandoquidem sanationes corporeæ à Christo præstitæ, typi fuerunt ordinis & modi quem servat in sanatione animarum; ac sicut nihil aliud requirebat ad sanationem corporis, quam fidem apprehendentem, recipientem & applicantem vim illam ἀλεξίκακον quam ex se exerebat ad morborum depulsionem, sic nihil aliud requirit ad animæ sanationem & remissionem peccatorum nisi vivam & veram fidem apprehendentem, recipientem & sibi applicantem efficaciam & vim illius satisfactionis quam præstitit loco nostro.

Num. 8. Sed **FORMALITER IUSTIFICAMUR** per infusam animæ **GRATIAM HABITUALEM**, quæ est spiritualis lux ac splendor, fugans omnes peccatorum tenebras, & nos Dei filios atque hæredes regni cœlestis constituens, & habiles ad omnia pietatis officia reddens, & ad esse quoddam divinum, imò ad consortium divinæ naturæ nos evehens, 2 Pet. I, 4 (suprà n. 4.) Hæc comites semper habet tres virtutes Theologicas, **FIDEM, SPEM, CHARITATEM**, (ut vidimus n. 7.) & insuper septem **DONA SPIRITUS SANCTI**, Es: XI, 2. & quatuor **VIRTUTES CARDINALES** & alias **MORALES INFUSAS**, quæ ideo subindè dicuntur nos iustificare, scilicet concomitanter, v. g. Hab: II, 4. *Iustus ex fide vivit: Rom: VIII, 24. Spe salvi facti sumus. Tob: XII, 9. Eleemosyna à morte liberat.*

CENSURA. *Sed formaliter iustificamur*) Ex iis quæ superiùs sunt disputata, satis liquet quam sit falsum hoc assertum Jesuitarum Christi cruci evacuandæ & Pharisaismo suo stabiliendo unicè destinatum. An quæso gratiæ habituali tribuetur formaliter remissio peccatorum, & nostri adoptio in Dei filios? Sanè gratiæ Dei per Christum utraque debetur; sed ei gratiæ quæ ejus favorem & benevolentiam notat & ad quam nos habemus objectivé non subjectivé; Nec gratia habitualis fugat & dissipat momento *omnes peccatorum tenebras*; quandoquidem multæ adhuc supersunt peccatorum reliquiæ in iis qui non sunt amplius *sub lege sed sub gratia*; deberentque semel gratiæ habitualis participes *in posterum* immunes esse ab omni peccato, cum nullum subsit amplius peccandi periculum, ubi omnes peccatorum tenebræ fugatæ sunt.

sunt. Quoniam autem placebat Tirino hac metaphorâ uti, debuisse signantius exprimere quomodo & quousque fugentur tenebræ peccati per gratiam; Sed sensit aquam hic sibi facile hæsuram; quare maluit intra terminos valde generales & ambiguos se continere, juxta illud, Dolosus in generalibus versatur. Aliàs non debuit pignus hæreditatis cœlestis & adoptionis arrha, quam in gratia habituali consequimur, transmutari in istius hæreditatis & adoptionis causam vel efficientem vel formalem. Neque debet in gratia hac formalis ratio justificationis constitui, eo quod per eam *habiles* utcumque reddamur ad pietatis officia & gradatim evehamur ad esse quoddam *divinum & consortium divine nature* 2 Pet. 1, 4. Nam consortium illud divinæ naturæ quod ex promissionibus Evangelicis consequimur, fructus est & effectus gratiæ nostræ justificationis per Christum, non causa illius formalis; Et cum nequidem ipsa qualiacunque pietatis officia quæ præstamus, in multis manca, mutila, debilia, justitia sint nostra coram Deo, qui multum illis rependet si iisdem condonare voluerit; multo minus dispositio & aptitudo qualiscunque ad illa per gratiam regenerationis, nostra vel justitia vel justificatio censerî debet.

Hac comites semper habet) Sed hæc multa absurda occurrunt observanda: Primo Tirinus supra *Cont. xv. n. 2.* gratiam habitualement in virtutibus hæc Theologicis & moralibus collocabat; nunc vero eas addit duntaxat comites gratiæ habituali, ita ut quid illa sit ab hoc suo comitatu præcisa, haud facile sit assequi. II. Si gratiæ habitualis semper comites sunt fides, spes, charitas, ceu triga charitum planè inseparabilis, non debent Pontificii affirmare fidem veram à charitate & bonis operibus separabilem esse. III. Ut in numero septenario donorum Spiritus Sancti exprimendo ex Es. xi, 2. plus fortè est superstitionis quam rationis, cum Esajas agat de Christo & Spiritus Sancti charismatis in ipso, non video cur hæc dona comitibus perpetuis gratiæ justificantis annumerentur, quandoquidem Christus, qui horum donorum particeps fuit, gratiâ tamen justificante non indiguit. IV. Si hæc dona septem de quibus Esajas sunt perpetui comites gratiæ habitualis, debent omnes fideles & justî ita instrui Spiritu Sapientiæ, Intellectus & Consilii, ut queant probare Spiritus & penetrare obscura Scriptu-

Scripturæ quod tamen vulgo fidelium & Christianorum nolunt Pontifici concedere. V. Perperam distinguit hic Tirinus septem hæc dona à virtutibus Cardinalibus, quandoquidem ipse ad *Es. xi, 2.* non putat ea cuius fideli in justificatione communicari, nisi *qua & quatenus cum virtutibus moribus sunt.* VI. Non video quæ Spiritus sapientiæ, scientiæ, intellectus &c. comes adjiciatur gratiæ habituali, cum ipsa hæc gratia sit Spiritus istius effectum & opus in nobis. VII. Si virtutes Theologicæ & morales non nisi *concomitanter*, quod sint gratiæ justificantis adjuncta, nos justificare dicuntur, non erunt ergo materia nostræ justitiæ coram Deo, nec in illis formaliter consistet nostra justificatio; quod tamen volunt adversarii. Denique falsum est Virtutibus Theologicis & moralibus in communi aut sigillatim tribui nostram justificationem in Scripturis: Cum é contrario sic fidei uni deputetur, ut quicquid est operum nostrorum ab ea removeatur: Ideo Jesuita sollicitè cavet ne ea proferret testimonia de fide quæ expressè illi nostram justificationem tribuunt; contentus dicto Habac. 11, 4. quod demum per consequentiam à Paulo indicatam Rom. 1, 17. Gal. 111, 11. ad justificationem spectat. Vita autè justii tribuitur ejus fidei non formaliter sed consequenter, quatenus justificatus fide vitam æternam certò consequitur. Spem quod attinet, nusquam illà justificari dicimur, & Rom. VI 11, 24. spei salus nostra tribuitur, non meritorie, nec efficienter, aut formaliter, sed solum objective, quatenus fide justificati spem certam concipimus salutis consequendæ, eamque salutem per patientiam expectamus, ut ibidem se explicat Apostolus. Tobie dictum de eleemosyna quod attinet, cum liber sit Apocryphus, parum ejus authoritate debemus moveri: Habet ille scriptor suos characteres tam expressos superstitionis & vanitatis Judaicæ, ut mirum non sit si ex Pharisaismo plus æquo tribuat eleemosynæ: Non approbasset Paulus omnia quæ iste personatus Angelus habet earum elogia, qui dicebat 1 Cor. x4 11, 2. nihil culpam profuturum, si charitatis vacuus omnia sua bona erogaverit in pauperes; Interea sic agnoscimus eleemosynis ex fide & sincera charitate factis in nomine Domini, suum esse repositum gratuitum præmium in cælis, ut negemus vel per eas nos justificari coram Deo, vel illas liberare à morte meritorie, efficienter & antecedenter; cum

nullum pretium possit offerre homo pro animæ suæ redemptione; Psal. XLIX, 8. 9. nec aliter possint dici à morte liberare quam consequenter, declarativè, ostensivè, quatenus sunt indicia & fructus veræ fidei, quâ gratis sumus justificati & translati à morte in vitam Joh. v, 24. Sed subsunt causæ culinæ Monachis cur tantopere Eleemosynas deprædicent, quas tetigit Marcus Antonius de Dominis in opusculo Italico, quod inscripsit *Scogli del Cristiano Naufragio, in seconda parte, sesto Scoglio.*

Num. 9. Ad hanc acquirendam necessaria DISPOSITIO prævia in adultis est sine dubio FIDES: Heb. XI, 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ioh. VIII, 24. *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Sed SOLA non sufficit, (ut vult Lutherus, Calvinus, & alii Sectarii:) nam requiritur insuper TIMOR divinæ justitiæ, Ps: CX, 10. *Initium sapientiæ timor Domini.* Eccli. I, 28. *Qui sine timore est, non poterit justificari:* Tertio, SPES veniæ, Rom. VIII, 24. *Spe salvi facti sumus.* Quarto, DILECTIO Dei, saltem quâ incipiat Deum ut fontem misericordiæ diligere, etsi necdum super omnia. Ioh. XIV, 23. *Qui diligit me, &c.* Quinto, PŒNITENTIA, id est, dolor & detestatio peccatorum, ut sunt offensæ Dei: Luc. XIII, 3. *Nisi penitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Sexto, PROPOSITUM suscipiendi Sacramenti BAPTISMI, si qui necdum baptizati sint, (Ioh: III, 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.*) vel Sacramenti PŒNITENTIÆ, Ioh. XX, 23. *Quorum remisieritis peccata, &c.* Septimò PROPOSITUM INCHOANDI NOVAM VITAM, seu non amplius peccandi, & mandata Dei complendi. Ezech. XVIII, 31. *Facite vobis cor novum, &c.* Accedunt & omnis generis bona opera, jejunium, oratio, eleemosyna, de quibus controv. 17.

CENSURA. *Ad hanc acquirendam*) Sive de justificatione ipsa, sive de gratiâ habituali quam justificantem formaliter asserit, intelligatur Tirinus, æquè absurdus fuerit. Qui enim dicatur prævia dispositio vel ad justificationem, vel ad gratiam habitualement, quâ formaliter volunt nos justificari, fides, spes, dilectio &c. quandoquidem gratia habitualis quam formaliter justificantem faciunt, ab illarum virtutum Theologicarum habitibus non sit distinguenda; & in N. præcedenti statuerit Tirinus has comites habere semper illam gratiam, ac insuper asseruerit illas nos justificare concomitanter? Sanè quæ virtutes gratiam formaliter justificantem semper comitantur, quæ ab ipsa fluunt

Avunt & producuntur, quæ concomitantè cum ipsa justificant, dici nequeunt præviæ dispositiones necessariæ ad illam gratiam justificantem & justificationem ex illa acquirendam: Nempe in has contradictionum symplegadas delabi oportet, qui relicta verbi divini & gratiæ cynosurâ volunt quo jure qua injuria suam constabilire justitiam. Fides verò non concurrat ad necessariam justificationem simpliciter per modum præviæ dispositionis, quasi ante credamus in Christum & ejus satisfactioni ceu nostræ firmiter innitatur, quam firmus justificati; sed per modum causæ instrumentalis imputatam nobis justitiam & satisfactionem Christi apprehendentis & acceptantis: Hinc est quod tam sæpè fide, ex fide, per fidem dicimur justificari coram Deo: Hinc fit etiam quod nemo possit placere Deo sine fide Heb. XI, 6. quia fidei est nos inserere Christo, in quo solo & ejus sanguine abluti, Deo grati & accepti sumus: Hinc dicuntur morituri in suis peccatis qui non crediderint Ioh: VIII, 24. quia sola fides in Christum consequitur remissionem peccatorum in illius sanguine.

Sed sola non sufficit) Quo sensu solam fidem hîc urgeamus sæpè dictûs Paucis expendamus quæ insuper requirit Tirinus: Timor Dei servilis ex metu pœnæ ac legis præconio præcedit justificationem & adoptionis gratiam; quare huc non facit; cum non sit activa dispositio ex parte nostræ, sed tantum passiva ex parte Dei, qui per legem terret conscientias quas deinde sanat per gratiâ Evangelij, ut lætentur ossa quæ contriverit Psal. LI, 10. Timor verò filialis & reverentialis ex amore virtutis, est effectum & consequens justificationis, non prævia ad illam dispositio, multo minus causa ejus vel materialis vel meritoria: Atque de hoc timore reverentiali & filiali loquitur Psal. Heb. CX I, 10. non quod initialiter tantum & inchoatè disponat ad sapientiam, sed quod veræ sapientiæ sit arx & summa; ut etiam insinuat Salomon Eccl. XII, 15. Ideo Bellarminus ad Psal. 111. initium sapientiæ timorem Dei statuit, non sanè quod initialiter tantum & inchoativè se habeat ad sapientiam, sed quia ejus est quasi caput. id est pars prima & potissima ut dici possit etiam tota sapientiæ: quare noster Junius benè vocem *timor* eo loci *Caput* interpretatus est. Quin Jobi XXVII, 28. timor Domini sapientiæ plenitudo dicitur; & sic ab eo incipit sapientia Prov. IX, 10. ut in eodem desinat,

desinat, prout circulus perfectus in eo puncto desinit à quo cœperat : Sed quis in ortu sanæ sic arguetur ; Timor Domini, id est, Numinis reverentia ac pietatis studium, principium & principatum tenet in sapientia, ergo dispositivè se habet cum fide ad gratiam habitualem & justificationem ? Quasi fides vel timor Dei aliunde quam ex gratia ejus saluari procedat in homine. Quod si Syracides dicat Eccl. 1, 27. φόβος κυρίου ἀποβείηται ἀμαρτήματα, id non debet intelligi de expulsiōne positiva, quasi inducat vel meritoricè vel dispositivè remissionem peccatorum, sed de negativâ, quod qui timet Deum peccatis non indulgeat, nec eorum sollicitationibus præbeat aurem : Sed ineptissimè profertur à Tirino comma sequens 28. nam habet textus Græcus *ὁ δυνήσεται θυμῶδης ἀνὴρ*, id est vir iracundus, *δικαιοῦνται* : Non potest censeri, dici & haberi justus homo iracundus, quia impedit ira animum ne possit cernere verum, & ira viri justitiam Dei non exequitur, inquit Iacobus 1, 20. Spei Christianæ objectum non est propriè venia & remissio peccati obtinenda ; (hanc enim fides in Christum certo admittit & amplectitur) sed promissionum earum quæ obijciuntur fidei ut veræ & certæ, futurum quoque certò complementum. Becanus 2. part. Theol. Schol. tom. 2. cap. 17. q. 2. putat actum sperandi qui versatur circa virtutes Theologicas propter propriam ipsarum honestatem, pertinere ad eam virtutem, non quâ speratur sed quæ speratur ; Quidni ergo pari ratione censeam, spem veniæ non pertinere ad virtutem spei, sed ad virtutem pœnitentiæ, adeoque frustra hoc uti argumento Tirinum, ut probet spem cum fide dispositivè & præviè concurrere ad gratiam justificantem. Spem illam quæ non confundit oriri ex fide & justificationem præsupponere, luculenter docemur Rom. v, 1. 2. 5. ut frustra sint qui eam volunt præviè ad justificationem consequendam disponere : nec Paulus Rom. VIII, 24. spei efficaciam aut merito salutem, nedum justificationem, voluit adscribere, sed tantum significare, salutis expectationem spe certâ niti suo tempore adimplendâ. Imo Tirinus *ad eum locum*, huic spei præponit justificationem non spem justificationi, his verbis ; *Spe sola salvi facti sumus*, (sane si concurrat ad id concomitanter cum fide, charitate & alijs virtutibus illâ sola salvi facti non sumus) *quando in justificatione adoptati sumus*
in filios

in filius & heredes Dei: Si tunc demum certa salutis spes affulsit, spes non præviè disposuit ad justificationem & adoptionem, sed ex justificatione & adoptione spes emerfit. Dilectio Dei ut ex fide nascitur, quod suo loco ostentum, sic justificationem non præcedit sed consequitur; Id patet in muliere peccatrice Luc. vi 1, 47. quæ ideo multum dilexit quod multa peccata ei condonata fuissent. Et hoc Christum, *sine dubio*, intendisse, *conformiter parabola præmissa* dum fatetur Tirinus ibi, & agnoscit id *ex antecedentibus ac sequentibus clarissime colligi*, satis ostendit quam ridiculè inde probare annitatur etiam dilectionem hanc remissionis tot peccatorum causam fuisse: Quæ enim dilectio nascebatur ex sensu gratuitæ remissionis tot peccatorum, illius causa reputari non potuit. Locus Ioh. xiv, 29. non est ita sumendus quasi homines Christum diligendo, amorem Dei præoccupent & mereantur, aut ad illum se disponant, cum non ipsi priores eum dilexerimus sed ipse nos prior dilexerit I Joh. iv, 10. Sed ita promittit Christus se diligentibus specialia quoque divinæ dilectionis testimonia, & singularem sui manifestationem quæ Apostolis contigit, Chryostomo & Theophylacto interpretibus, ad quos accedit Toletus, post Christi resurrectionem ex mortuis; Quare illud Pater meus *diliget eum*, non affectivè debet sumi, quasi tunc incipiat Patris amor, sed effectivè, quod Deus sit continuaturus suum amorem & favorem in tales, eumque singularibus quibusdam beneficiis contestaturus: Sed quid id ad mentem Tirini? Christum diligere seriò ejusque præcepta servare, est hominis in gratia constituti & justificati, non se ad gratiam & justificationem ita disponentis & præparantis. Pœnitentia ut sonat merum dolorem ex peccato per legis comminationes excitatū potest esse simpliciter prior fide & justificatione, non vero ut est illa *μετάνοια* de qua Christus Luc. xi 17, 3. quæ sic dolet ex peccato & luget admissa, ut habeat constans & serium propositum non ampliùs lugenda admittendi. Hoc namque sensu pœnitentia sive potius resipiscentia est veræ fidei ac justificationis per fidem adjunctum necessarium, eo sensu & modo quem fusiùs exposui *Syß. loco 13. th. 31. 32. & 33.* Loco hîc Tirino citato perituri dicuntur qui non resipuerint; non quod resipiscentia sit causa meritoria salutis, sed quod sit conditio sine qua non gratuita remissio peccatorum in Christo

non possit obtineri, & ipsum impœnitentiæ peccatum, sit causa meritoria damnationis. Circa propositum suscipiendi Baptismi I. eò nihil facit locus Johannis III, 5. tum quia si de baptismo externo ibi ageretur absoluta ipsiusmet Baptismi commendaretur necessitas, quam solum ejus suscipiendi propositum supplere non posset; tum quia non de baptismo externo, sed de regeneratione spiritali per henyadyn loquitur Christus, quod ea fiat Spiritu aqueo & aqua spiritali, prout Thales aquam statuebat principium generationis omnium, & aqua Latinis sic videtur dicta quasi à qua sine omnia; ita meminit Scriptura Matt. III, 11. baptismi peragendi Spiritu Sancto & igne, id est igneo Spiritu & igne spiritali. II. Propositum suscipiendi baptismi non potest censi prævia dispositio ad justificationem; Illud enim propositum debet esse in adulto à fide & gratiâ, & per consequens supponit ex gratia & fide justificationem coram Deo, cujus sigillum expetit sibi conferri ad fidei suæ declarationem & confirmationem, is qui ubi jam credit sibi firmiter proposuit ad sacrum regenerationis lavacrum quam primum poterit accedere. Quoad imaginarium pœnitentiæ Sacramentum illud non agnoscit Scriptura; Nec quicquam eo facit locus Joh. xx, 23. qui duntaxat concernit Pastoribus Ecclesiæ commissum reconciliationis Ministerium de quo 2 Cor. v, 18. Et cum juxta Pontificios Sacramentum pœnitentiæ pertineat tantum ad fideles lapsos in aliquod peccatum, sed qui jam ante justificati fuerint, non video qui possit propositum suscipiendi imaginarium hoc Sacramentum, haberi inter prævias dispositiones ad primam justificationem. Propositum vero inchoandi novam vitam, quod septimo loco hic ponit Tiranus propriè pertinet ad salutarem pœnitentiam, de qua dixerat quinto loco, nec præcedit justificandum, sed justificatum sequitur, uti patet ex historia Paralytici quæ extat Joh. v, 14. Ubi vel Tirino interprete, insinuat Christus peccata illi remissa esse unà cum paralyti, sed cavendum à recidiva. De loco Ezech. xv III, 31. diximus ad Cont. XIII, n. 5. Paruta sanè facit ad hoc nove vitæ propositum, quod eorum solum est quibus Deus jam indidit Spiritum novum, ablato corde lapideo & carneo in ejus locum substituto Ezech. xi, 19. non vero eorum quorum isto mandato suggillatur obstinata durities, & officium non vero potentia bene agendi describitur.

Acco-

Accedunt & omnis generis) Et nos ibi de istis speciaticim dicemus; Sed non capimus quonam accedant & hæc omnis generis bona opera. Si enim ad primas dispositiones necessarias ad acquirendam gratiam habitualem quâ formaliter justificemur, de quibus jam egit Tirinus, in his operibus non poterit materia nostræ justitiæ & causa vitæ æternæ meritoria constitui; tum quia meritum juxta Pontificos, ut suo loco videbimus, præsupponit gratiam, quare non est prævia dispositio ad illam acquirendam; tum quia mera dispositio prævia ad justitiam nequit esse justitiæ materia coram Deo & causa meritoria vitæ æternæ.

Num: 10. Sed hæc DISPOSITIONES non semper actu explicito distinguuntur, sed subinde aliz in alijs EMINENTER vel VIRTUTE continentur: Rom: XIII, 8. *Qui diligit proximum, legem implevit.* Nec omnes necessariæ sunt nisi iis, qui aliquod peccatum mortale commiserunt: nam qui solo originali peccato infectus esset, etsi adultus, non egeret PENITENTIA, sed huic sufficeret BAPTISMUS, vel votum Baptismi. Quum enim propriâ voluntate non se averterit à Deo, non debet etiam actu proprio illam voluntatem retractare.

In INFANTIBUS autem, cum usu rationis careant, nullus actus proprius, seu fidei (qualem illis dum baptizantur, instillari somniant Lutherus, Calvinus, & quidam alii Novatores,) seu alius prærequiritur, sed sufficit ipsis nudus Baptismus, quo renascuntur & sanctificantur, Joh. III, 3.

Objectiones. Marci ult. v. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur;* & Heb. XI, 6. *Accedentem ad Deum oportet credere,* &c. sermo est de solis adultis, ut docent adjuncta.

CENSURA. *Sed hæc Dispositiones*) Fides est causa instrumentalis justificationis; fidem vero comitantur & consequuntur Spes, Caritas, Resipiscencia, studium bonorum operum; sed ista dici nequeunt præviæ dispositiones ad justificationem; quæ cum sit *ἐκ τῶν πρὸς τὴν*, non se habet adinstar formæ alicujus substantialis aut accidentariæ, cui introducendæ variæ alterationes & præviæ dispositiones requiruntur. Neq; tantum eminenter quædam ex præteritis istis dispositionibus se mutuo continent, ut fides, spem & charitatem, quæ ab illa separari nequeunt, & charitas propositum novæ vitæ juxta locum Tirino citatum ex Rom. XIII, 8. sed etiam formaliter, ut resipiscencia, dolorem ex peccato, & emendationis propositum; *Licet Leo 2, in Bullæ Exur-*
ges,

ges, inter propositiones Lutheri à se damnatas hanc non omiserit, *Verissimum est proverbium, & omnium doctrinâ de contritionibus hucusque datâ præstantius, De cætero non facere, summa penitentia, nova vita: Quæ bulla extat ad calcem Directorij inquisitorum, inter litteras Apostolicas pro officio Sanctiss. Inquisit. p. 90. & 91.*

Nec omnes necessaria sunt) Distinctionem peccati in mortale & veniale suo loco refutavimus; Perperam quoque peccatum originale à mortali hîc distinguitur, cum illius quoque pœna & stipendium sit mors æterna in ijs quibus remissum non fuerit beneficio Christi. Planè quoque Pelagianum est fingere homines adultos qui (etiam ante gratiam acceptam) solo originali peccato infecti sint; cum vitia ex nativa illa labe pullulantia adolescant cum ipso homine, prout Israelitarum togæ in deserto unâ crescebant cum eorum corporibus: *Quare* disquirere quid requiratur ad justificationem hominis adulti nulla alia labe infecti quam originali, est hominum otiosorum subjectum sibi proponentium quod nusquam fuit & nunquam erit. Id etiam absurdissimum quod dum tali, solum baptismi Sacramentum non etiam pœnitentiæ necessarium dicitur, utrumque alijs ad justificationem necessarium statuitur; cum tamen secundum Pontificios Pœnitentiæ Sacramentum non nisi jam baptizatis ut secunda tabula in naufragio conveniat, & baptizatis pœnitentia non sit necessaria nisi pro peccatis post baptismum admissis, cum per baptismum omnia præcedentia inducta sint & quoad pœnam & quoad culpam: Ut homini justificando utrumque Sacramentum necessarium fingi nequeat à Tirino, quin in suorum placita palam impingat. Quod si hîc pœnitentiam non sacramentalem intellexerit, eadem ratione concesserit, pœnitentiam ad salutem maximè necessariam sacramentalem non esse. Sed urgeo amplius: Hæc pœnitentia quæ homini peccatori cum baptismo est necessaria, debet suos actus exerere vel ante baptismum vel post eum. At juxta Pontificios neutrum dici potest; Non posterius; quia sic baptismo eluuntur omnia peccata præcedentia, ut nullus supersit locus pœnitentiæ pro illis; Non prius; cum enim solus baptismus omnibus peccatis præcedentibus eluendis planè sufficiat, non est opus maceratione & pœnitentiâ propter illa; satis erit ad baptismum accessisse; nam fru-

stra

stra fit per plura quod æquè commodè potest fieri per pauciora ; & à puncto ad punctum recta linea est brevissima. Dum etiam Tirinus votum baptismi succenturiat baptismo, nobis suppeditat primò exceptionem contra Nisi illud Ioh. III, 5. quod tantopere urgent sui pro baptismi absoluta necessitate non præcepti tantum, sed etiam medij: Secundò nobis subministrat herculeum argumentum contra suam suorumque doctrinam, de tali necessitate baptismi ex qua infantes fœderatorum non baptizati subiiciantur æternæ pœnæ, si non sensus saltem damni: nam hic Pontificii inter se non consentiunt; Etenim si in adulto defectum supplere potest votum illius, quidni votû parentû fidelium eum defectum supplebit in suis infantibus, præmaturâ morte præceptis absque eo Sacramento citra suam culpam, & quos secundum ordinem in Ecclesia receptum optassent baptizari si potuisset fieri? An deterior in eo esset infantium quam adutorû conditio, ut quia baptismum nec petere nec vovere valuerunt, ejus privatio ipsis noceat citra suum contemptum, & sæpè absque ulla parentum suorum culpa, quæ tamen si qua foret, ipsis fraudi esse non posset? Denique id est ridiculum & falsum, peccatum originale non cadere sub pœnitentiam; quasi verò quilibet nostrum non debeat ex animo dolere de nativa sua corruptione, & quicquid inde distorsionis contraxit pro virili sua parte emendare. Quod si non eget pœnitentiâ qui solo peccato originali est infectus, propter rationem hic allatam à Iesuita, nempe quia actus voluntatis proprius non requiritur circa illud peccatum quod propria voluntate non est commissum, eadem de causa non egebit baptismò aut voto illius: Cur enim per actum propriæ voluntatis vel voueret baptismum, vel ad illud accederet, ob istius modi peccatum in quo propria voluntate non se averterit à Deo? Paulatim renudant Iesuitæ suum Pelagianismum, & tandem peccatum originale ac pædobaptismum ore rotundo negabunt: ut taceam quod & saltem subjectivè nostræ voluntates singulorum sint illâ leprâ infectæ, & omnes nostræ voluntates ita censentur in voluntate primi hominis quando peccavit, ut eo respectu nostrum sit & voluntarium peccatum originale.

In infantibus autem) Quomodo Deus agat in infantibus ad illos Christo inserendos, haud facilè est definire: Lutherus & qui eum sequuntur

tur actualem fidem deputant infantibus, qua in quaestione fufus est Brochmannus *cap. 2. de Fide, quest. 11.* Pontificii volunt habitum fidei infantibus infundi cum baptizantur, ipsos verò baptizari in fide parentum & Ecclesiae, ut docent Bellarminus *de Baptism. cap. 11.* & Becanus *Man. lib. 2. cap. 2. §. 15.* Non videntur nostri Theologi de re obscura & incerta idem statuere: Calvinus *lib. 4. Inst. cap. 16. §. 18. & 19.* nihil audet in eo temerè definire, quam prudentiam & modestiam laudat Witakerus *in Praelect. de Sacram. q. 4. cap. 5.* Beza *in Colloquio Mompelg. visus est affirmare parentù fidem imputari liberis ad justificationem: Idem statuit Perkinus Lib. 2. de casib. consc. cap. 10. q. 1. sect. 2. §. 4.* Nec abludit ab ea sententia Witakerus *V. S. cap. 6.* Polanus *Syntag. lib. 6. cap. 9.* fidem habitua- lem deputat infantibus: quæ videtur fuisse sententia Martyris, *in 1. Cor. 7.* Alii plerique semen duntaxat aliquod fidei tribuunt illis, quod maturiore ætate exit in actù, accedente foris institutione humana, intus ma- jore efficaciam Spiritus Sancti: Ita post alios Walæus *in L. C. de Baptis. paulò ante finem,* & Altingius *Probl. theol. p. 1. probl. 52.* Nos in hac dissentientium turba malleus *ἐπιχειρῶ*, & rem totam, utpote in Scripturis indeci- sam, Deo comittere: Sed tamen haud abs re erit si in hanc quaestio- nem delapsi nostrum de illa iudicium proferamus, & certa ab incertis segregemus. Primò itaque agnoscimus pro certo loca *Marc. xvī, 16.* & *Heb. xi, 6.* de adultis esse intelligenda, ut bene noster Tirinus mo- net hoc loco: nam in priori Christus de iis loquitur quibus jubet Euan- gelium annunciari; in secundo agit Paulus de eo qui velit accedere ad Deum; quod utrumque adultorum est. Secundò falluntur Anabaptistæ, qui putant infantibus non esse baptismum conferendum, eo quod non constat de eorum fide; Etenim non sunt baptizandi quod actu credant, sed quia ipsis non debet magis denegari sacramentum initiationis sub N. F. quam sub Veteri, quandoquidem manent eadem promissiones nobis & liberis nostris factæ, *Gen. xvīī, 7.* *Act. 11, 38. 39.* Tertiò errant Pontificii qui volunt in baptismo ex opere operato habitum fidei conferri infantibus. Cum enim nolint vel actum fidei instillari illis dum baptizantur, ut hic Tirinus loquitur, uel habitum fidei in illis præ- cedere baptismum, non video cur velint habitum fidei in baptismo in- stillari, tamdiu futurum otiosum, quamdiu infans ratione & institu-

tione

ione destitutus illo uti non poterit. Quartò nec tantú fuit dandum aut Anabaptistarum instantiæ aut præjudicatæ de Sacramentorum efficacia sententiæ, ut ideo fides actualis tribueretur infantibus; cum nulla in eos cadat notitia *El. VII, 16. Ion. IV, 11.* quæ tamen ad fidem requiritur, & hæc regulariter sit ex auditu *Rom x, 17.* cujus infantes nondum sunt capaces; ut verè dixerit Augustinus *Ep. 57. Scire divina parvulos qui nec humana adhuc norunt, si verbis velimus ostendere, vereor ne ipsis sensibus nostris facere videamur injuriam, quando id loquendo suadere studemus, ubi omnes vires officiumque sermonis superat evidentia veritatis.* Quæ proferuntur ex *Matt. XVII, 6. & Marc. IX, 42. & Luc. XVIII, 15.* huic postulato firmando non sufficiunt; Nam 1. Similis quidem videtur historia quæ extat *Luc. XVII, 15. & Matt. XVIII, 6.* non tamen est eadem, sic ut qui *τῶν δεικνύμενων* hîc dicuntur, isthîc *βεβήκον* appellari censeantur: videtur potius cum Matthæo conferendus Lucas *I x, 46. II.* Apud Euangelistas parvuli illi & minimi qui dicuntur credere in Christum & quos nemo impunè scandalizaverit, non sunt tales ætate, cum ejus ætatis pueri scandalizari nequeant, sed innocentiam, regeneratione & imitatione, *I. Cor. x I v, 20.* quod evidenter patet ex *Mar. x, 15.* Quintò quamvis nolimus potentiæ divinæ limites figere, ut negemus infantes qui habent à natura insitum peccati habitum & carnis principium, quod sese exerit ubi adolescunt, pariliter consequi speciali Dei beneficio Spiritum sanctificationis & habitum fidei, qui sese exerat cum ætate, quandoquidem in ipso Iohanne Baptista extraordinarios motus excitare potuit Spiritus Sanctus cum adhuc esset in matris utero, attamen ut habitus fidei qui solet infundi cum suo actu & per eum, ad multos annos ibi delitescat otiosus, parum conveniens videtur; estque alia ratio habituum naturalium & connatorum, ac adventitiorum qui extrinsecùs infunduntur; & quoad Iohannis Baptistæ factum ita de eo loquitur Augustinus *epist. 57. Nec quod factum est in Iohanne contemno, nec inde regulam quid sentiendum sit de parvulis figo; imo id in illo propterea mirabiliter prædico quia in aliis non invenio.* Qui attenderit ad argumenta eorum qui fidem habitualement propugnant in infantibus, aut semen fidei, deprehend et haud absimilia fere iis esse quibus alii fidem actualem adstruere conantur, & utraque sententia iisdem urgetur incommodis.

Nam fides est ex auditu, non solum quoad actum, sed etiam quoad habitum, & semen illius est Dei verbum: Et cum multi baptizentur, qui postea nullos actus fidei vel regenerationis eliciunt, non est credibile illos habitu eo donatos fuisse qui nunquam in actum esset exerendus. Imò cum multi in infantia baptizati aut circumcisi, ut V. G. Paulus, non illicò regenerentur actu & sanctificentur cum incipiunt adolescere, sed multos plerumque in annos se permittant totos carni & mundo, quis credat habitum aut semen fidei illis ab infantia datum fuisse ac tandem delituisse & otiosum remansisse? Sextò arbitramur posse quidem commodissimè statui in fide parentum infantes baptizari, non vero justificari parentum fide: Non justificantur parentum fide; quia justus ex sua fide vivet; Et cum multi parentes sint hypocritæ, quò possent eorum fides, quam non habent, suis liberis imputari? Iustificantur quidem quotquot fœderatorum infantes præmaturâ morte eripiuntur; verum justificantur tantum activè ex parte Dei, quatenus pro justis censentur in Christo cui modo nobis imperceptibili per Spiritum Sanctum conjunguntur; non vero justificantur passivè, aliquo actu fidei, quo satisfactionem Christi sibi applicent, & sibi annunciatam remissionem peccatorum admittant & recipiant; Et eo magis hoc in statu possunt justificari absque ullo suo actu, quod etiam tunc citra ullum suum actum sint peccatores. Baptizantur tamen in fide parentum; non quod hæc illis imputetur apud Deum, aut præstet in ipsis ad Sacramentum baptismi ritè percipiendum, quod in adultis propria sua præstat fides; sed quod à parentibus offerantur baptizandi ex ea fide quam habent Dei verbo, sibi & liberis suis factas esse promissiones & hos sanctos esse; adeoque admittendos ad Sacramentum initiale fœderis, non minùs sub N. F. quam sub Veteri; eò magis quod Christus & infantes sibi oblatos admiserit, & illis cum manuum impositione solemniter benedixerit. Atque illud est quod dicit Author *Respons. ad Orthod.* qui falsò Iustinus Martyr statuitur, q. 56. obvenire infantibus bona quæ ex baptismo proveniunt, τῆ πιστι καὶ προσφίροντων αὐτῶ καὶ βαπτισματι. Ita Augustinus *serm. 10. de verbis Apostoli: Accommodat mater Ecclesia infantibus aliorum pedes ut veniant, cor ut credant, linguam ut con ficeantur: Quin serm. 14. eos dicit credere fide parentum; unde*

unde colligit, quod si fide parentum purgentur, peccato parentum polluti sunt. Sic Bernardus *epist.* 77. ait, dignum esse & ad Dei spectare benignitatem, ut quibus fidem etas denegat propriam, gratiam prodesse concedat alienam. Hoc respectu etiam fidelibus, fidelium infantes annumerantur ab Augustino, non propter actum, vel habitum, vel semen fidei, sed quia credere infans est baptizari, *lib. 1. de peccat. merit. & rem. cap. 27.* eo quod baptismus sit fidei Sacramentum, & oblatus baptizandi vi fœderis à parentibus fidelibus (unde infidelium infantes baptizari non possunt) per alios credunt sicut per alios peccatum contraxerunt, *epist.* 23. Quid ergo prodest ipsis baptismus? Hoc sanè quod ex parte Dei isto sigillo suo muniantur ἀπὸ θεοῦ, & publicè fœderatis atque redemptis sanguine Christi accenseantur: Et quamvis tunc nondum sentiant quid sibi fiat, ut nec infans qui in cunis coronatur, nihilque habeant per quod ex parte sui materialem istam obsignationem, formaliter percipiant, tamen si pertinuerint ad electionem Dei, id intelligent postea, & multiplices consolationis fructus percipient ex illo suo baptismo, reflectendo ad eum: Ac sane illud est quod statuit Augustinus *lib. 4. de Baptis. cap. 24.* In baptizatis infantibus precedit regenerationis Sacramentum, & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur in corde conversio cujus mysterium processit in corpore. Ita & Calvinus *Inst. lib. 4. cap. 16. §. 23.* statuit quod sicut infantes olim quo circumcidebantur momento quid sibi vellet signum illud intelligentia non comprehendebant, verè tamen circumcidebantur in natura sua corrupta ac contaminata mortificationem, ita nunc baptizentur in futuram penitentiam & fidem: Atque huc potest applicari quod Petro dicebat Christus *Ioh. XIII, 7.* Quod ego facio tu nescis nunc, cognosces autem postea. Et quidem ita sentio de infantibus & eorum baptismo ac justificatione; At hîc noster Tirinus triplici nomine venit notandus; I. Perperam Calvino tribuit quod statuat actum fidei instillari infantibus dum baptizantur; cum disertè Calvinus V. S. neget infantibus convenire fidem & pœnitentiam, & nihil ad summū illis tribuat quam *arcana Spiritus operatione miriusque semen* in ipsis latens; ex hypothese proculdubio Augustini *epist.* 57. Dicimus in baptizatis parvulis quamvis id nesciant habitare Spiritum Sanctum. Nec Calvinus aut quilibet nostrum existimavit unquam instillari fidem in baptismo; cum in adultis prærequiratur eo-

rum fides ut possint cum fructu baptizari. II. A suorum principiis abie Iesuita, cum nihil aliud statuit requiri ad justificationem infantium, præter solum baptismum: Cum enim juxta suos per hoc sacramentum infundatur infantibus gratia justificans & habitus fidei, spei & charitatis, per quos formaliter justi sint, non potest censeri solus baptismus ipsis sufficere. III. Frustra ad baptismum trahit locum Ioh. 111, 3. qui est de regeneratione spiritali: per baptismum infantes renascuntur & sanctificantur sacramentaliter, sed spiritaliter per sanguinem Christi & operationem Spiritus Sancti, quæ qualis non sit facilius est dicere, quam definire qualis sit.

NUM: II. Non **QUA CUM QUE** quis **VULT** (ut somniant Politici ac Libertini,) sed unicâ **FIDE IN CHRISTUM**, posse justitiam ac salutem acquiri, docet S. Paulus Eph. 1 v, 5. *Vnus dominus, una fides, unum baptisma.* & S. Petrus Act. 1 v, 12. *Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: Sed nec sufficere (ut iidem contendunt,) quod quis credat in CHRISTUM, sed insuper credenda reliqua omnia, quæ Christus in salutem nostram instituit, & per Ecclesiam credenda proponit; patet,*

Primò quia objectum fidei est aggregatio omnium revelatorum à Deo, Heb. x 1, 1. Vnde si vel unum credere detrectes, æquè injurius es in primam & summam veritatem, atque si centum. Sicut Iac. 1 1, 10. *Quicumque totam legem servaveris, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Injurius es etiam in Christum, qui nobis datus est à Patre non solum redemptor, sed & doctor & legislator & princeps. Matth. xv 11, 5. *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Ec. xxx 11, 22. *Dominus iudex noster, Dominus legislator noster, ipse salvabit nos.* Injurius denique es in Ecclesiam Dei, columnam & firmamentum veritatis 1. Tim. 111, 15. & sponsam Christi.

Secundò, quia saltem media ad salutem necessaria debent cognosci omnia & credi, v. g. Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ; &c. Debet ab oviculis cognosci & agnosci pastor ovilis Christi, ejusque Vicarius in terris. Ioh. x, 14. *Cognoscunt me meæ oves.* & cap. xx 1, 15. & 17. dicit Simoni Petro, ejusque successori, *Pasce oves meas, pasce agnos meos.*

Tertio, quia veritas non potest esse nisi una, sicut magister veritatis Spiritus Sanctus (Ioh. xv 1, 13. *Ille docebit vos omnem veritatem.*) non est nisi unus. Et quomodo essent alioquin hæreses in Ecclesiâ Christi? juxta illud 1. Cor. x 1, 19. *Nam oportet & hæreses esse.* Si enim libera sunt omnia, non est cur quis hæresis accusetur. Quo jure S. Paulus 1. Tim. 1 v, 3. hæreticis accenset eos qui *prohibent*

beat habere, vel jubent à certis cibis, quali immundis abstinere? Cur 2. Tim. 1. 11, 17. *Hymeneum & Philetum* damnat non aliam ob causam, quam quod dicerent resurrectionem esse iam factam? Cur 1. Ioh. 1v, 3. qui duplicem in Christo personam fingit, Antichristus vocatur, si non aliud credendum, quam Christum pro nobis mortuum fuisse?

Objectiones solvi Rom. x, 11. *Omnis qui credit in illum non confundetur*; & Heb. xi, 6. *Credere oportet quia Deus est, & remunerator sit.*

CENSURA. *Non quacumque quis vult*) Plausibile hoc non Libertinorum & Familistarum modo ac Rhetorianorū apud Augustinum, sed Mahumetanorum & quandoque Iudæorum dogma, quemque in sua religione seruari, revera debet esse eorum hominum qui nullo religionis & Numinis sensu ducuntur. Si enim nolint homines famulorum suorum admittere ministerium alio modo & ordine quam ipsi præscripserint, multo minùs credendus est Deus delectari cultu ab homuncionibus præter & contra verbum suum excogitato: Et divinitatem Scripturarum oportet eos negare, quam alibi asseruimus, quibus generalis hæc sacrorum à *διαπορία* arrideat. Hæ enim disertè testantur frustra Deum coli præceptis & institutis humanis Matt. xv, 9. Ibi modum posuit religioni, & certos denique fines, quos *ultra citraque nequis consistere rectum*. Quin admittimus & exosculamur ceu certum & verum axioma hoc Tirinianum, quod nonnisi in Christo & per Christum, salutarique ejus cognitione & fide, vita æterna possit obtineri: tum propter loca hîc Tirino citata, maximè Act. 1v, 12. tum quia ipse de se testatur quod sit ostium Ioh. x, 7. & via veritas & vita Ioh. xiv, 6. ut non sit quo eas nisi ad ipsum, nec qua eas nisi per ipsum: Ac sine fide impossibile esse placere Deo, testatur Apostolus Heb. xi, 6. adeo ut peccatum sit quicquid sit sine fide Rom. xv, 23. fide inquam illa quæ est ex auditu verbi divini Rom. x, 17. Unde Prosper *de vocatione gent. lib. 1. cap. 3. Sine cultu Dei quod virtus videtur, peccatum est*: Hanc fidem in Christum quæ suspenditur ex verbi divini revelatione, qualis extat in Scripturis, statuimus necessariam fuisse ad salutem non minus sub V. T. pro mensura revelationis divinæ tunc factæ Patriarchis & populo Iudaico Psal. cxlvii, 19. 20. quam sub Novo, ne Sociniani aliquid hic de V. F. possint cavillari: Eò pertinet quod legitur Ioh. viii, 56. A&.

Act. xv, 11. 1. Cor. x, 3. 4. Heb. xiii, 8. Apoc. xiii, 8. In hanc autem veritatem, quam etiam Baronius Annalium suorum *Apparatus* N. 1. ceu basim omnis legitimæ narrationis de rebus Ecclesiasticis substernit, multi sunt qui impingunt: Mitto quod Casaubonus monuit *Exercit. 1. ad app. 9. 1.* de pluribus ex Patribus Græcis, qui liberaliùs hac in parte de Ethnicorum & Philosophorum salute lumine rationis loquuti sunt: ut Iustinus, Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, Iobius apud Photium, Euthymius; Et cum ideo Heribertus Rosweidus & Andræas Eudæmon-Iohannes Iesuitæ Casaubonum allatrassent, Vindicias pro illo scripsit adversus utrumque & Iulium Cæsarem Bulengerum, Iacobus Cappellus Theologus Sedanensis vir suo tempore Doctissimus; qui etiam illarum suarum *vindiciarum lib. 1. cap. 1.* Zuinglium liberat ab ordinariâ Pontificiorum & Lutheranorum calumnia, quasi Ethnicorum heroibus Herculi, Theseo, Aristidi &c. absque fide in Christum salutem promiserit, *in præfat. ad Franc. I. Regem Gallia sua Confess. præfixa.* Cum enim Zuinglius post varios ex illis Abeli & Enocho annumeratos, subiiciat, *Et quotquot in fide hinc migrarunt*, non tam erravit in quæstione juris, Cappello iudice, quam in quæstione facti; quod sibi persuaderet Herculem, Theseum &c. non minus vera fide quam heroica virtute fuisse præditos, ut factum in Gedeone, Samstone, Davide, Iephtha & aliis. Sed in illam veritatem arietant, adeoque Tirini censurâ notantur, multi Pontificiæ communionis homines, qui salutem Ethnicorum absque Christi notitia & fide ausi sunt propugnare; ut Abulensis, Durandus, Capreolus, Andradius, Vives, Erasmus, Vega, Cassalius, Tannetus, imo, si sibi constet, Bellarminus ipse *lib. 1. de Christo cap. 3.* Quin Agrippa *de Vanit. scient. cap. 54.* & Balæus *cent. 14.* ex ipso referunt quondam Colonienfes Theologos librum edidisse *de salute Aristotelis*, & Bernardus *Epist. 190.* suo tempore querebatur, quod nonnulli dum multum sudarent, quomodo Platonem facerent Christianum, se Ethnicos esse probarent. Ad hæc præter Libertinos, Fanaticos, David-Iorristas & similes qui honestâ & civili conversatione contenti, quamlibet religionem censent indifferentem, Remonstrantes nunc palam defendunt posse à Gentilibus salutem obtineri absque ulla cognitione Christi; quod ore aperto propugnat Curcellæus in bello

bello Gallicé edito Amstelodami, sub hoc titulo *Aduù d'un personnage desintereffé &c. cap. 13.* cujus argumenta breviter expendere operæ pretium est. Objicit itaque I. Solos profanos contemptores Euangelii in gehennam esse coniiciendos; quod de bonis Ethnicis qui juxta legem naturæ vixerunt dici nequeat: quibus per consequens, si vitæ æternæ coronam sibi non promissam non reportent, saltem locus tertius extra paradysum & infernum debeatur. R. *Non est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo qui non est cum Christo*, inquit Augustinus *de pecc. merit. & rem. lib. 1. cap. 28.* In die iudicii duo erunt tantum ordines omnium vivorum & mortuorum, quorum illi ad vitam admittentur qui fuerint à dextris, ad ignem æternum mittentur qui à sinistris. Bonos sibi fingere Ethnicos qui nullo peccato sint meriti mortem & maledictionem æternam, est hominum parû in Scripturis versatorum. Tot loca sunt Scripturæ quæ indicant solis credentibus in Christum promitti vitam æternam, ut ad alios hanc promissionem nemo queat extendere quin evertat Euangelium. Gehennam destinari *solis profanis contemptoribus Euangelii* falsum est; nam teste Paulo Rom. 11, 12. Quicumque sine lege peccaverint, sine lege peribunt, & quicumque in lege peccaverint per legem damnabuntur: Incredulitas privativa, ut est vitium fidei oppositum, eorum qui rejiciunt sibi annunciatum Euangelium, intendit ipsorum reatum, Luc. xii, 47. sed incredulitas negativa quæ mera est carentia fidei necessariæ ad salutem, eorû qui nihil de Christo audiverunt, index est ipsos sub ira Dei & legis maledictione relinqui Ioh. i i i, 18. 36. Obj: II. Servatos fuisse sanctos sub V. T. absque fide Iesu Christi. R. Et eos qui præcesserunt & eos qui sequuti sunt ei acclamasse Hofanna, prout supra Scripturæ testimonia protulimus huc disertè facientia; adde Ioh. xiv, 1. xvii, 3. Equidem eorum quorum fides sub V. T. laudatur toto cap. xi, Heb. nonnulli videntur in actibus suæ fidei ad specialia quædam imo temporalia respexisse; verum hæc fuerunt effectus & *τιμήρια* fidei illius justificantis & saluificæ, quæ promissiones salutis in Messia obventuræ, cæteræque illis innixæ, pro mensura revelationis divinæ amplectebantur: Veteres enim illos non fuisse servatos fide in Messiam venturum, dum negat Curcellæus, eos necessarió privat salute quam solis credentibus in Christum promissam agnoscit. Obj. III. Locum Rom.

11, 7. R. Sic talibus promittitur vita æterna, sive Iudæi, sive Gentiles fuerint, ut tamen non dicatur vel tales revera posse legaliter dari, contra quam ipse Paulus docet Rom. III, 10. 11. 12. vel posse tales Evangelicè reperiri absque Christi notitia & fide. *Absit ut sit in aliquo vera virtus nisi fuerit justus; absit autem ut sit justus vere nisi vivat ex fide; justus enim ex fide vivit; Quis porro eorum qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam tu solus, justum dixerit impium, justum dixeris diabolo mancipatum?* inquit *Augustinus lib. 4. in Jul. cap. 3.* Obij, IV. Locum Rom. 1, 19. 20. R. Sufficenter Deus se manifestavit etiam Ethnicis per opera creationis ad eorum in excusabilitatem, ut non potuerint ignorantia causam prætexere, non tamen sufficienter ad salutem. Obij, V. Iustinum, Clementem Alexandrinum, Chrysostomum, ipsum Zuinglium. R. De istis jam diximus, hunc in quæstione facti errasse, illos in quæstione juris; Quanquam & illos licet aliquando hyperbolicè loquutos, attamen Ethnicis salutem non indulgisse absque aliqua de Christo notitia & fide in Christum, conatur ostendere Ioh. Prideaux, *Lect. Oxon. octava.* Et paucis illis Græcis securiùs philosophantibus de Ethnicis aut Pelagium exortum, possent opponi contrarium statuentes multi alii Græci, ut Irenæus *lib. 3. cap. 21.* Origenes *in 6. Iobi:* Athanasius *in Symb.* ipsimet Iustinus, Clemens, Chrysostomus ad se subinde reversi, & omnes Latini. Obij, VI. Locum Rom. 11, 4. R. Cum ipse Curcellæus agnoscat, Gentiles ex operibus Creationis & Providentiæ non sufficienter edoceri ad salutem eam quæ est in Iesu Christo, deberet pari ratione agnoscere, beneficiis quidem divinis & pœnarû dilatione admoneri peccatores officij sui, sed eos nihil aliud quam obsurdescere ad eam vocem, instar eorum qui Cataractas Nili accolunt, earumque strepitum non percipiunt. Obij, VII. Deum bene utenti lumine naturæ, & facienti quod in se est, amplio rem gratiam additurum, ut factum in Cornelio. R. De Cornelio antea dictum, ipsum non ex natura, sed ex gratia præstitisse ea quæ laudantur in Scripturis. Et cum propter innatam cuique vitiositatem, nemo sit qui bene utatur aut possit uti residuo illo lumine naturæ, adeo ut si homo in illo statu fecerit quod in se est, nihil nisi malè fecerit, illud ipsum Jesuiticum axioma, *Faciendi quod in se est*, perperam ab Arminianis adoptatum, pudenciores Jesuitæ restringere coguntur ad opera gratiæ præve-

prevenientis, ut aliàs ostendimus. Ut autem parùm scilicet insolentè hanc thesim Cuxcellæus, vir aliàs eloquens & doctus, propugnat καλα-
 οκυνας ημε, sic parum solidè agit ubi ἀρασυνας ημε; conatur Molinai
 argumenta evertere. Ad loca Ioh: III, 16. & XVII, 3. & multa alia
 quæ requirunt fidem & cognitionem Iesu Christi ad salutem conse-
 quendam, respondet hinc tantum sequi religionem Christianam esse
 unicam viam ordinariam salutis, sed inde non colligi Deum non posse
 extraordinariè salutem conferre iis qui sanctè vixerint iuxta legem na-
 turæ, et si Christus illis annunciatus non fuerit. Verum fingere ho-
 mines qui absque fide in Christum sanctè vivant, est perabsurdum: Et
 cum normam Scripturæ habeamus de unica via salutis per nomen Chri-
 sti, alteram absque Scriptura extraordinariam fingere, planè nefas
 est. Non sunt quidem illi increduli privativè, quibus nihil annun-
 ciatum est de Christo; adeoque propter incredulitatem non veniunt
 plectendi; sed cum sint increduli negativè & destituti eâ fide, quæ
 si ad effectum emergerent ex condemnatione, & absque qua erui inde ne-
 queunt, necesse est ut in illa miseria maneat & pereant. Quod si
 fas est Remonstrantibus fingere sibi præter fidem in Christum ex usu
 Scripturæ, aliquam extraordinariam viam salutis absque Christo & ejus
 noticia, cur aliis non licebit etiam extraordinariam comminisci salutis
 viam pro dæmonibus & scelestissimis mortalium? Ad locum Heb.
 xi, 6. in quo agitur de ea fide quæ sit subsistentia rerum speratarum &
 demonstratio earum quæ non videntur, respondet opera naturæ qua-
 lia commemorantur etiam Paulo Act: xiv, 17. non sufficere ad salu-
 tem, sed additis exemplis Providentiæ divinæ in malorum punitione
 & remuneratione bonorum, inde fidem exurgere talis punitionis & re-
 munerationis, cui Paulina definitio conveniat absque Christi noticia.
 Sed cum ipso fatente opera naturæ sint insufficientia ad id, nescio quâ
 ratione Providentiæ ordinariæ cursum ab illis velit distinguere: & Afa-
 phi exemplo Psal: LXXIII. per totum constat ex illis quæ in hoc mundo
 eveniunt bonis & malis, potius desperationem nasci probis quam fidem,
 donec veniant in Sanctuaria Dei, ut ibid. loquitur com. 17. & ex Dei
 oraculis de malorum fine & exitu edocentur. Nec possunt ex usu
 Scripturæ res speratæ & quæ non videntur, quas vera fides debet amplecti,

plecti, referri aliò quam ad salutem quæ est in Christo, cujus promissiones non aliunde quam ex Dei verbo habentur Rom: x, 14. 15. 16. 17. Denique quò se extricet, distinguit fidem in Deum & fidem in Christum, ut illam faciat absolutè necessariam ad salutem, hanc nonnisi ex revelatione divina. Sed id frustra; quia Christus fidem in Deum & in se ex asse exigit Ioh; xiv, 1. nec fides in Deum ex operibus naturæ uti fingit potest haberi, sed ex revelatione gratiæ: Veteris Testamenti fideles, habuerunt fidem in Christum pro mensura revelationis sibi factæ; nequidem Ninivitis, quorù Curcellæus urget exemplum, (si eorum resipiscentia non fuit merè *προκαίριος*) exceptis, qui tantum fidei habuerunt Deo, & tantum fiduciæ de ipsius misericordia conceperunt, (adeoque saltem implicitè in Redemptorem crediderunt, cujus solius merito peccatores misericordiam consequuntur,) quantum Deus ipsis ministerio Ionæ revelabat. Sed crudo hoc & achristiano paradoxo misso, dum illud meritò respuit Tirinus, evertit quæ *astrea præsertim in Contr. Super.* disputaverat de bonis operibus infidelium; Etenim ut nemo absque fide in Christum saluari potest, ita nemo quicquam salutare absque ea potest facere. Sed & vitiosè conjungit Libertinis *Politicos* in hoc dogmate; quo nomine damnantur à Jesuitis moderatores illi, etiam in Papatu, qui non omnia Papistica dogmata probant, & honestiùs sentiunt de Protestantibus ac Reformatis eorumque salute quam vellent Loyolitæ. Etenim si Becano fides *Manual. lib. 5.* qui est *de Controversiis Politicorum cap. 1.* Politici non promittunt salutem cuius in sua religione absque fide in Christum, sed duntaxat statuunt quoslibet saluari posse in sua fide vel *modò credant in Christum* Ioh: iii, 15. vel *modò credant duodecim articulos qui symbolo Apostolorum comprehensi sunt*; quod cum isto Libertinorum errore, quo nequidem fides in Christum ad salutem requiritur, consentire dici nequit.

Sed nec sufficere. Sunt Pontificii valdè liberales in damnandis & Tartaro devovendis quotquot secum in singulis non sentiunt; cui temeritati olim opposuimus nostrum tractatum qui in scriptus est *Salus Reformatorum asserta*; ex quo repeti possunt argumenta quæ conficiunt sufficientissimè apud Protestantes & Reformatos tradi omnia dogmata fidei Christianæ ad salutem necessaria, sic ut conscientiæ suæ salutis studiose

studiosæ plenè habeant apud nos in quo acquiescant. Interea concesserim lubens Tirino non sufficere ad salutem credere in genere Christum pro peccatis nostris esse mortuum, cum hæretici plerique id generaliter profiteantur, qui tamen vel ejus personæ veritatem impugnant, vel ejus officio detrahunt, vel ejus gratiam & beneficia eleuant, ut sit hodie (ne veteres hærefes hîc refodiam) à Socinianis & Pontificiis, quorum illi apertè divinitatem Christi & ejus satisfactionem impugnant, hi aliud commiscuntur caput Ecclesiæ quam ipsum, alia merita quam illius, aliud purgatorium quam ipsius sanguinem, aliud sacrificium propitiatorium quam ejus crucem, & satis palam ejus humanitatem suâ Transsubstantiatione evertunt; ut nihil dicam de multiplici idololatria quam fovent & exercent, circa Sanctos, B. Virginem, Jmagines, Cruces, Eucharistiam, Papam ipsum &c. cum tamen disertè testetur Scriptura Idololatrias non possessuros regnum cœlorum, 1. Cor. VI, 9. De personis non dicimus; novit Deus qui sui sint; & multifariam posse fieri ut salventur etiam nonnulli in communione externa Ecclesiæ Rom. illi præsertim qui *τὰ βιβλῆ τῆς σαλαῤῥᾶ* non noverunt, & qui quantum potis est ipsis, rejectis hominum inventis & traditionum quilibet, reliquias duntaxat Christianismi sectantur, uti factum à patribus nostris ante tempora Reformationis, qui in captivitate Babylonicâ degentes contenti fuerunt secessione negativa ab ejus fornicatione & erroribus, ostendimus *Salut. Ref. assertæ cap. 8.* Satis nobis est dicere de doctrina publicè recepta; quam in Papatu ita corruptam statuimus, tum additione tum subtractione, ut non modo non possit sufficere ad salutem, sed revera sit saluti exitiosa & fugienda ac præcavenda omni Christiano, quem salutis suæ studium & cura tenet. Si quis tamen dixerit sufficere nobis ad salutem Christum eumque crucifixum, quandoquidem Paulus eo contentus erat 1. Cor. II, 2. modo is intelligatur, qui, qualis & quomodo in Scripturis nobis proponitur, se sibi contradicentem non habebit; nam ut nihil scit qui Christum nescit etsi cætera sciat, sic qui scit Christum omnia scit etsi cætera nesciat.

Sed insuper credenda) Omnia quæ Deus nobis revelavit ad salutem sunt credenda, tum *implicitè*, credendo Scripturas sacras esse divini-

tus infpiratas, nihilque eas continere quod non sit authenticum *authoritative* vel normæ vel historix, tum *explicitè* credendo quæcunque sunt fundamentalia fidei, & quorum ignorantia sive simplicis negationis sive prævæ dispositionis, salutis consequentiam impediret: Et quamvis quæ sunt omnibus & singulis necessaria simpliciter ad salutem, sint oppidò pauca, positivè & absolutè in se considerata, tamen si considerentur respectivè ad errores varios qui etiam pro veritatibus fundamentalibus solent obrudi, & prout talium errorum apud alios publicè obtinentium rejectionem ac negationem formalem debent continere, difficile esset necessariorum ad salutem certum & immutabilem catalogum constituere; Verum quod statuit Tirinus credenda esse omnia quæ Christus in salutem nostram instituit, (quæ per consequens cognosci debent distinctè & explicitè, adeo ut Fides non potius per ignorantiam, uti volebat Bellarminus, quam per notitiam queat definiri) tam verè & commodè dicitur, quam subdolè subiicit Iesuita ista *per Ecclesiam credenda proponi*. Quamvis enim ministerio Ecclesiæ, id est Pastorum, nobis credenda proponantur, tamen extra Scripturas sacras, certò & infallibiliter non sunt quærenda. Quid enim Paulus vel Apollo, nisi ministri per quos credidimus? 1 Cor: III, 5.

Primo quia objectum fidei) Hæc non incommodè dicuntur. Quamvis enim objectum speciale fidei salvificæ sit Christus, adæquatum tamen est quicquid verbo Dei continetur: & articulorum capitalium & fundamentalium fidei ea est mutua necessitudo, ut uno rejecto reliquorum admissio sit frustranea; Quare qui vel unum ex illis rejecerit cum pertinacia & sufficienter convictus de ejus veritate, ei nihil proderit aliorum fides & confessio; ac talis merito injurius censetur in Deum, in Christum, in Scripturas, in Ecclesiam cujus voce & ministerio proponuntur, vide Gal: v, 4.

Secundo quia (saltem media) Hæc conciliet Iesuita cum placitis suborum de fide Carbonarii & implicitâ quâ in genere credatur quod credit Ecclesia, etsi ignoretur quæ sit illa Ecclesia, & quidnam vel credat ipsa, vel credendum proponat aut proponere debeat. Interea optasse-
mus Tirinum non tam specimen nobis hîc proposuisse credendorum ad salutem quam eorum catalogum & specificationem: tunc enim faci-
lius

Ius vel omnia creditu necessaria penes nos esse demonstrassemus, vel in Mysterium iniquitatis penetrassemus, ac ostendissemus quam multum declinet Pontificia Communio in scitu & creditu necessariis ab ipsius Vincentii Lyrinensis regula, in *Common. adversus prof. novationes*, quæ statuit id demum tenendum & verè proprièque catholicum statuendum, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: Sed & in eo errat Tiri- nus & quod Sacramentis N. F. annumeret Pœnitentiam, uti suo loco erit disputandum, & quod *Sacramenta* vel quædam vel omnia faciat *media ad salutem necessaria*: Cum Sacramentis conveniat mera neces- sitas præcepti, non medii; ita ut non nuda privatio eorum damnet, sed tantum contemptus, ut jamdiu monitum à Bernhardo. Quod si bap- tismum absolutè necessarium ad salutem credidissent veteres, non prohibuissent baptizari Catechumenos è Gentilibus etiam Clinicos & in lecto emortuali decumbentes, uti factum à Concilio Elibertino *can. 39.* & Arelatenst *I. can. 6.* Utroque enim canone sola manuum impositio præcipitur adhibenda erga eos qui in infirmitate converti & fidem suscipere voluerint.

Debet ab oviculis) Jamdiu exploferunt cordatiores Bonifacianam Extra- vagantem, quæ statuit esse de necessitate salutis, ut omnis anima Ponti- fici Romano subijcatur. Ut cognoscatur Christus à suis ovibus est de ne- cessitate salutis, juxta Ioh: x, 14. Sed nec eum habere *Vicarium* in hac sua autoritate aliàs à nobis est demonstratum, & Episcopo Romano illum vicariatum deferre non Christianum sed Antichristianum est. Quam non faciat pro illo primatu locus Ioh: xxii, 15. 17. docuimus *tomo 1. Cont. 6. N. 5.* Et qui posset esse de necessitate salutis agnosce- re Papam Christi Vicarium in terris, quandoquidem nullum certum & infallibile datur *τεκμήριον* ex quo agnoscat aliquis esse verus ac le- gitimus Christi Vicarius & Petri successor? Ipsimet Scholastici sta- tuunt, ut videre est apud Puteanum *in 2. 2. q. 1. art. 6. dicit. ult.* non esse absolutè de fide Catholicâ Papam pro tempore existentem (U. g. In- nocentium hodie sedentem) esse verum Vicarium Christi & successorem Pe- tri, tum quia nobis non constat nisi ex aliorum *testificatione* eum esse baptizatum ac legitimè electum, tum quia nihil impedit quin eliga- tur aliquis in Pontificem maximum qui sit incapax Pontificia dignitatis, U. g. scœmina :

foemina; In hac conclusione (inquit Puteanus) sunt Bannez. ad art. 10. hujus quæst. D. Thoma, Melchior Canus lib. 6. de loc. Theolog. Cajetanus et alii plerique Thomista.

Tertio quia veritas non potest) Quamvis veritas fundamentalis non sit nisi una, & in ea debeant convenire quotquot eodem spirita reguntur, attamen cum veritates omnes revelatæ non sint ejusdem necessitatis ad salutem, neque omnibus detur omnia videre, non statim vel hæreseôs sunt insimulandi, vel tanquam devii à salute & fide Christi traducendi, modo caput & fundamentum retineant 1. Cor: III, 11. Col: 11, 19. qui in aliqua veritate minus necessaria & non fundamentali cæspitare aut minus acutum cernere quam alii deprehendantur: Hic enim debet obtinere regula Pauli Phil: III, 15. 16. Ipsimet Pontificii observantes Doctores suos tot dissensiones circa res sacras etiam gravissimas, inter se fovere, coacti sunt distinguere inter conclusiones Theologicas & Fidei, ut suarum litium scandalum parum aptâ distinctione in crustarent: Præstaret distinguere inter ea quæ sunt fidei objectivè tantum, quæ tam latè patent quam latè patet revelatio divina, & in quibus singulos consentire nunquam dabitur in hac vita, cum ex parte cognoscamus & ex parte prophetemus 1. Cor: XIII, 9. & ea quæ sunt necessitatis in fide, in quibus omnes verè pij et fideles pro mensura doni Dei consentiant, tum positivè ea omnia admittendo, tum præsertim negativè, nihil admittendo cujus vi directè & necessariò ipsis conscijs evertantur; Hæresim autem non facit quilibet error iis in rebus quæ sunt fidei objectivè, sed is tantum qui aliquod fidei caput fundamentale & necessarium pertinaciter impetit & evertit: Unde liquet obiter quam perperam hæreseôs nos accusent Pontificii, qui nunquam probabunt illa sua dogmata quæ respicimus & reiicimus esse fidei fundamentalia, ut propter ea non admittam hæreticis simus accensendi; Sed hanc materiam fusius tractavimus *Sal. Reform. ass. cap. 5.* Ut sunt quædam in quibus salva charitate Christiana dissentire licet, sic nonnulla sunt in quibus salvo fidei fundamento possunt Christiani in varias abire sententias: Verum hæc libertas non est concedenda in capitibus necessariis ad salutem; ut meritò incusentur à Paulo, 1. Tim: IV, 3. qui nuptias prohibent & cibos, non tantum quasi

quasi immundos (ut hinc perperam insinuat Tirinus; quanquam & sic facile est convincere Pontificios, qui cibos quosdam ceu pollutos & exorcisant & execrantur, ut fusé olim ostendi *Antich. Rev. p. 1. cap. 24.*) sed etiam πρὸς ἐξαρτάνας, ut illi de quibus Col: 11, 21. 22. 23. quandoquidem & Encratitas sive Tatianos atque Eustathianos hinc intelligi tota censuit antiquitas. Sic enim isti homines, (quod & in utroque luculenter faciunt Pontificii) subruunt libertatem illam quam Christus nobis pretioso suo sanguine comparavit, de qua Gal: v, 1. Sic & merito damnantur Paulo ob negatam resurrectionem mortuorum Hymenæus & Philetus 2. Tim: 11, 17. quia spes Christianorum est resurrectio mortuorum; Ita etiam Antichristus jure pronuntiatur 1. Joh: 1v, 3. qui negat Christum in carnem venisse; nam ita habent omnes Græci codices; ita & Syrus interpres; ita & Cyprianus hoc testimonium citat *adversus Judæos lib. 2. cap. 9.* Vulgatus tamen habet Antichristum esse omnem spiritum qui solvit Iesum, hoc est qui utramque naturam in ipso non confitetur, quod eodem redit: unde utrumque retinet Augustinus *tract. 6. in hanc epist.* Ut non immeritò Veteres usi sunt hoc testimonio & loco contra Nestorium, uti liquet ex *Socrate lib. 7. Hist. Eccl. cap. 32.* Quin Tirinus *ad eum locum* latius id Iohannis dictum extendit quam ad solam Nestorianismi condemnationem. *Quicumque* (inquit) *compositum hoc soluerit, negans Iesum esse Deum (ut Cerinthus, Ebion, Menander, Carpocrates & alii apud Irenæum, Epiphanium, Augustinum) vel esse verum hominem (ut negavit Simon Magus, Eutyches, Manichæus, Dioscorus &c.) vel unicam esse personam (ut Nestorius) vel meritum ejus & gratiam esse necessariam (ut Pelagius) vel leges ipsius doctrinam & instituta contemnens (ut contemnunt omnes heretici) non est ex Deo sed ex Diabolo &c.* Quâ in descriptione habent Iesuitæ quod etiam suo Pontifici applicent, ut genium & ingenium Antichristi in illo agnoscant.

Objectiones solvi) Neque ex primo loco quicquam posset haberi pro Libertinorum sententia, cum é contrario eam evertat, quandoquidem *recta fides in Christum eum amplectitur* qualein nobis proponit tota Scriptura, nec quicquam Tirinus *ad eum* huc faciens annotavit. Ad secundum verò monet hæc duo commemorari à Paulo de Dei existentia & remuneratione, non quod totam fidei naturam ex-

hauriant, (*nam certum est, inquit, credendam etiam SS. Trinitatem, (Christum Mediatorem & alia quæ Symbolo Apostolico continentur) sed quod primum & facillimum locum inter credenda obtineant; Verum Parzi nostri certior est sententia, hæc duo non philosophicè esse intelligenda, sed theologicè juxta declarationem Legis & Euangelij, atque sic fidei saluificæ essentiam exprimere; Etenim ad veram fidem requiritur, ut credamus Deum esse nempe qualem se suamque voluntatem nobis expressit in suo verbo, & remuneratorem esse se quærentibus, nempe per Christum, in quo omnes ipsius promissiones sunt Etiam & Amen ut loquitur Paulus 2. Cor: 1, 20. Hæc explicatio quæ est quoque Deodati & Belgarum evertit commentum fidei genericæ in Deum Creatorem secluso Christo Mediatore, quam assertores salutis Ethnicorum volunt nobis obtrudere: maximè cum hanc fidem statuat Apostolus esse ejus qui accedit ad Deum: at nullus est ad ipsum accessus nisi per Christum Matt: XI, 27. Ioh: XIV, 6. Ephes. II, 18.*

Num: 12. FIDES porro quæ ad adultos peccatores justificandos prærequiritur, non est illa (quam hæretici volunt) specialis fiducia & infallibilis persuasio, quæ credam mihi in particulari certò certius peccata remitti, meque justificari à Deo, & ad æternam gloriam destinari: (quæ talis persuasio nusquam exigitur in Scripturis aut Symbolis, sed improbat. Luc. XVII, 11. Deus gratias tibi ago, quod non sum sicut ceteri homines, &c. imò citrà revelationem specialem est prorsus impossibilis Num: 13. seq.) sed est ASSENSUS, certus quidem & FIRMUS, tamen OBSCURUS, quo omnibus à Deo revelatis assentior propter ejus infallibilem auctoritatem. Rom: X, 8. Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quod Deus eum suscitavit à mortuis, salvus eris: Similia habes I. Cor: XV, 3. & Heb: XI, 6. Accedentem ad Deum credere oportet, quia est, &c.

CENSURA. *Fides porro quæ ad adultos) Fides saluifica non est prærequiritum quid ad justificationem, sed ejus causa instrumentalis, dum fiducialiter apprehendit Christi satisfactionem & meritum, & ex Christi justitia nobis à Deo imputata, certos nos reddit remissionis peccatorum per ipsum. Hanc specialem fiduciam & infallibilem persuasionem remissionis peccatorum & absolutionis nostræ coram Deo*
per

per Christum; passim insinuat Scriptura; Nam I. Fidei justificantis ut justificans est proprium objectum statuit Christum pro nobis passum & mortuum, ut Rom: III, 24. 25. IV, 24. x, 4. Act: x, 4. Ioh: III, 18. Deindè illius fiduciæ specialis varia nobis proponit exempla in Iob: XIX, 25. 26. Davide Psal: xxxIII, 5. Paulo Rom: VI, 11, 38. 2. Tim: I, 12. Gal: II, 6. III, 12. Non alia de causa tribuit fidei *παρρησίας, πεποιθήσιν, πληροφορίαν*, quæ singularem fiduciam misericordiz divinæ & salutis ex illa certitudinem important. Thomas equidem 2. 2. *quæst. 129. art. 6.* pertendit fiduciam nihil aliud esse quam *spem corroboratam*: Sed duplex est fiducia, alia spei de qua Heb: VI, 11. alia fidei, à qua & illi nomen apud Latinos de qua Heb: x, 20. Illa bonum promissum ut futurum certò expectat, hæc vero ut præsens & oblatum fiducialiter apprehendit. Hinc Bonaventura scribit 3. *sent. dist. 26. art. 1. q. 5.* duplicem esse certitudinem unam fidei, alteram spei; ut taceam quod Fridericus Nausea Viennensis Episcopus *lib. 1. Catech. cap. 12.* sic loquitur; *Fides quâ justificamur & per quam iusti vitam tuentur aliis pereuntibus, à Græcis πίστις à Latinis persuasio vocata, non est vulgaris aliqua vel historica credulitas &c. sed est constans firmaque animi per Spiritum Sanctum de Dei majestate, omnipotentia & bonitate, deque illius promissis indubitata persuasio, qua in verbis ejus certam fidem habet, ita & de ejus erga se bonitate omnia sibi indubitato pollicetur &c.* Et hanc specialem persuasionem & fiduciam remissionis peccatorum nostrorum per fidem non nescivit antiquitas: Bernardus expressus est in hanc sententiam *serm. 1. in Ann. Maria.* *Si credis peccata tua non posse deleri nisi ab eo cui soli peccasti & in quem peccatum non cadit, benè facis; sed adde adhuc ut & hoc credas quia per ipsum tibi peccata condonantur; Hoc est testimonium quod perhibet in corde nostro Spiritus Sanctus, dicens Dimissa sunt tibi peccata; Sic enim arbitratur apostolus gratis justificari hominem per fidem. Imo Lombardus *Sent. lib. 3. dist. 19. litt. A.* *Dicimur quoque & aliter per mortem Christi justificari, quia per fidem mortis ejus à peccatis mundamur: Unde Apostolus Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi; Et item Quem Deus proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, id est per fidem passionis; ut olim aspicientes in serpente amicum in ligno erectum à morsibus serpentum sanabantur; Si ergo redè fidei intuitum in illum respicimus qui pro nobis pependit in ligno, à vinculis diaboli**

Solvimur, id est à peccatis; & ita à Diabolo liberamur ut nec post hanc vitam in nobis inveniat quod puniat.

Quia talis persuasio) Iam contrarium evicimus; & absque hac persuasione, non aliter fidei nostræ obversaretur Redemptio per Christum quam fidei dæmonum. Annon hæc persuasio exigebatur à Paralytico cui dicebat Christus Matt: ix, 2. Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua? Annon exigitur in Symbolis in quibus fidelium quilibet dicit pro se & in singulari, Credo remissionem peccatorum? Sic enim teneri quemlibet ad credendam remissionem peccatorum suorum, inde patet quod pari ratione dicat Credo resurrectionem hujus carnis, juxta Symbolum Nicænum, de sua speciatim confisus cum Iobo xix, 25. Nec ad illam persuasionem & fiduciam specialis revelatio requiritur, uti videbimus ad sequentem numerum, cum eam inferat ipsa fidei saluificæ formalis ratio & natura; utpote quæ non aliter justificat, quam remissionem peccatorum oblatam in sanguine Christi credendo & fiduciali assensu apprehendendo. Inepti autem illi sunt qui dicunt, etiam cum Socinianis & Remonstrantibus, hinc sequuturum eum ideo justificari fide in quantum se justificatum credit: Non enim ideo justificamur fide quia credimus nos justificari fide; sed ideo justificamur fide, quia fides est illud unicum organum quo justificationem gratuitam per Christi obedientiam & merita nobis intimatam ex Dei misericordia per Spiritum Sanctum suscipimus & cum fiducia certa admittimus; ita ideo visu suo sanabantur qui respiciebant in serpentem æneum, quod ille intuitus esset unicum organum à Deo institutum ad vim illam recipiendam quam in serpente exerebat. Æque absurdi sunt qui hanc specialem fiduciam, ut factum olim à Cardinali Richelio (cum adhuc Episcopus Luffonensis scribebat in Ministros Ecclesiæ Parisiensis, minus fælix tunc Theologus, quam postea solers & magnus fuit Politicus) ideo rejiciunt quod talis fides aliquid amplius videatur admittere quam extet in Scripturis, quæ nusquam dicunt Titio vel Mævio nominatim peccata esse remissa per Christi sanguinem. Cum enim hoc sit veræ fidei proprium ut non solum credat qui eam habet, sed etiam se credere sciat & sentiat quilibet fidelis, ex eo quod universè dictum est in Scripturis justificari & servari Christi merito

merito omnē hominem qui credit in ipsum & ipsius obedientiam in justitiam suā apprehendit & sibi applicat, inde persuasus est quilibet fidelis de suorum peccatorū per Christū remissione, quod per actum fidei suę reflexum, sentiat se in Christū credere, & queat dicere cum pueri laborantis Patre Marcii, 24. Credo Domine, sed succurre incredulitati meę. Sed nihil absurdius eo quod statuit Tirinus, hanc specialem fiduciam improbari in Phariseo Luc. xv 11, 11. cum in eo improbetur illud ipsum vitium quo Jesuitę & Pontificii laborant, quod videlicet justitiam suam potius in virtutum suarum imaginaria perfectione quam in peccatorum suorū gratuita remissione collocaret. Quare etiam Publicanus qui verā fide & certā eam consequendi fiduciā (nec enim aliter esse precandum constat ex Jac. 1, 6. 7.) peccatorum suorum remissionem humiliter petebat à Deo, illam est consecutus & justificatus rediit domum suam; quę justificatio Publicani quam secum retulit nihil aliud sui respectu denotat quam certam & firmam persuasionem sibi sua delicta esse condonata. Hic itaque succurrit nobis tertia propositio Bellarminiana lib. 5. de justif. cap. 7. *Propter incertitudinem proprię justitię & peccatum inanis glorię tantissimum est fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate reponere*; cum ergo opponat Bellarminus fiduciam proprię justitię, fiducię reponendę in solius Dei misericordia, quā nos inter suos admittat, ut ipse Canon Missę loquitur, non ut *estimator meriti, sed ut venia largitor*, perperam Tirinus ab illa in Phariseo justitiaro improbata, ad hanc fidelibus eripiendam argutatur.

Sed est assensus certus) Benè habet quod fidei firmitatem & certitudinem tribuat Jesuita; quę proculdubio non est tantum objectiva, quo respectu æqualis est in omnibus, sed etiam subjectiva, quo sensu vera est Thomę conclusio 2. 2. q. 5. art. 4. *Potest in uno major quam in alio fides esse, non tantum propter majorem certitudinem & firmitatem, ex parte intellectus, sed etiam ex parte voluntatis propter majorem promptitudinem, seu devotionem vel confidentiam*: Nec volumus absolutē improbare quod fidei assensum *obscurum* vocet, si eò respiciat quod objectum fidei est non visum Heb. xi, 1. *Si vides, inquit Augustinus, non est fides*: Unde Scholasticis fides habitus *invidens* dicitur & scientiæ opponitur, quia res creditę scientifi-

cas demonstrationes per evidentiam & lumen rationis non admittunt, sed solius revelantis autoritate nituntur; Attamen propriè loquendo ab obscuritate sive inevidentia rei creditæ quæ superat rationis nostræ captum, ad fidei ipsius obscuritatem non satis benè proceditur: Etenim fides non describitur in Scripturis cæca & palpans in obscuro, sed oculata, illuminata, verbi divini face colustrata, à Deo edocta, sciens & intelligens eorum quæ credit; unde etiam actus fidei non raro, vel notitiã ac scientiam habet adjunctam (scientiæ vocabulo latiùs sumpto quam apud Philosophos) ut Joh. VI, 69. 2. Tim. I, 21. vel per notitiã & scientiam exprimitur ut Job. XIX, 25. Es. LIII, 11. Ipse Bellarminus inter suas conciones unam habuit *de lumine fidei*, ut mirum sit eundem *lib. 1. de justis. cap. 7.* hoc absurdum proponere paradoxon, fidem melius *per ignorantiam quam per notitiã defini*. Sed ita exigebat mysterium iniquitatis, ut sub angusto nomine fidei saluificæ obedientia cæca exigeretur à plebe erga Clerum, & foveretur ignorantia rerum divinarum in populo, quæ suis conductoribus cæcis tanto quæstui est. Verum hoc omisso, si tota ratio fidei saluificæ consistit in generali isto assensu, absque speciali fiducia, apprehensione & applicatione promissionum divinarum, fides saluifica à fide dæmonum Jac. II, 19. nihil differet; nec mella fundet illa apis, quæ hoc fiduciæ specialis aculeo, per quem firmiter Christo inhæreat, destituta fuerit: Quinimo eandem fiduciam & specialem applicationem possem exsculpere ex hac ipsa Tiriniana fidei descriptione: Nam inter revelata divinitùs quibus firmiter & certò ex fide assentimur illud est, quod quicumque credit in Christum remissionem peccatorum & salutem per ipsum consequitur; Si igitur tu hoc certò credis, & sentis te credere, utique certus es remissionis peccatorum & salutis in Christo.

Rom. x, 8. Hoc est) Quandoquidem Tirinus ex iis omnibus quæ habet Bellarminus *lib. 1. de just. cap. 8.* hæc paucula selegit, tacitè agnoscens cæterorum infirmitatem, satis erit nobis si ad illa paucis respondeamus. In genere quæ fidei tribuuntur per modum notitiæ, non excludunt ea quæ illius sunt & esse debent per modum fiduciæ; nam fiducia & applica-

applicatio specialis notitiam credendorum præsupponit, sed per illam non evertitur; Nec dissententur adversarii quædam dici de fide respectu *notitiæ*, quædam verò respectu *fiduciæ*: Ita nominatim Iansenius Episcopus Gandavenlis *Harm. Euang. cap. 32.* Fidei autem respectu notitiæ actus est credere; objectum est omne quod nobis divinitus revelatum fuerit; at Fidei respectu fiduciæ actus est *confidere* sive fiducialiter apprehendere & sibi applicare; objectum verò est Christus crucifixus oblati in Evangelio, ut factus nobis à Patre sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio. Quare ad loca hinc Tirino citata posset responderi illa agere de fide respectu notitiæ, sed non excludere quæ sunt fidei respectu fiduciæ, prout ex alijs locis Scripturæ colligitur; Deinde mors, sepultura, resurrectio Christi, in objectum fidei saluificæ proponitur à Paulo Rom: x, 8. 1. Cor: xv, 3. non ut historicè tantum credatur rem ita contigisse uti narratur in Evangelio, sed ut fiducialiter credatur mortuus pro peccatis nostris & excitatus ad justificationem nostram, ut loquitur Paulus Rom: iv, 25. Quare 1. Cor: xv, 3. non tradidit simpliciter Christum mortuum esse, sed mortuum esse pro peccatis nostris, ut fideles in communi possint dicere, Si Deus pro nobis quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? Rom: viii, 31. 32. & ex illis quilibet speciatim cum Paulo Gal: ii, 20. Christus dilexit me & tradidit semetipsum pro me: Hinc Erasmus non malè sic paraphrasticè primum locum hinc Tirino citatum reddidit; *Si ore tuo consistaris & agnoscas Dominum Iesum, atque idem ex animo vereque credideris, quod Deus eum resuscitavit à mortuis, ut nos cum illo à vitijs redire vivi posthac innocentes vivamus, salvus eris*; Pariter sanè Apostolus Heb: xi, 6. includit specialem fiduciam misericordiæ divinæ in sua fidei descriptione; qui enim accessurus ad Deum per Christum, in quo solo talem accessum habemus, credit ipsum remuneratorem esse se quærentibus, credit utique ac confidit sibi remuneratorem futurum, juxta id quod ante dixerat Paulus Heb: x, 35. *Ne abijcite vestram præpostulat, fiduciam sive confidentiam ut habet V. V. cum habeat magnam remunerationem.*

Num: 13.

Nam: 13. Non debere autem, imò nec posse nos in hâc vitâ citra specialem revelationem, (quæ rarissimè obtingit) CREDERE fide divinâ NOS ESSE IUSTOS; patet Eccles: IX, 1. Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei; & tamen nescit homo utrum odio vel amore dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta: v. 12. Nescit homo finem suum; Eccli: XI, 29. In fine horum minis denudatio operum ejus; Iob: IX, 28. Verebar omnia opera mea. Et si simplex fuerò, hoc ipsum ignorabit anima mea. Ps: XVIIII, 13. Delicta quis intelligit? Ab oculis meis munda me; &c. & Paulus I Cor: IV, 4. Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum: I Cor: IX, 27. Castigo corpus meum, &c. ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar: Quando alicui obtingeret specialis revelatio præsentis iustitiæ, teneretur fide divinâ CREDERE se justum esse pro illo tempore, v. g. Moyses Exod. XXXI II, 12. Invenisti gratiam coram me; B. Virgo Luc: I, 28. Ave gratia plena, Dominus tecum, &c. Magdalona Luc: VII, 48. & Paralyticus Mat: IX, 2. Remittuntur tibi peccata tua; Zachari Luc: XIX, 9. Ipse est filius Abrahe; Lairo Luc: XXI II, 43. Hodie mecum eris, &c.

CENSURA. *Non debere autem) Agnosco neminem debere credere se esse ita justum iustitiâ inhærente, ut illi tutò queat confidere: quo spectant omnia testimonia hîc congesta à Tirino; Sed statuo quemlibet verè pium & fidelem teneri credere Christum pro se esse mortuum & remissionem peccatorum adeoque justificationem coram Deo se illius sanguine & merito sic esse consequutum, ut nulli amplius subsit condemnationi: quam persuasionem ipsum lumen fidei, per Spiritum adoptionis (qui est ille Spiritus sapientiæ & revelationis quem Paulus Ephesis optabat Eph. I, 18.) adfert ex sese, absque ulla externa aut extraordinaria revelatione divina. Id vel inde patet quod cum fides saluifica importet illam παρρησίαν, πληροφορίαν, πεπίθισιν ac fiducialem apprehensionem misericordiæ Dei in Christo de qua N. sup. dictum, eam certitudinem quam hîc proponimus remissionis peccatorum & salutis necessariò involuit. Fide nos justificari clamat tota Revelatio divina; at certitudine fidei, inquit Cajetanus ad 1. 2. q. 112. art. 2. quilibet scit certò se habere donum infusum fidei, idque absque formidine alterius partis; Ergo quilibet scit certò se justificatum esse & sibi remissa esse peccata per Christum; nam quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, nempe iis qui credunt in nomine ejus Joh. I, 13. Ubi credere in Christum est ipsum recipere, id est*

id est in suū redemptorem admittere. Ipsa fidei definitio ut proponitur Heb: xi, 1. id evincit; maxime; cum remissio peccatorum in Symbolo articulis fidei annumeretur; ut delirare oportuerit Bellarminum cum *lib. 3. de justif. c. 11.* negavit remissionem peccatorum ad fidem pertinere. Neque solum fidei natura hanc certitudinem infert, sed eandem confert ipse Spiritus adoptionis qui clamat in cordibus nostris Abba pater & una cum spiritu nostro testatur nos esse Dei filios Rom: viii, 15. Gal: iv, 6. qui & inde nostra arrhabo dicitur & signaculum in diem redemptionis 2. Cor: i, 21. 22. Eph: i, 13. 14. iv, 30. unde nascitur illa pax erga Deum de qua Rom: v, 1. Et sanè quæcunque ad hæc loca Tirinus annotavit ex illis evafurus facile diluuntur. Ad Rom: v, 1. dicit pacem & tranquillitatem conscientia non *oriri ex plena & absoluta certitudine fidei divina, quâ quis certissime & infallibiliter credat tanquam articulum fidei peccata sibi esse remissa, ut voluit heretici; (Talis enim, inquit, absoluta certitudo non obtingit nisi ex peculiari revelatione, ut Tridentinum definit) sed ex probabilibus conjecturis & signis quæ moralem cieant certitudinem nos esse justos.* Sed præterea quod moralis sive conjecturalis certitudo, certitudo non est, Paulus hanc pacem erga Deum id est reconciliationem cum Deo, cujus persuasione tranquillantur conscientia nostra, fidei difertè tribuit, eique adjungit com. 5. spem divinam & certam quæ non confundit, ex intimo sensu dilectionis divina effuso in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. Sanè ipse Tirinus spem hanc divinam certissimam facit & indubiam, eò quod, ipso interprete, *non pudefacit sperantem, quia non fallit nec frustratur illum re sperata: Secus est (inquit) in spe humana, quæ plerumque fallit, inquit Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus;* Et ubi est diffusio in cordibus nostris charitatis illius Dei quæ nos ipse diligit, nam de hac (agnoscente nec reclamante Tirino) Paulum exponunt Chrysostomus, Ambrosius, Cæcilianus & Toletus, & per quam sumus amici, imo filii Dei, ibi est certissima & infallibilis persuasio justificationis & remissionis peccatorum; eò magis quod illa pax Dei, quæ superat omnem intellectum, uti dicitur Phil: iv, 7. est à Spiritu sanctificatore, cujus omnes pii & fideles sunt participes, Rom: xiv, 17. Ioh: xvi, 33. Ad Rom: viii, 17. Tirinus negat inde sequi certitudinem salutis, quia testimonium

istud licet in se & quatenus à Spiritu sancto procedit sit certissimum & infallibile, quatenus tamen nobis exhibetur non est certum, nisi certitudine conjecturali & ut summum morali. Sed præterea quod in hac materia tres gradus imaginari certitudinis, quarum alia sit fidei, alia conjecturalis, alia moralis, est alienum, cum revera hæc duæ coincidunt, quandoquidem certitudo moralis, vel nostro Tirino finitore *inf. N. 15.* humana sit & fallibilis, adeoque tantum conjecturalis, quid absurdius quam incertum & dubium facere testimonium Spiritus Sancti, quod in se est certissimum? An enim aliter nobis exhibetur quam ut procedit à Spiritu Sancto, & calculum illum album absolutionis *τεκμήριον* continet, de quo Apoc: 11, 17? At inquit Tirinus, non sumus certi, an illud testimonium proficiatur à Spiritu Sancto, an verò à Spiritu maligno transfigurante se in Angelum lucis; unde monet S. Iohannes, Probate Spiritus utrum ex Deo sint; Et S. Paulus, Nihil mihi conscius sum sed non in hoc justificatus sum: & ita docet Tridentinum & omnes Orthodoxi. R. Tridentini Conciliabuli auctoritatem non moramur: multos quoque ex Pontificijs contradicere Tirino postea ostendemus: Dicemus & infra de loco Pauli hîc ipsi citato: Sed impiè & profanè agit Iesuita cum negat nos esse certos sitne Dei an Diaboli testimonium illud Spiritus Sancti, cum Spiritu nostro contestantis nos esse Dei filios; Nam quemadmodum qui credit certus est se credere, ut qui vigilat certus est se vigilare, & Prophetæ à Spiritu Sancto acti certi erant Spiritum esse Dei à quo agerentur non dæmonis, ita certò sentit qui particeps est Spiritus Sancti & in ipso clamat Abba pater, hoc testimonium esse ipsius; prout omnes oves Christi vocem ejus norunt Ioh: x, 4. & quotquot habent sensus exercitatos ad discretionem boni & mali Heb: v, 14. facile per donum illud intellectus quod Scholastici ipsi inseparabile faciunt à gratia gratum faciente, ut videre est apud Thomam 2. 2. q. 8. art. 4. percipiunt quantum distent æra lapinis; unde etiam Thomas *ibid. art. 8.* dicit hoc donum ad fidei certitudinem ordinari. Præterea ut per lumen fidei & Dei testimonium internum reddimur certi vocem esse Spiritus sancti externè sonantem in Scripturis, ut agnoscit Bellarminus *in conc. de lumine fidei* & probat ex Augustino *Confess. lib. 11. cap. 3.* ita etiam tam efficax est Spiritus Sancti testimonium internum, ut nullus eorum apud quos exhibetur debeat de

illius

illius certitudine dubitare; Huc spectant & alia Scripturæ dicta 1. Cor: 11, 13. 1. Ioh: 1v, 13. v, 10. Adhortatio Iohannis ad probandos Spiritus aliorum, idque ad lapidem lydium verbi divini, nunquam efficiet ut pius & fidelis debeat ex officio dubitare, sintne à Deo vel à diabolo pij motus sanctæque inspirationes Spiritus adoptionis quas in seipso experitur. Adhæc sicut qui probaverit spiritus hæreticorum ab una parte, & Orthodoxorum ab altera ad lapidem lydium Scripturarum, certus reddetur certitudine fidei, ibi hæresim esse & seductionem, hîc veritatem & salutem, ita si illum ipsum spiritum cuius motum, inspirationem & testimonium intra se sentit, pariliter exploraverit ad notas illas ex quibus Spiritum Dei dignosci testatur Scriptura, tunc saltem certò cognoscat vocem esse Dei non hominum: Volo equidem ut homo super seipsum reflectat, & memor sit illius sententiæ quam Domini fuisse ait Hieronymus *epist. 152. Estote probati numularij, ut si quis nummus adulter est & figuram Cesaris non habet, nec signatus est monetâ publicâ, reprobetur*; Sed nunquam pius huic cogitationi & inspirationum suarum dijudicationi incumbet, quin certo cognoscat se donatum esse eo Spiritu qui Dei est. Ad 2. Cor: 11, 22. Tirinus eadem oberrat chorda, *pignus Spiritus Sancti, esse quasi arrham futura gloria in se quidem absolutè certam & infallibilem, sed in ordine ad nos nonnisi moraliter talem*; Quod quam sit absurdum inde liquet quod arrha nihil habeat certitudinis & infallibilitatis nisi in ordine ad eum cui arrha est; quare ab eodem Spiritu Eph: 1v, 30. dicimur obsignati in diem Redemptionis; quasi dicat, inquit ad eum locum Cornelius à Lapide, *Sigillo gratiæ obsignati sumus ad hunc finem, ut scilicet in die resurrectionis ad redemptionem id est liberationem plenam à morte, peccato omnique malo, & ad celestem gloriam & beatam immortalitatem asciscamur, utpote conscripti in libro vitæ, quasi cives sanctorum & domestici Dei, ejusque gratiâ quasi sigillo & arrhâ hereditatis cœlestis obsignati*. Quin etiam ipse Tirinus hanc obsignationem dicit fieri internâ & copiosâ gratiâ, quâ tanquam peculiari nota filiorum Dei, pij dignoscantur ab omnibus alijs in die Redemptionis. Et ad Eph: 1, 13. 14. monet eundem Spiritum Sanctum quo sumus sigillati, *per cœlestia charismata sua, tum externa & visibilia (v. g. donum linguarum, miraculorum &c.) tum interna & invisibilia (puta charitatem, justitiam pacem &*

gaudium conscientiarum) esse nobis pignus & arrham futura gloria & hereditatis celestis. Adhæc nullius usus, ac nullius erunt efficaciarum Sacramenta Novi fœderis, quæ tamen volunt Pontificij gratiam conferre ex opere operato, nisi sint unicuique ea recipienti uti par est, signa & sigilla iustitiæ fidei, ut fuit circumcisio Abrahamo Patriarchæ Rom: IV, 11. Et si nos conferamus ad praxim & exempla fidelium in Scripturis commemoratorum, eos videbimus hac fiducia & certitudine salutis egregie instructos, ut Iobum XIX, 26. Davidem Psal: XVII, 15. XXI, 4. Abrahamum Rom: IV, 21. Paulum 2. Tim: I, 12. eundem & Iohannem tam pro se quam pro reliquis pijs & fidelibus, idque argumentis non à speciali aliquo privilegio suo deductis, sed à communi in omnes Dei electos beneficio, Rom: VIII, 38. I. Ioh: III, 14. 16. Et hanc quoque certitudinem in suis excitare volebat Christus Luc: XII, 32. Hic quoque nobis militat Antiquitas; Hilarius in Matt: 4. *Iustificatio ex fide nulla est si fide ipsa fiat ambigua*; & Augustinus in Psal. 88. *Hoc dixit Deus, hoc promisit; si parum est hoc juravit; quia ergo non secundum merita nostra sed secundum illius misericordiam, firma est promissio, nemo debet cum trepidatione predicare de quo non potest dubitare.* Imò multi in communionem Pontificiæ eandem certitudinem salutis propugnant, Ferus, Catharinus, Roffensis, Colonienſes, Torrenſis, Cajetanus, Martinus Eisengremius qui tract. de certit. gratiæ, etiam eò trahit Concilij Tridentini cothurnum *sess. 6. can. 9. & 13.* Ipsimet adversarii saltem concedunt pijs spem salutis: atqui spes Christiana est ex fide; imo juxta Scholasticos corroborata fiducia est: Si ergo adsit illa spes divina salutis, quæ nec pudefacit nec frustratur sperantem, uti supra audivimus Tirinum ipsum de ea loqui, sanè aderit salutis divina fiducia; ut benè dixerit Chryſostomus in homil. de fide, spe & char. *Quicquid fides credendo acquirit, hoc spes sustinendo præsumit*; & Bernardus serm. 10. in Psal. *Qui habitat, Germana fidei speique cognatio est; ut quod illa futurum credit, hac sibi incipiat sperare futurum.* Merito proinde Apostolus fidem sperandarum rerum substantiam esse definit, quod videlicet non credita nemo sperare non plus quam super mare pingere possit: Dicit ergo fides parata sunt magna & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus suis: Dicit spes Mihi illa servantur: Nam tertia quidem abaritas, curro mihi ait ad illa. Hæc autem certitudo salutis per fidem, importat

importat & certitudinem electionis à priori , unde Christus vult suos lætari quod nomina sua scripta sint in cœlis Luc: x, 20. & certitudinem perseverantiæ à posteriori , tum quia fides vera , cujus est hæc certitudo , pertinet ad dona Dei ἀμεταμέλητα Rom: xi, 29. Phil: i, 6. sicut est propria electorum Dei, Tit: i, 1. tum quia aliàs veræ & divinæ fidei falsum subesse posset, si fidelis qui fide divina fuerit de sua salute persuasus, ab illa tamen salute excideret ; Quapropter ut bene defendit Brochmannus Lutheranus contra Pontificios & Arminianos , *Loco de Prædest. cap. 3. q. 9.* electos infallibiliter posse certos reddi de electione & perseverantia sua , prolatis egregijs Scripturæ testimonijs in istius rei confirmationem Ioh: iii, 18. x, 28. i. Ioh: iii, 19. 20. v. 10. 11. 12. 2. Tim: ii, 19. 1. Pet: i, 5. Iac: i, 6. 7. sic malè & non sine contradictione asserit tum *Loco de pecc. cap. 8. q. 8.* tum *loco de fide just. cap. 2. q. 20.* verè fideles posse totaliter & finaliter à fide deficere ; nam qui de sua electione & perseverantia certus est eo ipso certus est se non posse deficere , tum quia electi nunquam deficiunt Brochmanno fatente, tum quia perseverare est non deficere: at, si qui certus fuerit se perseveraturum nec defecturum , tamen defecerit , illa certitudo vana & mendax fuit non vera & fidei : Unde jure Stapletonus *lib. 9. de justis. cap. 13.* pertendit Lutheranos perseverantiam fidelium negantes , eo ipso fidelibus abrogare fiduciam & certitudinem salutis : Idem statuendum de Remonstrantibus sive Arminianis qui sanctorum Apostasiam propugnaturi , nullam electionis & perseverantiæ certitudinem concedunt fidelibus , sed tantum conditionalem pro statu præsentis , se salutem consequuturos si perseverarint nec ab officio defecerint ; quàm perperam, ostensum à *Synodo Dordracena art. 5.* Ne quis tamen putet nos talem certitudinem statuere quæ sit nobis pulvinar vitiorum , asserimus illam fidei persuasionem in actum non exire extra mediorem usum & studium pietatis ; nec eam certitudinem dari semper actu in fidelibus , aut æquè firmam ac vividam , sed aliquando languidam , aliquando sub gravi tentatione , aut cum non eliciunt ullos fidei actus, impugnatam & penè nullam , sic tamen ut victis arma supersint , & fides piorum , quæ victoria est mundi, tandem de gravissimis tentationibus triumphet.

Patet Eccl. IX, 1. Sunt) Quæ loca hîc congerit Tirinus certitudinem remissionis peccatorum nostrorum per Christum & salutis in ipso obtinendæ everfurus, nihil habent virium contra nos: In priori ex Eccl: IX, 1. veritas Hebraica planè aliud sonat quam textus V. V. Nullam enim facit mentionem dignitatis vel indignitatis, certitudinis vel incertitudinis in futurum, sed tantum, ut etiam Pagninus interpretatur, ita loquitur Salomon, Iusti & sapientes & opera aut *servitia* eorum in manu Dei, etiam odium & amorem nescit homo; omnia ad facies eorum, vel ante eos sunt; Nec aliud sibi vult, quam omnia sic regi mirabiliter à Deo, ut ex iis quæ externè accidunt hominibus, & quæ ipsis obvia sunt & incurrunt in sensus, non possit certum colligi argumentum odij vel amoris divini, cum idem accidat bonis & malis, ut versu seq. dicitur: Sic Belgæ, Geneuenses & Deodatus interpretantur; unde liquet parum esse præsidij in hoc loco si ad fontes recurratur, & Pontificios arguari hîc à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Quid quod Ambrosius Catharinus, non ausus deflectere à V. V. tamen statuit ex R. Salomone, ibi incertitudinem illam tribui non pijs & Dei filijs, sed homini carnali & peccatori; & notatu digna sunt Merceri cæterum Pontificij verba *ad hunc locum*, quæ Salomon Glassius refert *Philologia sac. lib. 1. tract. 1. IX, p. 34. Cavendum est Lector ne cum Vulgato interprete aut erres, vel cum Sophistis occasionem errandi sumas, qui docent non debere nos esse certos in conscientia de amore Dei; hoc est aperte contra Scripturas & fidei nostra caput de remissione peccatorum: Et Vatablus sic habet: Præterea amorem & odium non novit homo, quum omnia sint ante eos, id est homines, nec rationem amoris nec odij noverunt ut homines sunt, cum omnia quæ eveniunt probis & improbis sint ante ipsos id est ab eis videantur; Hic secundum carnem loquitur. Quin datâ interpretatione V. V. id demum docebitur quod in Biblijs Roberti Stephani, ad marginem annotatum est; Per justitiam operum nescit homo amore an odio dignus sit. Nec video quâ possint Iesuitæ, si V. V. interpretatio mordicûs fuerit retinenda, potiùs certitudinem suam conjecturalem cum textu conciliare quam certitudinem fidei. Nec ad primam, ut vult Tirinus ibi, sed ad secundam potiùs pertinet Cyprianî dictam *contra Demetrianum; Viget apud nos spei robur & firmitas fidei, & inter**

inter ipsas saculi labemis ruinas, erecta mens & immobilis virtus & de Deo suo semper anima securo. Item & illud lib. de Mortal. Quis hic anxietatis & sollicitudinis locus est? Quis inter hac trepidus & maestus est, nisi cui spes & fides deest? Ejus enim est mortem timere qui ad Christum transire nolit. Ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credit cum Christo incipere regnare: Scriptum est enim justus ex fide vivit: Si justus es fide vivis; si vero in Deum credis, cur non cum Christo susurus & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris amplecteris? Item, Deus tibi mundo recedenti immortalitatem pollicetur, & tu dubitas? hoc est Deum omnino non nosse; hoc est Christum credentium Magistrum peccato incredulitatis offendere; hoc est in Ecclesia constitutum, fidem in domo fidei non habere. Qui expenderit alia loca Tirino ibidem citata pro sua conjecturali id est incerta certitudine ex Augustino in Psal. 149. Leone serm. 8. de Epiphania, Gregorio lib. 6. registri c. 187. Bernardo serm. 69. reperiet illis securitatem & certitudinem fidei semper inculcari. Ac valde mirum est Pontificios nolle certos esse suae salutis per Christum, qui tamen impiam hanc vocem quae extat in vita S. Elzeary 27. Sept. apud Surium, laudant & commendant, ut nominatum Drexelius in Memoriali Aeternitatis, Sum Maria cliens; ergo male petire, aut caelo excidere non possum.

V. 12. Nescit homo suam) Hic locus ostendit nescire hominem tempus mortis suae aut calamitatis imminens; scit tamen pius cui crediderit ut Paulus 2. Tim: 1, 12.

Eccl. XI, 22. In fine hominis) Et hic author est apocryphus; & juxta V. V. nihil aliud dixerit quam finem opus coronare & ostendere qualis cujusque vita fuerit, quod tunc persona mortalibus detrahatur à Deo; unde uersu sequenti, neminem vult laudari vel beatum prædicari ante mortem, planè ex sententia Solonis; Ideo Tirinus nihil hinc vidit pro suis dubitantibus, sed inde tantum colligit particulare judicium in morte cujusque; animas in purgatorio (scilicet) suae salutis certas; & mercedem cuique redditam post obitum; Imo Graecus textus non dicit denudari opera hominis in fine ejus, sed potius revelationem operum hominis adferre ipsi consummationem & perfectionem: κακῶσις ἔργα ἐπιλομογή ποιεί τρυφῆς, & ἐκτίλειται ἀνθρώπου ἀποκαλύψις ἔργων αὐτοῦ; id est, Pagnino interprete, Malicia

Malitia hora oblivionem facit deliciarum, & consummationem hominis revelatio operum ejus. Ludere oportet in re seria qui inde fidei & salutis certitudinem velit impugnare.

Iob. ix, 28. Verebar) Ibi Iob profitetur se suis doloribus & laboribus ita perterritū esse, ut ideo cum varijs tentationibus luctaretur; Septuaginta reddiderunt, *quator omnibus membrū*; Sed vereri omnia opera sua; id est, sollicitē, cautē & circumspectē omnia facere, & attendere ne quid malē fiat, nec suis operibus confidere, non est de suā salute dubitare: Nec plus inest ponderis in versu 21. ubi malē V. V. *Etiamsi simplex fuero, hoc ignorabit anima mea*, cum juxta originalem textum, Iobi mens sit ostendere quod si Deus velit secum contendere, nec uti *iniquitā* & clementiā, neque facta sua fore approbanda nec animum, idque se coactum iri spontē confiteri; quia postquam dixerat versu 20. Si justus sim os meum condemnabit me; integer sim pronunciabis me perversum; subjicit *Integer sim, non agnoscam animam meam, spernam vitam meam*; id est Vatablo interprete, *deficio, consumptus sum, nec novi animam meam, id est non agnosco animam meam fungi muneribus suis.* Ergo hic locus ostendit, noluisse Iobum coram Deo confidere suæ justitiæ & integritati inhærenti, quia si Dominus eam in suo judicio expendere, nihil sibi foret residuum præter confusionem talem, ut seipsum etiam non agnosceret; Sed quid hoc contra certitudinem salutis ex Dei misericordia & redemptione Christi?

Psal. xviii, 13. Delicta) Et hîc locus ex Psal: xix. juxta textum Hebraicum magni ponderis contra Perfectistas & Iustitiosos hujus sæculi, ostendit Davidem licet virum secundum cor Dei noluisse gloriari de propria sua justitia, quam multis vitiorū, etiam sibi non satis perspectorum, nævis commaculatam sentiebat; sed potius in remissione peccatorum quam in virtutum suarum perfectione omnem justitiam suam collocasse; ideo ab occultis suis & latentibus vitijs se mundari & illa sibi condonari enixē petit; prout etiam Ps. xxxi, 1. hominis fœlicitatem, teste Paulo, in remissione peccatorum constituit; Non valet autem argumentum hoc à secundum quid ad simpliciter, ut absolutē fiducia & certitudo salutis abrogetur Davidi, quia suarum sibi conscius infirmitatum propriæ justitiæ confidere volebat.

Et Paulus 1 Cor. 17, 4.) Miror qui potuerit Jesuita exemplum Pauli urgere ad convellendam certitudinem salutis & fiduciam misericordiae divinae in Christo, quam urget passim sanctum illud vas electionis, ut Gal. 11, 20. v1, 14. 2 Tim. 1, 12. IV, 7. 8. 18. Imo dem urgentur adversari Pauli exemplo, respondent plerumque Paulum accensendum paucis illis quibus ex speciali Dei revelatione de sua electione & justificatione constitit; unde etiam observat Bellarminus *lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 10.* quod Paulus semper se in numero electorum ponit cum de praedestinatione loquitur; Apostolus quidem volebat ex iusticia sua propria justificari, etsi officii fideliter praestiti in Apostolatu, ut etiam ed Tiranus revocat bonam Pauli conscientiam, sibi bene conscius esset 1 Cor. IV, 4. imo semper fuerit ἀμικτος quoad justitiam quae in lege est Phil. 111, 6. sed audebat certo confidere iustitiae Christi propter quam omnia ζημίαι esse sibi & σκύβαλα reputabat, atque ex illa certo & fide firma salutem expectare. In altero loco ex 1 Cor. 13, 27. minus est praesidium, & perperam ex eo Tiranus cum suo à Lapide colligit Paulum non habuisse revelationem neque plenam certitudinem de salute sua aeterna, neque ita in gratia confirmatum fuisse quin sua culpa excideret potuerit. Nam certum eorum fuisse suae electionis, justificationis & perseverantiae, testimonia supra allata satis ostendunt; Quare verba Pauli indicant tantum ipsam sollicitudinem studuisse in Apostolatu suo ut aliis praeclucet ad pietatis certamen, non linguam tantum & ore, sed re, manu & opere, & sic cavisse ne dum alios ad strenuum pugilatum hortabatur ipse defes & ignavus athleta deprehenderetur; etenim ἀδύκιμος hoc loco non opponitur electo & praedestino ad gloriam, quasi Paulus qui noverat quam firmum staret Dei fundamentum 2 Tim. 11, 19. suam electionem in dubium vocaret, & putaret posse transiri non ab equis ad asinos sed ab ovibus ad haedos, ab electis ad reprobos; verum opponitur ἀδύκιμος probo & sincero ut Jerem. VI, 30. qualem cum sancta sollicitudine se exhibere studebat Apostolus. Quam vero non obsit certitudini salutis pia & sancta haec sollicitudo docemur Psal. 11, 11. Phil. 11, 12. 13. Ipse Johannes 1. IV, 18. sic ostendit perfectam charitatem non admittere timorem anxietatis & diffidentiae, ut tamen bene illi conveniat cum timore sollicitudinis & vigilantiae, qualem hoc

loco profitetur Apostolus: Etenim ut ait ille, *Res est solliciti plena timoris amor.* Atque hinc est quod sacrae litterae non semel conjungunt gaudium & timorem ut Psal. II, II. illud ad certitudinem & fiduciam, hunc verò ad sollicitudinem & vigilantiam significandam.

Quando alicui obtingeret) Id quidem bene est quod exemplis variis prolatis agnoscat plurimos extitisse qui certi essent certitudine fidei suae justificationis & salutis, in quibus tamen hæc certitudo non possèt cenferi vel precum usum vel studium bonorum operum retardare, aut fibulam laxare carni & peccato; ut istiusmodi præjudiciis frustra gravare studeant adversarii Protestantium doctrinam de salutis certitudine; Sed negamus primò eam certitudinem fuisse tantum *pro illo tempore*; cum proculdubio inferret prædestinationis à parte ante & perseverantiæ à parte post fiduciam, ac certam coronæ expectationem; Certitudo enim fidei non præsens tantum spectat sed etiam futurum, quandoquidem fides est *ἐπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων ἔλεγχος ἔβλεπομένων*, teste Paulo Heb. XI, I. Deinde negamus illam certitudinem fuisse tantum *præsens justitiæ*, cum esset etiam salutis futuræ in æternum, ut liquet speciatim exemplo Latronis cui dictum, *Hodie mecum eris in paradyso* Luc. XXIII, 43. & Zachæi Luc. XIX, 19. cujus ædes subiens Christus dixit, *Hodie salus huic domui contigit: Remissio peccatorum facta Paralytico & mulieri peccatrici, non fuit quorundam sed omnium, ut Stella ad 7. Luc. benè monet, ceu ex Augustino, impium esse à Deo expectare dimidiam veniam: Nec puto ullum Jesuitam fore coulque impudentem ut neget B. Virginem fuisse certissimam non modo justitiæ præsentis, sed etiam perseverantiæ in illa, & gloriæ ex illa infallibiliter consequendæ. Tertio negamus illas divinas revelationes, quarum exempla hîc corrasit Tirinus, fuisse propriè productivas certitudinis fidei in illis ad quos factæ sunt, quasi ante abfuerit, sed ei duntaxat declarandæ & confirmandæ inserviebant. Non nesciebant Moyses, vel B. Virgo, se esse in statu gratiæ, ut loquuntur Pontificii, quando illas voces quæ hîc leguntur acceperunt: Et peccatrix illa mulier, quam audacter nimis Tirinus facit Magdalenam, quâ de re nos aliàs diximus, jam certa erat remissionis peccatorum suorum, priusquam illi externè diceretur, Remittantur tibi peccata tua, quando-*

quidem

quidem ex sensu interno & certa persuasione remissionis istius, tam vehementem in Christum dilectionem contestata fuerat; Fuisse enim Christi mentem ibi dicere, *Dilexit multum quia remittuntur ei peccata multa, ut ex antecedentibus & sequentibus clarissime colligitur*, agnoscit ibidem Tirinus, & simile dari infra cap. x, 36. Idem de Paralytico potest statui, cujus jam perspectam habebat Christus *fidem fiduciamque*, ut illic habet Tirinus. Denique pertendimus unicuique fidelium & electorum intus dici in domicilio cordis per Spiritum consolatorem ipsis promissiones divinas applicantem, quod his à Tirino productis dictum externè legimus. Exod. xxxiii, 12. refert Moses sibi jam ante dictum fuisse, *Novi te ex nomine, invenisti gratiam coram me, ut notat Carthusianus, unde diu post certus remanet de Dei gratia; Nec dubium quin in interno Dei cum anima pia colloquio & adventu Christi ad ipsam per Spiritum Sanctum idem ei dicatur ab eo qui novit qui sui sint, Novi te ex nomine & invenisti gratiam coram me; item, Tu gratiam es consecuta pro modulo tuo & Dominus tecum; item, Confide estoque bono animo, nam remittuntur tibi tua peccata; item, Hodie salus huic domui contigit; & in articulo mortis, Hodie mecum eris in paradyso; Nam quod externè factum est in his paucis, indicium est ejus quod fit intus per Spiritum consolationis & gratiæ in omnibus electis; unde David petebat simile quid sibi dici in cordis domicilio Psal. xxxv, 3. Dic animæ meæ salus tua sum.*

Num: 14. Sed nequè CERTITUDINE FIDEI HUMANÆ moraliter INFALLIBILI potest quis de justitiâ suâ CERTUS esse citrà specialem revelationem. Quia etiã talem certitudinem negant Scripturæ n. 13. citatæ. Et aliæ monent ne simus nimis securi. Eccli: v, 5. De propitiato peccato noli esse sine metu: Prov: xviii, 14. Beatus qui semper est pavidus. Pl. II, II. Servite Domino in timore, &c. Philipp: II, 12. Cum metu & tremore, &c. Es: LV, 8. Neque enim via vestra, via mea, dicit Dominus, &c.

Objectiones solvi, I Ioh: III, 14. Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; & I Ioh: IV, 13. Quoniam de spiritu suo dedit nobis: &c. v. 10. Qui credit in filium habet testimonium Dei in se.

CENSUR A. *Sed neque certitudine Fidei humanæ) Cum fides humana, humanâ duntaxat nitatur autoritate, faciles damus certitudinem salutis*

salutis ex fide humana non suspendi debere, adeoque hinc laterem lavat Tirinus & cum umbra sua pugnat. Imo hoc habet absurdi quod videatur concedere certitudinem fidei humanæ ex speciali revelatione; cum tamē revelatio specialis certitudinem fidei divinæ exigat. Quod si loca hinc ipsi citata militant demum contra certitudinem fidei humanæ, nobis non obsunt, qui eam quæ est fidei divinæ propugnamus: Syracides, uti textus Græcus indicat, hoc sibi tantum vult non esse quod quis peccata peccatis cumulet, se lactans vanâ fiduciâ propitiationis in futurum consequendæ, ut etiam fatente Tirino explicat Jansenius: Quin author intelligi posset de propitiatione legali & Levitica, in foro fori, non vero de propitiatione reali & absoluta in foro poli. Salomon Prov. xxviii, 14. timorem commendat non pusillanimitatis, incredulitatis & diffidentia, à quo passim nos de hortatur Scriptura & Christus expressè Luc. xii, 32. sed vigilantia & sollicitudinis; Ideo Salazar post Chrysostomum, & Emanuel Sà hunc pavorem interpretantur *de metu peccandi & mandata Dei transgrediendi*, qui non reluctatur fidei & certitudini salutis ex ea, sed potius eam comitatur. Psal. ii, 11. & Ph. ii, 12. φόβος καὶ τρόμος non denotant pavorem & consternationem ex dubitatione & diffidentia, quandoquidem priori in loco, ad quem alludit secundus, cum gaudio & exultatione timor ille conjungitur, quo cum affectu consternationi nullus est locus, sed partim sanctam & piam sollicitudinem & vigilantiam, quam certitudo fidei non excludit sed includit, partim summam reverentiam, modestiam & humilitatem animi; unde τὸ φοβεῖσθαι opponitur à Paulo Rom. xi, 20. τῷ ὑψηλοφρονεῖν; & Eph. vi, 5. servis præcipitur ut obediant suis Dominis μετὰ φόβου καὶ τρόμου, id est cum sedulitate & reverentia, non vero illiberaliter, ut faciunt qui non nisi plagarum metu defunguntur officio: Ideo Tirinus *ibi* timorem & tremorem interpretatur *sollicitam reverentiam*; Nam *servilem metum*, inquit, *constat non probari nequidem in mancipiis*; & ad 2 Cor. vii, 15. ubi eadem occurrit loquutio, quod de Tito dixerat Paulus excepto à Corinthiis cum timore & tremore, interpretatur *cum reverentia & metu displicendi*. Et Bellarminus ad Psal. ii, 11. monet quod illud *in timore significat proprie reverentiam filialem, seu pietatem*; *nam illa vox τῶν qua hinc habetur, habetur etiam*

Isaia

Isaia 11, ubi dicitur de Christo, Replebit eum Spiritu timoris Domini: in Christo autem non fuit timor servilis sed filialis reverentia, qua pietas dicitur, & passim in Scripturis accipitur pro pietate seu timore filiali. Ipse Tirinus ad Ph. 11, 12. statuit quod cum metu reverentia & tremore ex horrore offendendi tanti domini debeamus nostram salutem operari, id est quæ ad salutem promovendam & stabiliendam faciunt studiosè procurare, puta bona opera: quibus verbis evertit quæ mox subjungit, dico cum metu & tremore propter incertitudinem successus; Nam metus reverentia & horror offendendi Domini, qui etiam fatentibus adversariis iis non deest qui ex revelatione specialia certi sunt suæ salutis, nihil minus sonat quam successus incertitudinem: Imò Paulus expressè certitudinem successus conjungit cum illo metu & timore pio, addens, Nam Deus est qui in vobis operatur & velle & perficere. Nec planè improbanda Vatabli sententia, qui per metalepsim, metum & tremorem hic accipit pro diligentia; qui enim timent, solent esse diligentes. Ex Ef. LV, 8. non video quid velit exsculpere Tirinus, qui in Comm. ad eum locum ea habet quibus potius hæc certitudo firmetur quam evertatur: Sic enim totum illud comma παραφραζει. Ego à vobis offensus, non me gero ut solent offensus homines qui surdi ad preces offendentium, nil spirant nisi minas & vindictam; & si tandem reconciliari se sinant, id non nisi agrè, parcè ac ferè iniquis conditionibus admittunt; sed ego tanto excessu supero omnem hominum etiam pijsimorum misericordiam quanto cælum excedit terram (Psal. 111, 11.) id est circulus immensus unum punctum seu centrum; ita S. Cyrillus, S. Thomas & Saibout. Atqui hæc summæ misericordiæ divinæ descriptio salutis certitudinem non aufert, sed adfert.

Objectiones solvi) Videamus quam fœliciter. 1 Joh. 111, 14. illud Scimus interpretatur de certitudine morali, quam tamen hic impugnat. Sed cur non eque de certitudine fidei que eodem verbo exprimitur Joh. VI, 70. 2 Tim. I, 12. cum præsertim nitatur hoc dictum sententiâ Christi Joh. V, 24. quæ expressè agit de fide? Deinde Tirinus illius vitæ ad quam ex morte translati sumus, certum indicium statuit (quia indubitatusefectus seu fructus) quod fratres id est proximos propter Deum diligimus. Ubi vero est certum ac indubitatum vitæ ad quod sumus translati indicium, ibi dubietas & incertitudo istius vitæ locum habere non debet. 1 Joh. IV,

13. adstruit vel invitus Jesuita, quod hic eversum volebat: *Hoc signo*, inquit *ibi*, *cognoscimus quod in Deo per veram filiationem manemus & ipse paterno affectu in nobis maneat, quoniam de spiritu suo, id est communicationem Spiritus sui, dedit nobis, puta fidem, gratiam & charitatem, quae ut sum dona Spiritus Sancti, ita quando in illa nobis experimur, sentimus Dei (qui author & donator illorum est) in nobis praesentiam, munificentiam & affectum seu charitatem erga nos.* Quanquam enim Spiritus Sanctus nobis datus non est tantum signum, sed causa illius cognitionis & persuasionis quam habemus de nostra adoptione, qui tamen certo signo experitur in se dona Spiritus Sancti, nempe fidem, gratiam & charitatem, ille & novit se fide donatum, contra quam asserit Tirinus *inf. n. 16.* & saltem aliâ certitudine quam fidei humanæ confidit de sua salute. 1 Joh. v, 10. absurdè Jesuita testimonium Dei quod in se habet qui credit in Filium, interpretatur de testimonio Dei extrinseco quod credens habet pro veraci, liquido & certo: Nam testimonium Dei quod credens in se habet, est distinctum ab eo cui extrinsecè proposito fidem habet, & Lorinus *ad eum locum* agnoscit illud esse quo qui credit *declatur adoptione filius Dei*; cui testimonio quia est Dei, competit *rem reddere certam & evidenter credibilem*; Unde liquet illo Dei testimonio quod fidelis in se habet, ipsum reddi certum certitudine fidei suæ adoptionis & salutis; quare com. 11. dicit Johannes, hoc esse testimonium, materialiter sumptum, quod Deus nobis det vitam æternam, quatenus per illam testificationem internam de vita æterna per Christum consequenda reddimur certi.

Num. 15. Potest tamen quis ex variis signis & conjecturis CERTUS reddi CERTITUDINE HUMANA, FALLIBILI quidem, sed quæ tollat anxietatem & actualem formidinem de opposito. Sic Paulus ROM: VIIII, 38: *Certus sum, quia neque mors, neque vita &c. poterit nos separare à charitate*; V: 16. *Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei.*

Ejusmodi signa sunt: Primum, si Deo divinisque rebus valde delectemur; Secundum, si ex animo mundana omnia contempnamus. Talibus enim *centuplum* promissum Matth: XIX, 29. Tertium, si multo tempore careamus remorsu & conscientia peccati mortalis, juxta Controv: XIV, n. 15. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostra*; 2 Cor: I, 12. Quartum, si sincerè diligimus inimicos: Rom: XV, 8. *Qui diligit, legem implevit.* Quintum, si ferventer diligimus Deum & Christum: Ioh: X IV, 23. *Si qui diligit me &c.*

CENSU:

CENSURA. *Potesť tamen quis ex variis*) Primò eam certitudinem justificationis & salutis non tribuimus fidei quæ semper sese exerat in summo gradu, ac omnem anxietatem tollat & actualem formidinem de opposito: Ipsa fides suis est obnoxia tentationibus; etiam qui credunt cum suis infirmitatibus & carnis diffidentiis debent luctari: Et prout multi sunt ἀληγοπιστοὶ, ita in illis πεπóυθησις & πληροφορία fidei est titubans atque vacillans: Verum has anxietates & formidines fovere per modum officii non debemus, sed potiùs sancto nisu fidei expellere & expugnare. Deinde ubi sunt signa certissima & indubitata juxta Dei verbum, ibi non fallibili & humanæ conjecturæ est locus, sed divinæ certitudini & persuasioni. Atqui supra vidimus talia signa concedi à Tirino in fidelibus. Præterea satis superque hæcenus adstruximus certitudinem justificationis & salutis nostræ ex fide divina, ut in hac certitudine conjecturali ac fallibili, id est revera incerta (quæ qui differat à certitudine fidei humanæ de qua *n. preced.* cum omnis homo sit mendax, non satis video) ulterius refutanda immorari non opus sit.

Sic Paulus Rom. viii, 38.) Supra ostendimus testimonium Spiritus Sancti in cordibus nostris, de quo hujus cap. com. 16. nec dubium nec fallibile esse, sed infallibile & certissimum; Pauli verò certitudinem quam de se & electis profitetur com. 38. merè conjecturalem facere, est planè alienum: Nam in præcedentibus. Apostolus comm. 29. & 30. ostenderat connexionem esse certam & infallibilem inter prædestinationem & glorificationem, ut tandem glorificentur quos Deus prædestinavit; Hinc versu 30. & seqq. triumphum canit, & quibuslibet insultat periculis, hostibus, tentationibus, nixus amore speciali Dei redimentis, absolventis, protegentis per Christum Servatorem; Et propter Dei constantiam & immutabilitatem confidit & certissimâ fide credit nihil nos, nempe verè fideles, unquam separaturum à Charitate Dei & Christi, id est, judice Tirino, à *charitate, favore, opere, protectione qua Christus & Deus per Christum nos prosequitur.* Ut hæc in Apostolo sit certitudo fidei divinæ multa evincunt: Nam nititur beneficiis certò certius nobis propositis in Euangelio, prædestinatione, amore Dei in Christo, redemptione, absolutione & justificatione per Christum, ipsiusmet Christi morte, resurrectione, ascensione

censione in cœlum, sessione ad dextram patris, intercessione isthïc
 pro nobis; quæ omnia fide divinâ nobis debent esse certissima. Deinde
 agit Apostolus de ea certitudine quâ ὑπερνωμεν, plus quam victo-
 res lumus per eum qui nos dilexit; At illa nequit alia esse quam fidei,
 quæ est mundi victoria 1 Joh. v, 4. Adhæc ipsum verbum πίστεως
 quo usus est hïc Paulus & à quo fit πίστις, firmissimam connotat per-
 suasionem, non incertam & dubiis conjecturis subnixam opinionem
 quam propugnant Jesuitæ. Præterea antiquitas hïc nobis mifficæ:
 Augustinus in *expofit. propofit. 58.* quem citat & sequitur Johannes à Gor-
 cum ad hunc locum, sic loquitur; *Quod autem ait, Certus sum enim & non
 dixit Opinor, plenâ fide tenuit, quod nec mors ulla, nec vita temporali promiffa,
 nec cætera subsequencia possunt credentem à charitate Dei detorquere;* Ab-
 lardus pariter lib. 3. in *epist. ad Rom.* Illud *Certus sum*, sic explicat; *E-
 deo tam fiducialiter loquor de divinâ gratiâ fideles adjuvante, ut nullâ
 unquam de causis possint à Deo separari; quâam jam de his non solum fi-
 dem, verum etiam certitudinem magnis (sic legendum proculdubio non
 imaginis ut absque sensu habet editio Paris. anni 1616.) affortus sum
 experimentis, quod videlicet neque mors &c. Ipsi quoque Pontifici huc fe-
 dire cogantur; Bellarminus lib. 3. de *justif. cap. 9.* dicit Apostolum
 loqui de *prædestinati in genere.* Atqui ut id in genere de istis certum
 est certitudine fidei quod hïc habetur, nunquam esse illos separan-
 dos à Dei dilectione, sic etiam hoc de se certo credebat Paulus ea-
 dem fidei certitudine, utpote, qui eodem Bellarmino teste loco
 ante nobis citato, semper se prædestinatorum numero comprehen-
 dit: Tirinus ipse vult hïc expendi verbum πίστεως, quod tam hïc
 tum alibi ex mente Pauli idem est quod *persuasum habeo, spero, confido,* ut
 hïc legit S. Ambrosius, Hieronymus, Syrus, Varius; imo & Erasmus, Beza,
 Tremellius & plures alii heterodoxi. Jam ubi est firma persuasio alicujus
 rei, illiusque spes & fiducia divina, ibi quoque divina certitudo debet
 esse, non incerta & conjecturalis opinatio: Spes enim hæc non præ-
 defacit, nec frustratur sperantem, ut aliàs ex ipso Tirino monuimus, qui
 etiam ad versum 33. & seq. hujus capituli, ostendit frustra fore *adversus
 amicos & clientes Dei ab ipso electos in consortes seu socios Christi sui, quamlibet
 hostium accusationem (Objiciam, inquit, quacunq; volum, Deus est qui ju-
 stificat,**

fideat, id est, ab intentata adversariorum actione, clientes suos absolvit, justosque pronuntiat; ubi Iesuita forensis hujus verbi significationem retinet) urget neminem esse, qui ausit condemnare, nec esse quod terreat te propria conscientia, qua ob peccata olim admissa te anxium faciat; quandoquidem huic malo obviam Christus Iesus Salvator & Redemptor qui ut nos ab omni reatu tum culpa tum pœna expediat, mortuus est &c. Et quid absurdius quam nolle certitudine fidei credere, quod spe divina sperare audes, quandoquidem id quod speras expectas cum patientia tanquam certo eventurum Rom: VIII, 25? At, inquit Tirinus, ut optime docet S. Augustinus (de morib. Eccl. cap. 11. & seq.) ita hic astruitur potentia & efficacia Divini erga nos affectus, ut tamen metus relinquatur propria malitia, sordida & negligentia; unde vocula, Certus sum, non designat omnimodam & absolutam certitudinem, sed solum ex parte Dei divinaque providentia, ex nostra verò parte non nisi conditionatam, si Deo cooperari nec ab eo nos divellere velimus. Sed primò certitudo quæ se habet ex parte Dei & divinæ providentiæ est proculdubio certitudo fidei: quare si illam quoque expressit Apostolus, cur de morali & conjecturali erit intelligendus? Deinde frustra hic duplex certitudo fingitur una ex parte Dei, altere ex parte nostri; cum id quod de Deo hîc certi sumus certitudine fidei, nempe constantem & immutabilem fore suum amorem erga nos, nobis ipsis certiorandis destinetur & formaliter inferviat. Præterea qui certus est quod nullus seu internus seu externus hostis, nulla creatura, nulla occasio, nos separabit à charitate Christi, is sanè non conditionaliter certus est, si volverit si cooperatus fuerit, sed absolutè confidit se voliturum atque cooperaturum; aliàs enim internus hostis & devia voluntas prævaleret, contra quam persuasum firmiter habet. Adhæc absurdè hac unâ voculâ hoc loco, certus sum, duplex significaretur certitudo, alia absoluta, infallibilis & fidei, alia verò conditionata, conjecturalis & fallibilis. Et ubi adstruitur potentia & efficacia divini erga nos affectus, necesse est illius potentia & efficaciam effectum certo & indubitanter significari: Neque tamen hæc certitudo tollit metum propriæ malitiæ, sordidiæ & negligentia, in securitatem carnalem degeneratura; cum è contrario ipsa fides ejusque certitudo, tali sollicitudine, vigilantia & metu contra peccatum,

tum, carnem & mundum, corroboretur & firmetur; Nec aliò spectavit Augustinus *de mor. Ecc. cap. 12.* cum monet quod homo *cavere debet ne ab ipsius Dei Charitate quâ sanctificatur, ut beatissimum maneat, alterius Creatura, id est hujus sensibilis mundi amore superetur: Sed cap. 11.* benè dixerat, *Si nulla res ab ejus charitate nos separet, quid esse non solum melius, sed etiam certius hoc bono potest?*

Ejusmodi signa sunt Atqui primò cum hæc signa, ubi verè sunt, certò significant, qui illa apud se experitur, certus fit certitudine fidei suæ salutis. Etenim est axioma apud ipsosmet Pontificios certum, quod ea conclusio sit de fide, quæ nititur duabus præmissis, quarum altera est luminis revelati altera ex scitis; Atqui luminis revelati est, quod qui habet apud se signa illa quæ hîc urget Tirinus (saltem ex ipsius mente) sit indubiè in statu gratiæ; Iam verò fidelis, qui ea in se experitur, scit ac sentit sibi illa convenire. Ergo est illi de fide per hæc signa quod sit in statu justitiæ & gratiæ: Præterea ut non negamus, fidei nostræ certitudinem cognosci, confirmari & corroborari per illa signa & consequentia, ex quibus eam inesse nobis sentimus & experimur apud nos, sic negari non debet ipsammet fidem esse principium essendi istius certitudinis, prout hæc signa sunt principium illius cognoscendi. Ergo prodeunt illa à fide ut effectus à causa, & iterum per quendam regressum ei haud absimilem, quem Logici agnoscunt in demonstratione, nos reducunt ab effectis ad causam. Porro in signis nostræ adoptionis & justificationis per Christum enumerandis, Tirinus hoc loco peccavit commissione & omissione: Primum, secundum, quartum & quintum signum est admittendum: Sed in tertio non uno modo peccat Iesuita; nam peccata fingit alia mortalia, alia non: Et sibi persuadet, posse quem multo tempore carere peccato, & signum facit justificationis, illam tranquillitatem conscientiæ quam nullus gravioris sceleris remorsus turbet; cum tamen & nemo queat dicere purificavi animum meum, mundus sum à peccato meo Prov: xx, 9. & constet Davidis atque Pauli exemplo P sal: xix, 13. I. Cor: iv, 4. illi innocentis conscientiæ testimonio non esse per omnia innitendum; quo pertinet & dictum Augustini lib. 3. contra Cresconium cap. 80. *Ad existimationem hominum, magna testium qui me noverunt suppetis copia; ad Dei vero*

vero confectum sola conscientia, quam contra vestas criminationes cum intrepidam geram, non me tamen sub oculis omnipotentis justificare audeo, magisque ab illo effluentem misericordiae largitatem quam iudicij summum examen expecto, cogitans quod scriptum est, Cum Rex iustus sederit in throno quis gloriabitur castam se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato?

Quando autem Paulus 2. Cor: 1, 12. gloriatur in suae conscientiae testimonio, illud opponit non Dei iudicio, sed ad veriorum criminationibus; Quamquam non negaverim bonae & honestae conscientiae studium indivulso nexu cum ea fide saluificâ cohaerere, per quam *nitropur* securam reddimus corda nostra coram Deo 1. Ioh: 111, 19. Sed & inter signa hæc reponi debuisset à Tirino tranquillitas & lætitia conscientiae ex sensu remissionis peccatorum in sanguine Christi, & acquiescentia in illius unius merito, satisfactione & iustitia, quam instar clypei *ιπταπλοκς* ignitis Satanæ telis, & peccatorum commissorum remorsibus, & infirmitatum nostrarum quotidianarum conscientiae, intrepidè opponamus. Tum enim potissimum cor nostrum nos non condemnat 1. Ioh: 111, 21. cum illam obtinet fiduciam Redemptionis nostrae per Christum, & possumus dicere cum Davide Psal: xxvii, 8. Tuum illud, Requirit faciam meam, cogitat animus meus; Faciem tuam Iehova requiro.

Nam: 16. Quod si non aliâ ratione certi esse possumus de præsentis nostrae iustitiâ, (sed neque de fide, aut spe, quod sit supernaturalis & qualis oportet, eò quod res sint planè supernaturales, ac proinde non cadant sub sensum, vel intellectum naturalem, sed solâ revelatione possint infallibiliter nobis innocescere. Rom: viii, 28. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus;*) quomodo possibile erit (quod necessarium esse volunt hæretici) fide divinâ credere, Nos CERTO PRAEDESTINATOS & absolutè salvandos esse, & perseveraturos in iustitiâ? An ita credebat Paulus cum diceret 1. Cor: ix, 27. *Castigo corpus meum, &c. ut foris cum aliis predicaverim ipse reprobus efficiam?*

CENSURA. *Quod si non alia ratione* Imò cum certitudo salutis, certitudinè electionis & perseverantiae importet vel virtualiter vel formaliter, vel explicitè vel implicitè, eadem fide quâ certi reddimur de remissione peccatorum & justificatione nostra gratuita per Christum, certitudo

ti sumus & nos esse electos à Deo ad hanc gratiam & salutem, cum illa fides sit electorum, & bonum illud opus quod in nobis cœpit Deus peractum iri ad finem usque, cum dona & vocatio ipsius sint ἀμεταμέλητα; quod ex superioribus satis liquet, ut & Paulum 1. Cor: 1x, 27. ne utiquam de sua vel electione, vel perseverantiâ dubitasse.

Sed neque de fide aut spe At contrarium docent faniore s Scholasticis, videlicet non solum fidelem certò credere quæ credit fide divinâ, sed etiam scire & sentire apud se quod verè & certò credat; Thomas 1. 2. q. 112, art. 5. ad 2. sic loquitur; *De ratione scientiæ est quod homo certitudinem habeat de iis quorum habet scientiam; & similiter de ratione fidei est, quod homo sit certus de hiis quorum habet fidem: Et hoc ideo quia certitudo pertinet ad perfectionem intellectus in quo prædicta dona existunt; & ideo quisunque habet scientiam vel fidem certus est se habere.* Eò nos ducit Apostolus suo exemplo 2. Tim: 1, 12. cum ait, Scio cui credidi; Ac sicut homines hoc differunt à belluis quod per operationes reflexas sentiant se sentire, ita fideles per actum fidei reflexû experiuntur & sentiunt se revera credere; idque non naturali aliquâ operatione sensus aut intellectus, cum supernaturalia ejus sphæram excedant, sed supernaturali quadam sensatione, quæ competit homini spirituali omnia dijudicanti 1. Cor: 11, 15. & per Spiritum omnia perferutantem etiam profunda Dei 1. Cor: 11, 10. 11. habenti sensus hominis interioris exercitatos ad discretionem boni & mali Heb: v, 14. Huc apprimè facit quod habet Paulus 1. Cor: 11, 12. quem locum sic ipse Tiranus interpretatur; *Spiritum Sanctum nos accepimus ut sciamus per fidem quidem & obscurè, sed tamen certò & infallibiliter, hæc mysteria & beneficia divina per ejus gratiam & philanthropiam, nobis donata esse.* Si novimus per fidem & Spiritum Sanctum certò & infallibiliter τὰ ὑπὸ τῆς θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν, utique per fidem & Spiritum Sanctum certò & infallibiliter novimus nos fide & spe vivâ donatos esse: *Quod enim addit Tiranus, hoc fideles scire non in particulari seu individuo, sed in generali tantum respectu beneficiorum toti Ecclesiæ collatorum per Christum, primò non evertit quod intendimus; nam saltem fideles scient certò se in generali id credere quod credunt, adeoque certò credent se non esse infideles; secundò nihil ampliùs tribuet fidei piorum quam dæmonum, qui etiam*

in generali sciunt certò & infallibiliter quæ beneficia & myſteria toti Eccleſiæ collata ſint ; & nulla ad me conſolatio redibit ex eo quod ſcivero in genere quæ bona conferantur toti Eccleſiæ , niſi ſenſero in particulari mihi partem in illis beneficijs ſalutaribus competere : Quin juvat hîc videre quid delirent Ieſuitæ. Omnem certitudinem juſtificationis & ſalutis noſtræ ſtatuunt eſſe humanam , fallibilem , & moralem , quâ benè quidem de illa ſperamus , tamen certò eam credere non poſſumus. Quod ſi (fide omiſſâ) non aliter ſumus certi nos ſpem habere , tunc debemus benè ſperare nos ſperaturos vitam æternam : quo abſurdo nihil abſurdius , quia ſic in ſpèbus noſtris dabitur progreſſus in infinitum.

Rom: VIIII, 26. *Quid oremus*) Quam nihil faciant hæc verba ad Ieſuitæ institutum res ipſa loquitur , neque per milleſimam conſequentiam ex illis efficietur nonniſi conjecturaliter nos certos eſſe de fide & ſpe noſtra : Imò hinc poſſemus in contrarium argumentari , quod ſicut à Spiritu precum habemus quid precari debeamus , cum id neſciamus ex nobis , ſic habemus à Spiritu fidei quid credere debeamus , cum alijs ex nobis id aſſequi non valeamus ; Ac ſicut adjuti per Spiritum novimus quid petimus , contra quam contigit filijs Zebedæi , ita per eundem novimus quid credimus , adeoque ejus lumine colluſtrati credere nos videmus & intelligimus.

Nam: 17. Nam veram IUSTITIAM ſemel obtentam , NON POSSE ullo peccato rursus AMITTI (ut docuit olim Iovinianus , Manichæi , Pelagiani , Wiclef. & Hus , & iam omnes Calviniſtæ ,) reſellitur Ezech: XVIIII, 24. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua & fecerit iniquitatem , morietur in illâ ;* 2. Pet: I, v. ult. *Caves reverſi ad vomitum juvum.* Et an Angeli , Adamus , Saul , David , Petrus & tot alij per peccatum ſuum non exciderunt juſtitia ſua ? Luc: VIIII, 13. *Ad tempus credunt , & in tempore temptationis recedunt :* I. Cor: X, 12. *Qui exiſtimas ſe ſtare , videat ne cadat.* Rom: XI, 20. *Tu fide ſtas , time ,* &c. Matth: XII, 44. *Revertar (inquit diabolus) in domum meam , unde exivi.*

Objectiones ſolvi I. Ioh: III, 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo , non poteſt peccare ;* Rom: VIII, 38. *Nulla creatura poterit nos ſeparare à charitate ,* Cant: VIIII, 7. *Aqua multa non poterunt exſtinguere charitatem ,* &c. I. Cor: XIIII, 8. *Charitas nunquam excidit :* Ioh: IV, 14. *Saliet in vitam æternam.*

S. Hieron.
l. 2. contra Iovianum.

CENSURA. *Nam veram justitiam*) Eo ipso quod qui certi sunt suæ justificationis, certi sunt simul suæ & electionis ad gloriam & perseverantiæ in gratia, uti ante ostensum, necesse est justitiam Evangelicam & fidei, qualem supra descripsimus, esse inamissibilem, & Arminianos per Bertium Apostatam frustra esse dum cum Pontificijs & ex ipsorum armis *Apostasiam sanctorum* propugnant: Nihil nobis hîc commune cum Ioviniano, qui justorum & baptizatorum impeccabilitatem propugnabat; Nihil nobis cum Pelagio, qui saltem eorum impeccantiam adstruere conabatur; Fatemur vel justissimos in hac vitâ cæspitare in pluribus, & neminem esse qui non peccet; Sed pertendimus eam esse fidei justificantis naturam ut nunquam intereat, & indolem remissionis peccatorum quam illa in Christo apprehendit & consequitur, ut potiori jure quam edicta Medorum & Perfarum sit planè irrevocabilis. Totum Augustinum contra Pelagianos deberem describere, si hanc veritatem ex ipso ipsdemque cum ipso é sacra Scriptura argumentis deberem comprobare. Videtis & Robertum Sarisburiensem contra Thomsonum & diligentissimum Vossium, (quem indignor Ioh. Prideaux annumerasse, quamvis dubitanter, Remonstrantibus *Lect. Oxon. 6.*) *lib. 7. Hist. Pelag. ad th. 13.* Equidem Rabanus & Hincmarus cum suis in Godeschalco, circa sæculum nonum damnarunt hanc assertionem, *Eos qui perenni cœsi prius crediderunt & baptizati fuerunt, non nisi signo tenas redemptos fuisse à Christo, nec unquam à perditionis massa secretos*; Sed cautius postea distinxerunt Lugdunenses, Viennenses & Arelatenses, ut etiam idem Vossius Celeberrimus agnoscit & refert *lib. 6. Hist. Pelag. ibes. 12.* dum gratiam à qua quis excidere possit, asserunt non à proposito Dei immutabili, sed ab extèrno baptismi lavacro & cœteris hujusmodi phænomenis profluere. Et quando Wicleffus atque ex eo Hussus & Bradwardinus, justificatorum perseverantiam tuiti sunt, institerunt Pauli & Augustini vestigijs, licet ea delere coacti fuerint olim Sorbonistæ (qui nunc in melius mutati veritatem generosè asserunt contra Iesuitas) cum Guidonem quendam ordinis Heremitarum Sancti Augustini (ut videre est ad calcem Lombardi) coegerunt hanc thesim tanquam hæreticam & falsam revocare, *charitas qua habetur & deperditur nunquam fuit vera charitas.*

Cum

Cum itaque nunquam fuerit stabili gradu qui cecidit , ut loquar cum Boëthio, illis à fide quæ creditur ejusque professione externa naufragis competit quod habetur 1. Ioh: 11, 19. E nobis quidem illos exiisse, sed ex nobis non fuisse, alias nobiscū fuisse permanuros ; ac in illos quadrat illud Tertulliani *cap. 3. de praescript. Avolent quantum volent palea levis fidei quocunque afflatu temptationum, eo purior massa frumenti in horrea Domini reponetur.* Nititur autem illa perseverantia & permanentia semel justificarum, Electionis divinæ ex qua justificatio & vocatio fluit Rom: VIII, 26. inconcussa firmitate 2. Tim: 11, 19. Matt: XXIV, 24. Dei in promissis suis servandis & peragendo bono opere quod in nobis cœpit constantia & fidelitate Jer: XXXII, 29. Psal: XXXVII, 24. Rom: XI, 29. 1. Cor: X, 13. 1. Pet: 1, 5. Seminis divini quo regeneramur immortalitate & incorruptione Ioh: IV, 14. 1. Pet: 1, 23. 1. Ioh: III, 9. Meriti & satisfactionis Christi pro nobis sufficientiæ & plenitudine , Rom: V, 10. 20. 1. Ioh: 11, 2. Denique jugi ejusdem pro nobis ad dextram Patris intercessione Ioh: XVII, 11, 20.

Refellitur Ezech: XVII, 24.) Sed I. Conditió nihil ponit in esse ; nec inde magis colligas veré justos posse deficere , quam ex Gal: 1, 8. posse Angelos é cœlo aliud nobis Euangelium quam Christi annunciare. II. Loquitur Ezechiel de justitia legali & inhærentæ , uti patet ex com. 5. & seqq. nos veró disputamus de Evangelica & fidei. 2. Pet: II, v. ult. *Canes*) At cum isti manserint canes & sues , etiam ad tempus versati in ovium medio & ex hominum opinione oves habiti, quis illos prius veré justos & justificados coram Deo fuisse statuat ? Et qui attenderit ad versum 20. & 21. facilè observabit istos non nisi nomine & professione tenus viam justitiæ , quæ & veritatis dicitur com. 2. ad tempus subijisse ; Quare Basiliius in *reg. brev. reg. 6.* hoc dictum ei applicat qui se pœnitere asserat & tamen adhuc in peccato perseveret, & *reg. 289.* docet cum relabitur quis in idem peccatum , argumento esse illum primam causam peccati illius funditus non extirpassé.

Es an Angeli, Adamus) Non debet conferri justitiæ primæ institutionis per naturam, cum ea quæ est restitutionis nostræ in Christo per gratiam. Plus enim in secundo Adamo recuperamus, quam amisi-

mus

mus in primo ; Evertit ille nobis domum lateritiam , sed hic eam marmoream refecit. Angeli & Adamus labiles fuerant creati , sed per Christum ad statum stabilem sumus recreati , juxta vaticinium Amosi IX, 15. Saul electus fuerat ad regnum non ad salutem , & licet quandoque fuerit inter Prophetas , nunquam tamen fuit inter justos & justificatos coram Deo ; Ex Davidis & Petri exemplo constat etiam peccare sapientissimos & quandoque graviter, ut ad hæc exempla nostra sollicitudo & vigilantia debeat excitari ; sed interea negamus in illis penitus extinctum fuisse semen Dei & gratiam ipsius habitalem, etsi ad tempus suam efficaciam non exereret ; Latebat ille ignis sub cineribus , sed planè extinctus non erat : Sanè David non petebat sibi restitui Spiritum Sanctum Psal: LI, II. nisi ex Spiritu gratiæ & precum uti dicitur Zach: XII, 10. nec aliter credendus Deus egisse cum Davide , viro secundum cor suum , quam se acturum cum ejus filio promiserat per Nathanem 2. Sam: VII, 14. Cum perversè egerit corripiam eum virgâ hominum & plagis humanis , at benignitas mea non amovebitur ab eo. De Petro verè dictum , Confessionem quidem defecisse in ipsius ore non verò fidem in ejus corde ; nam Christus pro illo precatus fuerat ne fides ejus deficeret Luc: XXI, 32. Ipsa Grotius *ad hunc Luca locum* statuit defecisse in Petro *ὡς ἄπιστος* : τῆς πίστεως, non ἔστιν : Et Tirinus *ad Matt: XXVI, 74.* sic agnoscit Petrum *contra fidei præceptum* peccasse , *ut fidem tamen hac negatione non amiserit.*

Luc: VIII, 13. Ad tempus) Ad illi προκαίριον, nullam habuère fidem saluificam & justificantem; cum eorū fides nullas haberet radices, quasi solstitialis herba, ut cum Plauto loquar, quæ repentè orta est & repentinè occidit; atque semen receperint secundum viam, in petram, aut inter spinas ; saluifica verò fides sit altè radicata Eph: III, 18. frugifera, & eorum demum qui semen recipiunt in corde honesto ac bono. Ut hîc illud Publij Syri veniat usurpandum , *Fidem nemo perdit unquam nisi qui non habet ; stella cadens, stella non fuit sed cometa. Verus amor constantiâ probatur, inquit Ambrosius epist. 40. & Augustinus tract. 100. in 1oh. Credere verè, est credere quomodo credendum, inconcussè , firmè , stabilitè , fortiter.*

1. Cor, X,

1. Cor: x, 12. *Qui existimas*) Alloquitur Paulus non eum qui stat fide, sed eum qui inani præsumptione & superbiâ turgens, sibi stare videtur; *Nec enim stare est ut oportet stare*, inquit ibi Chrysoftomus, *quando quis suis viribus confidit; siquidem qaam primum ejusmodi homo cadit*. Deinde cadendi metus & periculum, certitudinem perseverantiæ finalis non tollit, nam septies in die cadit justus, at si ceciderit non collidetur, inquit David Psal: xxxvii, 24. quia Deus supponit manum; quo spectat & quod adjicit Paulus 1. Cor: xi, 13. Præterea etsi hîc ageretur non de lapsibus & cæspitationibus illis quibus etiam justii in hac via sunt obnoxij, sed de casu totali & finali, sollicitudo non labendi & studium perseverandi, quorum utrumque Paulus inculcat, perseverantiæ certitudinem non tollit; quandoquidem illis adhortationibus solet Deus ipsam in suis perseverantiam efficere; ut cum nutritrix alumnus suum quem ducat & cujus format gressus sollicité monet ut sibi attendat & ne cadat, quo ille constantius ei adhæreat, nec manui & custodiæ ejus temeré se subducatur. Quod etiam inservit pro solutione argumenti desumpti ex altero loco Rom: xi, 20. maximé cum hic timor sit sollicitudinis & vigilantix, cui bené convenit cum certitudine fidei, non diffidentix & anxietatis: Quare Apostolus ipse hunc metum opponit non fiduciæ, sed superbiæ, *Noli altum sapere sed time*.

Matt: xii, 44. Revertar) Sed quod fit in integra aliqua gente aliorum tamen individuorum respectu, non debet obtorto collo trahi ad ipsa individua: non incommodé Grotius *ad eum locum* sic loquitur; *Videtur mihi Christus populum Hebræum intueri ab eo tempore quo in Babyloniam adductus est ad Titi excidium: Ante deportationem gravia erant populi flagitia, qua videre est apud Prophetas, in ipso exilio ceperunt se emendare plerique, atque ita Deo occasione disponente in patriam redierunt; sed Asmonæorum temporibus rursus in vitia vel Barbaris pudenda prolapsi, adjecerunt his omnibus contemptum Messia, tantis cum miraculis, tantaque cum clementia missi: Quo facto à Deo derelicti evaserunt homines omnium sceleratissimi, quales eos Iosephus in ultimorum temporum historia describit. Quod si tamen libuerit hanc parcemiam Christi extendere ad individua, quadrabit quidem in eos qui theoreticé illuminati fuerint & per vocationem externam traducti ad professi-*

professionem Euangelii , uti liquet ex 2. Pet: 11, 20. 21. neutiquam in eos qui practicé fuerint à Deo edocti & per salutarem Christi notitiam traducti à morte ad vitam : In hos enim nullum jus postliminij Satanæ unquam competet ; quoniam nemo rapiet oves Christi ex sua manu , & quos semel diligit semper diligit.

Objectiones solui) Quam foeliciter & solidé , videamus : Ad locum 1. Ioh: III, 9. *statuit non posse peccare qui natus est ex Deo in sensu formali seu quantum est ex vi illius status , & quamdiu in eo statu permanere voluerit , sicut status innocentia reddebat Adamum immortalem : Sed sicut potuit Adam libertate sui arbitrij peccare & peccando deserere statum innocentia & sic mori , ita potest eadem libertate justus deserere ac negligere semen Dei, & ita peccare & peccando statu justitia excidere : ita S. Augustinus de grat. Christi cap. 21.* Sed hæc nihil ad rhombum. Primó enim dicere non posse peccare qui natus est ex Deo in sensu composito , parum foret dicere ; perinde enim foret ac si Iohannes diceret , *Qui justè facit quamdiu justè facit & non peccat , non peccat neque peccare potest* : Secundò mens Apostoli est privilegium aliquod certum filiorum Dei sive regeneratorum proponere , quod non pendeat ex eorum arbitrio , (quid hoc enim esset dicere , Non posse eos peccare quamdiu voluerint permanere in eo statu in quo non peccant , hoc est revera eos non posse peccare nisi peccent , quia nolle in eo statu remanere peccare esset?) sed ex singulari Dei beneficio & incorruptibili ipsius semine in illis manente ac regeneratione in spem vivam & conditionem filiorum Dei : Tertiò illud non posse facere peccatum , sive non posse peccare , dicitur de regentis , non quod sint plané ἀρραμῶντες , aut quod possint absolute non peccare , contra infinita Scripturæ testimonia 1. Reg: VIII, 46. Psal: XIX, 13. Prov: XX, 1. Iac: III, 2. 1. Ioh: 1, 8. sed quod custoditi virtute Dei in fide 1. Pet: 1, 5. non possint peccare peccato quod est ad mortem 1. Ioh: v, 16. & totaliter deficere , aut peccati regnò & imperio quod est irregeneratorum se totos mancipare ; nam peccare & facere peccatum Iohanni , idem est quod Paulo secundum carnem ambulare Rom: VIII, 1. & servire peccato Rom: VI, 17. ac Christo operari iniquitatem Matt: VII, 23. *Ferus ad 3. 1 Ioh. totus hęc noster est ; Peccat , inquit , in Christo manens & non peccat ; peccat & labitur*

*labitur ex infirmitate, non peccat ex malitia vel ad mortem, ut infra dicitur, alioqui non maneret in Christo. Nec diffitetur Lorinus ad 1. Ioh: 111, 6. id Iohannis effatum de prædestinatis intelligi à Bernardo serm. 1. de septuag. & 23. in Cantica. Quarto comparatio quam instituit Tirinus inter regenitos & Adamum, iniqua est; quoniam plus recuperavimus in Christo quam amisimus in Adamo: Huic datum erat posse non mori & posse non peccare si vellet; sed per semen incorruptibile Dei, quod manet in regenitis, ipsis datur non posse peccare, ac eorum voluntas in bono fixa redditur, quod aliàs à nobis fusiùs est demonstratum; tam altas & firmas agit radices in piorum cordibus id semen Dei ut totaliter excuti nequeat; verbum Domini manet in æternum. Non vidit Augustinus hoc loco sensum compositum Iesuitarum; cuius hæc sunt verba tract. 5. in epist. Ioh: *Vt quid ais, Qui natus est ex Deo non peccat? Certum quoddam peccatum intelligas quod non potest admittere homo qui ex Deo natus est: Et tale peccatum est illud ut si quisquam illud admisserit, confimet cetera; si quis autem hoc non admisserit solvas cetera.* Quam vero ubique idem author propugnet infallibilem Electorum perseverantiam, nemo nescit nisi planè hospes in ejus scriptis; ut nequicquam Tirinus hic eum sponsozem quærat suæ interpretationis, citato cap. 21. lib. de grat. Christi: debuisset notasse lib. 1. Verum isthic sic docet Augustinus, eum qui natus est ex Deo non posse peccare, *quia Charitas secundum quam natus est ex Deo non agit perperam nec cogitat malum, & si quandoque peccet, peccare non secundum charitatem sed secundum cupiditatem*, ut nihil de defectibilitate regenitorum insinuet, nihil de comparatione eorum cum Adamo; à qua tam procul semper fuit, ut Adamo non nisi auxilium sine quo non ad perseverandum tribuerit, nobis vero in statu gratiæ vindicet auxilium quo certò stemus & perseveremus; Hæc de loco Iohannis. Ad locum Rom: viii, 38. quod atinet, fusè de illo diximus supra ad N. 15. & omnes Tirini latebras excussimus. Non modo certus est Paulus nihil nos invito aut nolente at ducturum à Christo, juxta Tirini glossam, sed absolutè nihil esse omnium ut velimus abduci & separari ab eo; quandoquidem ad versum 35. annotat Tirinus, quod nullus hostis seu interuenti seu extorrens, nulla creatura, nulla occasio sit nos separatura à Charitate Christi; ut*

sti, at si per nostram voluntatem pravam possemus ab eo separari, tum sane caro & hostis internus prævaleret. Cant: VIII, 7. vehementia amoris mutui quæ inter Christum & sponsam suam, id est pios & fideles intercedit, flammæ inextinguibili meritò assimilatur, quia verus amor fortior est morte & nunquam perit. Ad eum verò locum nihil adfert Tirinus quod faveat suæ causæ: Tantum videtur hæc verba de perfecta charitate interpretari; quod nihil ad rem: nam dilectionem eam intelligit Salomon non in ideâ sed in subjecto, quâ pij & fideles Christum redamant in hac viâ; quæ licet multis *temptationum, persecutionum, tribulationum* aquis impetatur, per eas tamen potius incenditur quam restinguitur. Circa locum Pauli I. Cor: XIII. 8. absurdum est Tirini glossema; Charitas nunquam excidit, inquit, *scilicet quantum ex se est; nam sponte sua nunquam hominem deseret in hac vita, nisi prius ab eo per mortale peccatum deseratur.* Nam quamvis Paulus ibi charitatem consideret tantum in ideâ & contradistinctè ab illis charismatis quorum usus est temporarius & huic duntaxat vitæ destinatus, tamen certum est eam sic indefectibilem à Paulo constitui in ijs qui ea donati fuerint (unde velit eam cæteris charismatis præferendam) ut inamissibilibus opibus quæ etiam ultra funera durant, tacitè veniat comparanda; quo respiciens Augustinus in *epist. ad Iul. comitem cap. 7.* dicit, *Charitas qua deficere (vel ut citatur Lombardo dist. 31. lib. 3. litt. A. deseri potest) nunquam vera fuit,* quod dum Thomas 2.2. q. 24. art. 11. ad 2. conatur trahere ad charitatem ex parte sui, non ex parte subjecti, suaviter delirat; quia non posse deficere dici nequit si deficiat in subjecto, nec indefectibilis statui potest nisi subjecti respectu; Hinc Augustinus *tract. 8. in epist. Ioh: Vnctio invisibilis charitas est; qua in quocumque fuerit radix illi erit, qua ardente sole ardescere non potest; nutritur calore solis non arcescit.* Et Ambrosius apud Lombardum V. S. *Ficta charitas est qua in adversitate deserit.* Denique locus Ioh: IV, 14. cui suppreses sunt multi alij, ut nominatim Ioh: VI, 35. 51. & Ioh: VII, 38. expressior est quam ut ulla tergiversatione possit eludi: Velle enim cum Tirino *ad Ioh: IV, 13.* id quod dicit ibi Christus, intelligendum esse de illa aqua spirituali, *quantum ex se est,* & donec *per peccatum mortale sponte evomat*, est nimis coactum; cum ideo sit fons perennis & saliens in vitam

in vitam æternam in unoquoque fideli, ne eijci & deficere in ipso possit: *Promittebat hinc Christus saginam quandam & satietatem Spiritus Sancti, inquit Augustinus tract. 15. in Ioh. at illa nec sagina esset nec satietas in æternum, si posset deficere.*

Nam: 18. Neque solo ACTU INFIDELITATIS (ut volunt Lutherani) sed quovis PECCATO MORTALI deperdi IUSTITIAM, patet ex iisdem Scripturis & exemplis. Neque verò solis infidelibus, sed etiam adulteris, fornicarijs, ebriosis, furibus, &c. ocludendum cœlum prædicit S. Paulus 1. Cor. VI. 9. & Scriptura passim alibi.

CENSURA. *Neque solo actu*) Cum iustitia Evangelica sit iustitia fidei, si fides totaliter extingueretur (quod fieri posse peperam sibi suadent Doctores illi qui Lutheranos se vocant) tum iustitia hominis planè periret, neque hæc aliter quam illius extinctione deperdi potest. Sed quoniam ex intercessione Christi Luc: xxii, 32. & ipsiusmet fidei salutificæ conditione & natura, vera fides est inamissibilis, talis quoque iustitia fidei per Christum, sic ut ipse oves nemo possit rapere ex illius manu. Deperditur quidem iustitia Legalis quovis peccato; quia in systemate & harmonia omnium omninò virtutum sita est; at secùs statuendum de iustitia Evangelica, quæ in peccatorum remissione consistit.

Neque vero solis infidelibus) Optimè dictum ex sanctione legis; at juxta Paulum ibid. com. 11. etiam ij qui quondam tales erant, ablutu, sanctificati & iustificati fuerunt à talibus vitijs, ut ipsis non imputarentur ad condemnationem: Apostolus ergo ostendit, I. Quodnam sit *δικαιωμα* Dei & jus legis; nempe quod qui talia patrant digni sunt morte; II. Quantum sit Dei beneficium qui talium criminum reos & morte dignos dignatur assumere ad se, & tam gravia peccata illis condonare; III. Quam sit necessaria conjunctio fidei & bonorù operù: nam ab ejusmodi sceleribus eò magis cavere decet qui se sanctificatos & regenitos profitentur, quo minus potest istiusmodi peccatis convenire cum vera fide: Non solis infidelibus & transfugis ex Christi castris, sed etiam adulteris, fornicarijs &c. ocluditur cœlum,

cœlum, eó justius, quod si adesset vera & saluifica fides, non possent in eodem subjecto illorum scelerum habitus dominari. Adulteri ergo, fornicarij &c. excluduntur cœlo, si fuerint impœnitentes & in illis suis criminibus perseverantes ad finem usque: Cum autem resipiscere nequeant & se in melius emendare nisi ex fide, necesse est infideles quoque esse, id est fide saluificâ destitutos, non qui per infirmitatem in aliquod ex his peccatum inciderint, (contrarium docet vel Davidis exemplum) sed qui data opera, se istiusmodi peccatis totos mancipant, ac eorum regno se subijciunt: Quapropter licet non omnis infidelis, sive negativè sive privativè talis fuerit, sit necessariò horum crassiorum scelerum reus, tamen nemo erit eorum reus, sensu Apostolico, ita ut in ipsum dominantur, qui vel negativè vel privativè infidelis non sit dicendus, quamvis non externè ejuraverit Christi professionem & fidem.

Num. 19. Veram autem FIDEM (contrà quam omnes hæretici nostrî censent) posse reipla à CHARITATE cæterisque virtutibus separaram existere: patet Ioh. XII, 42. *Multî ex principibus crediderunt in eum, sed non cor- sivebantur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. I Cor. XIII, 1. Si habuerò omnem fidem, charitatem autem non habeam, nihil sum. Iac. II, 14. Quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides sal- vare illum?*

Objectiones solvi ibid. v. 17. ubi fides talis vocatur *morosa*: & v. 19. comparatur fidei demonum; & I. Ioh. II, 4. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, hic mendax est; I. Tim. v, 8. Qui suarum, & maxime domesticarum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

CENSUSA. *Veram autem fidem*) Cum vera fides sit demum demonstrabilis per opera, ferax bonæ frugis, efficax per charitatem, non magis ab ea separabilis est charitas, quam radij à sole, risibilitas à ratione, calor ab igne: Ipsimet adversarij statuunt per gratiam habitualem, fidem, spem & charitatem simul infundi: nec ulla suadet ratio cur debeat aut possit potius fides esse absque charitate quàm charitas absque fide: Cassander hoc agnovit qui *Consid. ars. 4.* sic loquitur; *Illud autem accuratè observetur si solâ fide apud populum homo jus- sificari*

fidei dicatur, illud simul inculcetur fidem tamen si sola justificare dicatur, tamen solam esse non posse, sed necessario pertinentiam & vita melioris propofitum adjunctum habere, ne videlicet inanem quandam & adumbratam imaginem fidei, pro solida & expressa fide amplectamur. Ipsimet etiam adversarii fidei formatæ charitatem indivulfo nexu conjunctam esse statuunt; at nulla fides nisi formata, cum fingere fidem informem, sit absurdus quam materiam primam omni forma destitutam existere; forma enim est quæ dat esse rei, ut rem esse & esse informem, sive sua forma essentiali carere, evidentem implicet contradictionem.

Pater Ioh: XII, 42) Tria hæc loca nihil efficiunt pro separabilitate fidei à bonis operibus & charitate. *Qui Ioh: XII, 42. dicuntur credidisse, non tamen crediderunt ut oportet, vel subindicante Tirino ad com 48. eorumque fides meré fuit temporaria & improprie dicta, nec ultra honestam ac meré theoreticam opinionem quam apud se fovebant de Christo ex illius miraculis procedebat; plane similis fidei eorum quorum mentio fit Ioh: II, 23. 24. qui ita credebant Christo, ut tamen Christus seipsum illis credere nollet. Toletus in comm. ad Ioh: XII, 42. agnoscit illos primores nimis imperfectè credidisse, & Augustinus stat. 53. in Ioh. non nisi ingressum fidei illis tribuit. De secundo & tertio testimonio ex I. Cor: XIII, 1. & Iac: II, 14. sufficienter dixi supra ad N. 7. Paulus agit de fide miraculorum, à qua censemus charitatem posse separari, non vero de saluifica & justificante: Iacobus non supponit veram fidem posse destitui bonis operibus, cum illam per hæc demonstrari & innotescere velit; sed vult inanem jactantiam & professionem fidei, quæ merum sit cenotaphium, non sufficere ad salutem: quia licet fides sola justificet, ea tamen non justificet quæ sola sit, utpote quæ non sit magis vera fides, quam oculus à capite revulsus verus oculus est.*

Objectiones (solus ibidem) Et nos ubi supra omnia Tirini ~~apud eorum~~ excussimus circa Iacobi locum, ut eadem repetere necesse non sit; Ea sanè non est vera fides, sed inane tantum fidei spectrum & simulachrum, quæ non differt à fide dæmonum, quæ est
judice

judice Tirino *ibi*; *mortua instar cadaveris*, *vana*, *infructuosa*, *inutilis*, *insensibilis*, *nulli proficua*, *ex succa*, *ex sanguis*, *elumbis & suda instar cadaveris putrescentis*; & quæ tantum differat à saluifica fide quantum putrescens & exanime cadaver ab animali vivente: Quæ omnia elogia, quæ nec aufint Pontificij suæ fidei informi tribuere, satis ostendunt Iacobum per talem fidem, nonnisi fidei umbram, jactantiam & inane nomen, id est titulum sine re intelligere; adeoque frustra Iacobum adferri ad probandam separabilitatem bonorum operum à vera fide, quæ nunquam vera est nisi viva sit; nunquam viva nisi efficax fuerit per charitatem. Quoad alterum testimonium ex I. Ioh: II, 4. cum Tirinus nihil ad illud planè annotaverit, manet ejus auctoritas in vado: nec eripitur nobis à quoquam qui cum Lorino dixerit, agere Iohannem *de notitia familiaritatis & amicitia*, cum talis debeat esse notitia veræ fidei: unde Beda ipsi Lorino citatus sic loquitur; *Quisquis Deum non amat profecto ostendit, quia quam sit amabilis non novit, & quam sit suavis Dominus & dulcis, gustare ac videre non didicit*, (quod tamen fidei est) *qui ejus conspectibus placere continua dilectione non satagit*. Et benè Augustinus *lib. de fide & operib. cap. 22. Nequaquam mens incauta fallatur, ut se existimet Deum cognovisse, si eum fide mortua hoc est sine bonis operibus confiteatur, more demonum &c.* Tertium testimonium ex I. Tim: v, 8. habet etiam suum pondus; Si enim is meritò fidem censetur abnegasse qui non præstat bona opera, ea vera fides censeretur nequit quæ bonis operibus destituitur; Nec *ibi* quicquam annotavit Tirinus quovim eleve istius argumenti; imò talem dicit fidem negasse, *non quidem, verbo sed re ipsa & facto suo crudeli*, quod magis est. Et licet propriè Paulus loquatur de fide quæ creditur, tamen insinuat evidenter, eam qua verè & benè creditur non esse separabilem ab illis officijs quæ per aliam injunguntur.

Num: 20. Ex dictis à N. II. hueusque patet, falsum esse Lutheranorum & Calvinistarum dogma, veram IUSTITIAM & FIDEM non nisi in PRÆDESTINATIS reperiri; & PRÆDESTINATIONEM quoad rem idem prorsus esse cum IUSTIFICATIONE.

CEN.

CENSURA. *Ex dictis à n. 11. patet*) Imo ex disputatis à me tum in hac tum in duabus præcedentibus Controversiis patet, fidem saluificam & fidei iustitiam sive justificationem gratuitam in sanguine Christi non nisi electis convenire: Nam fides quæ non est omnium 2 Thess. 111, 2. est solum electorum Tit. 1, 1. & crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam Act. x111, 48. Ut autem fides est propriè eorum, sic etiam justificatio quæ est ex illa: Id patet ex nobili Pauli loco Rom. vii11, 28. Quos prædestinavit hos vocavit, quos vocavit hos justificavit, quos justificavit hos & glorificavit: Nec quicquam hic à nobis dictum, quod Augustinus non dixerit totidem verbis *de prædest. Sanct. cap. 17.* Quos enim prædestinavit ipsos & vocavit illà scilicet vocatione secundum propositum; Non ergo alios, sed quos prædestinavit ipsos & vocavit; nec alios sed quos ita vocavit, ipsos & justificavit; nec alios sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit, illo utique fine qui non habet finem. Elegit ergo Deus fideles, sed ut sint, non quia jam erant; Apostolus Iacobus dicit, Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide & hæredes regni quod repromisit Deo diligentibus se? Eligendo ergo facit divites in fide, sicut hæredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat eos elegit: Rogo quis audiat Dominum dicentem, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, & audeat dicere credere homines ut eligantur, cum potius eligantur ut credant, ne contra sententiam veritatis priores inveniantur elegisse Christum, quibus dicit Christus Non vos me elegistis sed ego elegi vos: Itaque censuram suam hic strinxit Tirinus non in Lutheranos & Calvinianos, sed in ipsummet Augustinum, hanc veritatem quam defendimus ex Scripturis tam solidè & nervosè propugnantem.

Et prædestinationem quoad rem) In eo Tirinus Jesuitam agit, id est Calumniatorem: citandi fuissent è nostris qui hoc statuunt contra Paulum Apostolum, prædestinationem à justificatione tam expressè distinguentem: Quamvis enim prædestinatio ad finem includat quoque decretum de justificandis prædestinatis, tamen decretum justificandi prædestinatos cum ipsorum justificatione quæ fit in tempore & ordine naturæ posterior est eorundem vocatione, confundi non debet.

Not. 21. Quotquot iusti sunt, NON OMNES ÆQUE IUSTOS esse,
I 1 (ut cum

(ut cum Ioviniano aliisque antiquis hæreticis Lutherani jam contendunt,) colligitur ex Iob. 1, 1. *Non est ei similis in terrâ: 1 Reg. 1x, 2. Non eras vir de filiis Israël melior Saule. Matth. xi, 11. Non surrexit maior Iohanne. 2 Cor. ix, 10. Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ: Apoc. ult. v. 1. Qui iustus est, justificetur adhuc.*

Idem colligitur ex inæqualitate meritorum, infra Contr. xvi. & xvi 1. Item ex inæqualitate mercedis & gloriæ cœlestis: 1 Cor. xv, 41. *Alia est claritas solis, &c. sic & resurrectio mortuorum: Ioh. xiv, 2. In domo patris mei manent fructus multa sunt.*

CENSURA. *Quotquot iusti sunt*) Primum debuisse Tirinum dicere quinam fuerint illi veteres hæretici qui cum Joviniano omnes iustos, æquè tales statuerint: Secundò nequidem Joviniano id imputandum quod illi tribuitur hîc à Tirino, sed tantum quod Stoicorum in morem omnia peccata faceret paria, ut videre est apud Augustinum ad *Quod vult. cap. 82.* & Bellarminus *lib. 31. de justis. cap. 16.* nos hîc absoluit à syncretismo cum Joviniano, aliud ei tribuendo sententiæ suæ fundamentum à nostro. Tertiò omnium quidem æqualem statuimus justificationem quæ in remissione gratuita peccatorum & justitiæ Christi ejusque satisfactionis imputatione consistit; omnibus enim in Christum credentibus, æquè omnia sua peccata remittuntur; omnes æquè ex imputato sibi Christi merito in Dei filios adoptantur & iusti, id est immunes ab omni condemnatione, reputantur; Sed inæqualem agnoscimus fidelium inchoatam justitiam & sanctificationem, cum alii majores, alii minores progressus faciant in regenerationis studio, quamdiu in hujus vitæ stadio versantur. Interea nullus ex iis locis quæ Tirino citantur, si fortè primum excipias, adstruit inæqualitatem justitiæ, etiam inchoatæ, quam probandam susceperat. Quoad primum, non tam Jobi perfectio & justitia, quam sinceritas & candor ἀνυπόκριτος celebratur; nec comparatur absolutè cum omnibus hominibus qui suo tempore extiterunt, nam juxta nostrum Tirinum in *Chronico* fuit Mosi coætaneus, quo justiore & meliorem fuisse nemo dixerit, sed tantum cum regionis Chus vel Idumææ quam habitabat incolis, genium & ingenium Esavi ut plurimum referentibus. 1 Sam. ix, 2. Saul melior cœteris dicitur staturâ & formâ corporis, non virtute & justitiâ; Hinc Emanuel Sâ cū Chaldeo Paraphraste istâ hanc *bonum* interpretatur *pulcherrimum*

claram & meliorem, pulchriorem: quod etiam necessariò evincitur ex sequentibus; additur enim de Saule quod ab humero suo sursum versus altior esset toto populo: & Exod. 11, 2. eadem vox *אב* pro formoso usurpatur. Matt. 21, 11. Joannis dignitas, vocatio & munus, non sanctitas & justitia commendatur; Hinc Lucæ VII, 28. nomen Prophetæ huic comparativo *major* additur; ut scilicet intelligatur eum omnes Prophetas V. T. dignitate & excellentiâ muneris superasse. Ad hæc non malè notatur ab Hieronymo *ad eum locum*, quod *in eo quod dixit, Non surrexit major inter natos mulierum Iohanne Baptista, non cæteris Prophetis & Patriarchis, cunctisque hominibus Iohannem prætulit, sed Iohannem cæteris exæquavit; Non enim statim sequitur ut si alii majores eo non sunt, ille major aliorum sit; verum ut æqualitatem cum cæteris Sanctis habeat. Quod potius ad justitiæ æqualitatem comprobendam interserviret, si præsertim quod additur versu sequenti, Qui autem minor est &c. vel de Salvatore ipso intelligatur, cum Tirino, vel cum Hieronymo ad beatos in cælis pertineat, quod omnis Sanctus qui jam cum Deo est, major sit illo qui adhuc consistit in prælio, aliud est enim coronam victoriæ possidere, aliud adhuc in acie pugnare; Quanquam si dicendum quod res est neuter sensus verus sit; sed fiat deorum comparatio Johannis in suo Ministerio, & cum Prophetis V. T. quos superavit, quia in Christum præsentem digitum intendebat, & cum Ministris N. T. infra quos subsistit, quod illi clariùs, distinctiùs, efficaciùs Christum crucifixum annuncient, & ampliozem de Redemptionis nostræ mysterio habeant notitiam. 2 Cor. 12, 10. non promittitur propriè augmentum justitiæ inhererentis, sed benedictio divina & proventus amplior in gratuitam mercedem elemosinæ Sanctis præstitæ; Ideo ibi Cornelius à Lapide, *Simplicius*, inquit, *fruges justitiæ hic intelligantur fruges beneficentiæ, sive nata ex beneficentiâ, videlicet opes quas beneficis Deus quasi messem seminantibus reddet; incrementa enim frugum non sunt aliud quam seges & messis, quæ ex semine jam dicto succrescit.* De loco Apoc. 22, 11. dixi ad N. 1. atque ostendi illud, *Justificetur adhuc, non significare incrementum in eadem justitiâ, ex qua ille antea justus quadantenus fuerit, sed potius illius justitiæ, quæ homini justificando apud Deum non sufficit, abnegationem, qualem proferebatur Paulus Phil. 3, 8. 9.**

Idem colligitur) Atqui hæc imaginaria merita *ibidem* cum Deo prote-remus; Si quæ sit inæqualitas gloriæ, quod libenter agnoscimus ex Dan. xlii, 3. & 1 Cor. xv, 41. (Sed locus Johannis xiv, 2. eo parum facit, quippe qui amplitudinem & capacitatem domus Dei potius explicet, quam gloriæ cœlestis varietatem) ea tamen non pendeat ex inæqualitate justificationis coram Deo, sed ex liberrima ipsius dispensatione, prout variè charismata sua distribuit in via. Quinetiam cum Pontificiorum quoque Scholastici agnoscant Beatitudinem essentialem æqualem fore in omnibus, sed inæqualem futuram tantum in suis accidentalibus, hinc potius colligam æqualem esse omnium justificationem, quos omnes eadem & æqualis in essentialibus manet Beatitudo; Etenim Becanus post alios p. 1. *Theol. Sch. cap. 9. q. 8. & 9.* asserit omnes visiones esse *æquè perfectas essentialiter*, sed non *æquè accidentaliter*. Atque revera huc pertinet, tum parabola de eodem denario quem accipiunt pariter, qui tamen inæqualiter in vite laborarunt Matt. xx, 12. tum plena satietas quam omnes in cœlo consequentur Psal. xvi, 11, 15. Quod enim dicit Tirinus ad Matt. xx, 12. compensationem ipsam futuram *denariis seu nummis quoad substantiam valde inæqualibus*, à suis refellitur, qui statuunt essentialiter eundem fore denarium, quandoquidem eadem erit beatifica visio, quæ in perfectissima operatione & summi boni (quo majus nullum) adeptione consistit.

Num: 22. Oritur autem INÆQUALITAS IUSTITIÆ & gratiæ sanctificantis nos solum ex diversitate gratiarum prævenientium (controv: xiv. n. 3.) & aliorum donorum, quæ Deus pro suo beneplacito (ad variendam Ps: xlii, 10. & diversis officiis ac gradibus distinguendam ecclesiam, tum militantem, tum triumphantem; Joh: xvi, 2.) variis varia confert: sed etiam, & quidem ut plurimum, ex diversitate nostræ dispositionis & cooperationis cum gratiis & donis Dei; licet id negent omnes nostri hæretici: qui volunt bona opera nihil prorsus conferre ad justitiam seu acquirendam, seu conservandam, seu augendam, sed ut summum testimonium vel signa esse veræ fidei in animâ vigentis. Ita Calvinistæ & molles Lutherani seu Electorales. Rigidi verò Lutherani cum suo magistro Lutero dicunt, etiam noxia esse ac perniciofa ad justitiam ac salutem.

*Luth: de
baptis: c.
Babyl. c.
de baptis: c.*

de baptis: c. & serm. de N. Testamento. Lutherani Saxonici in colloquio Alienburgenf.

CENSURA. Oritur autem) Inæqualitatem quam consistemur
justi-

justitiæ inchoatæ & sanctificationis, agnoscimus posse deputari tùm variæ operationi Spiritus S. & gratiæ divinæ in hominibus, in quorum aliis intensius, aliis remissius dignatur operari, licet semper in omnibus ad id sufficienter, ne penitus deficient, cùm sapientissimo Dei consilio juxta quod varia variis & quoad gratiam & quoad gloriam confert; Neque negamus illam inhærentem & inchoatam justitiam, quæ inæqualis est, etiam nostræ non tam cooperationi quam suboperationi gratiæ & donis Dei esse quoque tribuendam; quandoquidem omnia illa justitia est justitia operum, ac in nostris operibus consistit; Quamquam non satis prudenter gratia sanctificantis inæqualitas nostræ dispositioni & cooperationi hæc tribuatur; & suo loco illam collateralitatem & cooperationem liberi arbitrii nostri cum Dei gratiâ refutavimus. Quinimò confitemur nostris bonis operibus acquiri, conservari, augeri illam ipsam inhærentem justitiam quæ in fidelibus est inæqualis; quandoquidem revera illa constat bonis nostris operibus: Sed pertendimus bona opera nostra nihil vel materialiter vel formaliter conferre ad nostram justificationem gratuitam coram Deo, quoniam justificamur fide absque operibus legis; Verum ut sequuntur justificatum, inserviunt illi veræ fidei quâ instrumentaliter justificamur I. Contestandæ, ostendendæ ac declarandæ Jac. 11, 18. II. Corroborandæ & confirmandæ, nostræque in illa vocationi & electioni ad salutem 2 Pet. 1, 10. At si quis in illis operibus suæ salutis fiduciam reponat, suamque justitiam coram Deo constituat (ne quem hæc Tirinus sibi fingat dissensum inter Protestantes) tum sanè opera ipsi fiunt per accidens noxia & perniciofa, uti sua fuerunt Phariseo ea jactanti & tantopere sibi in illis applaudenti Luc. xviii, 12. Mavult Deus peccata cum humilitate & respicientia, quam justitiam & bona opera cum superbia & tumore; ac sicut vel optimum vinum fit summoperè noxium si tantillum veneni admixtum habuerit, ita vel optima opera sunt summoperè perniciofa si admixtam habuerint hominis de illis fiduciam.

Num. 23. Verum BONA OPERA non modò UTILIA esse ad acquirendam, fovendam, augendamque justitiam, sed etiam prorsus NECESSARIA, idque non tantum VTSIGNA præsentis fidei, sed VTRERAS CAUSAS meritorias (& quasi efficientes in genere moris) justitiæ ac salutis;

Iuris; patebit ex Controv. XVI. n. 5. & ex tot legibus ac præceptis, quæ Christus (urpote non tantum redemptor, sed & legiser Es: xxxiii, 22.) partim antiqua confirmavit, Matth. v. & vi. partim nova instituit, v. g. de Baptismo Ioh. i, 3. & de Eucharistiâ sumendâ, Ioh. vi, 54.

Et rigidissimè præcepit omnia observari sub comminatione gravissimarum poenarum. Matth. v, 19. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno celorum; & v. 22. Remis erit gehenna ignis.* Ioh. vi, 45. *Non habebitis vitam in vobis; Matth. xviii, 3. Non intrabitis in regnum celorum.* Matth. xix, 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Iac. i, 21. *Abraham pater vester nonne ex operibus justificatus est? & c. i. 25. Non auditor legis, sed factor operis, hic beatus in factis suis erit.* 2 Pet. i, 10. *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Matth. vii, 19. *Omnis arbor que non facit fructum, & c. v. 21. Non omnis qui per fidem dicit mihi, Domine, Domine, sed qui facit voluntatem Patris mei, & c.* Et in extremo iudicio non soli fidei vel incredulitati præmium descerneretur vel poena, sed maximè bonis vel malis operibus: Matth. xxv, 35. *Quia dedistis, non dedistis manducare, & c.*

CENSURA. *Verum bona opera*) Equidem ultro concedimus necessaria esse bona opera ad acquirendam, fovendam, augendamque justitiam inherentem, quam sanctificationem ex usu Scripturæ vocamus; quandoquidem illa, uti modò dicebam, revera bonis operibus constat & in illis sita est; Necessaria quoque illa agnoscimus in omnibus adultis, non solum ad fidem contestandam & gratitudinis officia Deo exhibenda & prælucendum aliis nostro exemplo ad pietatem & sanctitatem, sed etiam ad ipsam salutem consequendam; necessitate præsentis, licet non efficientis, *cum sint via ad regnum*, ut scitè Bernardus, *non causa regnandi*: Sed id non possumus concoquere, quod dicantur veræ causæ meritoris (*& quasi efficientes in genere moris*) *justitiæ & salutis*: Nam I. Si justitia nostra apud Deum consistat in gratiæ gratum facientis & justitiæ habitualis per illam infusione, ut placet adversariis, qua ratione ejus causæ meritoris & quasi efficientes erunt bona nostra opera, quæ illam gratiæ gratum facientis sive justificantis infusionem & collationem nulla præcedunt? II. Cum Tirinus infra n. 24. justitiæ nostræ causam efficientem moralem & meritoriam, faciat meritum Christi, non solum debebunt eadem causalitate merita nostra & merita Christi concurrere ad justificationem, sed etiam oportebit opera nostra, I. antecedenter se habere ad nostram justitiam, ordine temporis

poris & naturæ, non secus ac meritum Christi, ex hypothesi Jesuitarum, non intrinsecè ad justitiæ nostræ constitutionem concurrere, ut in illis formaliter aut materialiter consistat nostra justitia, sed tantum extrinsecè; quod an conveniat placitis Pontificiis viderint ipsi.

III. Liberalius hîc loquitur Tirinus quam sui Gregales. Nam Cornelius à Lapide ad 2 Cor. IV, 17. §. 79. tribuit bonis operibus quod æternum gloriæ pondus operentur, *non physicè & efficienter, sed moraliter & meritorie*. At, inquires, Theologus quidam Belgii, qui author est libri inscripti *Thersites Heautontimorumenos, sect. 2. cap. 2.* defensusurus illud quod verè paradoxè, molliùs tamen, antea proposuerat tanquam paradoxon, ut multa alia æquè absurda in *disput. sua inaug. coroll. Theol. paradoxo 2. Bona opera ex usu Scriptura aliquo modo dici possunt causa vitæ æternæ*, longiùs progreditur, & statuit quod *sunt opera aliquo modo illud ad quæ, (dicendum fuisset ad quod) sequitur vitæ æternæ; sunt id quod produciunt vitam æternam; sunt principium per se ac physicè influens in effectum vitæ æternæ, seu influens esse in illum effectum; sunt id cuius vi posidemus vitam æternam, vi inquam, non eâ quam habent ex se, sed ex dispositione gratiæ divinæ; denique sunt instrumentum illud quod Deus voluit per gratiam suam elevatum & assumptum concurrere ad productionem vitæ æternæ*: R. Unam hirundinem ver non facere, nec pro doctrina Ecclesiarum Reformatarum admittendum, quod uni paradoxo capiti aliud ferè agenti exciderit. Hoc paradoxon Ultrajectinum receptæ in Ecclesiis nostris sententiæ, Scripturæ sacræ & gratiæ divinæ ex diametro repugnat; & plus tribuit operibus quam saltem verbo tenus Pontificii, qui non illis deputant, ut Thersitis author, *physicam efficientiam*, sed tantum causalitatem *moralen*. Loci 2 Cor. IV, & Phil. II, 12. non favent desperatæ illi causæ; nam momentanea tribulatio *καταργήσεται* gloriæ non *efficienter*, ipsam *physicè* producendo (quanta sit hîc disproportion, contra quam requiritur inter causam & effectum, patet ex Rom. VIII, 18.) sed tantum *antecedenter* eam tandem terminativè consequendo, uti liquet ex simili loco Act. IV, 22. Et conficimus nostram salutem, ut benè verit Beza, non producendo nobis illius possessionem vî bonorum nostrorum operum, sed illius possessionem studio virtutis & veniatis per stadium nobis propositum adeundo Heb. XII, 1. Ut enim

conficere

conficere Latinorum non est semper producere vel efficere, sed consequi, ita *κατεργάζεσθαι*, idem est juxta ipsos Lexicographos ex Thucydide quod *κρατῆσαι*; & Græcis τὸν βίον ἐργάζεσθαι est victum quærere, non vitam ipsammet efficere vel producere. Nec juvat Therisitem, quod velit illam causalitatem tribuere bonis operibus non quoad jus vitæ æternæ, sed quoad actualem ipsius possessionem. Nam causa possessionis obtinendæ alia esse nequit quam jus ipsum possidendi, quod merè est gratuitum. Sunt ergo bona opera *transitionalis* per quæ adeunda est cœlestis possessio, non causæ, quæ vel jus possidendi conferant, vel actualem possessionem efficiant: Neque operans est principium quod salutaris, aut primarium aut secundarium, sed tantum ejus subjectum, ut inde opera non possint dici principium quo salus obtineatur: Nec aliter vita æterna se habet ad opera ut merces ad laborem, messis ad sementem, corona ad cursum, quam terminativè & consecutivè, nullo modo effectivè & productivè: Theologi quidem Reformati urgent bonorum operum necessitatem ad salutem, sed eam statuunt duntaxat præsentis non efficientis; Media ea confitentur, sed transitionis & per quæ eatur ad regnum, non operationis & quibus illud obtineatur: Quin non defuerunt qui bona opera media ad salutem negarent, ut Maccovius, ne causalitatem aliquam ipsis tribuerent: Faciunt quidem bona opera ad salutem adeundam, non vero ad illam producendam; Atque sic via ad regnum à causa regnandi distinguitur à Bernardo, ut nulla causalitas vitæ adscribi possit: Posse elevari per gratiam bona nostra opera ad eam efficaciam quâ producant physicè vitam æternam, est absurdissimum, propter disproportionem quæ intercedit inter ipsa & hanc, neque nostra merita sed sua dona Deus in nobis coronat, nec propter opera, ut Therisites falsò loquitur, consequimur vitam æternam, sed tantum per illa; & si ejus consequendæ instrumenta dicantur, moralia tantum erunt non physica. Quod si qui è nostris bona opera vocarunt causam vitæ æternæ, ea vocarunt causam consequentis non consequentis, & causam sine qua non, & causalitatis vocabulo, uti loquuntur, largè & improprie sumpto; nunquam verò vel per somnium dixerunt esse causam directè, propriè & per se influentem in ipsum effectum vitæ æternæ. Expendantur quæ testimonia pro

nia pro se citavit Therfitis author patebit quod dico; imo plurimos ex iis quos citat pro se disertè ipsi adversari, ut Calvinum, Amesium, Cameronem, Sohnum. Nitebatur potissimum iudicio Cl. Gomari; sed hic accuratè & fultè *ad cap. 2. Philip.* demonstrat bona opera, aut perpeffiones nostras, nullo modo censendas esse causas vitæ æternæ aut hanc earum effectum. Sed frustra immoror huic rei cum ineptum paradoxum seipsum satis refutet, nec possit aliis placere quam iis quibus trita via solet displicere: Audiat modo paradoxus Theologus quod dicit Cornelius à Lapide Jesuita *ad 2 Cor. 11, 17. Aeternum gloriæ pondus, operatur* (inquit) *non physicè & efficienter*, (ut Therfitès pertendit) *sed moraliter & meritorie: Hinc patent merita bonorum operum* (ex Jesuitæ opinione) *negas id Calvinus (& benè) & ex eo Beza: tantumque ait hic significari ordinem vel quo itinere ad gloriam perveniatur, scilicet per tribulationes: Sed hoc nimis est frigidum*, (Jesuitæ nempè & Therfiti) *nec enim iter sine via dicitur operari ipsum itineris terminum*; (imo sanè quia qui iter conficit, terminum assequitur) *nisi per iter non viam, sed ipsam itinerationem sive perfectionem accipias*, (ut revera debet) *qua sanè termini est causa* (in Schola Therfitis & Jesuitæ, non in rei veritate, si terminus sumatur uti oportet de termino ad quem & qui in fine itineris consequendus proponitur) *non tantam moralis sed & physica* (ut placet Therfiti) *proprieque efficiens; quam si concedat Calvinus* (ut facit absurdè Therfitès, Jesuitis causam gratiæ proditurus) *in operibus bonis & meritis respectu mercedis æternæ, plus iis dabit* (arrigat hic aures Therfitès & fiat Heautontimorumenos) *quam dent Catholici qui non physicam & propriam* (ut Therfitès) *sed moralem tantam & meritoriam eis dant causalitatem & efficientiam.* Adde nostrum Tirinum *ad Phil. 11, 12.* illud Paulinum *Operamini*, in hæc verba interpretari, *Qua ad salutem promovendam ac stabiliendam faciunt, studiose procurete.* Sed hæc dicta sunt obiter, non ut vindicem injurias quas adhuc quotitè patior ab illo *ἀσώδῳ* & maledico Scriptore Therfitis, & quarum Deus vindex erit, sed ut gratiæ Dei causam, & Ecclesiarum nostrarum Orthodoxiam, quæ per eiusmodi paradoxa labefactatur, in arce collocem.

Patebit ex Controversia) Sed mox ad illam Controversiam hæc merita imaginaria refutabimus. Agnoscimus quidem Christum esse legis-

latores nostrum, per cujus etiam manum ipsa lex olim lata fuit Gal. III, 19. cujus mandatis debemus obsequi; imo & antiqua illum non confirmasse modo sed etiam vindicasse Matt. 5. & 6. ulterò damus; Nec inficiamur teneri nos necessitate præcepti ad Baptismi & Eucharistiæ susceptionem; Sed I. Baptismi & Eucharistiæ institutio Christo convenit potius quàm Redemptori, quam quàm Legislatori; sunt enim signa & sigilla Redemptionis quam in ejus sanguine consequimur: II. Neuter locus hîc Tirino citatus agit de Baptismo vel de Eucharistia; Nam Joh. III, 3. non Baptismi externi, sed Regenerationis internæ & spiritualis necessitas absoluta proponitur Nicodemo, ejusque peragendæ aqua & Spiritu, id est aqua spirituali & spiritu aqueo, prout Christus erat suos baptizaturus Spiritu & igne Matt. III, 11. Et Joh. VI, 54. proponitur fructus quem sint consecuturi qui spiritualiter & fide manducaverint carnem Christi & biberint ipsius sanguinem, non qui oraliter sacramentum corporis & sanguinis Christi, quod necdum institutum erat, perceperint; Et alii Pontificii ut nominatim Becanus cap. 23. de Sacr. q. 4. §. 2. præceptum communionis arcessere malunt ex com. 53. *Nisi manducaveritis* &c. III. Præcepta quæ nobis proposuit Christus ut *Legifer*, quàm *antiqua* quàm *nova*, non eo fine lata sunt ut ex illorum observatione formaliter justificaremur, quia tunc justificaremur ex operibus legis, contra Scripturam; Sed partim ut in Redemptionis & justificationis gratiæ certitudine & fiducia magis magisque corroboremur & confirmemur; quò spectant institutio Baptismi & Eucharistiæ; partim ut gratitudinem nostram ob eximium Redemptionis gratiæ in nos collatum beneficium studio novæ vitæ, cujus officia lege Dei exprimuntur, ipsi approbemus. Christus ut Redemptor nos justificat gratis; ut Legislator nobis proponit leges & officia quibus sanctificationis nostræ curriculum absolvi debet; ut nulla ratione colligatur *ex tot legibus ac præceptis* Christi, earum ideo urgeri observationem, quò debeat esse causa meritoria justitiæ & salutis.

Et rigidissimè præceptis) In genere præcepta Christi egregiis promissis & comminationibus horrendis suffulta sunt (sive Legaliter, sive Evangelicè considerentur) ut eorum magis urgeatur executio, non tamen ut ex eorum observatione justitia queratur apud Deum. Sed

paucis

paucis ad singula loca hic Tirino citata aliquid reponamus; De sensu loci Matt. v, 19. dixi tomo 1. *Com. xii, n. 3. p. 559.* Hic legis proponitur ἀξιωματικῶς & quod qui vel in uno peccaverit, reus sit omnium: Quod si ex isto axiomate debeamus justificari coram Deo, nemo planè justus deprehendetur, cum nemo sit qui non solverit & solvat quotidie plura ex his mandatis: Sic com. 22. manat ex illo rigore legis quod etiam ea peccata quæ sibi adversarii minima & venialia fingunt, contrahunt reatum gehennæ, qui non nisi sanguine Christi & justificatione gratuitâ per ejus meritum auferri potest. Joh. vi, 54. Evangelica salutis obtinendæ conditio proponitur, nempe spiritualis per fidem manducatio carnis Christi; nam figura est, inquit Augustinus *lib. 3. de doct. Christi. cap. 16. præcipiens passioni Domini esse communicandum & fuerit atque utiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit.* At quid hoc ad justitiam ex operibus consequendam? Matt. xviii, 3. conversio & respiscentia ac serâ humiliatio ut fidei justificantis adjunctum necessarium requiritur ad salutem, non quod ipse conversionis aut humiliationis actus sit meritorius justitiæ & salutis; imo illa ταπεινωσισίην quæ hic commendatur à Christo ad puerorum similitudinem, omnem superbam de propria nostra justitia opinionem debet excludere: Matt. xix, 17. sanctionem legis urget Dominus apud hominem justitiarium, cui satisfacere debent exactè, quotquot ex operibus legis justificari volunt: At nobis in Evangelio longè aliud dicitur, Noli timere, solum crede; Qui crediderit in Christum non peribit, sed habebit vitam æternam. De loco Jac. ii, 21. dixi *supra ad n. 7.* nec repeto. Abraham non fuit justificatus coram Deo ex operibus, sed fide vivâ & operosâ, cum offerendo filium suum per fidem demonstravit ὅτι ἡ πίστις ἐνέργησεν τοῖς ἔργοις αὐτοῦ. Audiatur modo non Calvinus, sed Augustinus in *lib. 83. qq. q. 76.* Quoniam Paulus Apostolus predicans justificari hominem per fidem sine operibus, non bene intellectus est ab eis qui sic acceperunt dictum ut putarent cum semel in Christum credidissent etiam si male operarentur & famosè flagitiosèque viverent salvos se esse posse per fidem, locus iste hujus epistola eundem sensum Pauli Apostoli quomodo sit intelligendus exponit. Ideoque magis Abraba utitur exemplo, vacuam esse fidem si non bene operetur, quoniam

Abraha exemplo etiam Paulus Apostolus usus est, ut probaret justificari hominem sine operibus legis. Cum enim bona opera commemorat Abraha quae ejus fidem comitata sunt, satis ostendit Paulum Apostolum non ita per Abrahamam docere justificari hominem sine operibus, ut si quis crediderit non ad eum pertineat bene operari; sed ad hoc potius ut nemo meritis priorum bonorum operum arbitretur se pervenisse ad donum justificationis quae est in fide. Jac. 1, 25. describitur quis sit beatus in suo opere, nempe qui introspexerit in perfectam illam legem libertatis, hoc est qui attentè & diligenter meditatus fuerit doctrinam gratiae & redemptionis Evangelicæ in Christo (quæ Jacobo appellatur lex perfecta libertatis, ut Paulo lex fidei Rom. III, 17.) atque in ea permanferit, verâ & perseverante fide, quia non fuerit auditor obliviosus doctrinæ tam salutaris, sed effector operis illius quod exigit juxta dictum Christi Joh. v1, 29. Hoc est opus Dei ut credatis in eum quem misit ille. Sed quid hoc ad operum merita, aut justitiam coram Dei tribunali ex legis operibus consequendam? Ipse Tirinus ad eum Jac. locum, legem hanc interpretatur, non Mosaicam qua servitutis erat & admodum imperfecta, sed Christianam (Euangelium nempe) qua libertatis lex est, liberans nos à peccato, à servitute demonis, inferni & caeremoniarum Mosaicarum. 2 Pet. 1, 10. particula quidem illa per bona opera deest in plurimis Codicibus Græcis, interea tamen faciles permittimus ut suppleatur; inserviunt autem illa non justitiæ & saluti promerendæ apud Deum, sed nobis confirmandæ à posteriori electioni & vocationi nostræ ad gratiam & salutem: In se quidem electio Dei & vocatio Dei certa est certitudine objectivâ Rom. VIII, 29. XI, 29. 2 Tim. II, 19. sed & aliis demonstratur, & præsertim cuique nostrum certior redditur certitudine subjectivâ ex pietatis & bonorum operum exercitio & studio, quod firmandæ & corroborandæ fidei plurimum inservit. Quid quod multi juxta Lorinum hæc opera apud Petrum de operibus supererogationis interpretantur: Et cum Oecumenius, Vatablus, Beda, Hugo, Thomas Anglicus, Carthusianus, fatente Lorino, locum Petri interpretentur de notificatione quæ fit aliis electionis & vocationis nostræ, ut certam facere electionem & vocationem nostram sit eam aliis compertam reddere, non video quid inde pro justitia operum & justitiæ

justificatione ex illis possit Tirinus colligere. Nec enim per id necessariò justificamur per quod vel confirmamur ipsi in certitudine electionis & vocationis nostræ, vel illam quantum fieri potest aliis compertam facimus. Matt. VII, 19. necessitas bonorum operum sic inculcatur, ut ille locus nihil faciat ad merita aut justificationem ex illis; Arbor mala censetur ea quæ per fidem & gratiam non est in bonam transmutata; & boni fructus indicant cui arbori parcat, sed non notant causam meritoriam propter quam ei parcat; nec efficiunt eam bonam, sed tantum ostendunt quod bona sit nec excindenda aut conjicienda in ignem. Matt. VII, 21. docemur quidem non omnes eos servandos qui externâ professione se Christi profitentur, sed eos demum qui tales se esse re & opere demonstrant: Sed Glossa est Jesuitica nec admittenda, quod omnes qui dicunt Christo, Domine Domine, id dicant *per fidem*: cum isti Pseudoprophetæ id dicant ore tenus & hypocriticè; Bredembachius hunc locum Matthæi post Augustinum conciliaturus cum eo quod dicit Paulus I Cor. XII, 3. neminem posse dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu Sancto, paucis sed nervosè monet, quod Dominus hoc loco DICERE extra propria significationis terminos extendens, pro eo accepit quod est voce sonare, sive quis ex animo sentiat ac velit quod sonat, sive non; Paulus autem dicere propriè accepit pro eo quod est ex animi sententia & veritatis amore loqui. Ergo ii quibus dicitur Non novi vos, dixerint quidem Christo, Domine Domine, sed ore tenus, non sentientes ex animo quod voce sonabant; Tales quidem profiteri Christianum nomen certum est, sed eos ideo credere in Christum perperam & falsò statueretur.

Et in extremo judicio) Pœna quidem decernetur demeritis, quia ex iustitia, sed præmium non decernetur meritis, quia dabitur ex gratia Rom. VI, 23. Quapropter Matt, xxv, 35. & seq. respectu impiorum particula *ἕνεκα* est causalis, & notat causam consequentis; sed respectu piorum est merè rationalis, & notat tantum causam consequentis: De hoc Matthæi loco jam dixi *sup. Com. 13. n. 8.* Bona opera proponuntur ut *τεκμήρια* & indicia juris quo pii sunt regnum cœlorum possessuri, sed jus ipsum in Dei Benedictione paterna, Adoptione gra-

tuita & Electione æterna fundatur. Feri testimonium huc spectans isthæc produximus, atque orthodoxam sententiam confirmavimus ex ipso Tirino: Ipsi pii & boni nulla hæc sua agnoscent merita, & Eleemosynarum miseris præstitarum nulla est proportio ad felicitatem æternam. Ridiculè verò Tirinus *ibi* sic loquitur, *Neque enim vult Deus ut solent homines filiis suis cæcâ manu dare regnum suum, sive illud mereantur & digni sint, sive non, sed tantum pro bravo & digno & promerentibus.* Nam Deus non habet filios duûm generum, quorum alii sint digni regno, alii indigni; sed quotquot fecit suos filios & adoptavit in Christo, illos eo ipso dignos effecit felicitatis æternæ, non ex meritorum suorum intrinseca dignitate, sed ex gratiæ suæ in Christo extrinsecâ dignatione. Fidei & incredulitatis nulla fiet mentio, quia iudicium visibile procedet ex iis quæ visibilia fuerint, nec fides aliter solet quam per bona opera ceu fructus suos innotescere.

Nam: 24. Atque hætenus de *justitiâ & gratiâ sanctificante*, ejusque SUBJECTO & conditionibus, itemque de causis, FORMALI, dispositivâ, & EFFICIENTE MORALI ac MERITORIA, saltem secundariâ: nam de reliquis causis, putâ, EFFICIENTE physica DEO; MORALI & MERITORIA principali CHRISTO; exemplari, IUSTITIA CHRISTI; finali, GLORIA DEI, Christi & nostrâ de quibus ROM. XII, 27. nullæ cum hæreticis sunt nobis Controversiæ. De causâ Instrumentali, putâ SACRAMENTIS & MINISTRIS Sacramentorum, agemus Controv. XVIII, & seqq.

Egimus etiam de EFFECTU FORMALI gratiæ Sanctificantis, qui est quintuplex; Primus, naturam per peccatum debilitatam corroborare (Controv. XIV, n. 8. 9. 15. & 16.) Secundus, remittere peccata, (Controv. XV, n. 3.) Tertius, justum ac sanctum facere, (Ibid. n. 2.) Quartus, facere gratum, amicum & filium Dei (n. 4.) Quintus, dare jus ad vitam æternam & hæreditatem coelestem; ibid. Restat solum nunc ut de alio duplici ejus, effectu morali, & quasi in genere causæ efficientis, agamus, nempe de *satisfactione* (de qua in Controv. XXIII, n. 8.) & *merito*, de quo nunc.

CENSURA. *Atque hætenus de justitiâ*) Hæc recapitulatio vix erat Tirino necessaria; nec illi refutandæ diu insistendum. Ejus & suorum prætor *quædam* est quod justiciam quâ justificamur coram Deo

Deo cum gratia sanctificante confundit, cum tamen Iustificatio & Sanctificatio distinguantur expressè in Scripturis. Quam benè processerit in illis proponendis quæ hîc commemorat, suo quoque loco visum est: Semper cavent Jesuitæ ne iustitiæ, cujus vi subsistimus coram Deo, *materiam* rotundè explicent: quia metuunt nimis dispalescere errores suos *dic. dia. vocat.* à Scripturis dissidentes; Et absurdè iustitiæ nostræ causam efficientem, moralem ac meritoriam saltem secundariam statuit Jesuita bona nostra opera, tum quia juxta ipsum in illis *formaliter* iustitia nostra sita est, ut ante disputavit, tum quia nec primariò, nec secundariò meritis nostris meremur iustitiam, si ipsamet iustitia, ut volunt adversarii, nostris meritis constet ac definiatur.

Nam de reliquis causis) Quid valeant ac conferant Ministerium Verbi ac Sacramentorum administratio ad justificationem nostram, suo loco dispicietur: Iustitia Christi est quidem causa *exemplaris* nostræ sanctificationis; sed nihilominus justificationis nostræ materia sive nostra iustitia coram Deo; Nec aliter Christus nobis promeritus est remissionem peccatorum & absolutionem ab eorum reatu, quam satisfaciendo pro nobis iustitiæ divinæ & eam præstando obedientiam loco nostro ad quam aliàs ex rigore legis tenebamur. Sed etiam dum ex Christo, sive Christi beneficio facit Tirinus causam efficientem, moralem & meritoriam principalem ac primariam nostræ justificationis, adstruit imprudens doctrinam Orthodoxam. Nam I. Si in eodem genere causæ debeat concurrere Christi beneficium ad nostram justificationem, ac opera nostra ex mente Pontificiorum, tum sanè ut volunt illi opera nostra esse materiam nostræ iustitiæ coram Deo, adeoque nobis illa in iustitiam imputari, ita debet Christi beneficium, satisfactio & meritum esse nostra iustitia coram Deo ac nobis imputari ad iustitiam: 2. Deinde hoc sensu valdè parum tribuendum erit nostris operibus; Quid enim deerit efficaciz meritoriz Christi beneficio, infiniti valoris & prætii, quod nostris meritis suppleri oporteat? Si perfectum est Christi meritum, nihil adici debet; Si imperfectum & in aliquo deficiens, an nostra merita illud supplebunt? Num sanguinem nostrum,

strum, ut Pilatus fecit in miseris illis Galilæis, miscbimus cum sanguine sacrificii nostri, & purpuræ illi regis pannum menstruatam justiciarum nostrarum assuemus? Apellis tabulæ, quas perficere nequiverat, manserunt postea imperfectæ, quod nemo reperiretur qui auderet penicillum ducere super opere tam excellentis artificii: **Quanto** minus poterunt homunciones suis imaginariis meritis sup-
 plere quod deerit merito satisfactionis & obedientiæ Jesu Christi? Verum non est quod de eo debeamus esse solliciti; nam ut eleganter dicebat Bernardus *serm. 61. in Cant. Domine memorabor justitia tua solius; Ipsa est enim & mea; Nempe factus es mihi tu justitia à Deo; Nunquid mihi verendum ne una ambobus sufficiat? Non est pallium breve quod (secundum Prophetam) non possit operire duos; Justitia tua justitia in æternum. Quid longius æternitate? Et te pariter & me operiet largiter larga & æterna justitia; Et in me quidem operis multitudinem peccatorum, in te autem, Domine, quid nisi pietatis thesauros, divitias bonitatis?* Igitur si voluisset Tiranus justificationis nostræ beneficium per suas causas luculenter descriptum, hac metho-
 do fuisset procedendum, ut ejus statueretur *Causa Efficiens principalis*, Deus suos absolvens à peccati reatu & justos pronuncians in Christo; *Causa Proëgumene*, ipsius misericordia & gratia: *Procatardice*, Christi satisfactio & meritum: *Exemplaris*, lex Dei exactissima, ad cujus amussim exigitur illa justitia, cujus vi & merito absolui-
 mur & justificamur coram Deo: *Instrumentalis*, fides viva, Christi obedientiam & justitiam apprehendens & sibi applicans: *Fidem* vivam dico, cujus adjuncta necessaria & indivulso nexu cohæ-
 rentia, resipiscentia & charitas; cuique ingenerandæ, alendæ, sustentandæ instrumentaliter gratiæ divinæ subserviunt, verbi *Ministerium* & *Sacramentorum* usus; *Finalis*, Dei gloria & salus hominum; *Formalis*, Remissio peccatorum sive satisfactionis & obedientiæ perfectissimæ Christi imputatio in justitiam apud Deum. *Materia* ex qua, illa ipsa Christi satisfactio & obedientia quæ nobis justificandis & absolvendis est pro justitia coram Deo; *Circa quam*, quæ *objectum* vel *subjectum occupationis* vulgo dicitur, omnes & soli electi ad vitam æternam; *In qua*, quæ aliàs *subjectum iustificationis* appellatur, potius ipse Deus justificans, quam homo justificatus, utpote qui licet
 perci-

percipiat intra se per Spiritum Sanctum absolutoriam justificationis suæ sententiam & pronunciari & obsignari, tamen potius se habet objectivé quam subjectivé ad gratiam justificantem. Sed priusquam manum tollo de hac tabula, quoniam Tirinus nos amandat ad Rom: 111, 27. circa justificationem, operæ pretium erit quæ isthïc habet annotare & paucis expendere: Ibi ergo sic loquitur: *Nota quare*, S. Paulum *plene omnes* (forté voluit dicere *pené*, quanquam non videam quid ultra queat desiderari) *justificationis causas hïc attingere*; *Efficiens enim causa est Deus*; *meritoria Christus*; *instrumentalis Christi sanguis*; *formalis (saltem ex parte) remissio peccatorum*; *disponens partialis & applicans fides*; *finalis ostensio justitiæ & gloriæ Dei*. Ex his autem verbis colligo contra Tirinum sequentia porismata: I. *Causa meritoria nostræ justificationis debet esse justitia nostra coram Deo*; sed Christus est causa meritoria nostræ justificationis: Ergo Christus ipsiusque obedientia est justitia nostra coram Deo. II. *Si fides concurret applicatívè ad nostram justificationem*, ergo illius est Christi meritum & justitiam apprehendere ac nobis applicare. III. *Quæ fides applicat & recipit justificationem*, ad illam se habet concomitanter & apprehensivé, non antecedenter & dispositivé. IV. *Cum Deus velit ostendere summam suam justitiam in gratuita nostri justificatione*, debet ergo ad illam justificationem admittere summæ illi suæ justitiæ præstitam satisfactionem plenissimam per Christum. V. *Si saltem ex parte formalis ratio justificationis nostræ sit remissio peccatorum*, Orthodoxé ergo loquimur, cum formam justificationis nostræ asserimus peccatorum remissionem, sive eorum non imputationem, sive imputationem justitiæ Christi. Interea perperam Tirinus I. Statuit remissionem peccatorum esse tantum ex parte formam justificationis nostræ; reluctante Paulo Rom: 1v, 6. cui justificatio, imputatio justitiæ sine operibus, & peccatorum remissio idem omninò sunt; Et suo loco vidimus remissionem peccatorum ex merito & obedientia Christi vel totalem esse formam justificationis nostræ, vel si quid amplius ad eam debet accedere id illi homogeneous plane debere esse, hoc est tale ad quod nos habeamus meré objectivé; non verò quod nobis inhzrenter & subjectivé insit. 2. Asserit fidem esse causam disponen-

tem, partialem & applicantem justificationis: Nam fides simul nequit, nisi vario respectu, dispositivè & applicativè se hinc habere; quam aliquem fidei actum agnoscimus dispositivum ad justificationem, ut explicatum dedimus in *System. nostro, loco xi, th. 57*. Nec partialiter se habet fides in applicatione sive apprehensione justificationis, cum illi soli hoc conveniat; Etenim quia per modum promissionis gratiæ justificationis beneficium in Christo nobis proponitur, illius acceptandi & nobis applicandi unicum hoc organum internum, nempe fides, dari potest; & fatetur Tirinus *ad Rom: III, 27*. quod ibi Apostolus causas justificationis nostræ enarraturus *expressè solius fidei* meminerit. 3. Distinguit Christi sanguinem à causa meritoria justificationis: cum sacrificium Christi cruentum ipsiusque perfecta obedientia ad crucem & sanguinem usque, sit ipsissima causa meritoria nostræ salutis, Christus vero persona merens: Et quando justificatio nostra deputatur *sanguini Christi*, sanguis ille non venit considerandus instrumentaliter tantum aut materialiter, sed hoc nomine tota Christi passio, satisfactio, obedientia plenissima, adeoque perfectissimum ejus meritum exprimitur.

Egimus etiam hic de effectu) Sed & hinc multifariam impegit Iesuita. Nam 1. Confundit ea quæ sunt gratiæ *sanctificantis* ac renovantis, nobis per Spiritum Sanctum subjectivè inhxerentis, cum ijs quæ sunt gratiæ *justificantis* ac condonantis, ad quam nonnisi objectivè nos habemus: Illi quidem debetur non solum naturæ per peccatum debilitatæ corroboratio, sed etiam ejusdem lethaliter vulneratæ sanatio, imo mortuæ vivificatio ad officia fidei & pietatis; adeoque ex hac fluunt in nobis, fides, spes, charitas, resipiscentia, sanctificatio, amor Dei, & quicquid est in nobis justitiæ ac virtutis. Huic verò tribuenda est reconciliatio cum Deo, remissio gratuita peccatorum, & quod simus Deo grati & accepti in Christo, adoptio filiorum, liber ad Deum accessus, & jus ad vitam æternam ac hereditatem cœlestem. 2. Dum hominum merita & satisfactiones non tribuit gratiæ nisi per modum effectus moralis oppositè ad ejus effectus formales, ostendit revera satisfactiones & merita Pontificiorum non deberi gratiæ diviniæ; utpote quæ non sint ab illa *formaliter*

moraliter sed tantum *moraliter*, ita ut fiant quidem ad illius præsentiam, non fluant tamen ex illius efficacia; nam quæ causa moraliter tantum agit, nullam habet vim physicam per quam in ipsum effectum influat, uti ex philosophia liquet. 3. Turpiter sibi ipsi contradicit; nam fidem & opera ac merita nostra designabat ante ceu causam dispositivā & efficientem moralem ac meritoriam saltem secundariam gratiæ sanctificantis; at nunc, si Deo placet, ipsa bona nostra opera & merita ejusdem gratiæ sanctificantis effectum moralem facit, ut nempe idem sit sui simul causa & effectus. 4. Si, ut hic insinuat, merita & satisfactiones nostræ sunt efficienter à gratia justificante, sive à justificatione, ergo non justificamur meritis nostris; nam causa omnis suo effectu prior esse debet; & per consequens gratia formaliter justificans, ipsaque justificatio, prior est meritis quæ ab illa moraliter fluunt. Denique in eo formaliter nostra justificatio sita est per quod formaliter constituimur filii Dei & hæredes vitæ æternæ, & jus habemus ad regnum cælorum: Sed jus illud illaque adoptio formaliter consistit in remissione gratuita peccatorum, nostraque reconciliatione cum Deo per Christum, non verò in nostris operibus vel meritis, ut dicat quilibet pius cum Bernardo *serm. 61. in Cant. Meum meritum miseratio Domini; & serm. 23. Sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium cui soli peccavi: omne quod mihi ipse non imputare decreverit, sic est quasi non fuerit; Non peccare, Dei justitia est, hominis justitia indulgentia Dei.*

CONTROVERSA. XVI.

DE

M E R I T O.

*Respondente*O T T O N E Z A U N S L I F E R O. O. F.
Frankothalio Palatino.Nunc:
I.

T opus aliquod fit propriè , seu DE CONDIGNO MERITORIUM, cui præmium ex justitiâ debeat, SEX requiruntur CONDITIONES, nempe tres ex parte OPERIS, duz ex parte OPERANTIS, & una ex parte DEI.

Ex parte OPERIS requiritur

Primò, ut illud sit LIBERUM (controv. XIII, n. 4. &c.) Eccli. xxxv, 10. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus: malum facere, & non fecit. Idem stabilis sumus bona illius.* I. Cor: IX, 17. *Si volens hæc ago, mercedem habeo.*

Secundò, ut opus sit in se BONUM: Nam ut controv: XII, n. 9. dixi, *odio sunt Deo impius & impietas ejus,* Sap: XIV, 9.

Tertiò, ut sit SUPERNATURALE, id est, elicium, vel saltem imperatum à virtute aliquâ infusâ, sive hæc Theologica fuerit, sive moralis. Rom: II, 10. *Gloria & honor omni operanti bonum:* Matth: XIX, 17. *Si vis vitam ingredi serva mandata:* Sed ex dilectione Dei, quæ primum est mandatum, reliqua omnia imperans: Alioqui si non nisi morale opus tuum fuerit, imperatum vel elicium à virtute tantum acquisitâ, cum hæc omnia sint mere naturalia, non possunt ullâ ratione censeri proportionata gratiæ aut gloriæ, quæ sunt entia supernaturalia. Vnde Christus Matth: v, 46. *Si diligitis eos qui vobis benefaciunt, quam mercedem habebitis? aut quæ vobis gratia est?* Luc: vi, 32. Et Apostolus passim ad Romanos, Galatas, Philippençes, & alibi, *justitiam quæ ex lege est*, seu naturali, seu Mosaicâ, rejicit tanquam *inutilem*, tanquam *egena elementa*, imò tanquam *detrimenta*: & *solam justitiam quæ ex fide Christi est*, vult justificare & salvare. Nec Matth: v, 4. & 7. alijs modis aut misericordiis, nec Matth: xxv, 35. in proximum beneficis, nisi ex amore Christi & Dei, promittitur aut offertur vita æterna.

Ex parte OPERANTIS requiritur Primò, ut ipse sit viator; Gal: vi, 10.

Dans

Quintempas habemus operemur bonum. 2. Cor: VI, 2. *Ece nunc tempus acceptabile.* Ioh: IX, 4. *Venit nox quando nemo potest operari;* Eccleſ: IX, 5. *Non habent ultra mercedem.* Secundò, ut ſit amicus Dei, ſeu in ſtatu gratiæ: Gen: IV, 4. *Reſpexit Deus prius ad perſonam Abel & Cain;* deinde *ad munera utriuſque;* Ioh: XV, 1. & ſeqq. ut fructum proferat palmes, requiritur ut vivat, ut ſit in vite, ut ſervitis in ipſo, &c. quæ non fiunt niſi per gratiam iuſtificantem.

Sextò, ex parte Dei requiritur ut ipſe promiferit, ſe talibus operibus daturum præmium vitam æternam. Iac: I, 12. *Accipiet coronam vite, quam re-promiſit Deus diligentibus ſe.* Luc: XXI, 32. *Complacuit Patri veſtro dare vobis regnam:* Matth: XX, 13. *Nonne ex denario conveniſti mecum?* Et quo jure alioquæ Deus, Dominus & creator omnium, obligaretur ex juſtitiâ ſuis creaturis, niſi ſe ipſe ſuâ ſponte obligaret?

CENSURA.) *Ut opus aliquod ſit propriè*) Poſt juſtificationem noſtram ex fide in Chriſtû ſufficienter demonſtratam ſuperiori Controverſiâ vix opus foret huic quam Ieſuita inſcripſit *De Merito* inſiſtere: Sed ordo quem hætenus ſervavimus exigit ut etiam hanc devoremus moleſtiam, & paucis Ieſuiticam doctrinam circa hoc caput excutiamus. De Meriti voce dixi fuſiùs *Antich. Rev. pag. 1. c. 26. ſ. 3. & ſeqq.* Caſſander in *ſcholiis ad hymn. Eccleſ. pag. 179.* agnoſcit vocabulum *merendi*, apud veteres Eccleſiaſticos ſcriptores idem eſſe quod *conſequi*; Et Vega *lib. 8. de juſtif. c. 8.* quandoque *uſurpari* apud Patres nomen meriti ubi nulla ratio eſt meriti neque de congruo neque de condigno. Sanè quod habet Paulus 1. Tim: I, 13. *miſericordiam conſecutus ſum,* *ἐλεείδην*, Cyprianus ad *Inbajanum* legit, agnoſcente Caſſandro, *miſericordiam merui*; Ambroſius *lib. 10. in Luc: 6. 22.* ſic loquitur: *O aqua qua ſacramentum Chriſti eſſe meruiſti, qua lavas omnia nec lavaris.* Auguſtinus *ſerm. 49. de temp. Peccator de ſe non deſperet, quia Paulus meruit indulgentiam.* Fulgentius *de incarnat. & grat. Chriſti c. 7.* *Ipſum Deum hominem factum & concipere & parere non humanis meritiſ, ſed concepti natiſque ex eâ ſummi Dei dignatione promeruiſ.* Et celebre eſt illud Gregorij, *O ſelix culpa qua talem meruit Redemptorem.* Eandem eſſe catachreſin Confessionis Auguſtanæ *art. 6.* Apologia ejuſdem nec non Confessionis Wirtembergeniſ in voce meritorum, agnoſcit Bellarminus *lib. 5. de juſtif. c. 1.* Id in anteceſſum præmonendum cenſui ut conſtet paulatim ex dubia Grammaticâ pejorem Theologiam factam eſſe; Ex quo enim verbum merendi cœpit frequentius

usurpari pro *consequi*, quod etiam ipsismet classicis authoribus fuisse in usu ex Terentio & Cicerone concedit Grotius *ad Matth: vi, 1.* homines Pharisæico supercilio turgentibus cœperunt bona nostra qualiacunque opera, merita appellare, quod illa vitam æternam suo sensu consequantur. Quin noster hic Tirinus dum operis *proprie seu de condigno* meritorij conditiones sex enarrat, non tantum abludit à suis, nam Bellarminus septem habet *lib. 5. de justis. c. 10.* Bœanus tantum quinque *de merito Cath. q. 1. §. 2.* sed etiam revera illudit suo lectori: Etenim hæc conditiones, uti sigillatim videbimus, possunt admitti, seu requisitæ ad opus illud constituendum quod verè *bonum* sit & Deo gratum & acceptum, non verò ad vim propriè meritoriam & de condigno, de qua dicendum erit infra num. 5. illi instillandum: Ut agnoscimus studendum esse bonis operibus, imò etiam cum respectu ad gratuitam remunerationem quam Deus promisit nobis in suo verbo, sic pertendimus ea propriè aut de condigno non esse meritoria, quandoquidem ad opus propriè meritorium constituendum requiritur, Primò ut sit indebitum: nemo enim meretur persolvendo quod debet Luc: xvii, 10. Secundò ut sit perfectum omnibus suis numeris adeoque æquale & proportionatum mercedi & præmio; quam proportionem & æqualitatem Bellarminus ipse exigit *lib. 5. de justis. c. 17.* idque, ut indubiè statuit, conformiter *Concilio Tridentino & Principibus Theologorum S. Thoma, in 1. 2. q. 114. art. 1. ad 3. & art. 3. Sancto Bonaventura & alijs in 2. sent. dist. 23.* Tertiò ut sit in solidum illius qui operatur, non verò ulla ratione ejus apud quem studet mereri: nam ut juxta philosophos omnis justitia sic etiam omne meritum est ad alium; ita ut nemo apud se operibus quorum præcipuus author extiterit quidquam mereatur. Quartò ut merces & præmium tali operi ex justitia debeatur; nam Angelus de Clavaſio in *Summa ad vocem Meritum*, illud sic definit, ut statuatur *actio quæ sit ut ei qui agit sit justum aliquid dari.* Et Bellarminus *lib. 5. de justis. c. 1.* ita statuit bona opera esse *verè & propriè merita, & merita non cujuscuque præmii sed vite æternæ*, ut judicii ultimi modus in quo Deus summus judex pro meritis præmia distribuet, sit futurus *secundum justitiam commutativam, quæ Deus constituet absolutam æqualitatem inter opera & mercedes.* Ad has autem conditiones

tionem exacta fidelium opera negamus merita proprie dici posse, quoniam Primò sunt ita debita ut etiam prestitis ijs ad quæ tenebantur servos se inutiles debeant profiteri. Secundò sunt mutila, imperfecta & manca, nulloque modo proportionata vel æqualia gloriæ in ipsis revelandæ Rom: v 11, 18. 2. Cor: iv, 17. Tertiò non sunt tam ipsorum quam Dei in ipsis Eph: i, 20. qui non tam eorum merita quam sua dona in illis est coronaturus. Quartò merces quæ illis promittitur merè est gratuita & indebita, adeoque expectanda non ex interno operis merito & intrinseca illius dignitate, sed tantum ex coronantis liberrima dignatione Rom: iv, 4. Unde Thomas & alij Scholastici merito negant dari locum justitiæ commutativæ inter Deum & homines Rom: xi, 35. In meritis quodam sensu reiiciendis cum Scriptura loquimur & cù Antiquitate Catholica: Scriptura enim Gratia in solidum & Merito ac perfectissimæ Satisfactioni Christi nostram ascribit salutem, rejecto non semel priorum operum merito, Rom: iii, 23. 24. 27. vi, 23. xi, 6. Gal: ii, 16. v, 4. Antiquitas verò Catholica meritum proprie dictum semper detestata est, aded ut Bernhardus adhuc diceret suo tempore *serm. 61. in Cant. Meritum meum miseratio Dei; & serm. 68. Sufficit ad meritum scire quod non sufficiant merita*: Et sacerdos in Canone Missæ compellat Deum *ut venia largitorem, non ut meriti aestimatorem*. Imò apud Vegam *opusc. de meritis q. 4.* Thomas Waldensis sic scribit; *Ille est sanior Theologus, fidelior Catholicus & sacris Scripturis magis consentiens, qui merita simpliciter abnegat, & cum modificatione Apostoli & Scripturarum agnoscit quod simpliciter nemo mereatur regnum caelorum, sed ex gratia Dei & voluntate largitoris*. Hinc in *Ordine baptizandi Venetijs excuso anno 1575.* hæc adhuc legentur; *Credis non propriis meritis sed passionis Domini nostri I. Christi virtute & merito ad gloriam pervenire? Item, Credis quod Dominus noster Iesus Christus pro nostra salute mortuus sit, & quod propriis meritis vel alio modo nullus possit salvari nisi in merito passionis illius?* Sed Index Expurgatorius Inquisitionis Hispanicæ hæc verba inducenda fancivit. At nunc paucis percurramus conditiones à Tirino allatas, & videamus quàm malè & ipsius menti & aliorum in Papatu convenient.

Primò ut illud sit liberum). Primò in genere ad rationem meriti parum facit, ut quis operetur vel coactè & invitus, vel liberè & ultro =
Sanè

Sanè inter homines quò violentiùs & vehementiùs quis aliquem mercenarium coëgerit ad aliquid faciendum in sui gratiam, eo iustius tenetur ad operis præstiti mercedem persolvendam: Et si quis cogatur nomen suum militiae dare, ut sæpè inter Hispanos contingit, non idè censetur stipendia sua non mereri, eò quod non sponte sua militet. Inò si quis suâ sponte inædificaverit fundo alieno, dubitatur an proprietarius teneatur erga illum ad sumptus & mercedem. Deinde Sancti in cælis liberrimè Deum diligunt, & liberrimè ac celerrimè Angeli ejus mandata exequantur; eos tamen mereri ipsimet Adversarij negant; Quare concesserim id requiri ad opus verè bonum, ut fiat spontè, liberè & alaciter Psal: cx, 1. 2. 2. Cor: ix, 7. Philem: 14. 1. Pet: v, 2. Sed ea alacritas & spontaneitas meritum propriè dictum non efficit. Nec contrarium probant loca Tirino hic citata. Syracides xxxi, 12. eum censet laudandum inter bonos, qui cum posset malè facere à malo abstinuit, eò magis sanè quod impunitas sit illicium ad scelera, & in sublimi fortuna homines sibi permittant plusquam decet, eò quod ipsis liceat quantum lubet: Sed quis hoc vel ad meritum coram Deo, vel ad eam libertatem de qua Tirinus? Quod si posse malè facere & facultas peccandi requiratur ad meritum, negetur ergò Christum quicquam nobis meritum esse, cum vi unionis hypostaticæ impeccabilis fuerit. Paulus 1. Cor: ix, 17. nihil aliud sibi vult quàm debere se alacriter & spontè ministerio sibi commisso vacare, si promissam mercedem gestiat recipere. At hinc merita exsculpere nemo poterit, aut efficere necessariam esse libertatem indifferentiæ ad opera meritoria: Quin si attendamus glossam Tirini *ad eum locum*, ex illa facilè ipsum jugulabimus: Nam illud *ἰκὼν* Apostoli interpretatur *liberaliter & gratis*, idque *citra præceptum Christi*, ut Apostolus tum demum mercedem *copiosam & excellentem* expectaverit, si fecerit plusquam tenebatur Christi mandato; eadem cariturus si evangelizaverit *ἰκὼν non suâ sponte, non liberaliter, non gratis, sed solum præstando quod præcepto Christi præstare* cogebatur. Hinc enim sequetur id solum *ἰκὼντι θυμῶν*, & liberè ac sponte fieri quod sit gratis & citra omne Dei præceptum, & mercedem solis ejusmodi supererogationibus deberi,

beri, quæ solæ per consequens meritoria censendæ erunt; quod quam sit absurdum etiam in Theologia Pontificiâ nemo non videt: Porro spontaneitas illa Pauli consistebat in indefatigabili illâ alacritate quâ in suo *hoc age* versabatur, nullâ prætermisâ occasione & commoditate promovendi regni Christi, non verò in faciendo id ad quod non tenebatur; cum ex vocationis suæ naturâ teneretur etiam de suo jure remittere, neque mercedem sibi ob labores Euangelij debitam ab Ecclesijs exigere, quoties major ædificatio publica & suprema illa lex, salus nempe populi, id postulare videbatur.

Secundò ut opus sit) Hæc conditio coincidit cum tertiâ: cum bonus sit ille actus qui à virtute aliquâ infusâ vel elicitur vel imperatur. Verum neque hæc bonitas operis vim meritoriam illi indit; cum juxta Pontificios propriè bona sint plurima opera Ethnicorum & infidelium, qui tamen non merentur apud Deum, saltem *de condigno*; & bona statuenda sint longè excellentiori bonitate eâ quæ in operibus fidelium deprehenduntur opera Angelorum, quæ tamen non esse meritoria statuunt Adversarij.

Tertiò ut sit supernaturalis) Primùm hæc conditio concurrat, non solum cum secundâ, ut modo dixi, sed etiam cum quintâ: Secundò ommissa est à Becano 2. part. *Theol. schol. tom. 1. tract. 4. c. 5. q. 1.* Tertiò repugnat hic Tirinus suo Bellarmino, qui *lib. 5. de justis. cap. 15.* respuit & refutat sententiam Guilielmi Altisiodorensis, *Meritum prius & principalius à fide quam à charitate pendere, &* omninò pertendit opus bonum & meritorium demum ex *charitatis virtute* procedere: Frustra enim ad charitatis virtutem restringitur opus meritorium à Bellarmino, si tale censendum sit, ut statuit Tirinus, quilibet actus vel elicitus vel imperatus cujuscunque alterius virtutis infusæ, sive *hæc theologica fuerit sive moralis*; in quo multum recessit à suorum principiis: Nam cum juxta eos homo possit elicere actus spei & fidei etiam cum est in peccato mortali & excidit suâ charitate, si quilibet actus virtutis cujuscunque Theologicæ sit meritorius, etiam homo mereri poterit cum est in statu peccati mortalis, ut illi loquuntur, quando quidem etiam in eo statu & charitate destitutus potest elicere actus spei & fidei, quod non puto alios Iesuitas admissuros. Quartò hoc ipsum quod

requiritur ad opus meritorium, meritum everte : Etenim omne opus supernaturale fit ex gratiâ ; Ea verò est gratiâ & meriti antithesis etiam apud Paulum Rom: x1, 6. ut quò potiores sunt gratiâ partes in aliquo opere, eò minus meriti propriè dicti habeat, fatentibus sanioribus é Papatu ; & multò magis propriè meritoria fuissent futura opera Adami in statu innocentie (quam illi fuisse connaturalem suo loco visum est) quam opera quæ fiunt à fidelibus ex gratiâ medicinali, quæ non tam ipsorum sunt quam Dei in ipsis & per ipsos. Unus hinc mihi sufficiat Iansenius Yprensis Episcopus *August. p. 2. lib. de grat. priq. in hom. & Ang. cap. 16. Inter mercedem & meritum, inquit, est quidam respectus mutus & naturalis quadam dependentia, unde nascitur ut id quod in uno reperitur in altero redundet ; Vtrumque autem habet quandam oppositionem ad gratiam sed gratuitum donum : Nam quò meritum majorem includit & supponit gratiam ejus à quò merces ejus expectanda est, tanto minus rigorosa justitia meritum est ; & è contrario quò aliquid magis gratis datur, eò mercedis ratio minus est rigorosa. Merces enim id propriè est quod operi sive merito ex justitia debitum est ; juxta illud Apostoli, Si autem gratiâ, jam non ex operibus, alioquin gratiâ non est gratiâ ; Hæc est si aliquid gratis alicui datur, jam non datur ex operibus sive merito, quia meritum repugnat quodammodo gratiâ. Unde & alibi idem Apostolus, Ei qui operatur merces non impusatur secundum gratiam, sed secundum debitum &c. Denique non probant hanc conditionem requiri ad meritum quæ hinc à Tirimo profertur : Loca Rom: 11, 10. Matth: xix, 17. continent sanctionem legalem quæ maxime viguit in statu innocentie ; in quo potius naturalia fuissent bona opera hominis quam supernaturalia, cum ex infitis sibi principijs & dotibus bonum operatus fuisset, non ex auxilio medicinalis gratiæ : & hæc sanctio legalis exigit simpliciter ut verè bonum fiat, non attendit ex quo principio : Ad hæc Angeli in gloria confirmati operantur bonum & servant mandata, etiam ex supernaturali principio & vestâ Dei dilectione, nec tamen opera eorum ideo sunt meritoria.*

Alioquin si non nisi morale) Sed primò neque piorum opera quæ fiunt ex gratiâ supernaturali sunt ullâ ratione proportionata gloriâ in nobis revelandâ ; & si proportio requiratur, ut requiri debet inter meritum & præmium, concedenda non erunt merita de congruo qualia sunt ad

cuere

eūre Scholastici, quoniam opera moraliter tantum bona, fatente Tirino, nullā habent proportionem cum gratiā; Deinde Christus Matt: v, 46. Luc: vi, 32. non vult astruere merita proprie dicta, si aliquid amplius fecerimus quam quod faciunt in vita civili Ethnici & Publicani, sed vult ostendere latius patere nostrum officium, nec intra tam arctos cancellos esse restringendū; Imò dum id quod merces dicebatur Matthæo, χάρις. vel gratia appellatur Lucæ, eò ipso ostenditur mercedem quæ promittitur nobis amplius facientibus quam Ethnici & Publicani, & aliam quam Pharisæi iustitiam sectantibus, non esse ex debito & proprie dictam, sed merè gratuitam & indebitam, quæ id habeat mercedis quod certò reddatur, non verò quod propriis meritis acquiratur.

Et Apostolus passim ad Romanos) Benè est quod Tirinus agnoscat non ceremonialia modo, sed moralia etiam opera quæ fiunt secundum Dei legem, passim reiici ab Apostolo, ut sola iustitia quæ ex fide Christi est stabiliatur: quò sic constet cum iustitia fidei & Christi merito nostrorum operum merita non posse consistere: Et parum interest ex quo fiant opera illa principio, cum eò magis meritoria esse debeant, quò minus participant de gratiæ auxilio: Atque Abrahami, Davidis, ipsiusque Pauli exemplo constat reiici ab Apostolo non solum opera quæ fiunt ex natura corrupta & ante regenerationem, quæ cum sint peccaminosa nihilque vetè boni habeant, in considerationem venire hic non poterant; sed maximè ea quæ fiunt ex auxilio gratiæ & à regentis, non quod non sint præstanda, sed quod illis nec imitandum nec confidendum ad justificationem & salutem Rom: xv, 2. 2r 3. 4. 5. 6. Psal: xli, 21, 2. Phil: iii, 8.

Nec Matthæo, 4. 9. 7. aliis). Sanè & hic & Matthæo, xxv, 35. significatur qualitas personarum quibus promittitur regnum celorum, non æqualitas aut condignitas meritorum quibus debeatur. De Matt: xxv, 34. 35. diximus fusè ad Contr. xiiii, 2. p. 95.

Ex parte operantis requiritur) Prima harum conditionum est valde absurdæ: Nam etsi tempus huius vite sit tempus studendi bonis operibus & viam illam ementiendi quæ itur ad celum, prout bona opera sunt via ad regnum non causa regnandi, tamen non video cur status ipsi imperfectiorum operum eorum operibus maiorem animandam non-

pe meritoriam, quam perfectior status eorum qui jam iter suum emensi sunt : Nam quò perfectius est opus eò est dignius ; & si debeat mereri ex condigno , magis tunc meritorium censebitur ; perfectiora autem esse comprehensorum quam viatorum opera , nemo quod credam audebit negare : Adhæc volunt Pontificij Christum à primo suæ conceptionis instanti fuisse comprehensorem : Qui ergò poterit & sibi, ut volunt, & nobis, ut certissimum est, mereri salutem & vitam æternā, si mereri est solius viatoris? Quid quod Iesuita Drexelius in *Memoriali aternitatis*, Patrem precatur per merita Christi, B. Virginis & sui Angeli custodis, quem tamen viatorem nemo dixerit. Præterea qui sunt in purgatorio, ex Adversariorum mente, viatores esse desierunt, & tamen videntur posse mereri , ex eorundem hypothesi trifariam. 1. quod possint satisfacere pro suis peccatis justitiæ divinæ. 2. quod possint precari pro aliis, jisque de congruo saltem mereri aliquid. 3. quod & sibi ipsis aliquid propriè mereri possint , ut docet Puteanus in 3. *Thoma q. 87. Art. 1. dubit. 3.* Loca quæ hic à Tirino congeruntur nil ad rem faciunt. Primus, secundus & tertius ex Gal: vi, 10. 2. Cor: vi, 2. Ioh: ix, 4. ostendunt quidem quam seduli & diligentes debeamus esse in studio pietatis , dum versamur in stadio hujus vitæ nobisque gratiæ carceres panduntur, eò magis quod ex momento mortis quæ instat, pendeat æternitas gaudiorum aut poenarum ; sed non probant , vel bona nostra opera esse meritoria vitæ æternæ , vel eò esse meritoria quod fiant in via , ejusque luto & sordibus respergantur. Quartus Eccl: ix, 5. longè est ineptior ; Mortui enim dicuntur nullam amplius habere mercedem , non respectu mercedis æternæ per merita bonorum suorum operum reportandæ; cum jam gratuitâ illâ mercede in cælo , si sint beati , plenissimè fruantur ; sed respectu deliciarum & divitiarum quas mortales sibi præstituunt in finem & mercedem laborum quos solent exantlare in hac vita. Titelmanus *ad hunc locum*, putat id dici ex hominum carnalium præpostero iudicio , qui existimant quod cum corpore simul intereat anima ; & sibi persuadent post mortem nil scire homines , nec habere ultra mercedem , hoc est , nihil illis manere præmiis post mortem , sicut animalibus brutis post mortem nihil relinquitur mercedis. Imò Glossa ordinaria observat , nec improbat

aut

aut refutat, quosdam ex eodem Salomonis loco asserere *etiam post mortem crescere & decrefcere merita*. De altera conditione, statu scilicet gratiæ, jam ante dixi gratiam excludere omne meritum propriè dictum; cum qualescunque nostri conatus, licet debiles & imperfecti, admittantur à Deo non ex intrinsecâ eorum dignitate, sed ex gratuita ac extrinsecâ ipsius dignatione: Et Abelis exemplum hic Tirino citatum Gen: iv, 4. ostendit personas nostras non reddi acceptas & gratas Deo per nostra opera, sed é contrario nostra opera commendari propter nostras personas, eò quod simus filij Dei, gratuito justificati sanguine Christi, quorum conatus admittit Pater optimus ex mera liberalitate, eorum defectus, contendo Filij sui obedientia & merito: Locus Ioh: xv, 1. & seqq. probat quidem nihil boni nos facere posse extra Christum, quod etiã merita de congruo evertit: sed non probat bonũ quod facimus esse per se meritorium vitæ æternæ, vel hanc infontionem Christo & gratiæ Christi communionem vim meritoriam conferre bono nostro.

Quid quod dubitatur inter Pontificios num Catechumeni & Pœnitentes, quorum illi nondum sunt in statu gratiæ, hi eo exciderunt, possint mereri vitam æternam? nec deesse qui id affirmet constat ex Bellarmino *lib. 5. de justif. c. 13.* Imò cum bona opera faciant Iesuitæ trium ordinum, *Viva qua sunt ab homine existente in gratia, mortua qua sunt ab homine existente in peccato mortali, & mortificata qua primò facta sunt in gratia & postea per peccatum mortale & superveniens impedita*, ut argutatur Becanus *c. 34. de sacram. q. 1.* possit quæri à Iesuitis cur non bona opera mortua æquè accenseantur meritis, ac viva & mortificata? aut cur non æquè mortua vivificentur per respicientiam, ac merita qua per peccatum mortale fuerant mortificata, rursus per penitentiam reviviscunt, ut ex Thoma & aliis Scholasticis idem Becanus isthæc asserit?

Sextò ex parte Dei) Non solus Michaël Bajus, quem innominatum perstringit Bellarminus *lib. 5. de justif. c. 14.* censuit in Papatu opera bona ex natura sua esse meritoria vitæ æternæ, ita ut non requiratur pactum ali- quod vel gratuita promissio ex parte Dei, sed idem statuunt Cajetanus & plerique D. Thoma sectatores, ut indicat Becanus *tract. 4. 1. tom. 2. part. Theol. Schol. c. 5. q. 1. §. 11.* Eiusdem esse sententiæ Dominicum à Soto *lib. 3. de nat. & grat. c. 7.* monet Bellarminus *lib. 5. de justif. c. 17.* Et

Valquez, citatus à Rivo: *Somma. Cate. tradi. 459. 17. n. 7. probabilis iudi-*
catur & Catholica doctrina magis confitatur, primum valorem & dignitatem
vite aeternae absque ullo pacto & favore operibus iustorum ascribendam esse; hoc
opinio quod in se iustitia per auxilium gratiae moventis facta sunt. Nec ablu-
dit ipse Becanus, statuens Deum quidem non teneri ex iustitia com-
pensare bona nostra opera. scilicet pacto & promissione; sed nihilomi-
nus ea per se digna esse; & proportionem habere tam vite aeternae citra om-
nem promissionem Dei de retributione; Ad hoc hinc parum sibi con-
stant Pontificij: Sed promissio Dei gratuita non tam operi fit &
labori ex intrinseca ipsius dignitate; quam operanti & laboranti ex
liberali dignatione & acceptatione promittentis. Patet qui promit-
tit suo filio novam vestem si lectionem suam bene recitaverit; aut
ullquot lineas bene descriperit; potius personam sibi attendit; quam
splendide hoc promisso vult extimulare ad officium sacriliter pra-
standum; quam operis meritum & valorem: Promissio Dei, men-
cedis gratuita certam representationem nobis facit; Qui enim pro-
mittit fidelis est; qui etiam faciet; At nihil addit operi nostro mer-
iti vel dignitatis: Promisit Deus remissionem peccatorum resipienti
& se convertenti; Becanus tamen V. S. q. 5. negat posse quenkquam
mereri remissionem post ipsam; sive peccati mortalis in quod incide-
rit remissionem. Unde patet non omnem promissionem divinam con-
dere meritum rei cui promittitur. Nec scopo Iesuita infervit
locus quae hic citat: Promissa est corona vitae à Deo Iac. 1. 12. diligen-
tibus se sincerè & ex fide; sed non ipsius dilectioni ex interna sua
dignitate; cum in fidelibus tam debilis sit & multis distet para-
fangis ab ea perfectione quam lex exigit: Christus Luc. xxi. 32. non
vult ut ex nostris operibus regnum caelorum praestolemur; sed ex Dei
benelictio, liberalitate & gratia: Titulam hic nobis proponit non
acquisitionis per merita; sed donationis per gratiam: Parabola ve-
ro quae citat Matth. xx. 12. 13. merita funditus subruit; cum ope-
rum condignitas non attendatur in iis qui vitæ horulam integram in vi-
tae erant operati; quando idem referunt praemium ad illi qui vestram
& pondus aëris perculerant: Nec malè Ferus ad eum Matth. xxv. 12.
Docet primò hæc parabola gratiam esse non meritum quiddam à Deo nobis datur:
 1277 17

Operis enim iustitia nostra tanquam panis mensuratur, imò ne quidem iustitia
 nos huius temporis sunt condigna ad futuram gloriam. Quod si aliquando merito
 deus audis polliceri, scias non ob aliud parissimum esse debitam quam ex promissa
 fuisse divina: Grati promissis, gratia & ex iustitia reddi. Si signum gratiam
 & favorem Dei conservare cupis, nullam meritorum tuorum mentionem facias. Ex
 misericordia enim cuncta donare vult, nec tamen ob id sequitur operandum in
 seculum, ut qui tam benignum vultu sumus dominum. Ex paulo post. In
 isto ubi nullum est debitum sed ex gratia omnia prestatur. In nullo sit iustitia.
 Quia videmus illos iustitiam, qui pro operum suorum merito non ut
 patrisfamilias munificentia mercedem expectant & expectant, calce ex
 cludi, & e contrario, ut observatum Augustino in Psal. 118. mercedem
 non operis sed misericordia audocima horum operarios consequi. Quare non
 iustitia obligatur Deus suis creaturis, ut iustitia locat officina tolli
 dendi cuique quod suum est, quoniam si ex hac iustitia Deus nos
 tra opera expenderet, nihil illis rependeret, præter damnationem
 æternam. Sed utro se obstrinxit nobis suis promissionibus gratuitam
 in quibus explendis demonstrat suam beneficentiam, fidem & veritatem
 citatem, quæ iustitiæ nomine quandoque venit in scripturis. Iob
 1, 9. Hoc sensu dixit August. serm. 16. de verbis apost. Dabitur vobis factis
 est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo.

Nam, ut opus sit DE CONGRUO MERITORUM, qui neque
 premium non ex iustitia, sed ex congruitate solum, seu decentia debeatur,
 requiruntur vel solæ quinque priores conditiones, iam dictæ: vel
 sine quinta, quatuor priores & sexta. v. g. Iustus orans instantè pro peccatore,
 meretur, sed solum de congruo, ut illi dentur gratie præventivæ
 & necessariæ ad conversionem: nam deest hæc promissio Dei. Ier. xv, 1. &
 scriptis. Moyses, & Samuel orant me, non est anima mea ad populum istum. Sic peccator
 cooperatus gratiæ Dei excitanti, ex fide & spe eliciens a cum con
 versionis, meretur de congruo gratiam justificantem: nam licet non fuerit
 amicus Dei, tamen hoc divinitus promissum est. Ezech. xxxiii, 30.
 Convertimini ad me & agite penitentiam, & non erit vobis iherusalem iniquitas. Cap.
 xxxiii, 14. Si geris penitentiam impius, vult deus, & non iudicabit.

GENSURA Ut opus sit de congruo meritorum: Distributio illa me
 ritorum in merita de congruo & de condigno, à quibus in consuetudine
 Pontificia

8070

Pontificiã tanquam incongrua rejecta fuit , nominatim à Thoma Waldensi, & Paulo Burgenſi, ut agnoſcit Bellarm. *lib. 5. de juſtif. c. 16.* Imò meritum de congruo propriè non habere rationem meriti, agnoſcit Becanus eã *quaſt. 1. c. 5. q. 10.* quam ſupra ſæpiùs citavi. Idem repetit *eod. c. q. 10.* ubi ſic loquitur. *Alterum meritum quod vocant de congruo propriè non habet rationem meriti, ſed tantum cujuſdam congruentiã, ac proinde non eſt neceſſe de eo diſputare: Nihil enim certi de eo affirmare poſſumus &c.* Et Stapletonus *lib. 2. de pecc. orig. c. 4.* Meritum de congruo, inquit, *reſpectu prima gratia jam olim expoſitum eſt, nec à probatoribus Scholaſticis, ut à S. Thoma in Summa & poſterioribus ſcriptis, ejuſquæ ſequacibus unquam admiſſum: ac ibi graviter noſtris iraiſcitur quod hanc doctrinam meritorũ de congruo imputent Eccleſiæ Romanæ, cũ apud ſuos Catholicos in confeſſo ſit vires, natura ſic per peccatum originale fractas eſſe ac debilitatas, ut neque ſine habituali dono per Chriſti gratiam jam inſuſo Deum diligere vel ullum bonum opus ut oportet & ut meritotium eſſe queat præſtare valeat, neque ſine ſpeciali auxilio Dei per liberum arbitrium ad oblatum gratiæ donum acceptandum cooperari.* Et cum Durando in *2. ſent. diſtinct. 27. q. 2.* & Gregorio Ariminenſi in *1. ſent. diſt. 17. q. 1. art. 2.* ut obſervat Bellarminus V. S. ipſum meritum de condigno, congruum debeat dici reſpectu condigni propriè ſumpti, non video quem locum illi ſcriptores reſiduum fecerint meritis de congruo. Nec dubium quin ex Pelagianorum lacunis illam doctrinam Pontificii in ſuos alveos derivarint. Hic noſter Tirinus planè incertus eſt quid ſtatuat. Primò abſurdè cenſetur Deus debere aliquid *ex decentia & congruitate,* quod tamen nec ex juſtitiã nec ex promiſſione debeat: Etenim nescit Ieſuita an ſexta meritorum de condigno conditio, in his requiratur: Secundò non poteſt certa ratio diſcriminis inter has meritorum ſpecies aſſignari: Tirinus ad hæc modò exigit promiſſionem Dei, modò non; Bellarminus *lib. 1. de juſtif. c. 21.* ſtatuit *potiùs fundari meritum de congruo in aliqua dignitate operis, quam in promiſſione:* cum tamen meritum quod in operis dignitate fundatur debeat potiùs dici de condigno. Tertio non ſine ingenti contradictione Tirinus in his meritis de congruo modo ponit modò removet quintam conditionem, nempe ſtatum gratiæ. Si ponatur, tum meritum de congruo, fiet de condigno; quia ut placet Becano v. s. *opera hominis juſti & exiſtentis in ſtatu gratiæ, per ſe digna*

digna sunt & proportionem habent cum vita aeterna, quia procedunt ex gratia qua est semen gloria: Si removeatur tunc nec habebit hoc opus tertiam conditionem, ut sit supernaturale; cum nullum detur opus supernaturale in hominibus nisi quod manet ex gratia: Et sic merita de congruo spectabunt ea opera qua fiunt ex solis viribus natura, uti plurimi censuerunt Scholastici, quod tamen præfractè rejicit Bellarminus V. S.

Iustus orans instanter) Scilicet isti homines non contenti sibi mereri, volunt etiam mereri aliis, hoc est, aliorum Christos & Redemptores se constituere: Sanè qui obtinet sibi vel aliis suis precibus aliquod beneficium Temporale vel Spirituale, is tale beneficium non sibi meretur nec alijs. Nihil meretur ex parte dantis qui sibi vel alteri mendico stipem petit & consequitur: Et falsum est tales piorum preces etiam pro peccatoris conversione destitui promissione divinâ: cum absque ea fieri ex fide non possent; Et promissio est generalis, Petite & accipietis, & Quicquid petieritis à Patre in meo nomine consequemini: Talibus tamen precibus semper subest aut subintelligitur tacita conditio, quantum id expedierit ad Nominis divini gloriam & Dei voluntati convenerit. Nec locus Jerem: xv, 1. facit ad merita de congruo pro alijs: cum Moses & Samuel suis quidem precibus varia beneficia consecuti sint Israëlitis, illis tamen apud Deum nihil meriti fuerint. Et cum Pontificii soleant abuti hoc loco ad probandam Sanctorum de mortuorum intercessionem in cœlis, debent & Sancti precando pro peccatoribus, ipsis aliquid mereri de congruo apud Deum; adeoque erraverit Tirinus statuendo solos viatores posse mereri tam de condigno quàm de congruo.

Sic peccator cooperans) De cooperatione hac aliàs à nobis dictum: Agimus acti & potius sub operamur quàm socialiter cooperamur gratiæ divinæ: Sed hîc ridiculè fingit Tirinus hominem non esse in statu gratiæ, qui tamen ex fide & spe eliciat actus contritionis quæ est ad salutem: cum ipsa salutaris contritio & resipiscentia, sit gratiæ in nobis saluberrimus effectus Act: xi, 18. & aliàs suprâ Iesuita statuerit opus supernaturale elicitum ex aliqua virtute theologica esse meritum de condigno. Quæ hic philosophatur de merenda ex congruo gratiâ justificante, non solum repugnant dicto Pauli Rom: III, 24.

Nos justificari gratis ejus gratiâ per redemptionem factam in I. Christo, ac Augustino dicenti in *Psal: 31. Nihil fecisti boni & tibi datur remissio peccatorum*; sed & ipsi Concilio Tridentino statuenti *sess. 6. c. 8. gratis nos justificari, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides sive opera, ipsam justificationis gratiam promoteretur*. Nequè id prætereundum quod ad meritum de congruo requirit hîc Tirinus ut sit & non sit promissio divina: & jam ante monuimus ex promissionibus divinis nulla ratione meritum posse colligi; & ex quoque quæ fiunt peccatori respicienti *Ezech: XVIII, 30. xxxiii, 14.* cum etiam ad eum spectent qui necdum gratiam prævenientem est assecutus, si merita ponant de congruo, ea ponent possibilis ex solis viribus naturæ, quod tamen supra detestabatur Bellarminus. Imò si invertamus schema, respicientia & conversio peccatoris quæ tam eximias habet promissiones, debet esse meritoria ex condigno, juxta eorum in Papatu sententiam qui omne meritum condigni arcessunt ex pacto & acceptatione divinâ, quod nominatim *facit Scotus in 1. sentent. dist. 17. q. 1. quem*, teste Bellarmino *lib. 5. de justis. c. 17. alii quoque sequuntur ex Veteribus Scholasticis, & ex recentioribus Andreas Vega in opusc. de justificatione q. 5.*

Num: 3. OPERA justorum etiam **SUPERNATURALIA**, esse verè **LIBERA**, vidimus *Contr: XIII, n. 5.* Esse etiam **IN SE** verè **BONA**, non extrinsecâ imputatione Dei, (ut somniat Lutherus, Calvinus & alij Sectarij) sed intrinsecâ bonitate, colligitur ex *Controv: xv, n. 2. & 3.* Et quia à Christo vocantur simpliciter bona *Matth: v, 16. ut videant opera vestra bona*: Et tam ipse *ibid.* quam Apostoli consulunt illa, imò præcipiunt, ut vidimus *Controv: xv, n. 23.*

Luth: in assert. art. 31. 32. & 36. Calv: in Inst: pas- sim.

Objectiones solvi *Eccl: VII, 21. Non est homo justus, qui faciat bonum, & non peccet: Psal: CXLII, 2. Non justificabitur in conspectu suo omnis vivens; Psal: LII, 4. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. El: LXIV, 6. Facti sumus velut immundi omnes vos, & quasi pannus menstruatus universa justitia nostra: Denique impossibile videri diligere Deum ex toto corde; Deut: VI, 5. & Matt: XXII, 36.*

CENSURA. *Opera etiam justorum supernaturalia*) Et nos ibi ostendimus quænam libertas nobis competat per gratiam Christi liberatricem, & hîc *ad num. 1.* monuimus libertatem in agendo nil facere **ad meri-**

ad meritum ; imò Robertus Olchot, teste Iohanne Pico *Apol. q. 8.* ut refert Bellarminus *lib. 5. de iustif. c. 10.* & alii in Papatu, negant libertatem arbitrii esse necessariam ad merendum ; allato exemplo eorum infantium quos sustulit Herodes, qui martyrii palmam & coronam retulerunt ; & ipsemet Christi, qui impeccabilis cum esset, tamen nobis meritus est vitam æternam. Necdum satis constat ipsis Scholasticis quænam libertas sit necessaria ad merendum, ut videre est apud Puteanum *ad 1. 2. q. 114. art. 2. dubit. 2.*

Esse etiam verè bona) Nec quisquam est nostrum qui veram & intrinsicam bonitatem neget inesse regenitorum operibus, denominatione factâ à meliori parte ; sed negamus opera nostra in hoc imperfectionis & stadii statu habere omnem bonitatem lege Dei requisitam, ad hoc ut ex propriâ suâ dignitate sint admittenda, non verò ex merrâ & gratuitâ acceptilatione divinâ ; quod num probaverit Tirinus *Contro. xv. num. 2. & 3.* iudicium esto penes lectorem : Contrarium ipsumet ostendimus *tom. 1. Contr. xii, num. 7.* ubi perfectistarum & iustitiariorum nostrorum impeccantiam confutavimus. Sunt sanè opera justorum verè bona, quia & simpliciter bona dicuntur Christo *Matth. v, 16.* & quæ talia commendantur & præcipiuntur in Scripturis, non tamen idè erunt perfectè bona ; non desinit argentea quædam massa esse argentum, etsi non sit defæcata ab omni scoria. Adhæc bona opera possunt considerari vel *in idea* & abstractè, quatenus præcipiuntur à Christo, atque sic summè bona mandantur & commendantur ; Estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est *Matth. v, 48.* vel concretè & *in subiecto*, qualia revera sunt quæ dantur in fidelibus, variis adhuc peccatis & infirmitatibus obnoxiiis ; atquè sic non nisi valde imperfectè bona sunt, & talia quæ iudicii divini examen rigorosum nequeant sustinere ; quod ampliùs patebit ex locis Scripturæ mox vindicandis.

Objectiones solvuntur) Ad *Ecc. vii, 21.* negat Tirinus hinc sequi *nul-
lum opus esse iustorum quod non sit peccatum* ; quod non dicimus ; sed hinc sequitur nihil tam bonum præstari ab hominibus, quotidianâ peccatorum remissione egentibus, quod variis inhabitantis peccati sordibus non collutuletur. Ad *Psal. cxlii, Heb. cxlii, 2.* notat hanc esse

mentem Davidis quod *nemo est qui per omnia & semper sit justus* : Nimis frigidè , cum ideò David ad misericordiam confugiat divinam, quod nullus unquam propriis suis justitiis & meritis justus censeretur vel ad momentum possit coram Deo : Et dum Iesuita provocat ad Augustinum fucum facit suo Lectori ; Nam Augustinus *ibi* introducit Davidem sic loquentem ; *In veritate tua exaudi me , in tua justitia non in mea , ut inveniatur in illo non habens meam justitiam qua ex lege est , sed eam qua ex fide* : Item , *Ad me cum respicio nihil aliud meum quam peccatum invenio* : & *ne intres in iudicium cum servo tuo ; qui cum illo volunt intrare in iudicium , nisi qui ignorantes Dei justitiam suam volunt constituere ?* Item , *Non litigemus ; nolo tecum habere causam , ut ego proponam justitiam meam , tu convincas iniquitatem meam . Ne intres in iudicium cum servo tuo ; Quare hoc ? quare times ? Quomiam non justificabitur coram te omnis vivens .* Item ? *Omnis itaque vivens justificare forte potest se coram se , non coram te ; Quomodo coram se , sibi placens tibi displicens ; coram te autem non justificabitur omnis vivens ; Noli ergo mecum intrare in iudicium Domine Deus . Quantumlibet mihi rectus videatur , producis tu de thesauro tuo regulam , coaptas me ad eam & pravus invenior .* Quin ideò monet Augustinus debuisse ipsosmet Apostolos imperfectionis suæ sibi benè conscios orare , dicendo quotidie , *Dimitte nobis debita nostra ; Et cum eis , inquit , dictam fuerit , Quare hoc dicitis ? Quæ debita vestra ? Respondeant , quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens .* Ad *Psal: LII . Heb: LIII , 4 .* nihil planè Tirinus annotavit ; & cum illa verba generalem omnium corruptionem insinuent , satis ostendunt non meritis nostris , sed gratiæ divinæ in Christo unicè innitendum . Ad *Esa: LXXIV , 6 .* monet Tirinus sermonem hic non esse , *etiam Calvino & Musculo testibus , de operibus bonis justorum , sed de fictis justitiis perfidorum Iudeorum ;* Sed frustra est : Nam sic Calvinus & Musculus id speciatim applicant populo Israëlitico sua peccata hîc per Prophetam confitenti , ut non negent eam debere quoque esse confessionem omnium piorum , etiam de melioribus suis operibus , ut Belgæ nostrates annotarunt , si nempè Deus ad suæ justitiæ rigidæ lancem ea exigere & nos extra Christum contemplari voluerit : Et quæcunque sit mens Prophetæ non potest diffiteri Iesuita non defuisse è suis qui hoc Esaïæ dictum fidelium justitiis & bonis operibus justorum applica-

plicarint , ut eorum imperfectionem connotarent. Refert & laudat
 Cassander *consult. ad art. 6.* verba Adriani de Trajecto qui fuit postea
 Pontifex in 4. sent. Sunt, inquit, merita nostra veluti baculus arundineus
 cui dum quis innixus fuerit confringitur & perforat manum innitentis, & pannus
 menstruata sunt omnes iustitia nostra: Iugiter igitur super pannum bona vita
 quem iustitia operibus teximus, stillamus sansem diversorum criminum: Qua igitur
 ex eis poterit esse fiducia ad Deum qui neminem diligit nisi ex toto corde
 conversum? Recte igitur suavit Saluator, Cum feceritis omnia quae praecepta
 sunt vobis, dicite servi inutiles sumus. Sed & ante Adrianum dixerat
 Gerson lib. 4. de consolat. Theol. prosa 1. Quis constitutus sub iudiciis Dei ter-
 ribilis in consiliis super filios hominum non-trepidaverit? Hinc afflicti Iob, Vere-
 bar omnia opera mea, ait Deo, sciens quod non parceres delinquenti? Et ite-
 rum, Si volueris mecum contendere non potero respondere unum pro mille. Cui con-
 formis est oratio Prophetica, Non intres in iudicium cum servo tuo Domine, quia
 non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens; & rursus, Si iniquitates ob-
 servabis Domine, quis sustinebit? Porro quid Esaias se cum ceteris invol-
 vens, sibi quae vilescens, humili confessione protulerit legimus; Omnes iusti-
 tia nostra tanquam pannus menstruata; Quis igitur iustitias suas velut glo-
 riabundus ostentaverit Deo &c. Ante utrumque vero dixerat Bernhardus
serm. 1. de omnibus sanctis, eodem Cassandro laudante; Quid po-
 test esse omnis nostra iustitia coram Deo? Nonne iuxta Prophetam velut pannus
 menstruata reputabitur? Quapropter obnixè cum Propheta clamantes, Ne in-
 tres in iudicium cum servo tuo Domine, tota humilitate ad misericordiam re-
 curramus, quae sola potest servare animas nostras. Similia idem habet
serm. de verbis Esaiæ; Nostra si qua est humilis iustitia, recta forsitan: sed non
 pura, nisi forte meliores nos esse credimus quam patres nostros, qui non mi-
 nus veraciter quam humiliter aiebant. Omnes nostra iustitia tanquam pannus
 mulieris menstruata. Quomodo enim pura iustitia, ubi adhuc non potest culpa
 deesse? Ad Deut. v 1, 5. observat Tirinus, (nihil de eo dixit ad Mat. xx 11,
 36.) praecipere hic amorem summum, non extensivè, multo minus continuè,
 sed solum appreciativè, vel comparativè, ut nempe Deum rebus omnibus cre-
 atis ante feramus, nec quidquam illius amicitiae praeparamus. Unde potest hoc pra-
 ceptum in hac vita etiam facile impleri, & de Iosia Rege & aliis legimus im-
 plevisse illud, uti & alia omnia praecepta; Simile est quod de Davide, Asa,

*Izechia , Zacharia , Elisabeth & aliis habemus, cor eorum fuisse perfectum cum Deo, vel incessisse in omnibus mandatis Dei. Scilicet Iesuitis nihil est difficile; & si Deus illos adhibuisset in consilium potuisset Filii sui laboribus pepercisse, absque cujus redemptione sibi complacent viam facillimam per legis opera ad regnum cælorum; contra quam docet Apostolus id legi impossibile fuisse Rom: VIII, 3. Et quis inter Pontificios audebit gloriari se diligere Deum ex toto suo corde juxta legis præscriptum, quin ab illo suo corde mendacii & hypocrysedis statim redarguatur? Nec dubium quin ea Dei dilectio per legem exigatur quæ summa sit, prout ipse est summè bonus adeoque & summè diligendus non tantum *appreciativè* & *comparatè* juxta hominum æstimium, sed simpliciter & absolutè & continuè; quandoquidem omnes facultates, omnes vires, omnem animi comatum lex requirit ad id officii: eaque præcipitur in terris quæ etiam est mansura in cælis, ubi dubio procul summa erit & extensivè & intensivè, ut major dari non possit. Sed quid facias istis hominibus qui cum sentiant se non posse actiones suas ad legis postulata accommodare, legem restringunt ad suos affectus, & limites ponunt Deo ut non ultra creaturas obliget quam ipsæ velint aut putent obligari. Imò Stapletonus liberitè asserit hoc mandatum de Deo ex toto corde diligendo, doctrinale potius esse quam obligatorium, lib. 6. de justis. c. 10. nec pudit Toletum affirmare lib. 4. Inst. Sacerd. c. 9. sub præcepto non teneri nos quantum ad intentionem, Deum plus cæteris rebus diligere; imò, inquit, aliquando ferventiùs amamus res sensibiles & creaturas. Longè sanior Iesuitis Augustinus, qui lib. de perfect. just. contra Cælestium sic propugnat justitiæ nostræ inhærentis imperfectionem in hac vitâ, ut statuat non posse hoc mandatum hic impleri; Tunc erit plena sanitas quando plena charitas; plenitudo enim legis charitas; tunc autem plena charitas quando videbimus eum sicuti est; Et paulò post; In qua plenitudine charitatis illud implebitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex tota mente tua; Nam cum est aliquid adhuc carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo franatur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus: Non enim caro sine anima concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concupiscit. Tunc erit justus sine nullo omnino peccato, quia nulla lex erit in*

mem-

membris ejus repugnans legi mentis ejus, sed prorsus toto corde, totâ animâ, totâ mente diligit Deum, quod est primum summumque præceptum: Cur ergo homini non præciperetur ista perfectio, quamvis eam nemo in hac vita habeat? Non enim rectè curritur si quod currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur si nullis præceptis ostenderetur? De exemplis hic Tirino citatis alibi dictum: Videatur *Tom. 1. Contr. xii, n. 7. p. 591. & hoc tom. Contr. xiv, n. 16. p. 211.* Eorum quos hîc profert Iesuita nemo est qui dicatur Deum dilexisse toto corde, nemo de quo variis peccatis fuisse eum obnoxium non constat. Iosias dicitur reversus ad Deum ex toto corde 2. Reg: *xxiii.* David integro fuisse animo erga Deum 1. Reg: *xi, 4.* Asa fecisse quod rectum est in oculis Iehovæ 1. Reg: *xv, 11.* Ezechias adhæsisse Deo nec recessisse ab eo, sed ejus præcepta quæ Mosis dederat observasse 2. Reg: *xviii, 6.* Sed nemo non videt id intelligendum esse partim de perseverantia & constantia sincera in vero Dei cultu, missis idolis; quod in Davide & Ezechia observatur; partim de zelo circa reformationem Ecclesiæ, qualem Iosias & Asa testati sunt: non autem debet sumi absolutè quod dicitur secundum quid, aut ad perfectionem graduum & legalem extendi quod de sola sinceritate hominis secundum *intentionem* Evangelii observatur: Quoad Zachariam & Elizabetham eorum probitas inter homines ac devotio in Dei cultu, sic refertur comparatè ad alios sui ævi, ut tamen procul fuerint à Pelagiana ac Iesuitica impeccantiâ & perfectione, uti aliàs ostensum.

Num: 4. Habere quoque *PROMISSAM* sibi à Deo *MERCEDEM*, vitam æternam, affirmat Paulus 1. Tim: *iv, 8.* *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futura.* Iac: *i, 12.* *Repromisit Deus coronam vitæ diligentibus se.* Matth: *v, 3.* *Beati pauperes, &c.* Imò totum fœdus tam *Novi* quàm Veteris Testamenti in hoc promisso consistit.

CENSURA. Habere quoque *promissam*) Cestè hæc promissio si legaliter consideretur non est facta qualibuscunque operibus bonis, sed iis demum quæ ex assè fuerint perfecta & omni labe ac nãvo carentia, qualia non sunt vel perfectiorum fidelium in hac vita. Videatur Iob: *xxv, 4-6.* *Pietas* 1. Tim: *iv, 8.* & *Dei dilectio* Iac: *1, 12.* amplas habent *promissio-*

promissiones non sanè quales sunt in nobis mancæ & imperfectæ ; sed quales esse deberent : Pii verò & diligentibus Deum etiam imperfectè , quales sunt omnes fideles, eadem fiunt promissiones , non ex ipsorum operum dignitate, sed ex dignatione & gratia divina, ut illa pietas & Dei dilectio inchoata non sit causa movens Deum ad talem promissionem , aut meritum rei promissæ , sed character & nota certa personarum quibus gratuita promissio salutis in Christo facta est. Ad hæc merces hæc nobis promissa est merces, *καταχρηστικῶς* & improprie dicta, uti mox fusius videbimus. Et mirum est quod Iesuita huc afferat locum Matth: v, 3. **Qui enim paupertas hæc Spiritus, quæ in miseræ & inopia nostræ spiritualis intimo sensu consistit, esset meritoria vitæ æternæ, cum omnium priorum meritorum abnegationem importet, uti aliàs fusius demonstravimus tom. 1. Contr. 1x, n. 6.**

Num: 5. Cum ergò constet, reliquas etiam **CONDITIONES** adesse, constat quoque (velint, nolint hæretici,) **OPERA** justorum esse verè, propriè ac **DE CONDIGNO MERITORIA** vitæ æternæ. Vnde & justii vocantur *digni regno Dei*, 2 Thess. 1, 5. & Apoc. 111, 4. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Quid autem est *dignum esse*, si non *mereri* ? Alibi vita æterna vocatur *merces* bonorum operum. Apoc. ult. v. 12. *Merces mea mecum est.* 1 Cor. 111, 8. *Vnusquisque secundum suum laborem propriam mercedem accipiet.* *Merces* autem correlativum est *meriti*. Matth: xx, 2. non tantum vocatur *merces*, sed & *diurnum denarius*, & jubetur non otiosis gratuito donari, sed operariis, & quidem ex conducto, ex convento, quasi debitum reddi: additurque *Tolle quod tuum est.* Alibi vocatur *bravium* 1. Cor: IX, 24. *Depositum & corona*, 2 Tim. I, 12. & c. IV, 8. quæ omnia significant meritum ex iustitiâ & de condigno. Et nonnè nomen etiam ipsum *meriti* aded exosum Calvino cæterisque hæreticis, exprimitur Eccli: XVI, 15. *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum suorum operum.* & ad Heb. XIII, 16. *Talibus hostiis promeretur Deus.*

Et licet ex se non sint *condigna*, tamen ex ultroneâ conventionem Dei nobiscum (n. 4. & 5.) dignæ factæ sunt *passiones hujus temporis ad futuram gloriam*: Rom: VIII, 18. Neque fertilitas palmitum derogat virtuti vitis Ioh: xv, 5.

CENSURA. *Cum ergò constet reliquas*) Imò cum constet nec conditiones à Iesuita allatas, opera quibus accedunt meritoria facere **nec in**

nec. in operibus fidelium eas reperiri conditiones quas ad meritum propriè dictum requiri supra annotavi, præstat illi Hieronymi sententiæ adhærere quæ extat libro 1. contra Pelag. *Tunc iusti sumus quum nos peccatores fatemur, & iustitia nostra non in proprio merito, sed in Dei confisit misericordia*; apud Cassandrum *Consult. art. 6.* qui & illud refert ac laudat ex Iodoco Clichtoveo in *can. Missæ*; *Quid meriti apud Deum poterimus obtendere cui debemus omnia? Cum feceritis, inquit, omnia &c. Quid nobis de bonis operibus poterimus applaudere, cum universa iustitia nostra sint quasi pannus menstruata ante Dominum? Nulla igitur in Deum nostra sunt merita cui debita sunt omnia qua præstamus, cum non ex nobis, sed solâ sua bonitate, si qua bona sunt opera nostra, accepta sint & grata à quo ut præcipuo authore profecta sunt.* Præsertim propriè dicta condignitas nostris operibus tribui nequit, propter disproportionem ad præmium eorumque omnimodam imperfectionem, & quod inter Deum & creaturam non sit locus iustitiæ commutativæ; ut docent Scholastici, & quod non meritorum nostrorum pretio debeamus mercari regnum cælorum, sed illud possidere hæreditario jure per merita Christi. Unde Bernardus qui dixerat *serm. 61. in Cant. Meritum meum miseratione Domini, & serm. 68. Sufficit ad meritum scire quod non sufficiant merita,* in extremis constitutus sic loquebatur *lib. 1. Vita sua c. 13. Fateor non sum dignus ego nec propriis meritis possum regnum obtinere calorum; ceterum Dominus meus duplici jure illud possidet, hæreditate Patris & merito passionis; altero ipse contentus alterum mihi donat.*

Vnde & iusti vocantur digni) Hoc argumentum fusiùs excussi *Antich. revel. par. 1. c. 26. n. 5. & 6.* Digni dicuntur fideles non ex intrinsecâ operum suorum dignitate, sed ex dignatione & misericordiâ divinâ nos in Christo & per ipsum acceptante. Quare ut dicuntur pii *καταξιωθῆναι τῷ αἰώνῳ ἐκείνῳ* Luc: xx, 35. ita Paulus Col: 1, 12. gratias agit Deo *ἐκ ανώσαντι ἡμᾶς εἰς τὴν μερίδα τῶν κλήρων τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί.* Nec aliud sibi vult locus 2. Thess: 1, 5. hîc Tirino citatus; Dicuntur pij *καταξιωθῆναι*, digni haberi aut fieri regno Dei, non per sua merita, sed per Dei favorem & gratiam in Christo: hinc enim omnis nostra *ἐκ ανότης & ἀξία*: Quapropter *καταξιωθῆς* interdû idem est in Scripturis quod *χαρισθῆναι*: Nam Act: v, 41. lætabantur Apostoli quod.

quod κατιξιώθησαν, digni habiti erant, pati pro nomine Christi, at id ipsum exprimens Paulus Phil: 1, 29. Vobis inquit ἐχαρίσθη, gratis datum est pro Christo; non solum ut in ipsum credatis sed etiam ut pro ipso patiamini. Sic 2. Thess: 1, 11. precatur Apostolus pro Thesalonicensibus iisdem ut Deus eos ἀξιώσῃ τῆς κλήσεως; quod non est merentes efficere vocationis divinæ vel primæ gratiæ, quæ nec Iesuitis cadit sub meritum, imò nec illius dignos facere, cum omnis nostra dignitas sit ab illa; sed tantum illos eâ dignari, ut etiam reddidit V. V. *Oramus semper per vobis ut dignetur vos vocatione suâ Deus nosser.* Dignari autem est, ultra meritum gratificari & infra personæ dignitatem ei benefacere; ut testatur illud Suetonii in *Caligula cap. 25. Dignatus est Casoniam luxuria & lascivia perditâ uxorio nomine.* Inter eos qui digni habebuntur qui cum Christo ambulent in albis Apoc: 11, 4. debent esse & infantes fidelium qui obierint ante usum rationis, quos tamen vitâ æternâ donari solo jure hereditatis absque ullis meritis agnoscit Bellarminus *lib. 5. de justis. cap. 5.* Quod si dignum esse idem necessariò sit quoddam mereri, ut asserit Tirinus, dicantur ergò fructus ἀξιοί τῆς μεταβολῆς; Matth: 111, 8. digni pœnitentiæ, ut reddit V. V. respicientiam mereri coram Deo. Sanè ipse Iesuita Salmeron *ad Col. 1. dist. 2.* statuit quod *digni dicimur ubi hereditas nullis nostris meritis obvenit;* & Augustinus *de gestis Pel. cap. 17.* agnoscit *dignum* aliquem posse dici non ex meritis ullis bonis, sed ex dignatione divinâ. Unde Iansenius *tom. 1. August. sui lib. 8. cap. 18.* asserit *dignum esse gratiâ* minus quid esse *quam merisum gratiæ,* & agnoscit dignitatem apud Antiquos scriptores, non semper illam *rigorosam conditionem* Scholasticorum denotare.

Alibi vita aterna vocatur merces) Neque in hoc argumento magna vis inest. Nam ut Esaiæ LV, 1. invitamur ad emendum sine pretio, licet alias emptio & pretium sint correlata, sic gratuita merces nobis promittitur absque merito, licet merces strictè dicta sit meriti correlatum. Paulus Rom: IV, 4. mercedis nomen sumit strictè & propriè ut significet id quod secundum communem æstimationem respondet operæ; atque talem mercedem negat convenire fidelibus quibus justitia imputatur absquè operibus. Sed alibi eadem vox sæpè
laxiori

laxiori fumitur significatu pro remuneratione planè liberali, indebita & gratuita: Hinc quod $\mu\iota\sigma\theta\delta\epsilon$ dicitur Matth: v, 46. vi, 1. $\chi\acute{\alpha}\rho\iota\varsigma$ vocatur Luc: vi, 31, 32. 33. 34. Quare benè dixit Ambrosius *Epist. 1. Alia est merces liberalitatis & gratia, aliud virtutis stipendium & laboris remuneratio.* Ergò vita æterna merces est liberalitatis & gratiæ non operæ præstitæ stipendium. Redditur antem illa merces gratuita, & non nisi improprie & abusive sic dicta, secundum opera fidelium, at non propter illa; quod & dixit Gregorius I. *ad sept. Psalm. penit. Aliud est secundum opera reddere & aliud propter opera ipsa reddere. In eo enim quod secundum opera dicitur, ipsa operum qualitas (non verò æqualitas) intelligitur, ut cuius apparuerint opera bona, ejus sit & retributio gloriosa; Illi namque beata vite in qua cum Deo & de Deo vivitur, nullum potest æquari labor, nulla opera comparari; præsertim cum Apostolus dicat Non sunt condigna passiones &c.*

Matth: xx, v. 2. Non tantum) De hac parabola jam monuimus supra ad finem *num. 1.* & quam parum faveat meritoris nostris paucis ostendimus. Datur quidem ille denarius iis qui operati erant in vinea, sed cum æqualis sit merces eorum qui tam inæqualiter laborarunt, satis apparet eam reddi ex gratia non ex debito: Nec pactus fuerat paterfamilias de præmio certo cum omnibus operariis, sed tantum cum iis qui primi conducti fuerant, quique murrantibus contra ipsum & sua jactantes merita, gratiæ beneficio exciderunt & novissimi facti sunt. Tales meritorum suorum jactatores tollunt quidem quod suum est, & ut Pharisei Matth: vi, 2. mercedem suam referunt, sed gloriam indebitam non consequuntur.

Alibi vocatur bravium) Sed nihil virium inest in iis elogiis: Ut id habet mercedis quod certò post exantlatos labores hujus vitæ nobis representatur, quamvis gratis nec ex merito, sic illud habet bravij & coronæ, non quod sit præmium agoni nostro debitum, in quo potius claudicamus cum Jacobo, quam currimus, sed quod sicut pugiles & athletæ certamine & cursu suo consummato bravium & coronam ab Agonotheta reportabant, ita bravium & corona vitæ æternæ, quam nobis auream Christus suâ spineâ meritis est,

nos certò manet si in vocationis nostræ cursu & certamine fidei ad metam usque perseveraverimus. Stadium itaque & noster in eo cursus, via est ad regnum non causa regnandi, neque nostra merita Deus coronat sed munera sua, *quibus cum vita aeterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur*; ut inquit Augustinus *Epist. 107.* Corona autem *justitiæ* appellatur 2. Tim: iv, 8. non quod justè eam promereamur, aut quod sit præmium *debitum nostræ justitiæ seu virtuti ex operibus justis*, ut volunt Tirinus & Cornelius à Lapide, sed quod sit præmium à Deo justo & fidei promissum justitiæ illi quæ est fidei, imò & justè debitum ex Christi meritis & obedientia omnibus per fidem in ipsius sanguine justificatis, prout factus est peccatum pro nobis ut essemus justitia Dei in ipso; Ita Theodoretus *coronam justitiæ dicit eam quæ justis est parata, quæ justis datur sententiâ.* Iustus autem nemo est coram Deo nisi per Christi justitiam. In *Depositi* nomine nihil est quod vel in speciem trahi possit ad merita. Hoc enim depositum non est ex peculio nostro conflatum, sed ex thesauris munificentiæ divinæ: Non est, ut Tirinus ridiculè interpretatur *ad 2. Tim: 1, 12. thesaurus laborum & passionum quas pro Evangelio sustinuerimus*, cuius præmium expectemus. Nec enim depositi præmium reddi dicitur, sed ipsummet depositum; & has passiones sibi reddi nolit Apostolus, sed ipsissimam salutem & vitam æternam, quam fides sibi sub manu Dei asservari ut sacrum depositum est certissima. Eius verò Deus est simul & donator & depositarius, ut ita certi simus illud nobis restitutum iri suo tempore: quò spectat etiam locus 1. Pet: 1, 5. Nec ulla est ratio cur magis nostrum depositum apud Deum inferat nostrum meritum, quam illud Dei depositum quod fidei nostræ commisit custodiendum, de quo 1. Tim: vi, 10. 2. Tim: 1, 14. Quod si dixeris esse justitiæ reddere depositum, nihil tamen efficies; Nam est quoque justitiæ divinæ illius depositi restitutio, non ob merita nostra, sed propter meritum, satisfactionem & obedientiam Christi, cui justè nostra glorificatio debetur.

Et nunc nomen ipsum meriti) Non tam vocem *meriti* quam rem hac voce significatam in Papatu contra Veterum mentem detestamur cum Calvino Instit. lib. 3. c. 15. §. 2. Eam verò esse *à 7. papor*, adeoque eò certius

certius reiciendam quo fastuosior evasit illius significatio, & periculosior usurpatio, agnoscerent Pontificii ipsi si conscientias suas vellent consulere. Nam Syracides XVI, 15. Apocryphus Scriptor non habet vocem *meriti*, ut Latinus interpres perperam reddidit, sed ita sonant ejus verba in Græco textu: *πάση ἐλεημοσύνη πόνοις τόποις: ἰκασὸς γὰρ κατὰ τὰ ἔργα αὐτῷ ὑπόστα:* idest, ut redditur in versione interlineari Montani, *Omni elemosyna fac locum; nam unusquisque secundum sua opera inveniet*: Vatablus sic habet; *Omni beneficentia locum para, nam fructum operum suorum quisque consecuturus est.* Nec video quo jure illud κατὰ τὰ ἔργα hoc comm. 15. interpres Latinus potius reddiderit *secundum meritum*, quam in versu, præcedenti ubi hæc verba τὸ ἐλεῖχος αὐτῷ ἀνδρα κατὰ τὰ ἔργα αὐτῷ κρινεῖ, sic reddidit, *Corruptio illius hominem secundum opera judicet.* Pudere verò Jesuitas debuisset alterius loci Heb: XIII, 16. ubi malunt barbariem & folœcismum puerilem in sua V. V. retinere ac defendere, quam Theologico huic suo solœcismo de meritis non patrocinari: Græca verba ita habent: *Τῆς ἡ ὑποίτας καὶ κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνε; τοιαύταις γὰρ θυσίαις ἰναρισεῖται ὁ Θεὸς:* An verò id Latine dicitur, *Talibus enim hostiis promeretur Deus?* Vapularent istis pædagogis eorum discipuli si *merendi* aut *promerendi* verbum passivâ significatione usurparent. Sanè ut *ἰναρισος* *gratum, acceptum*, significat, unde *θυσία ἰναρισος* grata & accepta oblatio Rom: XII, 1. & *ἰναρισέω* *placere* acceptus sum, unde Henoch *μεμαρτύρηται ἰναρισεῖναι τῷ Θεῷ*, *testimonium habuit placuisse Deo* ut reddidit ipsa V. V. Heb: XI, 5. ita *ἰναρισέομαι* nihil aliud sonat, quam delector de re aliqua, eam gratam & acceptam habeo: Nec aliter sumpsit Erasmus ipse, qui sic *καταπραΐζει* hunc locum, *talibus enim hostiis placetur Deo*; & in paraphrasi, *Talibus enim hostiis conciliatur Deus, potius quam Judaicis observatiunculis, neglecto fratre*; Syrus interpres ex Boderiana versione sic habet, *In his victimis placet homo Deo*; Cajetanus monet poni hic *promeretur pro conciliatur.* Isidorus Clarius habet *acquiescit Deus*, idest inquit, *oblectatur, q. d. tales victimæ illi placent.* Gentianus Hervetus qui Theodoretii commentarios in Pauli Epistolas latinos fecit, sic textum expressit ex

V. V. ut ad marginem annotaverit, *ἰσαρισῆται τῷ Θεῷ placetur Deo* : Et qui Pontificius emisit Biblia Gallica edita Rothomagi anno 1582. habet ut nostri, *Dieu prend plaisir à tels sacrifices*. Imò ipse Tirinus *ibi* agnoscit *ἰσαρισῆται* idem esse quod *delectatur* ; ac cum subjungit, *ἰσαρισῆται, idest, delectatur, conciliatur, placatur Deum*, (ut etiam Erasmus vertit) & consequenter inducitur ad remunerandum iis qui opera misericordia exercent, quod idem est atque promereri ; ita S. Chrysostomus cum suis, & Augustinus & Beda ; paucis in verbis multa sphalmata committit. Nam 1. re aliquâ delectari, non est obstringi illius rei merito ad ejus remunerationem. 2. Nec quicquid placet Deo, ipsum nobis vel placat vel reconciliat : Et enim solus Christus nobis conciliat patris favorem suo merito, nec aliud habemus placamentum quam sanguinem ipsius. 3. Nec forte omne quo Deus diceretur impropriè placari vel conciliari esset meritorium de condigno ; Sui sensu conciliatur & placatur per actus contritionis, quos tamen de condigno mereri reparationem post lapsum & peccati remissionem, ipsi negant Adversarii. Ita placuit Deo sacrificium Noë ut in eo sit odoratus odorem gratum & placamenti Gen: VIII, 21. Illud tamen sacrificium per se & propriè meritorium fuisse nemo dixerit. 4. Agnoscit Tirinus meritum hic non extare expressè, sed non nisi remotâ & violentâ consecutione inde colligi. 5. Nec etiam de condigno meretur apud Deum id omne quod Deus liberaliter vult remunerari, cum statuunt Pontificii multa Ethnicorum & infidelium opera Deum remuneratum fuisse, licet illis nihil propriè apud ipsum meriti fuissent. 6. Tirinus injuriam facit Erasmo qui non vertit *placatur Deum*, ut Iesuita mentitur, sed *placetur Deo*. 7. Ridiculè provocat circa hanc versionem ad Chrysostomum cum suis ; qui voce Græcâ Apostoli contenti, nihil minus quam merita hæc viderunt. Non scripsit verò Augustinus in Epist. ad Hebræos, & Beda ac Haymo sunt recentiores V. Versione ; quare mirum non est quod illius errori insistant.

Et licet ex se non sint condigna) Id certè meritò semper mihi mirum fuit, quò irreperere potuerit meritum de condigno in Theologiana Scho-

Scho-

Scholasticam, cum vox illa *condigni* hoc solo loco extet de piorum operibus & perpeffionibus, in quo disertè condignitas hæc denegatur Rom: VIII, 18. Ideò Chrysoftomus *ibi* dixit dari nobis *μείζονα ἰσθλα τῶν ποῶν*, *majora premia laboribus*; & alibi, *μείζονα μὲν τῆς ὑμετέρας ἀξίας, ἀξία ὃ τῆς ἑαυτῆ φιλανθρωπίας*; *majora quam sit nostra dignitas, omnis verò nostra dignitas ex ipsius philantropia & gratia.* Et Cyprianus *in exhort. ad Martyr.* *Plus accipimus in passionis mercede, quam sustinemus in ipsa passione.* Nec solū omnem condignitatem sed etiam omnem proportionem & æqualitatem laborum nostrorum cum mercede gratuitâ hic tollit Apostolus; Unde Syrus interpres ex Boderiana versione negat *pares* esse passiones hujus temporis gloriæ in nobis revelandæ: Nec medetur Tirinus suæ causæ ex hoc vulnere prostratæ, cum perterritus condignas esse *non ex se, sed ex ultione à conventionione Dei nobiscum*, Nam I. Deus cùm promisit nobis magnam mercedem pro momentaneis laboribus, non promisit tamen hos labores condignos futuros gratuitæ illi mercedi. 2. Si condignitas pendeat ex solâ liberali Dei conventionione, non ex *intrinsecâ* ipsorum dignitate & *qualitate*, ut habet Tirinus *ad hunc locum*, corruit quod hîc solent garrire Jesuitæ de gratia ex qua fiunt ut semine gloriæ, in fundamentum istius condignitatis, & quod prolixè suscepit probandum Bellarminus *lib. 5. de Justis. c. 17.* *Opera bona justorum esse meritoria de congruo non solum ratione pacti sed etiam ratione operum:* Ita Cadmæi isti fratres se mutuò conficiunt. Nec valet aliud Tirini *ad hunc locum* ex suo Bellarmino *κρησφύγιστος*, Passiones has intelligi quatenus *humanae sunt & naturales, aliàs quatenus sunt passiones ex gratia Christi toleratae, ejusque meritis immixtae*, prorsus condignas esse ad futurâ gloriam: Nam certum est passiones has & in genere omnia nostra bona opera, non hic considerari ab Apostolo in genere entis secundum operum substantiam, cùm nec sic passiones ipsius Christi sint infiniti valoris, sed in genere moris, & *ab Spiritu Sancto & gratiâ Dei profisciscuntur*, ut cogitur Bellarminus *facti. V. S. cap. 18.* *authoritate Fulgentii lib. 1. ad Monimum c. 10.*

Neque fertilitas palmitum) Hoc fateor ac proinde non repugnare virtuti Christi quod in ipso & per ipsum, bonos fructus proferre valeamus, cum omnis palmitum fertilitas sit ab ipsâ vite, hoc est, ab ipso Christo cui insunt cujus vitâ vivunt & vegetantur; Sed tamen ut repugnat

repugnat palmitum conditioni habere id quod viti est proprium sic tribui nequit palmitibus spiritualibus quod est Christi, nempe nos vivificare, redimere suo sanguine, nobisque mereri vitam æternam: Etenim Christus nobis meritus est vitam ipsam æternam, non meram facultatem eam merendi si voluerimus; adeoque ipsam nobis proponit ut præmium meritorum suorum, non ut mercedem nostrorum, ut filiorum Dei hæreditatem gratuitam, non ut mercenariorum stipendium: quare merita nostra imaginaria inædificare Christi meritis, ut dicis causa fit ab Adversariis, est non tantum imitari Pilatum qui Galilæorum sanguinem eorum miscuit sacrificiis, sed revera oppositum in apposito statuere, ut vulgò loquuntur; cum ideò Christus pro nobis sit meritus vitam æternam, quod nobis impossibile esset eam nostris meritis consequi vel obtinere: Quare Paulus merita Christi & nostra tanquam *ἀόβρα* considerat, tum Gal: v, 4. tum Rom: ix, 30. 31.

Num. 6. MERENTUR autem iusti quovis actu SUPERNATURALI seu elicito, seu imperato, non solum gloriam cœlestem olim obventuram, sed etiam in hac vitâ, (& quidem statim accipiunt hoc ipso quo operantur momento) augmentum gratiæ justificantis, unâ cum pari augmento charitatis & virtutis infusæ, cujus fuit actus. Iac: II, 24. *Ex operibus justificatur homo.* Apôc. ult. v. II. *Qui iustus est, justificetur adhuc:* Eccli. xv III, 22. *Nè veræris usque ad mortem justificari.*

CENSURA. *Merentur autem iusti*) Imò nec gloriam mereri possumus nec gratiam: Non illam quæ est donum merè gratuitum nostri respectu, per meritam & satisfactionem Christi Rom. vi, 23. Ubi veritas hanc extorsit Tirino confessionem, *Hinc optimo jure vita æterna, omni ex parte* (qui sic loquitur, ut sibi constet, omne meritum nostrum debet excludere) *vocatur & est gratia, & gratuitum donum; Ita ferè Chrysostomus, Theophilactus, & Augustinus qui id circò* (Epist. 105.) *vocat gratiam pro gratia, & cum coronat nostra merita quid aliud coronat quam sua dona? inquit ex eodem Augustino Celestinus & Concilium Tridentinum.* Non hanc quia *gratia nisi gratis sit, gratia non est,* inquit Augustinus *Enchir. ad Laur. c. 107.* Quod hinc nugatur Tirinus de merito augmenti gratiæ justificantis, multis modis absurdum est. Nam I. cum ad gratiam justificantem nos merè objectivè

obſectivè habeamus, illa nec intendi poteſt, nec remitti. 2. Etſi ſtudio & exercitio bonorum operum augeatur & firmetur juſtitia ſive ſanctitas noſtra inherens, tamen nec illa eſt gratia juſtificans, nec illud augmentum tali ſtudio meremur: ut non meretur augmentum & corroborationem habitus alicujus intellectualis aut moraliſ qui crebros illius actus elicit. Teſtimonia quæ hic citantur diſcuſſa fuère in ſuperiori Controverſia: primum ex Jacobo n. 7. alia duo n. 1. quò remittimus benevolum Lectorem.

Nam. 7. Speciale DONUM PERSEVERANTIÆ, cum de eo nulla exſtet promiſſio, non poteſt juſtus ſibi de condigno mereri: poteſt omnia AUXILIA gratiæ ad id NECESSARIA: non quidem uno actu totam illorum ſeriem, ſed variis varia. Conſtat ex infinitis promiſſionibus Dei de non deſerendis juſtis, niſi priùs ab eis deſeratur.

CENSURA. *Speciale donum perseverantia*) Atqui ut perseverantia non cadit ſub meritum, nec ſub illud cadet vita æterna quæ ſolis perseverantibus promiſſa eſt. Inter alia argumenta quibus Becanus utitur ut probet *tract. 4. primi tom. 2. partiſ Theol. Schol. c. 5. q. 7.* perseverantiam non cadere ſub meritum, id urget potiſſimum, quod ſit *ſpeciale donum & aſiduum per preces cum metu ac tremore à Deo poſtulandum*, quò ſpectet & illud orationis Dominicæ *Ne nos inducas in tentationem.* At præterea quod in Theologia Pontificia non ſequitur aliquid non cadere ſub meritum eò quod precibus aſiduïs à Deo ſit poſtulandum, (meritorias enim faciunt Jeſuitæ ipſas preces, ut videbimus *Cont. ſeq. n. 3.*) ſi valet Becani ratio nec cadet vita æterna ſub meritum, quæ non minus eſt ſpeciale donum quàm ipſa perseverantia, nec minus aſiduïs precibus efflagitanda juxta illud *Adveniat regnum tuum*, cum nec ipſa perseverantia petatur niſi ad ipſam obtinendam: Nec video 1. Qui mereamur auxilia neceſſaria ad perseverandum, ipſam vero perseverantiam non mereamur, quandoquidem talia auxilia eam efficiant, & regulariter quod eſt cauſa cauſæ etiam eſt cauſa cauſati? 2. Qui diſtinguant Jeſuitæ *auxilia neceſſaria* perseverantiæ à gratia juſtificante, quæ ipſis eſt interna & habitualis? Hæc enim ſi fuerit ſufficiens ad ſalutem, omnia quoque *auxilia neceſſaria* ad per-

Bbb

ad per-

ad *perseverandum* si voluerimus secum adferet? sed cum talis gratia non cadat sub meritum, impossibile est sub meritum cadere auxilia necessaria perseverantiæ, quæ suo concepto ipsa involvit & secum adfert. 3. Qui negent mereri nos posse ea auxilia de quibus infinitæ extant Dei promissiones, *de non deserendis piis nisi prius ab eis deseratur* (qua de re alibi dictum) quandoquidem vim meritoriam arcessunt plerumque, ut nominatim noster Irimus, à promissionibus divinis? 4. Qui possint iusti variis actibus varia auxilia gratiæ ad perseverandum promereri, *vel promissionum divinarum de non deserendis piis nisi prius ab eis deseratur*, nisi dicantur perseverando mereri eos perseverandi gratiam, eam verò excidere, si perseverare ultrò desiterint? quod quàm sit absurdum nemo non videt.

Num. 8. Ut REPARATIONEM GRATIÆ post lapsum in peccatum mortale Deus infallibiliter procuret, non potest dici iustum promereri (nam Ezech. xviii. 24. *Si averterit se iustus à iustitiâ suâ, omnes iustitiæ ejus non recordabuntur*:) idque nè quidem de congruo, nisi improprie dicto, (ut congruum idem sit quod aliquo modo conveniens;) Nam conforme videtur diviniæ misericordiæ, ut si antè crebrò id Deum rogarit, & non ex malitia, sed infirmitate lapsus sit, juvetur extrâ ordinem à Deo. Sic 2 Paral. xix. 2. intuitu præcedentium bonorum operum parcitur regi Iosaphat, gravissimè alioqui delinquenti; & David orabat Ps. Lxx. 9. *Cum desererit virtus mea, nè derelinquas me.*

CENSURA. *Ut reparationem gratiæ post lapsum*) Primùm videntur in hac quaestione solliciti esse de emplastro querendo ubi vulnus non est. Cum enim gratia habitualis per lapsum in aliquod peccatum gravius (mortalis & venialis distinctionem alibi confutavimus) non expellatur physice & de facto, juxta graviores Scholasticos, sed tantum moraliter & de merito, non deberent isti homines esse solliciti de eâ gratiâ reparandâ & recuperandâ quæ penitus non perit, etsi suis peccatis subinde mereantur eam exui, qui semel & ἀμεταμέλητος; illâ donati fuerunt. Et cum locus Ezech. xviii. 24. agat de iustitia legati, frustra trahitur ad gratiam Evangelicam. Deinde ille Ezechielis locus valde obest iustitiarum & meritoriarum nostris: Nam fingamus hominem valde sanctum & meritis ornatum in Papatu, qui momento ante mortem inciderit

viderit in peccatum aliquod mortale ex quo per contritionem resurgens statim expiret in statu gratiæ, antequam ex illa quidquam boni operetur amplius; quæ si erit lubens an ille homo adepturus sit vitam æternam ex mera Dei gratiâ, an verò ex quibusdam meritis; Si prius mihi dixerint Jesuitæ, petam cur eodem titulo cum isto certò servando ex mera Dei gratia nolint esse contenti: Si posterius, rogabo quænam illa ejus merita sint ex quibus regnum cœlorum consequatur; cum nullum bonum opus meritorium præstiterit ex quo in statu gratiæ post peccatum mortale fuerat restitutus: Suppono enim illum post contritionis suæ actum, qui non est meritorius reparationis gratiæ multo minus gloriæ æternæ, statim expirasse: Ad præcedentia merita quæ ante suum lapsum habuerit maxima recurri non potest: Nam illa omnia ex loco Ezechielis ipsi hoc naufragio periëre & per peccatum mortale unà mortificata fuerunt. Dices fortè cum Becano *cap. 34. de Sacram. q. 1.* præcedentia merita pe pœnitentiam & contritionem reviviscere; Sed *1. ipse ibi conclus. 2.* agnoscit hanc meritorum reviviscentiam incertam esse neque *de fide. 2.* Cum nihil ultra spheram suæ activitatis agere possit, absurdum est actum contritionis qui nullam vim meritoriam habet in se ipso, posse merita tamen mortificata vivificare, & quadanteus virginem post lapsum reparare, quod nec ipsi Deo possibile esse dixit aliquando Hieronymus. 3. Pari ratione posset pœnitentia opera bona, sed mortua, uti dicuntur Scholasticis, facta in statu peccati, quæ ac ipsa præcedentia merita mortificata vivificare. 4. Patet quod ex putri illo paxillo reviviscentiæ imaginariæ præcedentium meritorum, quæ nihil incertius, nihil Scripturæ & Antiquitati minus notum, tota hæc meritoria doctrina suspendatur. Ad hæc Tirinus novam hic insinuat distinctionem meritorum de congruo, quorum alia talia sunt improprie alia proprie; sed debuisset nos docere quid sit congruum proprie, si illud demum tale sit improprie, quod *aliquo modo conveniens est, & conforme videtur divini misericordia.* Præterea non divinæ tantum misericordiæ conforme est, sed etiam divinis promissionibus, ut Deus suos lapsantes per infirmitatem neque ex destinata malitia, sive ex peccato regnante, (quod non cadit in regenitos) in aliquod peccatum incidentes, erigat ac restituat in integrum; Nam dona & vocatio ejus sunt

^a *μιταμίλντα* Rom. xi, 29. & bonum opus quod in suis cœpit ad Christi diem usque perficiet Phil. 1, 6. nec dejicitur justus cùm cadit, quia Deus sustentat manum ejus Ps. xxxv 11, 24. Non eriguntur autem & reparantur à lapsu quotquot reparantur, intuitu præcedentiũ suorum meritorum, quæ nulla unquam fuerunt, sed vi electionis & promissionis divinæ & intercessionis Christi, qui pro singulis suorum orare non desinit ne fides eorum deficiat. Nec Josaphato parcitum fuit propter præcedentia merita, loco quem hic citat Tirinus ex 2 Paral. xix, 2. Sed tantum peccatum grave quod Propheta ei exprobrat, illi non imputatur ad pœnam ex misericordia divina; quod operibus suis præcedentibus talem se gessisset quales esse debent veri Dei Filii, quibus misericorditer condonantur quæ perperam admiserint, juxta promissionem factam Davidi de suis posteris Psalm. lxxxix, 30. 31. 32. 33. 34. Præcedentia opera Josaphati hic commemorantur non ut causæ meritorie, sed ut signa & testimonia favoris divini. Mira autem est incogitantia vel inconstantia Tirini in hoc argumento. Hic enim hunc intuitum bonorum operum præcedentium Josaphati sic insinuat, ut bona illa opera neget fuisse meritoria, nequidem propriè de congruo, multò minus de condigno, beneficii quod eorum intuitu Rex ille consecutus est; at in commentario ad 2. Paral. cap. 19. 2. vult ita bonorum operum intuitu peccatum hoc omne (in quod, gravissimum sanè, incidit) & pœnas peccati omnes à Deo ipsi condonatas fuisse, ut hoc notandum velit adversus hæreticos pro bonorum operum merito. Quid enim habes hic Tirine quod notes pro merito bonorum operum contra nos, ubi nequidem merita propriè de congruo audes admittere? Aut si stabant adhuc præcedentia Josaphati merita, etiã postquam in grave peccatum incidisset, cur nugamini ea per peccatum penitus mortificari & extingui? Ut non validiori argumento utatur Becanus ad probandum hominem non posse suis operibus mereri reparationem post lapsum; quia nemo (inquit) meretur per opera quæ jam mortificata & extincta sunt. q. 5. c. 5. tract. 4. tom. 1. p. 2. Theol. Schol. Porro Davidis precatio Ps. lxx, 9, Heb. lxxi. est aliena ab hac materia; nec enim petit David non deserri à Deo cùm vires suæ spirituales defecerint, cùm non aliter sustentemur nec deseramur à Deo quàm virium illarum spiritualium corroboratio-
ne &

Ne & confirmatione; sed petit, ut tota series ostendit, non derelinqui à Domino in sua senectà, cum jam virtus naturalis languescere & deficere inciperet; Quod ipse Tirinus in Psalmi illius *lemmase* annotavit; *David jam senex operi Dei implorat contra impios Achitophellem, Absalomum, caterosque conjuratos: Quamvis non negem posse ac debere quemlibet petere jugiter à Deo non desereri; cum in lucta carnis & spiritus contingit hujus vires illius assultibus alterari atque debilitari: Quò spectat quotidiana nostra precatio, Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo; Sed tales piorum preces licet sint suo sensu impetratoris perseverantiæ finalis & restitutionis post lapsum, ubi contigerit nos cæspitare, nullo tamen modo vel propriè vel impropiè ejus meritoriz dici possunt.*

Nam. 9. **BONA TEMPORALIA**, cum non extet promissio, nec sine necessaria media ad vitam æternam consequendam, non cadunt sub meritum de condigno. Quando ad id utilia essent, possunt cadere sub meritum de congruo, sed vel ipsa in se, vel alia bona ipsis utiliora: Matth. VI, 33. *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis: I Tim. IV, 8. Pietas ad omnia utilis est; &c.*

CENSURA. *Bona temporalia*) Mirum est Pontificios tribuere bonis suis operibus quod plus est, nempe mereri gratiam & gloriam, & abrogare quod minus est nempe temporalia mereri; cum tamen anima sit plusquam alimentum & corpus quam vestitus Matt. VI, 25. Quare ut ille festivè dicebat hoc esse inter nos & Pontificios discriminis, quod illi statuerent Missam nihil valere à prandio, nos statuamus nec eam manè quicquam valere, ita hoc est discriminis circa opera inter nos, quod illi asserant nulla dari ex illis merita ad bona temporalia, nos insuper protestemur neque ulla dari ad spiritualia & æterna; Quanquam hic Tirinus à gregalibus suis audet dissentire: Nam Becanus *V.S. quæst. 9.* asserit hominem justum posse mereri bona temporalia, quatenus illum *adjuvant ut vitam æternam consequi possit; Ratio est, quia qui meretur finem potest etiam mereri media que conferunt ad finem.* At, ô Becane, sic evincam contra te perseverantiam non minus cadere sub merito quam vitam æternam, cum hæc se habeat ut finis, illa ut medium ad finem. - Quod vero per quandam

ἰκανόθωτον Tirinus bona temporalia subicit meritis de congruo, est valde absurdum: Ut enim per merita propriè de condigno, qualia sunt eorum qui primùm quærunt regnum Dei Matt. vi, 33. & verè student pietati 1 Tim. iv, 8. non nisi de congruo mereamur id quod talibus operibus promissum est, tale est ut vix capi queat. Sed simplex veritas ejusmodi missis ambagibus statuit sic Deum agere liberaliter cùm suis ut bona & spiritalia & temporalia ipsis promittat, sed illa absolutè, hæc non nisi secundum quid & cum expediverit ad eorum salutem. Ut verò talis promissio est merè gratuita, ita ejus executio & rei promissæ collatio, non cadit sub meritum, sed planè indebita est.

Num. 10. ALIIS possunt justi PROMERERI, sed solum de congruo (quia nulla extat certa promissio) gratias prævenientes, quibus ad justiciam vel acquirendam, vel augendam disponantur. Patet ex efficacia orationis, quam pro invicem fundere jubemur 1 Joh. i, 11, 22. & Jac. ult. v. 16. *Multum valet deprecatio justis assidue*, &c. Nullo modo gratiam sanctificantem, aut alia quæ supponunt liberam alterius cooperationem. Alioqui possent alii alios justificare; quod soli Christo concessum: *Nec enim aliud nomen est sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, Act. iv, 12.

CENSURA. *Aliis possunt justis*) Cum Becanus, uti loco suo annotavi, prudentior Tirino, nihil habeat certè quod dicat circa merita de congruo, mirum est hunc nostrum eò usque se liberalem præbere, ut eorum efficaciam extendat ad alios, quod fieri non potest, quin eidem numero operi simul duplex meritum ascribat, de condigno scilicet & de congruo: Nam v. g. oratio quâ quis vehementer precatur pro alterius conversione sui respectu est meritoria de condigno, ex hypothesi adversariorum, quia est actus charitatis imperatus; & respectu ejus cui benè precatur erit meritoria tantùm de congruo: quod quomodo stare possit Jesuitarum est dispicere. Ad hæc si *nemo quantumvis sanctus & gratus Deo, potest alteri de condigno mereri gratiam aut gloriam*, ut loquitur Becanus V. S. q. 10. hac maxime de causa quod id solius sit Christi qui habuit gratiam capitis, ut docet Thomas 3. par. q. 8. non video cur non pari ratione statuatur neminem sibi ipsi mereri posse
de con-

de condigno gratiam aut gloriam; Quod si juxta Tirinum ipsum hic, homines illo modo merendo aliis gratiam sanctificantem aut illius incrementum; eos justificarent, quod soli Christo concessum juxta dictum Petri Act. iv, 12. sibi citatum, cur non dicantur se ipsos justificare velle, atque sic in munus Christo proprium involare, qui sibi ipsis volunt ullo modo vel de condigno vel de congruo mereri gratiam & gloriam? Mitto alia absurda quæ huc congestit Jesuita; ut cum gratiam sanctificantem statuit formaliter justificare; gratias prævenientes à sanctificante distinguit; ad illam requirit liberam hominis cooperationem; propter hoc liberæ cooperationis requisitum imaginarium negat eam cadere sub meritum alterius, unde sequatur nec Christum ipsam nobis meritum esse, nec illius augmentum posse sibi quæquam mereri, si quæ supponunt liberam cooperationem sub meritum non cadunt; Sufficiat hic in superpondium annotasse I. Efficaciam orationis quàm tenemur etiam fundere pro aliis, perperam à Jesuita fieri meritoriam de congruo; cum precum efficacia omnis consistat in eo quod sint ex fide in Deum & ipsius gratia ac Christi intercessione impetratoriarum rerum quæ petuntur, nullo modo earum meritoriarum. II. Falsam esse rationem quam adfert Tirinus ut probet non nisi de congruo preces piorum aliquid aliis mereri, nempe quia nulla certa extat promissio; cum è contrario Deus nobis mandando mutuum precum officium I Joh. v, 15. 16. ei mandato adjungat exauditionis promissionem, præter eam generalem quæ extat Matt. vii, 7. & I Joh. iii, 22. III. Nec verum esse quod fidelis, tum sit infidelis & peccatorem justificaturus, si suis precibus ad Deum ejus impetret conversionem & salutem per merita Christi, magis quàm si illi impetraverit suis precibus imaginarias illas prævenientes gratias, quibus ad justitiam vel acquirendam vel augendam disponatur. Nam gratia disponens si quæ sit, & gratia actu efficiens ipsam conversionem manat ex eodem fonte, & ut neutra cadit sub meritum vel nobis vel aliis, ita pius utramque potest & petere & consequi pro aliis suis precibus. Exemplum, ut alia mittam, habemus in Stephano Act. vi, 59. qui suis inimicis à Deo petiit non solum remissionem hujus homicidii, sed & veram super eo peccato penitentiam, & quod petiit

petiit impetravit, si non in omnibus, saltem in iis qui pertinēbant ad Dei electionem, ut in Saulo nominatim: Unde Sauli conversionem non semel tribuit Augustinus orationi Protomartyris; *Adhuc Saulus grassabatur & jam Stephanus pro illo ex audiebatur, serm. 49. de diversis cap. 4. & serm. 1. de Sanctis, Si Sanctus Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum non haberet;* Ut quodammodo Paulus sit futurus Stephani corona & gaudium in die iudicii, ut id erunt Paulo quotquot ipsius operā & ministerio ad Christum adducti fuerint Phil. IV, 1, 14. Hinc liquere obiter quid statuendum de Papalibus indulgentiis: Per illas enim erogantur liberali manu bona illa spiritualia quæ in eum usum asservantur in thesauro Ecclesiæ: Is verò thesaurus potissimum constat ex superabundantibus meritis & supererogationibus Martyrum & Monachorum, applicandis indulgentiarum beneficio in usum aliorum: Sed cùm valde incertum sit num iusti possint aliis mereri, etiam iis quibus distinctè & nominatim bene volunt & precantur, nec alia merita hinc Tirinus pro aliis admittat quàm de congruo, quæ valde sunt dubia & incerta, inde patet quàm revera nihil sit, quod in nostrum usum ex alienis meritis per indulgentias suas Pontifex velle convertere videtur. Sed de his aliàs.

Barber. sup. Calvinum lib. 3. Inst. c. 2. §. ult. Thomas 2. 2. q. 129. art. 6. Num. II. Ex supra dictis patet, (contra Lutherum, Calvinum, reliquosque sectarios) non ex solâ fide, sed etiam ex MERITIS bonorum operum nostrorum NASCI FIDUCIAM quam in Deo habemus, quæ non est aliud secundum S. Thomam, quam spes confirmata atque perfecta; Iob. XI, 14. & 18. *Si iniquitatem abstuleris, &c. habebis fiduciam.* Tob. IV, 12. *Fiducia magna erit coram summo Deo elemosyna.* Rom. V, 4. *Probatio spes operatur: I Tim. III, 13. Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt & multam fiduciam.* Heb. X, 35. *Nolite amittere confidentiam vestram ex patientiâ conceptam; I Ioh. III, 21. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

CENSURA. *Ex supra dictis patet contra*) De fide & fiducia dictum est ad superiorem Controversiam: Non negamus bonorum operum & pietatis studio firmari vocationem & electionem nostram 2 Pet. 1, 10. hoc est, in illius certitudine & sensu magis magis

sensu magis magisque confirmari; Quin imò ipsa fides radix & mater bonorum operum, eorundem exercitio & praxi corroboratur & intenditur; non secus ac eò limpidiore & salubrior redditur aqua putei quò frequentius ex illo hauritur: Et sic habitus ad agendum ordinantur, ut firmentur & intendantur actuum frequentia, cessatione verò debilitentur ac remittantur. Sed negamus Pontificiis nasci posse fiduciam & spem corroboratam salutis æternæ ex meritis operum nostrorum: quandoquidem, uti jam evicimus, nihil meriti nostris bonis operibus insit, omnisque salutis nostræ fiducia ex Christi merito per fidem apprehensio pendeat, nec opera ad illam fiduciam & spem salutis aliter concurrant quam ut sunt signa ac τεκμήρια veræ & salvificæ fidei in Christum, qui nobis factus est à Patre sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio 1. Cor: 1, 30. Et jure Calvinus, loco hic Tirino citato, Lombardum carpit quod duplex fidei fundamentum jaciatur, gratiam Dei & operum meritum: Nam hæc duo simul consistere nequeunt: Opposita sunt ut duo Poli in Orbe, quorum unus attolli non potest, cum alter deprimatur: Præsumptio est quidem vitiosa sperare & expectare salutem, etsi negligas studium bonorum operum ac vitii te mancipis; stultè agit qui putet se venturum in cælum, insistendo viæ illi quæ ducit ad inferos; sed nec minor est præsumptio salutem sperare ex operum tuorum meritis, ac eorum dignitati inniti: id nequis quin gratiæ divinæ & Christi merito nunties repudium. Sed hoc est arcanum Kabbalæ Iesuitarum, deprehensum etiam inter eorum schedas cum ex ditione Venetorum fuerunt ejecti, Gratiam Dei non esse nimis inculcandam; adeo ut Toletum non puduerit hujus asserti lib. 4. Inst. sacerdot. cap. 7. §. 4. & 5. Minus eum peccare qui beatitudinem expectet ex suis meritis absque Dei misericordia, quàm qui illam ex sola Dei misericordia præstoleatur absque ullo suo merito; quam blasphemiam reulisse, refutasse est.

Jobi xi, 14. 18. Si iniquitatem) Nullis fiduculis eliciet Tirinus ex locis hic sibi citatis spem aut fiduciam nostram meritis operum posse inædificari. Ad hunc ex Jobo possem respondere per hypothesim ipsiusmet Tirini, in argumento ejus libri, amicorum Jobi, utpote *typum hereticorum*

sustinentium verba, non habere *infallibilem veritatem C anonica Scriptura*: Sed huc devenire nefas puto, quia licet errarint illi in hypothesi quoad personam Jobi, quæ tamen theticè dicunt & in communi vera sunt & certa, saltem legaliter, ut speciatim à CL. Coccejo fuit ostensum. Quare solutio erit commodior si dixerim scelerum amotionem & emendationem vitæ ad fiduciam & securitatem se habere quidem antecedenter per modum signi & effectus veræ fidei à qua manat, non tamen fundamentaliter & efficienter ut illi emendationi & novæ vitæ hæc securitas & fiducia per se directè & immediatè ininitatur: Quid quod Tsophar eò loci videtur potius homini respicienti & vias suas emendanti prosperitatem & securitatem temporalem promittere, habito respectu ad calamitates quibuscum Job confliabatur, ut etiam censet Lyranus, quam agere de spe & fiducia vitæ æternæ?

Tob. 17, 12. Fiducia) Respondeo & authorem illum esse apocryphum, & de simili loco nos dixisse *ad Contr. preced. n. 8.* & textum Græcum nihil habere de fiducia, sed tantum *δ ωρον  στι  λεημοσύνη π σι το ς ποι σιον  υτὴν ἐνώπιον τῆ  ψ ς*; Prout ipse Emanuel Sa agnoscit quod pro *fiducia magna*, sit Græcè *donum bonum*; ut non alia sit mens authoris quam beneficium hominem & liberalem in pauperes potius accipere quam dare: Nec Paulus pateretur eleemosynas parere fiduciã per se, qui negat prodesse quicquam largitionem bonorum omnium in pauperes si Charitas absit 1. Cor: XIII, 3. Imò Tirinus *ad Tob. 17, 12.* putat hæc eleemosynæ convenire potissimum *dispositivè* & de *congruo*, idque demum si fiat *ex fide* & *ob motivum supernaturale* & *ex gratiã preveniente*; unde liquet quam absurdè h c eadem proferantur ad fiduciam ex meritis eliciendam; cum fiducia nonnisi ex meritis de condigno, si ex ullis, nasci possit.

Rom. 7, 4. Probatio) Respondeo probationem h c intelligi fidelium activam, quæ ipsi in suis ærumnis per patientiam toleratis, Dei gratiam & consolationem in Christo sæpius probaverint & experti fuerint Ioh: XIV, 17. 18. 2. Cor: 1, 5. 6. cum ex illo experimento & sensu interno fiducia & spes maxime confirmantur; Sed quid illi probationi commune cum meritis operum nostrorum? Ipse Cornelius à

Lapide

Lapide ex Toletò & Cajetano agnoscit *melius* probationem denotare probationis terminum, nempe *ex perimentum*; & noster Paræus quem in eo Belgæ sequuntur, monet *δοκιμὴν* melius *experientiam* reddi (uti factum à Beza) quam *probationem* vel explorationem. Nec mirum si quis præsens Dei auxilium in tribulationibus pro Christo expertus sæpiusculè, in illis gloriatur ex spe & fiducia certa salutis per ipsum obtinendæ.

1^o Tim: 111, 12. Qui bene) Respondeo agi ibi de Diaconis qui si fideles fuerint in suo munere, bonum sibi parant gradum ad Ministerium verbi sive Presbyteratum, ut agnoscunt etiam Iesuitæ ex Ambrosio, Chrysostomo, Theophylacto, Anselmo, & magnam *παρρησίαν* in fide, idest, non fiduciam apud Deum, sed ipsis Tirino & Cornelio à Lapide ex Theophylacto & Oecumenio interpretibus, *libertatem in docendis & exequendis iis que fides Christi exigit*, ita ut ne quidem potentiores, dum munere suo defunguntur, vel curent, vel metuant; Quare hic locus est planè alienus.

Heb: x. 31. Nolite amittere) Respondeo Apostolum agere de eâ *παρρησίᾳ* quâ pii afflictionibus non deterriti constanter veritatem Christi profitebantur; prout Apostoli Act: 17, 31. sermonem Dei loquebantur *μετὰ παρρησίας*: ut planè ineptus sit Tirinus qui confidentiam vel *παρρησίαν* hanc interpretatur, *opes merita, thesauros spirituales tot laboribus tot præliis partos* (cum tamen necdum Hebræi ad sanguinem usque restitissent) *ex quibus ingentem fiduciam obtinenda aliquando vitæ æternæ haurire* illi solerent: Nec enim pii suam fiduciam ex suis meritis & passionibus hauriunt, sed ex Christi passionibus & merito; nec credibile est Hebræos id fecisse, etiam laudante & approbante Apostolo, quod minus tutum ipse noster Tirinus num. sequenti declarat: Quod si Apostolus debeat intelligi non de libertate confessionis retinenda in media persecutione, sed de fiducia apud Deum non abijcienda, quâ *Christianus in fide constans* (ut loquitur sibi Cornelius à Lapide) *qui bonorum expilationem gaudens subit, sed quod cogitaret & speraret meliorem substantiam & opes à Deo in calis se adepturum, libere & fidenter audeat à Deo, pro quo behorum jacturam fecit, sperare & petere, hanc meliorem substantiam & opes calestes, nihil inde ex sculpetur pro fiducia meritum*; cum hæc omnis nitatur gratuitis promissionibus in Christo,

sto, qui illas opes cælestes nobis paravit suo sanguine & eorum fiducia vult nos solari in omni tribulatione pro nomine suo: Hinc conferatur anchoræ tutæ & firmæ Heb: vi, 19. 20. & ingredienti usque in ea quæ sunt ultra velum, quò Iesus præcursor pro nobis ingressus est.

1. *Ioh: 111, 21. Si cor nostrum*) Respondeo, Fiduciam accedendi ad Deum meritò ex tranquillitate conscientiæ colligi, cum mens malè sibi conscia nec perfusa illâ pace & charitate Dei de qua Rom: v, 1, 5. meritò reformidet ad Deum accedere, ut in nostris primis parentibus latitantibus ad Dei vocem videre est. Tunc autem cor nostrum nos non condemnat cum nobis fumus benè conscij, non de operum nostrorum condignitate & meritis, sed de animi nostri ἀνυπόκριτος sinceritate in fide Christi & proximi dilectione; maximè ex interno testimonio Spiritus Sancti unà cum nostro Spiritu testantis nos esse filios Dei: Qui ita sibi conscius est habet liberum & fiducialem ad Deum accessum, non per sua merita, sed per Christum Eph: 111, 12. Heb: vi, 16. Quare hic nihil sibi aliud vult Iohannes quam quod expressit Gregorius I. *Moral. in Iob. lib. 10. c. 17. Diffidit accipere se posse quod appetit, qui profectò remississimus. adhuc se nolle facere quod divinitus audivit; Hinc per Iohannem dicitur, Si cor nostrum non reprehendat nos fiduciam habemus apud Deum: quicquid petierimus ab eo accipimus; Hinc Salomon ait, Qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis; Cor quippe nos in petitione reprehendit, cum resistere se preceptis ejus quem postulat meminit, & oratio fit execrabilis cum à censura avertitur Legis; quod dignum profectò est ut ab ejus beneficijs sit quisque extraneus, cujus nimirum jussionibus non vult esse subiectus; Quâ in re hoc est salubre remedium, ut cum se mens ex memoria culpæ reprehendit, hoc prius in oratione desleat quod erravit.* Uno verbo quæ de sinceritate charitatis nostræ explorandæ dicuntur, quò liberius ad Deum veniamus, ad condignitatem & meritum nostrorum operum trahâ non debent; nec is se exploraverit uti par est, & in cordis sui reprehensionem inquisiverit, qui fretus meritorum suorum fiduciâ cum superbiente Pharisæo Luc: xvii, 11, 12. ad ignem illum consumentem tentet accedere.

Nam: 12. Patet Secundò, etiam IN ipsis bonis operibus seu MERITIS, cum constiterit talia esse, FIDUCIAM collocari posse, exemplo Nehemix 2 Esdr: v. vers: ult. *Memento mei Domine in bonum, secundum omnia quae feci populo huic: Et Davidis Ps: xvii. 21. Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, quia custodivi vias ejus.* Et Ezechix, Esaiæ c: xxxviii, 3. *Memento quomodo ambulaverim coram te in veritate, &c.* Et Estheræ c: xiv, 16. *Tu scis, &c.* Denique & Apostoli 2 Tim: iv. 7. *Bonum certamen certavi, &c.* Propter incertitudinem tamen propriæ justitiæ & periculum inanis gloriæ, tutius est sic, meritis accumulandis studere, ut tamen fiduciam totam in solo Deo colloceamus, exemplo Danielis c: ix, 19. *Non in justificationibus nostris prosterimus preces nostras, sed in miserationibus tuis multis; & Luc: xviii, 10. Cum feceritis omnia, dicite, servi inutiles sumus.* Sic Ecclesia in Collectis, Ex nullâ nostrâ actione confidimus a. Nulla suppetunt suffragia meritorum b. Non asimator meriti c. sed venia largitor admittit. Et S. Bernardus, *Præcedat aliter meritum &c. mihi ad habere Deo bonum, ponere in Domino spem meam.* Et S. Chrysoft: *Minimum de se sensisse, tam magnum est, quam maximas res fecisse.*

a. Collecta
dominica
Sexagesi-
ma.

b. Coll. Secreta dominica secunda adventus. c. In canone post consecrationem. Bern: jerm. 9. in Ps. *Qui habitas.* Chrysoft. hom. 3. in Mattheum.

CENSURA. Patet secundo etiam in ipsis) Hic simul & astruit & evertit fiduciam meritorum: Primùm enim statuit quod fiducia collocari possit in meritis; postea verò asserit, tutius esse id non facere: Vbi pharum Naupactam crexit, dehortatur nautas ne ad illam cursum suum dirigant; Annon verò id planè indignum Christianis, quod hi homines eodem ore quo impugnant fiduciam in meritis Christi & redemptionis nostræ per ipsius sanguinem, audent fiduciam in propriis meritis propugnare? Hæc autem facilè cõruit, quia 1. Fiduciam ponere in meritis tuis non solum Pharisaicum est, sed etiam renuntiare Christi meritis & misericordiæ divinæ. 2. Nulla esse merita operum nostrorum hæcenus probavimus. 3. Adriano Papâ judice V. S. arundini fractæ & manum vulneranti innotuit qui in propriâ confidit justitiâ; & Bernardus in Psalm. *Qui habitas, form. 1.* statuit *Poniculosam habitationem esse eorum qui in meritis suis sperant, quia ruinosæ est.* 4. Repugnat principis Adversariorum; Qui enim potest quisquam considerare in suis meritis, cum nemo norit an habeat vera merita nec ne, & sit ne dignus amore an odio? Ideò Tirius fiduciam in meritis demū

ccc 3

permit-

permittit *cum confiteris talia esse*. At nunquam id constare potest hominibus qui nullam certitudinem habere volunt aut possunt se esse in statu gratiæ & Dei filios.

Exemplo Nehemia 2. Eccl. v, vers. ult.) Adhæc exempla, primùm in genere respondeo, ea non militare Jesuitis, nisi præsupponant certò constituisse Nehemiæ, Davidi, Ezechiæ, Paulo, Estheræ, de veritate & condignitate meritorum suorum, adeoque eos planè certos fuisse de sua justitia; quod tamen incertitudini Pontificiæ repugnat: Nec video cur magis his constiterit se habere vera & propriè dicta merita quibus considerent, quàm Danieli, Apostolis, Ecclesiæ toti, meritorum suorum fiduciam abiicientibus, & eam in solo Deo collocantibus, uti hîc agnoscit Jesuita. Sanè Nehemias procul fuit à collocanda fiducia in suis meritis, qui illam formalem & expressam peccatorum suorum edidit confessionem, confugiendo ad solam Dei misericordiam, quæ legitur Neh: 1, 6. 7. 11. Quare loco hîc Tirino citato synceritatem & fervorem Zeli sui circa Dei cultum commemorat, ceu testimonium & indicem fidei suæ, petens ex illa retributionem à Domino non debitam meritis suis sed gratuitò promissam confidentibus in Deo & cultus sui restitutionem procurantibus; Ideò quod hîc dixerat, Recordare mei Deus mi in bonum quicquid fecerim erga populum istum, sic repetit Cap. XIII, 22. Etiam hoc recordare mei, Deus mi, & parce mihi pro multitudine benignitatis tuæ, vel ut habet V. V. Pro hoc ergo memento mei, Deus meus, & parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum; Nempè id bonum in quod petit Deum sui recordari, non aliud est quàm ut sibi parcat, nec intret in iudicium cum servo suo; quod petit fretus, non meritorum suorum, sed miserationum divinarum fiducia: prout & à Bernardo dictum *serm. 61. in Cant. Meritum meum miseratione Domini*; Idem statuo de Davide, qui quàm procul fuerit à fiducia meritorum suorum constat ex Psal. CXLIII, 2. Et eum suam beatitudinem, id est justificationem interprete Paulo, in remissione peccatorum suorum collocasse liquet ex Psalmo xxxii, 1. 2. Quare locus hic Tirino citatus ex Psal xviii, 21. juxta Heb. non spectat ad justitiam inherentem personæ, cujus meritis David ianiteretur, sed ad justitiam & innocentiam

riam causæ suæ , cujus se Deus vindicem & protectorem demonstra-
 bat ; Clausula sequens , *quia custodisti vias ejus &c.* rationalis est potius
 quam causalis, vel ut alij loquuntur, notat causam non consequentis sed
 consequentiæ; nec per illam David extollit sua merita, aut omnimodam
 jactat perfectionem & impeccantiam, contra quam loquitur ipse Ps:
 XIX, 13. sed tantum synceritatem suam & perseverantiam in cultu Dei,
 profuo modulo , commemorat in signū & testimonium veræ illius fidei
 quâ semper suam protectionem à Deo expectaverat ; Augustinus hanc
 justitiam secundum quam David sibi retribui confidit justitiam *fidei* in-
 terpretatur. Adde nec illicò confidere in suis meritis , qui præstolatur
 gratuitam remunerationem quam promisit Deus suis filiis in justitia &
 puritate ambulantibus ex fide in Christum. Ezechiaë exemplum mi-
 nùs adhuc facit ad rem, utpote qui tunc lachrymas resipiscentiæ effun-
 debat coram Deo ; imò flebat, si fides Hieronymo apud Sabsout ,
 quod terreretur propter incertum diem judicii & ignorationem sen-
 tentiæ Dei , id non metuiturus si ipsi constitisset de suis meritis. Ne-
 que sua hîc commemorat merita , sed quod sine hypocrisi & ex animo
 cultui Dei vacaverit & idola everterit; aliàs, ut etiam observatum à Sas-
 bout , *non ignorabat Ezechias quod scriptum est , Non intres in judicium cum
 servo tuo , quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens ; & rursus , Quis
 gloriabitur se mundum habere cor ?* Quare quod dicitur secundum quid &
 quodam respectu, non debet absolutè & simpliciter & universaliter su-
 mi. Nec plus ponderis in loco Apocrypho & apud plerosque Pontificios
 nullius planè authoritatis Est: XIV, 16. Ibi introducitur Esther con-
 tra bonæ conjugis officium & gratitudinem Deo debitam ipsum, advo-
 care in testem quod detestaretur *subile incircumcisorum* (qualis tamen
 Rex vir suus erat) & abominaretur diadema capiti suo impositum illud-
 què detestaretur quasi *pannum menstruata* , & se excusans apud ipsum ,
 quod hæc omnia faceret ex necessitate & quadantenus invita ; in qui-
 bus nulla merita video , nullam meritorum ostentationem, aut fidu-
 ciam in illis : imò potius indirectam peccatorum quæ committebat ex-
 cusationē talē qualem, ex necessitate sibi imposita & quod invita & con-
 tra animi sui mentem id faceret. Quasi verò si se sentiebat peccare in
 diademate regio gestando & viri incircumcisi concubitu admitten-
 do, non

do , non debuisset potius mori quam illa perferre. Sed quam hæc Apocrypha malè cohæreant cum Canonicâ Estheræ historiâ ostensum ab aliis. De Paulo & loco 2. Tim: 1v, 8. dictum supra ad num. 5. Magnam hîc Pauli fiduciam & certitudinem agnoscimus , sed nullo modo suis innixam meritis , verum justitiæ Christi & gratiæ ejus cui crediderat , & quem depositum suum sibi servaturum ac redditurum in die illâ certò confidebat 2. Tim: 1, 12. In superiori Contr: num. 13. Tirinus volebat concedere Paulo certitudinem suæ justitiæ , eumque Dubitantiis suis annumerare conabatur ; nunc schemate inverso , eum tam confidentem facit , ut etiam propriis suis meritis , si Deo placet , magnus ille gratiæ patronus cum ingratis Iesuitis innitatur. Ita Scriptura Pontificiis est nasus cereus quem inflectunt ad libitum.

Propter incertitudinem tamen) Hoc omne desumptum est ex Bellarmino lib. 5. de justis. c. 7. propositione tertia. Et nonnulla veniunt hîc annotanda. I. Conscientiis suis convicti Adversarii, agnoscunt *incertitudinem propriæ justitiæ & periculum inanis gloriæ* in jactantiâ meritorum: Cur non ergò missâ propriæ justitiæ imaginatione , unicam illam justitiâ quæ est ex fide Christi sectantur cum Paulo Phil. 111, 9? Cur non se illi periculo inanis gloriæ subducturi, Pharisaicam illam de meritis propriis opinionem penitus deponunt ? II. Cum juxta Adversarios *tutius sit sic meritis accumulandis studere , ut tamen fiduciam totam in solo Deo collocemus* , quâ fronte audent propugnare insolentem hanc thesû , posse in propriis meritis fiduciam collocari, & obtorto collo eò trahere priorum dicta & exempla ? An putant sanctos illos non fecisse id quod tutius adeoquè melius fieri ipsi agnoscunt ? Et cur non patientur ut meritorum voce missâ , statuamus tutius, sic bonis operibus accumulandis studere , ut omnem interea fiduciam in solo Deo & Christi meritis reponamus ? Nec alia mens Bernardi ludentis in voce meriti *serm. 98. in Cant. Ut ad meritum satis est de meritis non præsumere, sic carere meritis* (id est bonis operibus) *satis est ad judicium*. III. Cum Tirinus profert hîc Daniele non tantum propriorum meritorum fiduciam abiicientem, sed revera eorum carentiam ingenuè profitentem , illius exemplo se & suos meritorios vanæ gloriæ & præsumptionis damnat ; An enim

Enim Monachi hodierni sanctiores erunt & perfectiores tam eximio Prophetâ ? IV. Licet alibi sit dictum de loco Lucæ xvii, 10. hîc tamen illud prætereundum non est, quod vel ipsi Jesuitæ inde colligunt fiduciam in propriis meritis non esse collocandam : Quod nullis facient fiducialis, nisi agnoverint hîc omne meritum etiam perfectissimæ nostræ obedientiæ abrogari ; quoniam in eo quod præstare tenemur , licet accuratè præstitum foret , à quo omnes longè absunt, inutiles sumus servi Domino nostro , adeoquè tum propter debitum & obligationem, tum propter inutilitatem omnis meriti expertes : Et sanè nemo potest censerî fiduciam abiicere meritorum , dum profitetur nihil à se factum quod non deberet , & se inutilem fuisse in eo omni quod fecit , nisi quatenus tali professione agnoscit nullum se habere meritum. V. Loca quæ hic ex Collectis Ecclesiæ Rom. & Canone Missæ nec non Bernardo & Chrysostomo proferuntur talia sunt, ut negent non tantum fiduciam sed etiam existentiam meritorum: Qui enim profitentur ex nulla sua actione se confidere , nulla sibi suppere suffragia meritorum, Deum habere pro largitore veniæ non meritorum æstimatore, in Domino non in meritis spem esse reponendam , summam esse virtutem nihil sibi de suis virtutibus & meritis persuadere, illi sanè eò ipso nulla sibi inesse merita profitentur ; & scitè Bernhardus in Psal: 91. *Hoc totum est hominis meritum si totam spem suam ponat in eo quæ totum hominum saluum facit : & ante ipsum Augustinus attendens ad verba Pauli Rom: vi, 23. Maluit dicere, Gratia autem Dei vita æterna, ut intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad vitam æternam, sed pro sua miseratione perducere. De grat. & lib. art. 6. 9.*

Num: 13. Licere autem INTUITU MERCEDIS æternæ (etsi Calvinus id non probet) OPERARI bona opera, constat ex præcepto Christi Matth: vi, 33. *Primum querite regnum Dei, &c. Luc: xvi, 9. Facite vobis amicos de Mammonâ iniquitatis, ut recipiant vos in æterna tabernacula : & I Cor: ix, 10. Debet in spe qui arat, arare, &c. Sic David Ps: cxviii, 112. Inclina vi cor meum ad faciendas justificationes meas propter retributionem. Et Moyses Heb: xi, 26. aspicebat in remunerationem: Quin & S. Paulus Philipp: iii, 14. Ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis. I Cor: ix, 24. Sic currite ut comprehendatis. Et nonnè à spe regni cœlorum orsus est prædicationem suam non modò Iohannes Baptista Matth, iii, 2, sed & ipse Christus Matth, iv, 17 ? Et*

Apostolis iussit C: x. 7. ut & suam exordirentur. *Appropinquavit regnum celorum?* Et verò si vita æterna est finis noster & fidei & operum omnium nostrorum, cur illum spectare non liceat, non oporteat? 1 Pet. 1. 9. *Reportantes finem fidei vestre, salutem animarum vestrarum:* Cavendum tantum, ne instat mercenariorum Ioh. x. 12. vel solius mercedis intuitu, vel ob illam præcipue operemur.

CENSURA. *Licere autem intuitu mercedis*) Injuriam hinc Calvino fieri sola locorum à Tirino citatorum inspectio demonstrabit. Non negat Calvinus etiam mercedis illius gratuitæ & remunerationis æternæ intuitu studendum esse pietati & bonis operibus. Nihil Calvino cum Sadducæis, qui cum ab Antiguo Sochæo Tfadochi & Bajethosi præceptore hanc accepissent lectionem, referente Schindlero in Lexico ad vocem *præ*, *Non sicut similes servis qui serviunt Domino eâ conditione ut accipiant mercedem, sed sicut similes servis qui serviunt Domino sine conditione ut mercedem accipiant, sicutque timor cali sive Dei super uos*, inde perperam colligebant, *Si scivissent patres nostri quod futura sit vivificatio mortuorum & donatio seu persolusio mercedis iustorum in mundo futuro non ita docuissent*: Calvinus etenim nunquam negavit nos mercedis & remunerationis certissimæ promissionibus eximiis excitari ad officium; quò spectant omnia Scripturæ loca huc à Tirino congesta; sed tantum hoc censuit cavendū, quod & cavendū monet Jesuita, *ne instat mercenariorum, vel solius mercedis intuitu vel ob illâ præcipue operemur*. Absit à nobis ut filiorum adoptionem & titulum cum vili mercenariorum conditione permutemus, aut imitemur molatrinæ quæ vento debent circumagi ut aliquid agant, inertesque maneamus in officio, nisi merendi apud Deum stultâ opinione turgeant alæ nostræ. Consideremus bravium & coronam, non ut præmium laborum nostrorum, sed ut eorum finem & exitum. Respiciamus cum Mose ad mercedem & remunerationem, non ut debitam nostris meritis, sed ut promissam in Christo nostris personis, ejusque spe & expectatione devoremus alacres quicquid in via difficultatis experimur, sicut septennij labores alacriter pertulit Iacob propter Rachelem, quod eam diligeret: *& graviora passus dabit Deus his quoque finem*. Uno verbo quo sensu vita æterna merces est, eo sensu, intuitu mercedis studere pietati debemus; atqui merces est non proprie & relative ad meritum;

ritum, sed improprie & tantum in eo quod tam certo credentibus in Christum & perseverantibus in fide conferetur in fine hujus vitæ, quam certo mercenarius pactam & promissam sibi mercedem consequitur in fine diei Job. vii, 2. Ergo studeamus pietati & bonis operibus intuitu illius vitæ æternæ quam sumus certo & infallibiliter consecuturi per Christum; ita ut certa expectatio ejus ex promissionibus divinis & Christi merito sit nobis & in delinimentum ærumnarum hujus vitæ brevi cum fœlicitate æternâ commutandarum, & in incitamentum ad bona opera, quæ licet non sint causa regnandi sunt tamen via ad regnum, quam è alacrius inire & constantius insistere debemus quò certius in illius fine & meta coronam expectamus.

CONTROVERSIA XVII.

De

ORATIONE, IEIUNIO, & Eleemosyna.

Respondens.

IOH: MELCHIORE STEINBERGIO,
Genevensi.

Nov:
I.



ORANDI NECESSITATEM (etsi negent Politici, Pelagiani, Wicel, & nescio quis Iohannes Monhemius Lutheranus Theologus,) ex eo colligimus, quod cum sine speciali auxilio divino bene vivere, perseverare & salvari non possimus, (ut vidimus contr. XIV, n. 8. 9. 15. 17.) necessariò cogamur per orationem illud assiduo nobis deposcere. Luc: XVIII, 1. Oportet semper orare & non deficere:

*Wicel dō
pud Thea
mamWal-
densem
tom. 3. c.
1. & 2.
de Sa-
crant.*

D d d 2

cap. XXI.

cap. XXI. 36. *Vigilate omni tempore orantes.* I Thess. ult. vers. 16. *Sine intermissione orate* : Eccli. XVIII, 22. *Non impediatis orare semper.*

Neque verum est, quod isti alunt, auxilium Dei non defuturum etsi non peteretur: nam Ps. cv. 23. *Dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetit in confractione, in conspectu ejus.* Matth. XVII. 20. *Hoc genus demoniorum non vincitur nisi per orationem & jejunium*; Iac. IV, 2. *Non habetis, propter quod non postulatis.*

CENSURA. *Orandi necessitatem*) Et nos orandi necessitatem ex locis hîc Tirino citatis ultrò agnoscimus. Sic enim Deus decrevit ex liberrima & irrevocabili suâ electione, dare suis gratiam resistendi tentationibus, & perseverantiæ donum, ut illud etiam in ipsis per eorum preces efficiat & efficere decreverit, ad quas tamen eos movet & dirigit per Spiritum precum Zach: XII, 10. Multa nobis de sunt quæ cælo non aliâ machinâ deducuntur quam precibus; multa mala nobis impendunt etiam ex justo Dei judicio & comminationibus severis, ut Israëlitis in deserto Psal: CVI, 23. quæ non alia arte averrunciari possunt: Sed hic in Tirino carpendum putamus quod monstra sibi finxerit quæ debellaret: Becanus qui Politicorum suorum errores, uti retur impugnavit in suo *Manuali*, illis non tribuit quod precum necessitatem negent. Pelagianos verò quod attinet, eos quidem Augustinus ejusque sequaces hoc interdum urserunt argumento, quòd si in hominis voluntate sit servari & benè agere vel non, precibus sanctis & assiduis quibus gratiam divinam impleremus Deoque dicamus *Fac quod jubes*, opus non erit; Unde per evidentè consequentiam colligebat Augustinus *de heres. ad Quod. cap. 88.* destruere eos *orationes quas facit Ecclesia, sive pro infidelibus & doctrina Dei resistentiis, ut convertantur ad Deum, sive pro fidelibus ut augeatur ipsis fides, & perseverent in eâ*; *Hæc quippe non ab ipso accipere, sed à seipsis habere contendunt; gratiam Dei qua liberamur ab impietate dicentes secundum merita nostra dari*; At illi nunquam eò devenerunt impudentiæ ut ore rotundo negarent orandi necessitatem. Wicleffum viceversa Augustini in doctrina de prædestinatione & gratiâ insistentem vestigiis, eodem hoc incommodo adversarii sui urserunt, quo Pelagiani & Semi pelagiani olim gravabant Augustinianû dogma, per illud orationes refrigescere & extin-

Extingui : Qua in veteri criminatione perseverare hodiernos Iesuitas contra sequaces Augustini, ex Vasquesio comprobat Iansenius in *parallelo Masiliensium cum Iesuitis* addito ad calcem Augustini sui c. 1. notâ 9. Sed nihil unquam excidit Wicleffo quod utilitatem aut necessitatem sanctarum precum infringeret: Extant in Concilio Constantiensi *sess. 8.* articuli quadraginta quinque Wicleffo ascripti & hoc nomine damnati, inter quos nullus est contra orandi necessitatem aut quie eò trahi possit ; Nam 26. qui sic habet, *Oratio peccati* (idest hominis reprob) *nullis valet*, non improbat necessitatem orandi, sed vult preces gratas Deo fundi demum ab iis qui fide & gratiâ polleant, quod in reprobos non cadit. Quoad Monhemium si dixit, juxta relationem Bellarmini *lib. 1. de bon. oper. in part. cap. 3.* *Deum id petentibus dare quod aliàs etiam daturus esset, etiamsi non peteretur*, minùs quidem convenienter locutus est ; sed tamen id solum visus est intendere nihil dari à Deo precibus nostris, nisi quod ante quàm precaremur Deus nobis certò dare apud se constituerit : Non venit Christus ad fines Tyriorum nisi cum consilio sanandi puellam mulieris Cananitidis : sed in illius sui consilii executionem, suo Spiritu excitavit animum mulieris ad instantes illas preces, quarum interuentu hoc beneficium eì conferre decreverat. Verum Pontificii qui quærunt inter nostros quos accusent impugnatâ necessitatis orationum, se applicant faciliores quam par esset ad Euchetarum, Psallianorum & Messalianorum errores de quibus Theodoretus *lib. 4. Hist. c. 10.* & Augustinus *de heresib. cap. 57.* & Epiphanius *her. ult.* referunt eos sic totos fuisse in orationibus, ut orationum perpetuò continuandarum pretextu illicitum putarent Monachis *sustentanda vita sua causâ aliquid operari.* Quod annon optimè quadret in Monachos Pontificiorum qui otio litant & se subducunt labori sub eodem perpetuandę orationis pretextu, & viduarum devorant domos sub obtentu prolixę orationis, ut prisci Pharisei Marc. xii, 40. viderint ipsi. Verùm omnes errores Pontificiorum hac in materia enotare non est mei hic instituti : Satis fuerit Tirini preffisse vestigia, & sicubi patrocinator superstitioni aut errori eum refutasse.

Luth: pas-
sim, ubi de
fide.
Melanch:
2. n. locis c.
e oratio-
Be.
Crent. in
Wonsess.
irt. c. de
rat.
Calv. lib.
3. inst. c.
20. §. 3.

Num: 2. FRUCTUM ORATIONIS penè omnem tollunt Lutherus, Melancthon, Brentius, Calvinus & alii Sectarii, dum negant, SATISFACTORIAM esse (sed cur minus quam alia opera bona laboriosa ?) aut MERITORIAM (contra illud Christi Matth: VI, 4. *Clasfo ofio ora Paurem, & reddet tibi mercedem:*) aut IMPETRATORIAM remissionis peccatorum seu Iustificacionis, contra illud: 12. *quo jubemur orare, Dimitte nobis debita nostra &c.* & Luc: XVIII, 13. *Publicanus orans, Deus propitius esto mihi peccatori, descendit iustificatus.* Aliarum quidem rerum impetratoriam esse fatentur, sed tùm demùm, cùm innitur fidei speciali, quã quisque credat se certò certitis gratum esse Deo & iustum & prædestinatum: quæ fides cum reverà haberi non possit, (ut vidimus *Calvov: XVI, n. 11*) sequitur, nihil omnino oratione, ex mente ipsorum, impetrari posse.

CENSURA. *Fructum orationis penè omnem*) Imò hunc fructum omnem orationum evertunt Pontificii dum eam satisfactoriam esse, aut meritoriam, perperam asserunt. Parùm appositè ad Theologiam Pontificiorum hæc duo in oratione conjunguntur: Nam qui satisfacit solvit quod debet; qui meretur propriè præstat quod non debet. Hinc maxime meritoria Pontificiis, opera quæ vocant supererogatoria, in quibus præstare se putant plus boni quàm tenebantur: Quomodo verò poterit quis in eadem oratione se & debitorem satisfaciendo & merendo creditorem simul constituere? Nolunt Pontificii actus eorum qui sunt in purgatorio posse simul esse satisfactorios & meritorios; cur ergò satisfactorias & meritorias simul faciunt preces viventium? An plus virtutis & perfectionis inerit orationibus viatorum quàm comprehensorum, quas nec satisfactorias nec meritorias esse agnoscit Tirinus N. sequenti? Sanè qui supplicat suo creditori, qui veniam petit à suo iudice, qui profitetur ita se reum debendi ut non habeat unde solvat vel primum quadrantem, qui rogat sibi applicari unicam & perfectissimam Christi satisfactionem, is tali petitione satisfacere non censendus est. Adhæc opus satisfactorium poenale esse debet, & naturæ aut voluntati nostræ contrarium, ut malum poenæ à Scholasticis definitur: At è contrario nihil dulcius aut suavius est animæ piæ, exercitio orationis, quæ est ascensio mentis ad Deum & gratissimum cum ipso colloquium; ut ridiculi sint Confessarii in Papatu, qui sæpè inter satisfactiones suas

suas pœnitentiales, de quibus suo loco erit dicendum, preces quasdam reponunt & hac pœna mulctant pœnitentes quod Deum precari debeant. Mitto quæ fingit Tirinus de bonis operibus laboriosis quæ sint satisfactoria: Nam nec dantur ulla hominum opera satisfactoria in foro poli & apud Deum; nec oratio operibus laboriosis debet annumerari; nec concedenda bona opera formaliter laboriosa; quia laboriosum est quod vexam & dolorem affert corpori, quod nulli bono operi, quâ tali, competit 1. Ioh: v, 3. Iejunium ut macerat corpus est opus laboriosum: sed bonitas moralis ieiunii in illa maceratione non consistit: Nec enim debemus jejuna ut sæviamus in carnem nostram, quam nemo odisse debet; sed ut nos humiliemus sub Dei manu & ad exercitia precum & pietatis alacrius & facilius nos componamus: Martyrium ut lacerat corpus tormentis & doloribus, est opus laboriosum; sed bonitas ejus moralis & formalis alibi quaerenda est; non supplicium, sed causa & animus Martyrem facit. Quod si oratio satisfactoria non est, nec meritoria debet dici; tum, quia nullum opus nostrum meritorium est apud Deum, tum quia pii in suis precibus se meritis omnibus carere & ad solam Dei misericordiam confugere expressè profitentur: Nunquam fando auditum mendicos qui stipem petunt, aliquid ab iis mereri quorum liberalitate sublevari rogant: Et sic deberent mutari nomina & Eleemosyna debitum dici. Nihil minus voluit Christus quàm orationem facere meritoriam Matth: vi, 6. Etenim promittit quidem Patrem nostrum qui viderit in occulto nos gloriæ humanæ vitandæ studio secessum ad precum privatarum exercitium quæsiuisse, redditurum in propatulo; sed Emanuel Sâ agnoscit quod illud reddet, possit commodè intelligi de eo quod petis oratione: Quo referre possim regulam Basilii in Psalm. 7. *Mos est Scriptura retributionis nomen non solum in premium aliquid boni & mali accipere, sed in actionum principio, ut retribuatur servo, pro tribus: Nec si valeret hoc loco observatio Chrysostomi, Non dixit gratis dabit, sed reddet tibi, Etenim seipsum tibi debitorem constituit, id amplius quid inferret quàm Deum ptomisisse se exauditurum sanctas preces suorum, & largiturum ultro quod petierint: Uno verbo, nec omnis antiphona juxta stylum Scripturæ, in qua composi-*

tum

tum aliquando pro simplici usurpatur (sic ἀποδεδειγμένον Matt. xxiii, 23. idem est quod δεκατῶν) significat retributionem; nec omnis retributio est mercedis propriè dictæ & juxta rei meritum: nec si merces hic reddenda intelligatur, ea intelligetur reddenda precibus, sed potiùs synceræ illi pietati cujus in occulto Deum spectatorem habuerimus, ut insinuat Erasmus in *paraphrasi*: nec si merces hic aliqua esset reddenda precibus nostris alia, foret quam merè gratuita.

Aut impetratoriam esse remissionis) At hoc nostros docere est falsissimum: Quamvis enim statuamus justificationem nostram in peccatorum nostrorum gratuita remissione consistere, eamque fieri cum fide donamur & in spem vivam regeneramur, tamen ipsam quoque remissionem impetrari nostris precibus non inficiamur, idque bifariam: Primò enim quotidie petimus & impetramus, etsi jam justificati, remissionem peccatorum nostrorum, ut illa sonat beneficii genericè promissi, oblatis & apprehensi, cum primò regeniti fuimus & fide donati, specialem applicationem & determinationem ad peccata quotidianæ incurSIONIS, & ex justificationis nostræ sensu continuato consolationem animorum nostrorum ac conscientiarum tranquillationem: Atque huc pertinet orationis Dominicæ clausula, *Dimitte nobis debita nostra*, quæ pii jam vocati & justificati, justificationis suæ consolationem, sensum & specialem applicationem & determinationem ad peccata quorum se reos quotidie agnoscunt, petunt & obtinent. Deinde cum fidei actus aliquis dispositivus ad justificationem ordine naturæ præcedat actum ejusdem formaliter justificatorium, uti explicavi fusiùs in *System. loco xi. th. 57.* potest quandoque fieri ut remissionis peccatorum & justificationis primam intimationem per Spiritum Sanctum, dicentem in occulto cordis, Confide fili mi, remittuntur tibi peccata tua, quis obtineat precibus suis, quæ tamen non erunt factæ absque fide. Exemplo sit publicanus de quo Luc: xviii, 13. Is cum partim præconio Legis, partim conscientie remorsu peccatorum suorum convinceretur, & verbo Dei ac ipsius Spiritu excitaretur ad implorandam ejus misericordiam & gratiam, quam non defuturam promissit peccatoribus confessis & resipiscentibus, hac fiducia fretus se composuit

ad piam & humilem orationem quâ à Deo consecutus est illam in corde suo justificationis suæ primam intimationem, quam verâ suscipiens fide, remissionis peccatorum suorum certus ab oratione discessit & ex templo justificatus abiit.

Sed sum demum cum innititur) Mox ipse Tirinus requiret fidem in oratione, ut sit impetratoria: vera autem & salvifica fides, ut est specialis electis Tit. I, 1. ita importat in credente persuasionem specialem & de sua electione & adoptione in Dei filiû, & de Dei favore & dilectione erga se (prout probatum est *Contr. xv, n. 12.*) quâ fretus accedit ad thronum gratiæ & postulat in fide nihil hæsitans: Nisi hoc sale fidei salvificæ omnis nostra oblatio sit resperfa, non erit grata Domino.

Num. 3. VI ORATIO SIT SATISFACTORIA vel MERITORIA, requiritur ut fiat à justo, sed viatore (*Cont. XVI. n. I.*) IMPETRATORIA etiam esse potest quæ fit à Sanctis in cælo, & à peccatoribus in terrâ. Sed ut INFALLIBILIS sit impetratio requiritur

Primò, FIDES. Rom. X, 14. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Matth. IX, 28. *Creditis quia hoc possum facere vobis?*

Secundo, SPES & FIDUCIA impetrandi: Heb. IV. v. ult. *Adeamus eum fiducia ad thronum gratiæ ejus.* Iac. I, 6. *Postulet in fide nihil hæsitans,* &c. Marc. XI, 23. *Quicumque non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.*

Tertio, CHARITAS seu justitia Ioh. IX, 31. *Scimus quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei eultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit* Vno solo casu infallibilis est peccatoris oratio, nempe quâ poenitens orat veniam & conteritur, ut vidimus *Controv. XVI. n. 2.* Alioqui solet Scriptura, quando de oratione peccatoris loquitur addere particulam *forte*, vel *quis scit?* ut Ioël II, 14. *Quis scit si ignoscet?* &c. Idem Ion. III, 9. *Quis scit si convertatur?* Dan. IV, 24. *Fortitan ignoscet,* &c. Act. VIII, 22. *Si forte remittatur tibi,* &c.

Quarto, HUMILITAS. Dan. IX, 18. *Supr. Controv. XVI, n. 12. & Iac. IV, 6. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Eccl. XXXV, 21. *Oratio humiliantis se naves penetrabit; et non discedet donec Altissimus aspiciat.*

Quinto, DEVOTIO, seu studium attentè, feridè, & ardentè orandi. Ef. XXIX, 13. & Matth. XV, 8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem ejus longe est à me.*

Sextò PERSEVERANTIA, exemplo amici nocturni & viduæ illius *LUC. XI, 5. & C. XVIII, 3.*

Ecc

Septimò;

Septimò , si iustus PRO SE petat: Ioh. XVI, 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo , dabit vobis* a. Neque enim quicumque dignus est ut aliquid ipsi detur , necessariò quoque dignus habetur ut ejus intuitu aliis etiam benefiat.

Octavò , NECESSARIA vel UTILIA AD SALUTEM petantur : Alioqui non petuntur *in nomine* Christi, inquit S. August. & I. Ioh. v, 14. *Hec est fiducia quam habemus ad Deum , quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos: Hec est autem voluntas ejus, sanctificatio vesera, I. Thess. IV, 3.*

73. 81.
in Iob. 102.

Aug. ibid.
tract.

CENSURA. *Ut oratio sit satisfactoria*) Primò dum subdubitat Tirinus num sit impetratoria omnis oratio quæ fit à sanctis in cælo , (dicit enim quod talis esse possit , non verò quod talis semper sit , magis quàm peccatorum in terris) non solum multum detrahit eorum beatitudini; cum supplici miserum sit repulsam pati, nec obtinere quod petierit; verùm etiam ostendit quàm parum tutò Pontificii se commendent Sanctorum intercessionem & precibus. Cur enim non potius rectà adibo Christum, quem Pater exaudit semper Ioh. XI, 42. quàm tales intercessores dubios, de quibus nescio an velint pro me precari, imò an me norint & audiant, & quos etsi certum esset pro me precaturos, tam incertum est aliquid impetraturos quàm me ipsum? Deinde cum viatorum preces quæ sunt certò impetratoriæ, sint quoque satisfactoriæ & meritoriæ, ex mente Tirini, non video quí hoc conveniat cum doctrina *Contr. super. n. 1.* quâ statuebat ad actum meritorium requiri hominem esse in statu gratiæ: Nam peccator qui petit & consequitur remissionem peccatorum suorum, ut Publicanus, fundit ad Deum preces ut impetratorias, sic ex hypothesi Tirinianâ meritorias; cum tamen remissio peccatorum & gratia justificans non cadat sub meritum & ante remissionem peccatorum nemo sit in statu gratiæ.

Sed ut infallibilis sit) In has condiciones inquirere fusiùs nihil attinet: Sanè secunda coincidit cum prima; tum quia fiducia impetrandi & fides cum qua rogandum revera idem sunt, tum quia ipse Tirinus secundam confirmaturus ex tribus testimoniis quæ eò vult facere, duo profert in quibus expressè prior, nempe fides, requiritur Jac: I, 6. Mare: XI, 23. Imò sola prima cæteras importat: Nam qui ex fide precatur, petit quoque cum fiducia impetrandi; imò illa *πρόσποιος* de quâ

quà Heb: iv, 16. est fidei: Qui ex fide precatur habet quoque iustitiam & charitatem: nam iustus ex fide vivit, & iustificamur fide sine operibus legis, & vera vivaque fides est semper efficax per charitatem: ut hæc ab illa non faciliùs divelli possit, quàm in sole aut igne calor à luce: Nec pœnitens peccator qui orat veniam & conteritur, destituitur fide & charitate: cùm vera & salutaris contritio oriatur non ex solo metu pœnæ & timore servili, sed potissimum ex virtutis ac Dei amore & timore filiali; & fide amplectatur promissiones factas in Dei verbo, victurum peccatorem & veniam impetraturum quoties respuerit & se ad Deum seriò converterit Ezech: xxxiii, 14. Nolumus enim admittere paradoxon Jesuitarum, eum non semper esse in statu gratiæ qui fidei & spei actus elicit: aut peccatoribus illis quos Deus non exaudit Ioh: ix, 31. hoc est, qui fide & pœnitentia destituti totos se peccatis suis immergunt, annumerare credentes & resipiscentes, qui ex peccatorum suorum conscientia, ad Dei opem & misericordiam, juxta ipsius promissionem confugiunt. Promissionis illius divini certitudinem non evertit quod Scriptura, ut hic Tirinus observat, addat quandoque *particulam forte, aut quis scit*, ut Joël: ii, 14. Ion: iii, 9. Dan: iv, 24, Act: viii, 22. Nam particula illa non respicit Deum, quasi dubitetur num sit resipiscenti condonaturus, sed respicit homines quorum est resipiscere, de quibus dubitatur, num id sint. facturi eo animo & eâ sinceritate qua par est; Id patet disertè ex Act: viii, 22. 23. Rationem enim dubitandi hanc profert Apostolus, Video enim te in felle amarissimo & nexu injustitiæ positum: Unde meritò dubitabat num seriò pœnitentiam acturus esset. Nec planè respuenda observatio P. Lintrensis ad Act: viii, 22. *Illud, forte, poni hic ad significandum quod Deus nulli quantumvis pœnitenti debeat veniam, neque sit facturum injuriam si non det; Ineptit autem plane ibi Tirinus, dum illud si forte remittatur, restringit ad pœnam, ex falsa suppositione quod revera Simonem pœnituerit; & ipsi pœnitenti peccatum remissum sit quoad culpam: Nam remissio culpæ est ablatio reatus & obligationis ad pœnam; Nec verè resipuisse Simonem aut culpæ remissionem consecutum fuisse potuit Tirinus colligere ex v: 24. quoniam Simon illa dixit, Lintrensi iudice, magis actus timore pœnæ*

quàm amore justitiæ veræque sanctitatis. Quoad loca Joëlis & Jonæ multa possent observari: Nam primò particula illa non est semper dubitantis & incerti, sed benè sperantis & confidere incipientis, ut Ioh: XIV, 12. I Sam: XIV, 7. & notat Mercerus ad Iosè 11, 14. *quod sit vox aptissima pœnitentis non dubitantis, utrumque continens & sensum peccati, quod Deus justè irascatur & puniat, & spem liberationis quòd Deus sit placibilis.* Quare Belgæ nostrates ibidem observant Prophetam gradatim agere cum peccatoribus; Primò enim spem aliquam ipsis facit veniæ, dicendo, *quis scit*, deinde eam absolutè promittit com. 18. 19. Deinde non est prætereunda Hieronymi in Iosè. observatio, hac formulâ uti Prophetam ne forsitan magnitudo clementiæ nos faciat negligentes. Adhæc dubitatio potuit esse ex parte hominum bifariam: tum quia homines perterriti Dei comminationibus & magnitudine scelerum suorum, non statim firmam possunt concipere fiduciam remissionis & misericordiæ obtinendæ: & ille tremor est pro aculeo ad seriam & promptam resipiscentiam: unde Hieronymus ad Ion. *Idè ambiguum ponitur ut dum homines dubii sunt de salute, fortius pœnitentiam agant, & magis ad misericordiã provocent Dominum*: tum quia ubi per Prophetas denuntiantur peccatoribus Dei judicia, nec semper ipsi Prophetæ, nec eorum auditores sciunt esse absolutam prædictionem rei futuræ, an verò conditionatam denuntiationem & pœnam comminatoriam: Quare Lyranus ad illud Joëlis, *quis scit*, sic habet; *Non dicitur in persona Domini sed in persona Propheta, ignorantis si tunc Prophetia prædestinationis quæ semper impletur, an comminationis tantùm quæ propter impœnitentiam impeditur, ut in Iona, Adhuc quadraginta dies &c.* Præterea Chaldæus paraphrastes utroque loco sic reddidit. *Qui novit in se esse scelera, ab illis resipiscat & misericordiã obtinebit*; ut iudice R. Davide Kimchi, sit sensus, *Is qui scit vias pœnitentiæ resipiscat & Deum hujus mali pœnitebit.* Utut sit nemo est Veterum aut probatorum interpretum, qui Cornelij à Lapide & Tirini comprobet commentum, hanc dubitationem spectare remissionem pœnæ non culpæ quæ certa fuerit. De loco Dan: IV, 24. dubitem an aliis sit adiciendus, licet plerique interpretes Chaldæum paraphrastem & V. V. sequuti habeant isthuc, *forsitan, si forte, imò è nostris Junius & Belgæ*; cum tamen textus hebraicus

braicus non habeat ꝑa vel מַחַב, sed ꝑ: quod non est si, sed en, ecce, vel ut Vatablo placet *Sane*: Vnde non dubitativè sed assertivè redditur ille locus à Genevensibus in Gallica versione, & Deodato in Italica. Sed ex hoc diverticulo in viam redeamus; Qui ex fide precatur non habet modo fiduciam & charitatem, sed etiam humilitatem, cui ingenerandæ & producendæ fides potissimum intervrit: Ut enim verè fidelis non suis meritis sed solâ Dei gratiâ nititur, sic humiliatur serîo coram Domino propriam suam inanitatem agnoscens, eadem fide quâ Dei magnitudinem, misericordiam & gratiam suspicit & suscipit. Et qui precatur ex fide, precatur quoque ardentè, attentè & devotè, atque ut Vlysses Poëtæ ex imo pectore verba fundit: Est enim cor sedes fidei, ut ex corde fiat quod fit ex fide; & fide corda purificata ad orationis suffitum, designantur per phialas aureas quarum fit mentio Apoc: v, 8. Imò qui precatur ex fide, perseveranter precatur, & preces suas sic moderatur ad præscriptum voluntatis divinæ eò magis quod fides est ex auditu auditus autem verbi divini, Rom: x, 17. ut nihil petat nisi bonum, honestum, salutare, nec amplius quàm ipsi optimo Patri visum fuerit expedire ad nominis sui gloriam & salutem nostram: quod petit non propriâ & personali nixu dignitate, sed fretus dignatione divinâ & Christi meritis ac intercessione. Porrò si preces Pontificias ad has Tirinianas condiciones expendamus, facile erit ostendere quantum deflectunt à recto tramite: An illi possunt ex fide precari, qui semper debent esse incerti sintne filii Dei an Diaboli? Qui abjectâ justitiâ quæ est in Christo, meritorum suorum turgent superbiâ? Qui devotionem & attentionem tam parum curant in precibus suis, ut nec intelligant quæ dicunt, quando preceulas suas linguâ sibi ignotâ demurmurant, & sufficere arbitrantur si ex opere operato, dum animus est in patinis, sphæras suas precatórias & horas Canonicas evoluerint? Qui alios sibi parant intercessores & mediatores ad Patrem quàm Christum, & suffitum illum precum adolent Sanctis & Angelis, imò quandoque creaturis inanimatis & brutis, qui soli Deo eò magis debebatur, quòd solus ille sit ex fide invocandus in quem crediderimus, juxta dictum Pauli hîc Tirino citatum Rom: x, 14.

Luth. de
abrogandâ
Missâ l.
alt.
Calvinus
suprà.
Brens. sup.
c. de horis
canon.
Hesbus. de
error.
Pontific.
tit. 24.
num. 7.
Magdeb.
cent. 6. c.
10. in Pe-
lagio 1.
Papa.

Num. 4. Circa PUBLICAS PRECES Ecclesiæ (quæ verè *domus orationis* est & *vocabitur cunctis populis*, Ef. LVI, 7.) maxime autem circâ *Horas Canonicas*, (seu ritum laudandi certis quotidie horis precandique Deum, mente simul ac voce, & conceptis verbis, juxta canones ac regulas Præsulum Ecclesiæ distributis;) reprehendunt Lutherus, Calvinus, Brentius, Heshusius, & alii Novantes, Primò, ipsum institutum seu inventum, ut ajunt, & Magdeburgenses ad censent illud notis *Antichristi*, & Pelagio Papæ adscribunt. Sed quis tam imperitus est antiquitatis, tam peregrinus in Scripturis & historiis, qui nesciat, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, imò à Davidis temporibus, à piissimis sanctissimisque viris ex instinctu Spiritus Sancti, inductum hunc precandi ritum, perpetuoque usurpatum fuisse? Nonne David tantus rex ac Propheta, Psal. CXVIII. 164. *Septies*, inquit, *in die laudem dixi tibi?* v. 62. *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi*. Psal. v, 4. *Mane exaudies vocem meam, mane astabo tibi*. Psal. LIV, 18. *Vespere & mane & meridie*, &c. Et nonne Psalmos ipsemet invenit & concinnavit? Nonne divisiones munerum sacerdotum, Leviticorum, & cantorum in templo Domini ipse vice Dei constituit? 2. Paral. XXVIII, 13. & 19. *Omnia*, inquit, *venerunt scripta manû Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris*. Nonne Daniel c. VI, 10. *tribus temporibus in die flectebas genua, & adorabas, confitebaturque coram Deo?* & alij Judæi 2. Esdr. IX, 3. *quater in die confitebantur & adorabant Deum?* Nonne Apostoli & reliqui 120. *horâ tertiâ orantes* Act. II, 15. *accipiunt Spiritum Sanctum?* Nonne Petrus horâ sextâ orationi vacat? Act. x, 9. & *ad templum cum Iohanne ascendit ad horam orationis nonam?* Act. III, 1. I. Cor. XV, 16. *Cum convenitis, unusquisque vestram psalmum habet, & Coloss. III, 16. & Eph. v, 19. cantica adjungit & hymnos.*

CENSURA. Circa *publicas preces Ecclesiæ*) Absit à nobis ut usum publicarum precum & Psalmorum in cœtu fidelium improbemus; aut quod ordinis & eutaxiæ gratiâ certæ horæ & certæ formulæ publicæ ad sanctam hanc liturgiæ destinentur: Imò statuimus Brownistas & alios fanaticos in Angliâ gravissimè peccare, dum nullas formulas publicas, nullos libros liturgicos velint admittere; ac eò usque vâsanæ nonnulli processerint, ut ne quidem Dominicam orationem in publico cœtu recitari sustineant, & ex eorû grege non nemo blasphemè dixerit, Deum tantum oratione Dominicâ delectari, quantum Judæus delectatur carne suillâ, ut amicus noster sub nomine Honorij Reggi nuper retulit in suo Commentario *de statu Ecclesiæ Britannicæ hodierno*: Sed ut hanc Camarinam nunc moveamus nihil attinet: Sanè ipse Amelius

lib. 4.

lib. 4. de Caf. Confc. cap. 17. qui q. 5. est iniquior in recitationem & usurpationem orationis Dominicæ, præoccupatus Brownistarum deliriis quibus addictior fuit quàm par effet, & contra quàm statuitur à Leydenfibus in *Synopfeâs diffput. 26. th. 23.* tamen *quæft. 4.* agnoscit licere certis uti formulis precum etiam ex libro à piis recitandis. Et hanc materiam *de formulis agendarum* fusè & accuratè tractavit Apollonius ex Classis Walachrianæ jussu, *Considerationis Controversiarum quæ in Anglia regno hodiè agitantur, cap. 7.* Uno verbo, cùm Deus ipse formulam benedictionis Sacerdotalis olim præscripserit Num: vii, 23. Cùm David Pfalmos suos plerofque composuerit ut publicè in cœtu fidelium decantarentur; Cùm ad eorundem usurpationem nos hortetur Apostolus Col: iiii, 16. Cùm Christus in oratione Dominica non normam tantum generalem, sed formam specialem ritè precandi nobis præscripserit, uti patet ex Luc: xi, 2. & parum apta sit Amesii ratio, non adhærendum illi formulæ, quia hac ratione apud Pontificios quasi incantandi carmen evasis; quasi rei à Christo salutariter institutæ usus propter superstitionum abulum sit deserendus; Cùm non solum Ecclesia Christiana ab ævo suos libros rituales & liturgicos habuerit, sed etiam olim Ecclesia Judaica; Cùm Christus suo tempore tales formulas suo exemplo comprobaverit, maximè in Paschatis celebratione & Cantici ad id usurpari soliti decantatione; Cùm denique ejusmodi formulis publicis & infirmiorum captui consulatur, & schismata præveniantur, & unitatis atque uniformitatis harmonia in Ecclesiis retineatur, factiosorum & turbonum istorum sententia non est toleranda, qui omnes formulas liturgicas student extirpare: Corrigatur quod in illis aut idololatricum aut superstitionum, aut minus accuratè positum videbitur: ipsæ tamen non exterminentur in totum. Nec tamen idè volumus approbare farraginem Officii Pontificii, peragendi per certa cujuslibet diei intervalla, quæ vocantur *Hora canonica*; quod nomen ipsimet Officio & Ritualibus libris illud exprimentibus solet etiam adaptari: Et quàm sit mira istius officii varietas, cùm aliquando sit simplex, aliquando duplex, & suis coloribus distinguatur modo purpureum, modò viride, modò cæruleum, & infinitis cæremoniis intricetur, quibus, ceu valdè mysticis, explicandis multi infudarunt, nominatus

natim Beleth & Durandus in suis *Rationalibus*, haud facillè dixerim: ut nec exprimerè quanta sit multitudo & diversitas, Officiorum, Missalium, Breviariorum, Pontificalium, Pastoralium, Ritualium, Cæremonialium, quibus multis parasangis superatur quicquid olim rituum operosorum apud Ethnicos & in Hetrusca disciplina vigit. Nec desunt in ipsa communione Pontificiâ Viri boni & docti qui abusus multiplices in istis *Horis Canonicis* notent & eorum postulent emendationem; Qualis est author *Consultationis* eruditæ quæ ante triennium prodiit *de Reformandis horis Canonicis*; Quod olim per Cardinalem Quignonium in Breviario dicto Pauli III. tentatum, nequidem procedere potuit. Et quàm non laudetur ibi Deus *mente simul ac voce*, ut hic dicit Tirinus, monet *Consultationis* prædictæ author *cap. 4.* Sed videamus quomodo patrocinetur suis *Horis Canonicis* noster Tirinus, qui pleraque sua desumpsit ex Bellarmino *lib. 1. de bonis operibus in part. cap. 10. & seqq.*

Primo ipsum institutum seu inventum) Magdeburgenses id non primi dixere: Dixerat ante eos Polydorus Virgilius *lib. 6. de rer. invent. cap. 2.* Et Platina in Gregorio I. qui Pelagio II. immediatè successit statuit quod *omnis institutio Ecclesiastici Officii, veteris præsertim, ab eo sit inventa & approbata.* Qui altiùs ascendunt cum Sigeberto, Horarum Canonicarum inventionem & institutionem Damaso Pontifici tribuunt, Hieronymo & Ambrosio suam symbolam eodem conferentibus. Non negaverim ab ipsis Ecclesiæ incunabulis fuisse certas horas nocturnas in Vigiliis & diurnas cultui publico inter fideles destinatas: Sed horarum illarum distributio in partes Officii Nocturnam, Laudes, Matutinas, Primam, Tertiam, Sextam, Vesperam & Completorium, est satis recentis instituti, & magis spectantis ad Monachorum Asceteria, quàm ad publicum Dei in Ecclesia cultum. Quàm autem parum ad rem faciant quæ illi instituto firmando hic profert Tirinus post Bellarminum *V. S. cap. 12.* & Baronium *ad ann. 34. n. Epit. Spond. 72.* haud difficile est demonstrare. Ut stata semper fuerint tempora precum in Ecclesia, quantum saltem licebat per persecutiones, quid hoc ad scrupulosam & mysteriosam illam Officii Pontificii in septem horas distributionem, maximè ex quo Vigiliæ Ecclesiasticæ & Nocturni fidelium
conventus

conventus debuerunt propter varios abusus abrogari? Habuerit David statas horas privatis suis exercitiis pietatis destinatas, quamdiu & quantum id ipsi licebat per negotia regni, quid hoc ad Horarum Canoniarum inventum & institutum? Quis nescit Psal: cxix, 164. septenarium numerum poni definitum pro indefinito, quandoquidem ipsemet Tirinus *ibi*, illud *septies* in die, interpretatur *sapissimè per diem*? Quod si ex hoc loco nihilominus benè Iesuita colligit *septem horas Canonicas non inventas à Damaso Papa cum S. Hieronymo & Ambrosio, ut vult Sigebertus, sed urgente Davide in usu fuisse apud Iudaos in templo & Synagoga, & inde ab Apostolis translatas in Ecclesias Christianorum*, cur septenarium numerum sumit indefinitè non definitè? Aut què factum esset quod David Psal: LIV, 18. septem suarum horarum oblitus, tria tantum tempora commemoraret vespertinum, matutinum & meridianum? Si hunc Canonem de septem horis sanxisset David, Daniel huic institisset, nec contentus fuisset trinâ de die adoratione & genuflexione Dan: vi, 10. Ecclesia quoque Judaica Neh: ix, 3. ex septem illis horis non ausa fuisset tres rescire, contenta quaterna adoratione, ut vult Tirinus ex V. V. idque non singulis diebus sed in die jejunii & extraordinariæ humiliationis coram Domino: quanquam aliud habet textus originalis, nempe quartam illius diei partem lectioni sacræ, quartam confessioni & deprecationi assignatam fuisse: id est manè huic exercitio vacasse ab horâ tertia ad sextam, & post meridiem à nona ad duodecimam: Neque volam aut vestigium illarum septem horarum Canoniarum deprehendas in Ritualibus Iudeorum, aut Apostolorum Actis: Horæ orationis in templo erant duæ celebriores, prima ad sacrificium matutinum & nona ad vespertinum; prout hujus sit mentio Act: III, 1. Ubi Tirinus benè, *Hora orationis nona respondebat tertia nostra post meridiem; quia jure sacrificium vespertinum offerebatur in templo, sicut manè hora prima sacrificium matutinum*. Nec erat hora orationis nona inter eas quas Apostoli instituerint, ut vult *ibi* Lintrensis, sed erat hora diei nona, quæ propter conventû fidelium ad sacrificium vespertinû hora orationis appellabatur: Quam ideò in sacris suis domesticis, ad Iudeorum morem, cum quadantenus profelytus esset domicilii, servabat Cornelius Act: x, 3. 30. Quare Syrus interpres, juxta

Boderianam versionem sic habet, ascendisse eos in templum *tempore precationis hora nona*; imò si inter orationis horas ab Apostolis Canonice institutas ea fuerit quæ *nona* diceretur, non video quí stare possit numerus septem horarum *Canonicarum à Davide præscriptus*. Quoad locum Act: 11, 15. ostendit quidem satis adhuc manè fuisse cum multitudo convenit ad Apostolos donatos Spiritu Sancto, ac fuisse demum horam tertiam diei, idest nonam matutinam; sed nihil facit pro *Tertia Canonica Pontificiorum*: Etenim non convenerant Apostoli ad tertiam preaturi, sed jam ante convenerant & precati fuerant, quandoquidem concionem suam Petrus habebat ipsâ horâ *tertiâ ad populum*. Ineptior est locus Act: x, 9. qui non notat tempus quod sibi constanter præfixum habuerit Petrus ex instituto Davidis ad orandum, sed tantum circumstantiam temporis quo ista contigerunt: ideò non præcisè servatur hora sexta, quæ est meridiana nostra, sed dicitur id factum circa sextam: nec aliud hic notat Petrus Lintrensis, quam Petri exemplum esse imitandum Ecclesiasticis, *quando sub tempus prandii veniunt domum peractis laboribus officii sui, ut si aliquantisper adhuc expectandum sit antequam prandeatur, ipsi sese in locum quempiam secretiorem subducant, ibi se colligant & orationi vel meditationi tantisper vacent, dum expectatur opportunitas prandendi: ita, inquit, hic fecit Petrus Apostolus*. Neque potuissent Apostoli obligari ad horas illas canonicas, ut obtinent in Papatu, vel publicè vel privatim servandas, quin se planè ineptos reddidissent ad labores Evangelii ad quos à Christo erant evocati: Videmus enim occupari demum in illis otiosos ventres *Canonicorum & Monachorum*. Denique si ab Apostolis hæc horarum *Canonicarum institutio* processisset, ejus facerent mentionem antiquissimi & Apostolis proximi Scriptores Ecclesiæ; sed nihil tale deprehendas: Bellarminus quidem *lib. 1. de bon. oper. in port. cap. 13.* ad cujus fidem provocat Tirinus *ad Psal: 118, 164.* nonnullos veterum citat, sed subleatissimâ fide: Cum illi quos ex Veteribus profert Clemens Romanus, Cyprianus, Athanasius, Basilius, Ambrosius aliique, 1. Numerum illum septenarium non habeant, sed alii quatuor, alii quinque, alii sex ad summum commemorent horas precandi. 2. Non agant de precibus publicis Ecclesiæ, sed de exercitiis privatis *Monachorum, Virginum, & eorum qui Asceti-*

Asceticam illam vitam speciatim profitebantur. 3. Non sunt plerique authores librorum qui citantur; v. g. profertur Clemens in Constitutionibus Apostolicis, quas ceu Apocryphas & mali commatis ipse Bellarminus respuit in libro suo de *script. Eccl. ad an. 92.* Profertur Athanasius de *Virginitate*, quem Nannius apud Cocum relegavit inter eos quos Athanasii esse non putat: Profertur Basilii in *regulis fusiùs explicatis*, cum tamen ex Nicephoro constet *lib. 9. hist. cap. 16. & lib. 13. c. 29.* Ascetica quæ nomine Basilij circumferuntur ipsius non esse, sed Eustathii Sebastienis, quem hæreseôs propter suas præcisesitates damnatum nemo nescit. Sed Apocrypha doctrina non aliunde quam ex authoribus & libris Apocryphis debuit confirmari. Et author Consultationis de *Hor. Can. Refor. c. 3.* multis ostendit quantum hodierna praxis hac in parte distet ab eo quod olim fiebat. Quæ insuper dicit Tirinus de Psalmis & eorum usu nihil ad rem faciunt: Psalmodiam enim in cœtu publico retinendam non negamus; ac eò spectare loca 1. Cor: XIV, 26. Col: III, 16. Eph: v, 19. (quibus addo quoad usum Psalmorum privatum Iac: v, 13.) imò agnoscimus eum in usum Psalmos à Davide & aliis Viris piis fuisse ex Spiritus Sancti instinctu conscriptos & concinnatos; quibus etiam decantandis ipse David præfecit Cantores sacros cum munera publica distribuit inter Sacerdotes & Levitas 1. Chron: XXIII, & XXIV. neque sine Numine ut colligit Tirinus ex 1. Chron: XXVIII, 13. 19. Quanquam versus ille 19. posset restringi ad Templi construendi ideam, quam ante à Nathane & Gad Prophetis acceperit; agit enim de operibus *illius structura.*

Num. 5. Reprehendunt secundò, quod in Ecclesiis non promiscuè totum VULGUS, sed soli CLERICI vel RELIGIOSI horas canonicas in Ecclesiis decantent. Sed nonné in veteri quoque Testamento certum genus hominum, putà Levitarum ex officio deputatum erat ad Psalmos & hymnos in templo decantandos? Paral: XV, 16. & c. XVI, 4. Nonne & in Novo Testamento Act: VI, 4. sibi sui que similibus idem munus Apostoli desumunt? *Nos orationi & verbo Dei instantes erimus.* Et cur minùs huic tam sacro muneri delignentur certi & statim ministri, quam servitio mensarum v. 2. vel alijs profanis in republicâ officiis?

CENSURA. *Reprehendunt secundò quod in Ecclesiis*) Et hoc sanè est reprehensione dignissimum, cum Pauli adhortatio Col: III, 16. & officium precandi & Deum laudandi quod omnibus incumbit, & praxis veteris Ecclesiæ, in qua sacrorum hymnorum decantatio omnibus erat communis, planè contrarium suadere debeant. Ac meritò eximus scriptor Hist. Concilii Tridentini Petrus Paulus Soavis lib. 2. suggillat Canonistarum hodiernorum glossema, qui vulgare illud *Beneficium datur propter officium*, sic interpretantur, ut officii nomine, non munus Pastorale, aut curam animarum intelligant, sed *preces horarias Breviarj, ita ut Beneficiato decem millium & eo amplius aureorum proventus tantummodò datus sit ut Breviarium in manibus habeat, illudque submissâ voce quantâ libet poterit lingua velocitate & absque ullâ mentis nisi ad solam verborum enumerationem attentione pronuntiet.* Nec dubium quin illa praxis in Papatu juri Canonico repugnet, nominatim *Canonis In sancta dist. 92.* quo Gregorius I. constituit ut *Sacri altaris ministri cantare non debeant, solumque Evangelicâ lectionis officium inter Missarum solemniam exsolvant*; adeo censuit id alienum ab Ecclesiæ Ministerio, in quo ferè solo occupantur nunc qui *Clerici & Religiosi* dicuntur, hoc est, qui Mantuano Monacho iudice, *nomen de religione superbam usurpant.*

Sed nomine in Veteri Testamento) Quod si à Levitis procedat hîc argumentum, cum illi sub V. T. typum sustinuerint omnium fidelium sub Novo, eò magis hoc munus nunc incumbit omnibus piis, quò Levitarum olim specialius fuit; Verùm si quia olim Cantores Sacri fuère sub cultu Levitico, tales nunc debent esse sub N. F. cur non pari ratione omnis generis instrumenta musica in cultu publico, uti fiebat tunc, usurpabimus? Aut quî factum quòd inter munera Ecclesiastica à Christo instituta, imò inter *Ordines* Pontificiis usitatos nullus sit locus Cantoribus, nisi ex Lectoribus Cantores faciant? Aut cur in Papatu quibuslibet Clericis, etiam Presbyteris & Sacerdotibus uti vocantur, hoc cantillandi & officii præstandi munus incumbit, quandoquidem olim Levitæ Cantores longè infra Sacerdotes Aaronicos subsidebant? Adeò jejuna & inepta est hæc ratio Tiriniana.

Nomine & in novo Testamento) Aburdè confunditur officij evolvendi & cantillan-

cantillandi munus, cum Ministerio precandi publicè & verbi divini annuncianti quod sibi incumbere testabantur Apostoli. Si enim hoc munus cantandi & preces Canonicas recitandi idem est cum Apostolico munere hinc commemorato, quare illud separatur in Papatu à Ministerio verbi, cui in Apostolis conjunctum esse debebat? Aut saltem cur non par locus ei in Sacramento Ordinis conceditur cum officio Diaconorum, qui primùm constituti fuerunt ut Apostolis orationi & verbo insistentibus, ipsi Mensis servirent? Et cum sub oratione velit Tiranus ad Act: vi, 4. intelligi etiam sacrificium Missæ quod nobilissimum est orationis genus, quomodo posset hoc munus sic orandi, spectare horas Canonicas & Officii recitationem, quæ multis etiam incumbit qui jus missificandi non habent? Si hoc munus sibi suisque similibus Apostoli hoc loco desumunt, quanto ergò Apostolis etiam in munere propiores otiosi Monachi & Canonici, quàm vel Papa vel Episcopi, qui minùs rigide ad Breviarium constringuntur?

Et cur minus huic tam sacro) At cum omnia munera Ecclesiastica à Christo debeant esse instituta, & munerum formaliter talium creatio inter ejus regalia sit referenda, cur statos Ministros deputabimus sacræ decantationi & Breviarij ac Officij exsolutioni citra Christi institutionem, èò quod fuere Diaconi instituti ab Apostolis qui curam haberent pauperum? Quod est omnium in communi, nempe precari, psallere & laudes Dei celebrare in cœtu fratrum, paucorum conscientiarum & muneri non est committendum. Si preces sint concipiendæ in Ecclesiâ illius nomine, atque ut ei præeatur, hoc non est muneris alicujus specialis à Ministerio verbi distincti, sed ipsorummet Pastorum Ecclesiæ, ut Act: vi, 4. insinuant Apostoli & vetus praxis docet apud Iustinum *Apol: 2.* quibus præeuntibus erat *μία δέσσις κοινὴ*, ut loquitur Ignatius ad *Magnesianos*; eo potiori jure quod unam vocem in Ecclesiâ esse oporteat, ut loquitur Chrysostomus *hom. 18. in 2. Cor:* At quoad hymnos & psalmos à totâ plebe plerunque decantabantur, uti fusiùs ostensum ab autore anonymo libri pereruditi qui inscribitur *Dies Dominica, lib. 2. cap: 12.* donec aliud constitutum fuit Concilii *Laodiceni can. 15.* quo cavetur ne aliqui præter delegatos ad id psallant in Ecclesiâ: Quò spectant verba *Baronii ad an. 60. n. 13.*

Fff 3.

Illud

illud autem non præter mittimus dicere olim non solum extra Ecclesiam ab omni genere hominum, artificum, rusticorum, nautarum, viatorum & aliorum ejusmodi privatim cantari solitas animi causâ Deo laudes, sed & publicè in ipsiſ Ecclesiis promiscuè, unâ cum Clericis universum cantasse populum simulque Sacerdotibus orationem dantibus vel colligentibus, (alludit ad collectarum nomen) respondere consuevisse: (adeo olim non erant certi & statim ministri designati huic muneri) Sed quoniam imperitiâ canentium sæpius accidebat, ut harmonicam illam Ecclesiastica dignitati congruentem cantionem incomposito vccum sono corrumpere (in quos jure Chrysostomus declamat) necessariò legibus Ecclesiasticis provisum est, ne præter Cantores ad hoc opus adscriptos quique Pulpitum ascendunt & de Codice legunt, quis in Ecclesia psalleret. Nihil ergo hic spectatum præter decoris & eutaxiæ rationem: nihilque in his Cantoribus divinx institutionis, quemadmodum in Leviticis per Davidem, ut supra pertendebat Tirinus. Quoad Pseudoreligiosos sive Monachos cum nullum munus publicum in Ecclesiastica Hierarchia sustineant & plangentium non docentium officio defungantur, nulla subest ratio cur certi & statim Ministri imaginarij hujusce muneris, quod in officio dicendo consistit, constituantur: & Augustinus in libro de opere Monach. graviter illis irascitur qui hoc prætextu inertix litabant & otio; quod nempè orationibus & Psalmis & Lectioni & Verbo Dei vacarent. Denique ut profanis in Rep. officiis, si officia sint, Magistratus est qui illa instituerit prospicere, ita si hoc officium sacrum in Ecclesia sua instituisset Christus, ei etiam inter munera quæ ab initio instituit prospectum voluisset, quod ex nullis Scripturis colligent Jesuitæ.

Num. 6. Carpunt Tertio, quod LINGUA non vulgari, sed PLEB I GNOTA, celebretur officium divinum: Verum de hoc jam supra Contr. 2. n. 10.

Carpunt quarto, quod sine intermissione, DIU NOCTUQUE hoc officium perfolvatur: Sed & hoc laude dignum probant quæ dixi n. 4. Et sic satis fit ex parte obligationi semper orandi, de qua n. 1.

Carpunt Quinto, quod finis ejus sit, non ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus Rom. xv. 4. sed ut merito orationis mitigemus iram Dei, & expiemus peccata coram Deo: Verum ut prius membrum continet apertum mendaciùm (nam omnia penè desumpta sunt ex Scripturis:)

ris:) ita posterius summe pium, sanctum & salutare esse, probant quæ dixi num. 2. & 3.

CENSURA. *Carpunt tertio quæ d' linguâ*) Quàm jure nos tom. 1. Cont: 11. n. 10. demonstravimus. Quot sint inter Cantores Papicolas, qui cum non intelligant ipsa quæ cantillant verba, prout fit tum in Augustioribus Choris, tum in claustris Monialium, nequeunt censeri, quod supra Tirinus statuebat, Deum laudare ac precari *mente simul ac voce & conceptis verbis*, (sunt enim ut æs resonans & cymbalum tinniens) res ipsa loquitur.

Carpunt quarto quod sine intermissione) Meritò hoc carpunt, quod cultus omnis publicus alligetur ex opere operato ad certas preces, hymnos & lectiones ab hominibus successive compilatas, eoque non sine tautologia digestas, plenas absurditatum, fabularum, superstitionum & impietatum, quæ auribus potius suaviter demulcendis destinantur, quàm conscientis instituendis & consolandis; ex quibus nullus usus nullaque ædificatio vel instructio redit ad plebem Christianam; & de quibus ipse Barclaius eleganter dixit in *Animorum icone cap. 16.* Habent quippe (Ecclesiastici) *prescriptas ad Numen sibi preces quas effundant in quotidiana pietatis officium; sanctas has quidem neque illis omittendas* (Pontificium hominem aliter loqui vix decuisset) *sed tantillo penso defuncti credunt se nihil calisibus debere, opesque infularum suarum bono jure sibi emptas: Larva illa & vacordium furor!* Sanè obligationi semper orandi hac in parte non satisficit, cum illa ad omnes spectet, & hæc à paucis ventris potius quàm mentis causâ peragantur; Imò qui talia exercent & exigunt acriter, ut sit constitutionibus Ecclesiæ Romanæ, ipsam *religionem quàm paucissimis ac manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei liberam esse voluit, servilibus oneribus premunt,* (ut loquar cum Augustino *Epist. 119. quæ est ad Ianuarium*) *ut tolerabilior fuerit conditio Iudeorum qui tamen divinis legibus non humanis præsumptionibus subditi erant.*

Carpunt quinto quod finis) Multa sunt alia quæ in isto instituto & more carpi possent; Nam animum ad hæc munera applicare, est ut plurimum in *splendida illustri que opulencia cupiditatem in cumbere*, inquit
Barclajus

Barclajus. Et qui sigillatim Hymnos, Cantica, Collectas, Lectiones, Responsorias, Antiphonas, Litanias, Capitula istorum Officiorum expendere vellet, qui Officia singularia de Beata, pro defunctis & Sanctorum quorum libet specialia excutere, is Augiæ stabulum cum Hercule expurgare aggrediretur. Ut verò frustra hæc adhibentur, ut merito *orationis* mitigetur ira Dei & expientur peccata coram Deo, cùm in illis nihil sit meritorium, quandoquidem nec tale quid habent sanctissimæ preces & quâ par est fide, attentione & devotione fusæ ad Deum, ut ante visum; nihil peccatorum expiatorium, cùm sordes hæc spirituales alio smegmate quam ejusmodi cantillationibus sint eluendæ; sic revera nihil inde consolationis vel institutionis redit ad Ecclesiam: cùm reboantium voces & modulantium infractiones & minurizationes & instrumentorû pneumaticorum concentus & sermo latinus ac barbarus, impediunt quominus quicquâ percipiat populus ex iis quæ cantantur in choro; Et quanquam in his officiis non negem multa desumpta esse é Scripturis, tamen & multò plura à Scripturis aliena illis insunt, ut plura poemata barbara & multæ lectiones ad vitas Sanctorum spectantes fabulose & *prose* ac *preces* non paucæ, præsertim que Sanctis invocandis condita sunt, quas inquit Consultatio de Hor. Can. Res. cap. 3. si ad literam & ad exactam divinæ legis regulam interpretemur, parum Theologicas esse fatendum est: Et illa ipsa quæ ex variis Sacra Scriptura locis detracta sunt, (in quibus quidem suum pondus & legitimum sensum habent) in Officiis Ecclesiasticis, quia sunt malè truncata vel inordinatè collocata, ut plurimum aut nihil omnino aut aliquid parùm consentaneum sapiunt, inquit idem Consult. Author eod. cap. 3. Et cùm varis id exemplis confirmasset, addit, *Quæ omnia non modò cordatum virum docere vel edificare non valent, sed etiam sapiens disturbant atque fastidio onerant. Et hac sanè non aliâ ratione recepta sunt quàm ut cantus, caremoniis, atque festis prodesse possint, tamen si multo fuerat equis cantum, caremonias atque festa divinæ meditationi atque auditorum edificationi coaptare.*

Num: 7. Circa Ieiunium Ecclesiasticum, (quò à certo ciborum genere abstinere, & unicâ per diem refectione contenti esse jubemur) ceteraque

veraque externa poenitentiae opera, eadem fere quae circa orationem reprehendunt Lutherus, Melancthon, Brentius, Calvinus, Kemnitiuss & alii Sectarii, nempe Primò, jejunium aut aliud opus poenale, non esse à Deo mandatum. Sed quid ergò sibi vult illud Ioel I, 13. *Plangite, ululate, cubate in sacco, sanctificate jejunium?* &c. quae lex cum sit moralis, etiam obligat Christianos. Et nonnè Christus aliquando jejunandum supponit cum Matth: VI, 17. ait, *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum?* & cap: IX, 15. *Cum auferetur ab eis sponsus tunc jejunabunt.* Et quid si quis alià ratione non possit commodè vincere tentationem, vel pro peccatis satis facere? Matt: XVII, 20. *Hoc genus non eijciitur, nisi per orationem & jejunium.*

Luth. sup.
& de libertate
Christian.
Melancthon.
in Confes.
August.
& in A-
pologia
art. 15.

Brent. supr. c. de jejunio. Calv. l. 4. Inst. c. 12. Kemnit. 4. p. Exam. Trid.

CENSURA. Circa jejunium Ecclesiasticum) Non malè jejunium Ecclesiasticum dicitur si distinguendum sit vel à Medico, quando quis ad tenuiorem dietam ex Medicorum præscripto valetudinis procurandae gratià astringitur; vel à Physico, quando quis ad egestatem redactus, ut prodigus in Evangelio, non habet unde se nutriat; vel à Politico, quando autoritate Magistratus propter annonae penuriam & caritatem, ut in Urbibus obsessis, uniuscujusque demensum coarctatur; Sed malè vocabitur Ecclesiasticum, si jejunia etiam sacra & religiosa juris merè Ecclesiastici constituentur: Nam sunt in communi juris divini, uti postea videbimus; in speciali & quoad temporis determinationem eorumque indictionem non sunt tantùm juris Ecclesiastici, sed etiam, & maximè ubi Magistratus est Christianus & novit se Custodem utriusque tabulae, juris Civilis, prout obtinet in hoc Belgio, imò & in Anglia, ut dies & modus jejuniorum, quoad hominem externum, à Supremo Magistratu definiantur: Ita factum etiam apud Ninivitas ab eorum Rege Ion: III. 6. 7.

Quo à certo ciborum genere) Agnoscimus veram jejunii rationem quoad externa esse, ut unica refectio eaque tenuissima corpori detur, uti fiebat tum apud Judaeos, tum apud Veteres; sed negamus, 1. Id servari apud Pontificios etiam austeriores: tum quia non putant ullo potu quantum libet generoso & nutritivo, qualibet horà dici jejunio sacri, leges jejunii violari, juxta axioma *Liquidum non frangit jejunium*: cum tamen juxta Hipocratis & aliorum Medicorū sententiam *facilius sit sa-*

siari potu quam cibo, & experientia doceat remedium famis in potu reperiri, non verò sitis in cibo; tum quia revera jejuni Pontificiorum dies unâ refectioe non transiguntur; Nam ut nihil dicam de eorum jentaculo & prandio copiosiore quo eorū unica refectio definitur, cum tamen veteres non comederent ante vesperam, imò ipsi olim Ethnici vix etiam ante comederent, toto die negotiis aut civilibus aut œconomicis occupati, habent Pontificii jejuni minimū duas refectioes de die, quarum prima est prandium lautum & copiosum, altera eam quam vocant in patria mea *La Collation*, sive Merendam, vespereâ appetente, in quâ piscibus frixis, tragematis & omni genere condimentorum atque optimo vino cuticulam curant; hoc solum caventes ne quo pisce elixo vescantur, ne in Xerophagiarum leges, de quibus Tertullianus Montanista *contra Psychicos cap. 1. & 2.* ab Hæresiarcha Montano latas impingant. II. Jejunii, etiam in externis, naturam ex Dei verbo, in aliquo ciborum superstizioso delectu, quoad illam unicam refectioem consistere, ut gravius peccet qui frustulum suillæ vel laridi tunc sobriè comederit, quam qui delicatissimis piscibus, qui olim inter summas habiti delicias, omni aromatum genere conditis se expleverit. Id non sibi persuasit Antiquitas Catholica: Nam ex Alcibiadis historiâ apud Eusebium *lib. 5. Hist. Eccl. cap. 3.* constat illum peccasse, uti divinitus Attalo Martyri revelatum fuit, quod austeriore diætâ cum delectu ciborum duriori aliis esset scandalo; Unde & ad Attali monitum id genus vitæ asperioris deseruit: & nota historia Spiridionis Episcopi apud Sozomenum *lib. 1. cap. 11. hist. Eccl.* ad quem cum peregrinus divertisset in die jejuniij, is per suam filiam curavit ei suillæ frustum quod domi habebat, apponi: Hovèrò cum spes cunctaretur, nescio quâ imbutus superstitione & se Christianum profiteretur, tum Spiridion ad ipsum, Imò, inquit, *ea potissimum de causa debes vesci, quoniam scriptum est, Mundus omnia munda esse.* Sed hac de re fusiùs diximus contra Grotium *Antich. Revel. par. 1. cap. 24.* Quare nobis hic satis erit premere Tirini vestigia.

Ceteraque externa poenitentia opera) Seriam & lynceram resipiscentiam probamus; poenalia opera Pontificiorum bona per se et ex sua natura negamus; imò etiam vitiosa asserimus quando pro meritoriis & satisfactoriis ha-

riis habentur : Verum orationem illis non conjungimus nec pari loco habemus : hæc enim opera pœnalia reicimus ad ἰδιωτοῦ Σπινουῆς Paulo damnatas Col: 11, 23. Ad precum verò piarum exercitium nos ex Dei verbo teneri statuimus.

Primo jejunium aut aliud opus pœnale) Si per opera pœnalia flagellationes, cilicium, monachus, peregrinationes difficiles & similia intelligant Jesuitæ, ea sanè à Deo mandata firmissimè negamus; ac pertendimus nihil aliud illa usurpantibus expectandum, quam ut audiant à Domino quod dicitur Eisa: 1, 12. *Quis quasivit hoc à manu vestra?* De flagellationibus olim tractatum Mosætrajecti emisi linguâ Gallicâ *de la procesion des Batus*, in quo futilitatem scenici istius apparatus, ab hæreticis qui *Flagellantes* ante 200. annos dicti sunt desumpti, solidè demonstravi. Homo sani syncipitis nec se nimis delicatè debet habere, ut facilè quemvis possit sufferre laborem qui ipsi à Domino fuerit impositus, nec se ipsum vexare & excarnificare tormentis ultroneis; cum nemo propriam carnem odio habere debeat Eph: v, 29. & cuique diei sua sufficiat vexatio Matth: vi, 36. divinitus ad suorum exercitium & castigationem immissa: Ut pubillanimitatis nimis est afflictionem cum imminet ferre nolle & cruci impositæ se subducere, ita temeritatis vitiosæ est se cruce non necessariâ macerare, & malo ἰπιοπαστῶ se ipsum vexare: Bonus miles signo dato fortiter pugnam capeffit; aliàs ordinem suum non deserit vel temeritate vel fugâ. Sed jejunium quod spectat agnoscimus legem in genere à Deo latam esse ut jejunemus, sive privatim sive publicè, quous id exigit necessitas vel privata vel publica; verum negamus id esse legis divinæ ut hõc potius quam illo die jejunemus, aut Dei mandatis annumeranda esse jejunia Pontificia sextæ feræ & Sabbathi, quatuor temporum & similia, quæ nemo sanus institutionis esse Ecclesiasticæ ibit inficias.

Sed quid ergo sibi vult) Jejunet homo qui lascivientem carnem aliter compescere non potest; Jejunet qui se ad preces ordinarias vult attentius componere, quod spectat Christi dictum Matth: xv 11, 20. Nec enim jejunium ad dæmoniorum maximè pertinacium ejectionem requiritur aliter quam prout orationi intendendæ & exacuendæ inservit

Ggg 2

Jejunet

Jejunet tota Ecclesia quando calamitate quadam extraordinariâ premitur, vel eam metuit ingruentem, & per illam ablationem sponſi *Matt. IX, 15.* hoc est verbi divini & consolationum quæ ex eo subtractionem; Videatur *Ferus ad hunc locum.* Eò spectat dictum Joëlis I, 13. ad præsentem necessitatem & temporum circumstantiam & peccatorum exorbitantiam accommodatum. Nec jejunia privata improbamus, imò commendamus, & quod eorum praxis sit infrequentior dolemus; sed ut hoc aut illo die præcisè jejunetur, ut *Quadragesima Pontificia* observetur à tota Ecclesia, etiam cum fortè lætandi & gratias agendi Deo ex improvîso maxima datur occasio, ut extraordinarium pietatis exercitium statos & anniversarios dies habeat, idque ex unius Pontificis Romani autoritate, illud est quod in mandatum Domini reïci posse fortiter pernegamus.

Num: 8. reprehendunt secundò, quòd dicimus, **IEIUNIO COLIDUM**, vel serviri Deo: item **IEIUNIUM** esse **SATISFACTORIUM**, **MERITORIUM** & **IMPETRATORIUM**, quando adsunt conditiones requisitæ (*controv. XVI, n. 1. & controv. XVII, n. 3.*) Sed primum nos docet Anna Prophetissa *Luc: III, 37.* quæ jejuniis & obsecrationibus serviebat Deo nocte ac die. Reliqua verò nos docet exemplum *Ninivitarum Ion: III. vers. ult. & regis Achab 3 Reg: XXI. vers. ult. & Israëlitarum I Reg: VII, 6. & I Machab. III. 47.* *Iejunaverunt & induerunt se cilicijs, & cinerem imposuerunt capiti suo, & disciderunt vestimenta sua,* &c. Et quàm nobiles inde consecutæ victoriæ? ut & ad jejunium *Esther IV, 1. & 16. & Judith IV, 12.* Rursum *Matth. VI, 17.* *Cum jejunas &c. Pater tuus reddet tibi mercedem, putà gratiæ & gloriæ, de quâ mox subdit, Thesaurizate vobis thesauros in celo.* Nonne *Ier. XXXV, 18.* *Rechabitis ob abstinentiam merces luculenta promittitur?* & *Daniel x, 12.* *Ex die primo quo posuisti cor tu te affliges res (per jejunium vers. 3.) exaudita sunt verba tua.* Similia habes *Tob. XII, 8.* *Bona est oratio cum jejunio & elemosynâ, magis quam thesauros auri recondere.*

CENSURA. *Reprehendunt secundo quod dicimus*) Neque hoc primum simpliciter reprehendimus: Agnoscimus jejunium suis legitimis constans conditionibus, esse actum religionis imperatum, ad Dei cultum ex ipsius mandato genericè ordinatum. Quamvis enim jejunium *per se* & ut meram sonat diætam & abstinentiam, nihil habeat quod moraliter bonum sit vel malum, tamen ut est adminiculum orationis

tionis fervidiùs & vehementiùs præstandæ, & solenne veræ respici-
centiæ coram Deo testimonium, & frænum carnis lasciviæ ac petu-
lantia coërcendæ destinatum, ad Dei cultum etiam ex ipsius præ-
scripto illud pertinere profiteremur; ut meritò Anna dicatur Luc: 11^o
37. serviisse Deo jugiter jejuniis & obsecrationibus; Non quod
semper & perpetuò jejunaret; ne quidem id velint Monachi in
Papatu sibi imponi; sed quòd sæpè jejuniis privatis animum tor-
pentem ad precum & meditationum sacrarum exercitium excitaret.

Item Jejunium esse satisfactorium) Atqui illud est quod summopere
nobis displicet: Sanctas preces per fidem fufas ad Deum esse bene-
ficiorum divinatorum impetratorias, maximè ubi earum vehementia &
fervor per jejunium intenditur, ultrò confitemur; sed negamus jeju-
nium per se impetratorium dici posse, multò minùs *satisfactorium &*
meritorium; quandoquidum nec impetratorium dici potest, cùm per
se nihil petat & ab oratione cujus est impetrare distinguatur, nisi
quatenus meritorium & satisfactorium fuerit; at neutrum dici
potest. Nemo enim satisfacit creditori suo jejunando, sed ratios
sua apud illum expungendo; Et qui jejunat eò ipso vitæ & lu-
cis usurâ indignum se profitetur coram Deo; adeoquè ut reum mortis
sic omni merito destitutum, & qui ex mille articulis sibi à Deo
objiciendis ne uni quidem dispungendo sufficiat. Mirum sanè est
homines eo in actu mereri, quo meritorum omnium se expertes pro-
fitendo, quâ possunt animi demissione & humilitate reatum & pec-
cata sua confitentes, ad Dei misericordiam confugiunt, & ne secum
intret in judicium, vehementissimè deprecantur. In pio & piorum je-
junio lachrymas eorum & preces & peccatorû confessionem videmus,
meritum & satisfactionem non videmus; prout quondam dicebat
Ambrosius *serm. 46. Lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego.*

Reliqua vero nos docet) Ninivitæ impetraverunt precibus suis, ad quas
se composuerant per humiliationem & jejunium, pœnæ illius quam de-
nunciabat Deus per Ionam vel ablationem vel dilationem; sed illud
eorum jejunium nec *satisfactorium* fuit justitiæ diviniæ pro suis peccatis;
cùm ipsimet Pontificii statuunt satisfactionem humanam solum spe-
ctare pœnas temporales post culpæ remissionem, non verò pœnas

æternas, quarum tamen reos se profectos fuisse Ninivitas cum ad jejunium se accinxerunt nemo negaverit, qui pertendet eorum resipiscentiam seriam & veram per omnia fuisse; nec *meritorium* remissionis peccatorum suorum, aut reatus ablationis, cum ipsimet Pontificii statuunt gratiam justificantem & remissionem peccatorum sub meritum non cadere. Amplius me explico: Nam præterea quod jejunium non possit magis habere simul vim satisfactoriam & meritoriam, quam oratio, cui utramque supra abrogavimus, si Ninivite satisfecerunt suo jejunio, debuerunt satisfacisse pro temporali poena; si eodem meriti sunt, debuerunt meriti esse remissionem culpæ; Et enim non potuerunt mereri poenæ temporalis ablationem si pro eâ satisfecerunt; Nam nec animæ in purgatorio ex opinione Adversariorum, ubi satisfaciunt pro poena temporali, quicquam ad id merentur; & sanè satisfacimus pro debito, sed per indebitum meremur. Sed Ninivite nec mereri remissionem culpæ, nec satisfacere pro poenâ temporali suo jejunio potuerunt. Si enim dicas, eos meritos fuisse remissionem culpæ ordine naturæ priusquam satisfacerent pro poena temporali, tunc ipsis tribuis facultatem merendi in statu peccati, & merendi resurrectionem à lapsu, quam omnes negant Jesuitæ: Si velis ordine naturæ illos prius satisfecisse pro poenâ temporali quam consecuti sint remissionem culpæ, tunc satisfactionem apud Deum pro poena temporali tribues hominibus qui non sunt in statu gratiæ, quod & repugnat placitis Pontificiorum. Quæcunque elogia in veram poenitentiam conferantur, eam tamen nunquam dicent saniores Pontificii vel meritoriam apud Deum remissionis peccatorum, vel satisfactoriam pro omni poenâ illis debitâ. In jejunio Achabi minus longè est præsidij: Cum enim homo esset hypocrita & impius, nec mereri nec satisfacere potuit suo jejunio, quod horum utrumque sit hominum iustorum & in statu gratiæ, cujusmodi ille non erat; qui licet terribus mimis Eliæ quadam poenitudine temporariâ & per humiliationem externam contestatâ duceretur, nihil tamen iudice Tirino ad *1 Reg: XXI, 25.* eorum qua exigeret sana poenitentia præstitit, aut exequi ausus est, quia ex transverso statim incurrit Iezabel, qua suo herili imperio veteris decreta semel statutaque dissolvi aut aboleri. Fuit ergo in Achabo apostrius cantum

tantum pœnitentia siue temporaria, uti dicitur August. *serm. 58. de temp.* cui indulget Deus pœnæ potius dilationem quàm ablationem; non quod illa placuerit sibi, sed quò significaret quantum sit indulturus, non ex debito sed ex gratia, homini verè & seriò resipiscenti, si tantum remisit Achabo, potius metu pœnæ quàm peccati odio, de scelere suo ad Prophetæ increpationem utcunque dolenti. Jejunium Israëlitarum 1 Sam: VII, 6. & 1. Macc: III, 47. nec satisfactorium fuit nec meritorium, sed testificatorium suæ resipiscentiæ & humiliationis coram Deo, & eorum precibus intendendis destinatum, quibus illas victorias quarum meminit Tirinus impetrarunt; Jejunium per se non magis dicas impetratorium harum victoriarum (meritorium enim & satisfactorium fuisse, nullis fidiculis ex Scripturâ extorqueri potest) quam cotem vim habere secandi, eò quòd cultri possit ad secandum aciem exacuerè: Etenim ad preces beneficiorum Dei suo sensu impetratorias, cùm illæ fidei & resipiscentiæ alis subnixæ cœlum petunt atque penetrant, jejunium fungitur *vice cotis acutum Ferrum qua reddere solet, exors ipsa secandi.* Idem dico de Estheræ jejunio (Iudithæ enim fabulam non moror) non alio fine usurpato quàm ut seriam suam humiliationem coram Deo contestaretur & fervorem suarum precum magis incenderet. Matt: VI, 17. non ipsi jejunio mercès promittitur *gratia & gloria*, ut fingit Tirinus; cùm nequidem in Theologia Pontificiâ mercès talis debeatur operi satisfactorio, sed tantum remissio pœnæ temporalis; sed promittitur à Christo gratam fore Deo & acceptam, nec remuneratione carituram, illam ἀνομιαν humiliationem & devotionem, cujus ipse in occulto spectator fuerit. Non jejunio propriè sed fugæ inanis gloriæ, de quâ hic agi ipse Tirinus agnoscit, hæc ἀπόδοσις gratuita re-promittitur, quandoquidem Deus delectatur veritate in præcordiis ut ait David Psal. LI, 8. Et tantum abest ut voluerit Christus jejunio ut meritorio vitæ æternæ thesaurizari in cœlis, quod hic Jesuita insinuat, ut ipsomet in *Comment.* iudice, præcedentia verba ad inanem gloriam spectant, hæc verò *Thesaurizate* &c. ad avaritiæ fugam: *Hactenus*, inquit, *de inani gloria, jam de avaritiâ;* Et Bredembachius ad eadem verba: *Hactenus de fugiendâ ambitione, nunc de avaritiâ dicturus est.*

Quâ

Quâ ergò conscientia Tirinus componit hoc loco quæ dividenda aliàs cognoscit, & Christi præceptum de fugienda avaritia, obtorto collo ad jejunii meritum trahit? Non abstinentiæ Rechabitarum, quæ erat ex se indifferens, nec præscripta à Domino, nihilque habebat cum jejunii de quo disputamus legibus, sed eorum obedientiæ præstitæ parenti suo (est enim illud mandatum de colendis parentibus primum cum promissione Eph: VI, 2.) fiebat illa promissio quæ extat Ierem: xxxv, 18. idque ad condemnationem Israëlitarum mandatis Dei optimi licet parentis rebellium. Danielis x, 12. proponitur exauditiō orationis quam intendebat jejunium, non jejunii meritum vel satisfactio: Et hæc tria meritò conjungi agnoscimus Tob: xii, 8. orationem, jejunium, & eleemosynam, omnibusquæ terræ thesauris esse præponenda; sed eorum vim elevat & pretio multum detrahit, quæ illa vel meritoria vel satisfactoria esse finxerit: quod nec Tobix ipsi venit in mentem: Id soli superbo conveniat Phariseo, qui propter duplex suum in hebdomada jejunium, longè austerius jejunio quartæ & sextæ feriæ in Papatu, Deum sibi debitorem constituere satagebat.

Num: 9. Reprehendunt tertio, quod jejunetur **QUIA** id ab Ecclesia **PRÆCIPITUR**. Sed hoc nomine à Deo laudantur *Rechabite*, quod ex præcepto patris sui vino abstinerint Ier: xxxv, 18. Et an Christus non jubet obediri Prælati Ecclesiæ? Luc: x, 16. *Qui vos audit, me audit.* Matthe: xviii, 17. *Si Ecclesiam non audierit, &c.* Heb: xiii, 17. *Obedite præpositis vestris, &c.* Rom: xiii, 2. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Neque verò obligari legibus humanis quæ vel externum reipubl: vel internum animarum bonum promovent (quales sunt leges civiles & Ecclesiasticæ) spectat ad jugum seu servitatem legis Judaicæ (ut hæretici fingunt,) sed ad jugum & servitatem *justitiæ*, cujus *servos* vult S. Paulus esse omnes Christianos Rom: vi, 18.

CENSURA. *Reprehendunt tertio quod jejunetur* Est quidem auctoritatis publicæ sive Politicæ sive Ecclesiasticæ jejuniorum publicorum dies definire, quibus Ecclesia tota coram Domino conveniat & preces ac deprecationes pro malis imminentibus propter peccata publica averruncandis, aut aliàs miserationibus divinis inflectendis, fundat ad Deum; Sed hoc improbamus in Papatu, quod tota ratio **jejuniorum**

niorum, quæ revera solo quorundam ciborum delectu nunc constant, sic in auctoritatem Ecclesiæ idest Papæ refundatur, ut quicquid in illa abstinentiâ virtutis est & meriti imaginarij, in obedientia Prælati debita constituatur; ita ut par sit meriti abstinere à piscibus & carne tantum vesci, si ita sua Sanctitas præciperet. Quis enim non videt omnem illam legem jejuniorum ampliandæ duntaxat Pontificis Romani auctoritati inservire? Sic enim ad ipsius nutum macella ubique vel aperiuntur vel clauduntur; Sic Dispensationum, quæ tuosissimarum Curiarum, nundinarum publicantur; Sic plebs assuescit jugo, ut plerique gravius se peccaturos suspicentur, si buccellam laridi comederint die nefasto, quam si adulterio aut fornicatione se polluerint; Sic persuadetur hominibus magnum esse meritum obedire Papæ, & celerius ac citius ad ejus nutum vehi hominem in cælum per cancrum aut lupum fluviatilem, quam per ovem aut bovem: cum tamen regnum Dei non sit esca vel potus Rom: xiv, 17. neque audiendi sint qui libertati nostræ insidiantes, juxta quam fas est nobis vesci omni eo quod venit in macello 1. Cor: x, 25. dicant, ut sit in Papatu cum hæreticis Paulo damnatis Col: 11, 21. Ne ederis, neque gustaris, neque attigeris. Totum hoc institutum merito traduxit Erasmus tum in *Colloquijs*, *Coll.* quod inscripsit *ἡ ἀσπαργία*, tum in *Epistolâ ad Christophorum, Episcopum Basileensem, de delectu Ciborum ac similibus constitutionibus humanis, cum Scholjs* ad illam.

Sed hoc nomine à Deo laudantur) Rechabitarum institutum frustra hic adfertur. Nam non ausint Pontificii statuere quod Papæ & Prælati tantum liceat in universam Ecclesiam, quantum Jonadabo licuit in sua familia: sic ut omnes Christiani sub peccato mortali tenerentur vel ab agricultura omni & vino abstinere in perpetuum, quod sanè quadantenus foret Manichæum, vel in tentoriis habitare, si placeret Papæ id ipsis præscribere. Deinde negari non potest, factum hoc Rechabitarum fuisse mysticum & Propheticum, quo realiter se præparabant ad excidium imminens toti genti Israëliticæ, siue ex ipsius Jonadabi viri sancti & zelotæ vaticinio, siue ex aliorum Prophetarum ei cœtaneorum prædictionibus. Quare non magis commodè eorum traxeris factum ad delectum ciborum qui uiget in Papatu, quam quod man-

H h h

datum

datum fuit Ezechieli ut fimo vesceretur, ad significandam expressius cladem & miseriam urbi imminentem. Adhæc si Pontificii benè arguentur à Rechabitis ad suos Monachos, (quanquam nollent Monachi sibi vino interdicti, & soleant ipsi ædificare domos fixas & amplas, & agros ac latifundia habere & colere, & sunt cælibes cùm Rechabitz essent conjugati) non potest procedere argumentum ex ipsis ad leges jejuniorum ab Ecclesiasticis ponendas universim omnibus fidelibus; cùm nulla autoritas Papalis possit omnes Christianos obligare ad austeriora illa exercitia quibus se speciatim & ultrò Monachi obstrinxerunt. Sed miror quomodo dicat hîc Tirinus de Rechabitis *quod ex præcepto patris sui abstinnerint*, cùm ad *Ierem: xxxv, 6.* neget in rigore præceptum fuisse, *quale in te tam ardua non possint parentes filiis suis imponere*, ac perpendat merum fuisse *consilium*: & ad v. 16. repetat constanter observasse Rechabitas *non tam præceptum quam nudum consilium patris sui*. Quid ergò nudo consilio Jonadabi ad suos, cum præceptis & legibus Papalibus de ciborum delectu ad omnes Christianos, quibus sub mortali peccato in foro conscientiz obligentur?

Et an Christus non jabet) Sanè ut parentibus obediendum, sed in Domino, ita Ecclesiaz Ministris obsequium debetur sed usque ad aras, & in iis demum quæ præceperint in nomine Domini, ex illius verbo & quamdiu dicere poterunt cum Apostolo, *Accepimus à Domino quod & tradidimus vobis.* Audit Christum qui suos audit Ministros *Luc: x, 16.* si nempe illi non suum sed Christi Euangelium proponant, & nihil aliud servandum doceant quam quod ille præceperit *Matth: xxviii, 20.* Maximè cùm nolit aliud onus nobis imponi *Apoc: ii, 24.* Ubi sanè notanda sunt ipsius Tirini verba, *Non mittam super vos, id est, non imponam vobis de novo aliud pondus, seu alias leges quam abstinentia à fornicatione & ab idololatriis*: ut mira sit væcordia Papæ qui longè graviora onera conscientias fidelium ad potestatis suæ ostentationem imponere audeat. Audienda est Ecclesia *Matth: xviii, 17.* sed in sacris & piis admonitionibus, quas proposuerit ex Dei verbo, non in legibus & institutis quibus contra vel extra Dei verbum conscientias nostras subiucere tentaverit; tunc enim ne quidem audiendos esse ipsos Angelos monet *Paulus Gal: i, 8.* Præpositis obediendum *Heb: xiii, 17.* sed quamdiu

quamdiu & in quantum excubant pro animabus nostris, & intra limites doctrinæ utroque Testamento comprehensæ se continent in muneris sui functione : Si enim tentent aliquid plus ultra , & illas Herculis columnas sibi fixas superare velint , tunc illud Apostolorum recurrat Act: IV, 19. An justum sit in conspectu Dei vobis potius auscultare quàm Deo , judicate : Omnium ineptissimè huc trahitur à Tirino locus Rom: XIII, 2. qui agit de Magistratu Politico, non verò Ecclesiastico ; & longè fallitur qui credet parem Episcopis & Pastoribus in Ecclesia competere potestatem, etiam Legislatoriam, illi quæ competit Magistratui in politia : Nam Ministri Ecclesiæ nunquam *ἐξουσίαι* vel Potestates in Scripturis appellantur, sed ut de seipso loquitur Paulus I. Cor: IV, 1. *ἰστητέαι χριστοῦ καὶ δικαιοματι μυστηρίων θεοῦ*, ministri Christi & œconomi sive dispensatores Mysteriorum Dei: Et si quæ constituent in suis Synodis ad *ἐκτέλεσιν* externam spectantia, censentur tū Canones non Leges propriè dictas condere: Nullas leges alias habent promulgandas quàm unci nostri Legislatoris, qui perdere potest & servare Iac: IV, 12. Quare frustra Tirinus hîc pari passu ambulare vult leges humanas, Civiles & Ecclesiasticas, quarû illæ *externū Reip. he internum animarum bonum* promoveant : Nam legibus humanis in politia subesse tenemur etiam propter conscientiam Rom: XIII, 5. I. Pet: II, 13. aded ut illas servare debeamus ex officio conscientiæ , etiam seposito scandali metu vel periculo : Constitutiones verò Ecclesiasticæ quæ politiam externam Ecclesiæ spectant , non obligant aliter quàm ordinis publici causâ & in scandali periculo , quo seposito, citra scrupulum conscientiæ omitti vel negligi possunt : Adhæc negamus *legibus humanis* in Ecclesia, concedi posse locum ad *internum animarum bonum* promovendum ; cum hoc internum & spirituale bonum , non aliis legibus quam divinis debeat promoveri , & frustra Deus colatur hominum traditionibus & mandatis, ipsomet Judice Christo Matth: xv, 9. Quapropter Apostolus I. Cor: VII, 23. vult Christianos tenaciores esse libertatis sibi per Christum partæ, nec conscientias suas submittere hominum institutis ; Preterempti estis ne estote servi hominum ; Quod non spectat servitutem externam & corpoream, ut frustra illic Tirinus interpretatur, quasi Apostolus omnes Christianos vocaret ad pileum, contra quam ipse

H h b 2

habet

habet com. 21. & 22. aut velit Magistratibus Politicis omnem auctoritatem abrogare, ut sibi imaginantur Anabaptistæ; sed servitutem spiritualem, in rebus conscientiam erga Deum ipsiusque cultum spectantibus: Quare Cajetanus *sibi* statuit merito, *non de servitute corporis sed de servitute anima ad literam Paulum loquitur*; quod liquet ex parallelis locis Gal. v, 1. Col. II, 20. Igitur legibus humanis in eo obsequi, non est servire *justitia* juxta præscriptum Pauli Rom. vi, 18. cum *justitiæ illius* cui nunc serviendum non alia sit norma quam Dei verbum; sed jugum *δυσβασαντων* humanarum traditionum subire, servitute legis Judaicæ duplici titulo intolerabilis, & quod hæc non ab hominibus sed à Deo ipso lata fuerat, & quod leges illæ humanæ ex quarum observationibus Adversarii *justitiam* suam perperam metiuntur, numero, scrupulositate & gravitate omnes Judaicas observationes longè superent.

Num: 10. Reprehendunt Quarto, quod in jejunio servetur DELECTUS CIBORUM, v. g. abstinencia à carnibus, & subinde etiam ab ovis & omnibus lacticiis. Sed nonné Daniel cap. x, 13. *Lugebam, inquit, etiam hebdomadarum diebus, panem desiderabilem, id est, cibum delicatorem, non comedi & caro & vinum non introjerunt in os meum?* Rechabite Ier. xxxv, 6. ex paterno præcepto abstinabant à vino, &c. Nazaræi Num. vi, 3. *ab omni eo quod inebriare posset*: Iohannes Baptista Matth. III, 4. & Marc. I, 6. ab omnibus deliciis, solo *melle sylvestri & locustis* contentus. Et nonné Apostoli Act. xv, 29. ad tempus jubent *abstinere à sanguine & suffocato?* Neque tamen (ut mentiuntur hæretici) abstinere jubemur carne vel lacticiis, quasi naturâ suâ sint immunda, (quod tamquam hæreticum, imò dæmoniacum, damnat Apostolus I. Tim. iv, 3.) vel quasi ex vi legis Mosaicæ nobis sint vetita, (quod ut Iudaicum reprehenditur Coll. II, 16. & alibi,) vel quod per se *coinquinant animam*, ut somniabant Pharisei Matth. xv, 11. Nam plerisque anni temporibus extrâ dies jejunii utimur etiam illis cibis, certi *omnem creaturam bonam & mundam esse* I. Tim. iv, 4. *et que Deus purificavit non esse communia* censenda vel immunda Act. x, 15. Sed quod certo tempore illis abstinemus, facimus ad carnis petulantiam facilius domandam; quod prudens, pium & Christianum est, ac proinde merito ab Ecclesiâ præscriptum; cui si quis contraveniat, jam non carnibus, sed suâ inobedienciâ coinquinat animam, ut esu pomi vetiti Adamus & Eva Gen. III, 7.

Object. ex Matth. xv, 11. *Quod intrat in os, non coinquinat animam, ibidem dissolvi.*

CENSURA. *Reprehendunt quarto quod in jejunio* Quin & illud reprehendimus quod omnis jejunii ratio in Papatu mero hoc delectu ciborum constet, qui processit non à Christo aut ejus Apostolis, qui omne quod apponatur nobis etiam apud infideles citra scrupulum usurpandum præcipiunt 1. Cor: x, 26. 27. eò magis quod omnis Dei creatura bona sit & munda 1. Tim: iv, 4. nec polluta cenferi debeant quæ Deus ipse purificavit Act: x, 15. nec sit Dei regnum esca aut potus, sed justitia pax & gaudium per Spiritum Sanctum Rom: xiv, 17. nec esca nos commendet Deo, ut plus habeat qui edit, minus qui non, 1. Cor: viii, 8. Imò Tirinus ad Rom: xiv, 2. agnoscit quod illi rectè sentiant & faciunt qui putant se licitè posse manducare suillam & alia edulia omnia, eò quod in lege Euangelica nullum genus ciborum consecratur immundum aut vetitum; & ad com. 6. quod qui promiscuè quidvis quovis die manducat, etiam Domino manducat, ad ejus honorem & obsequium utens libertate sibi ab ipso concessa; & ad com. 5. quod Gentilis in fide plenè instructus & Christiana libertatis sat gnarus judicat omnem diem esse æquè sanctum & omni die utitur indifferenter quovis cibo; sic ut in ejusmodi rebus indifferen- tibus unicuique fas sit in suo sensu abundare & sequi liberè suum judicium. Ne- quicquam ergò ibidem subiicit Jesuita hæc verba; *Procul autem est à mente Apostoli libertatem indulgere non jejuandi vel in jejuniiis carnes comeden- di; cum hæc repugnent præceptis Ecclesiæ, quibus ut constat ex cap. præced. Rom: xiiii, 2. jubet Paulus obediri etiam sub pœna damnationis.* Nam si jam tum Apostoli leges tulissent de delectu ciborum, rectiùs sentire & facere Paulus non dixisset eos qui ad illum non attenderent, neque libertati Christianæ consentaneum statuisset indifferenter & promiscuè quidvis quovis die comedere, modò id fiat sobriè & cù gratiarum actione. Post Apostolos verò non fuit in potestate Ecclesiæ Christianam libertatem hac in parte coarctare, aut id interdicere aut prohibere quod licitum. Apostoli declaraverant; Cùm ergo præterita illa præcepta Ecclesiæ libertati Christianæ & dictis Apostolicis repugnent, pro præceptis haberi non possunt: cùm nec Præceptiva aut Legi satoria autoritas competat Ecclesiæ, uti supra dixi, nec ad Ecclesiæ Ministros pertineat locus Rom: xiiii, 2. qui est de Magistratu politico, cùm præsertim Bernardus ad Eugenium Apostolatam Dominatui opponat. Unde, er-

ḡd, inquires, ille ciborum delectus qui vigeat in Papatu? Primum ad illum gradum fecerunt Judaismus & Hellenismus, quod cum Judæorum maxime Esseniorum ab unâ parte, ab alterâ Philosophorum, præsertim Pythagoricorum, ἰσπράτεια & ἀσκησις vulgò esset admirationi, plurimi Christiani, ut monet Nobilissimus Salmasius *de Coma*, asceticam profitebantur, victu & amictu; quò & pallium Tertulliani spectasse asserit. Hinc infirmiores & scrupulosiores nonnulli, etiam ex iis qui ab Ethnicismo ad Christianismum fuerant conversi, vino & carne penitus abstinebant & oleribus tantum, quod Pythagoricum est, vescabantur Rom: XIV, 20. 21. Et quò quisque commendatior deinceps volebat esse & novo dogmati majorem auctoritatem conciliare, eò quoque in ἀσκησις se austeriorem & rigidiorem præbebat, uti liquet exemplo eorum quorum fit mentio Col: II, 21. nec non Ebionis, Tatiani, Montani, Manetis, Eustathii & similibus; Et quanquam regulæ asceticæ Monachos potissimum spectarent, tamen sensim quoque ab aliis observandæ sumebantur, sed planè liberè; cum teste Theodoreto *de dogm. div. cap. ult.* nullæ leges super ejusmodi rebus ab Ecclesia latæ fuissent, & idè diversimodè admodum, ut constat ex Socrate *lib. 5. Hist. Eccl. cap. 21.* juxta latinam versionem, cujus verba digna sunt quæ referantur; Nam postquam retulit quæ esset diversitas inter Christianos, quadragesimæ constituendæ & observandæ, subjicit; *Quin etiam non de numero dierum solùm discrepant, verùm etiam de abstinentiâ à cibis variam sequuntur rationem: Nam alii omnino ab omni animantium genere abstinent; alii inter animantia solos pisces comedunt; alii cum piscibus etiam volucres manducant easque ex aqua (ut est apud Moysen) nasci asserant: Alii à fructibus duris integumentis involutis & ab ovibus temperant: alii arido pane solo vescuntur: alii ne illo quidem: sunt qui cum ad horam novam jejunaverint variis ciborum generibus (indiscriminatim) utuntur: alii ratione apud alias gentes jejunatur; cujus rei sunt causa propè infinita: Ac quoniam nemo de eâ præceptum litterarum monumentis proditum potest ostendere, perficuum est Apostolos liberam potestatem in eadem cujusque menti & arbitrio permisisse, ut quisque nec metu nec necessitate inductus quod bonum esset ageret: Hanc disparem jejuniorum rationem in Ecclesiis esse cognoscimus.* Vnde liquet quàm variatum olim in re planè libera, donec Pontifex Romanus eum suisin

suis in executionem vaticinij quod extat 1 Tim: 17, 1. leges tulit super illa re, quibus vult obligari omnium conscientias sub peccato mortali. Sed nos de his fufius in *Anticbr. Revel.* p. 1. c. 24.

Sed nomine Daniel) De Rechabitis modò dixi. Diftum & de Nazaræis & Iohanne Baptista tom. 1. *Cons.* 9. n. 2. & 10. Si illi, quod volebat Tirinus, præferunt Monachis, frustra proferuntur eorum exempla ad leges quæ spectent totam Ecclesiam: Nec si quæ austeritas viguit in Nazaræis V. T. ad cujus œconomiam ex parte Ministerium & Nazareatus perpetuus Iohannis (quem ipse Tirinus collegit ex Luc: 1, 15.) pertinebat, illa sub N.F. omnibus fidelibus est imponenda; Neque Iohannes eam austeritatem quam in vestitu simpliciore & cibo plebejo ac vili, & qui *Pauperiorum serè ac rusticorum erat*, ut notat Tirinus *ad Matt: 111, 4.* toti Ecclesie per modum legis aut consilij, voluit commendare. Christus è contrario Apostolis suis præcepit ut id omne ederent quod sibi apponeretur Luc: 13, 7. 8. Adhæc Nazaræi & Iohannes Baptistæ (addo & forte Rechabites) divinam habuere ad id præscriptionem & vocationem, quæ in Ciborum delectu apud Pontificiorum nec obtinet, nec post libertatem Euangelicam promulgatam obtinere potest. Daniel in suo jejunio abstinuit & vino & omni cibo delicatiori: At Adversarij nec vinum prohibent jejunaturis, nec cibos delicatiores; cum pisces permittant qui semper in majoribus deliciis habiti sunt quàm carnes: Nec Daniel id fecit ex lege communi in Ecclesia jam ante sancita, aut ei sancienda voluit suum inservire exemplum, aut aliquid meriti constituere in illa abstinentia, quæ potiùs ad dolorem & animi ægritudinem spectabat, quàm ad *ἐγκράτεια* & *ἀσκησι*; quod confirmari potest exemplis Davidis 2 Sam: 11, 17. & Nehemiæ Neh: 11, 2. & loco Psal: 111, 10. Denique facta quædam particularia & singularia commemorantur à Tirino, quæ legi universali omnes obliganti in conscientia constabilienda non sufficiunt: Imò ut Nazareatus votum planè cæremoniale & Leviticum emittere olim nemo cogebatur, sic multò minus hodiè possunt omnes Christiani cogi ad tales *ἐγκράτεια* in quibus Mosaicos ritus imitentur & revocent in usum.

Et nomine Apostoli) Sed in hac Apostolica prohibitione multò minus est præsidij pro causa Jesuitæ. Nam illa prohibitio non fiebat ad *ἐγκρά-*

ΤΕΙΩ

τεταν aut *ἀσκησι*, quales sunt prohibitiones Pontificiæ (dixerit licet Paulus 1. Tim: IV, 8. *σωματικὴν* illam *γυμνασίαν* sive *ἀσκησι* parùm habere utilitatis, etsi videatur institui ne parcat corpori, neque ei ullus habeatur honos *πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκὸς* Col: II, 23.) sed ut tantisper condescenderetur infirmitati Judæorum recens converforum, & utriusque populi Gentilis & Judaici in unũ corpus coalitio & coagmentatio facilior procuraretur. Quia enim ab idolothytis, sanguine & suffocato, ut monet Tirinus ipse *ad Act: xv. vers. 20. Iudæi extreme abhorrebant, quo facilius ad Gentilium converforum familiarem usum ac convictum pellicerentur, jubentur Gentiles ab iisdem cibis saltem ad tempus abstinere.* Iure meritò dicit Tirinus hanc constitutionem Apostolicam non nisi ad tempus factam fuisse, prout Paulus ut se accommodaret Judæis infirmioribus & Timotheum circumcidit propter Judæos. *Act: xvi, 2.* ut Lyrano teste vitaret scandalum eorum, & eadem de causa Nazareatus votum nuncupavit *Act: xviii, 18. qao se obstrinxit* (inquit Tirinus *ibi*) *ut Iudæos & Iudæo-Christianos sibi quasi legalia contemnentis, offensos deliniret;* quò spectavit & consilium ipsi datum Hierosolymis *Act: xxi, 21. & 24.* Nam ubi Pseudapostoli Gentiles voluerunt ad omnia Mosaica præcepta astringere, tum quod infirmitati *ad tempus datum* fuerat, propter illorum pertinaciam fuit ab Apostolis revocatum, factâ generali libertate vescendi on. ni eo quod venit in macello & nobis appositum fuerit, absque scrupulo conscientiæ, additâ hâc solummodo cautelâ ne idolothytis sub eo formali & *ex conscientia idoli* vesci liceret, ut loquitur Paulus 1 Cor: viii, 7. aut infirmioribus præbere in eo occasionem scandali & credendi vel suum fratrem idolothytis vesci ex idoli conscientia, vel sibi ad illius exemplum id fas fore. Et in eo gravissimè reprehenduntur nonnulli Apoc: ii, 14. 20. quod Christi servos seducerent ad scortationem & idolothytorum usum; quod intelligendum esse de idolothytis in suo formali & ex conscientia idoli comestis, fornicationis crimen additum satis testatur. Non inficior quidem diutissimè postea inter Christianos hanc observationem viguisse, ut abstinerent sanguine & suffocato, (quod etiam num Græci religiosè servant) uti liquere potest ex Minutio Felice in *Octavio*, Tertulliano *Apolog. c. 9. Jrenæo lib. 3. contra hæc. cap. 12.* Leone Imperatore

ratore *Novella Const. 58. Concilio Gangrensi can. 2. Aurelianensi 11. cap. 20. Wormaciensi can. 65. Constantinopolitano in Trullo can. 67. Euseb. lib. 5. Eccl. Hist. cap. 1. in historia Blandinæ. Verùm hæc observatio facti fuit non juris, nec tam universalis quin auctor Commentarii in Epist. ad Gal: apud Ambrosium, à prohibitione Apostolicâ exemerit suffocatum, ut notat Sixtus Senensis Bibl. Sancta lib. 6. annot. 273. Et Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 13. statuerit, transacto illo tempore quo illi duo parietes unus ex circumcisione alter ex præputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen quibusdam suis proprietatibus eminebant, & ubi Ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israëlita carnalis appareat, nullum jam esse Christianum qui hoc observet ut turdos vel minores aviculas non attingat nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non edat si manu è cervice percussus nullo cruentus vulnere occisus est; (adeò jam Augustini tempore observatio hæc in desuetudinem abierat, saltem in Ecclesiis Africanis) Et si qui fortè (inquit) pauci adhuc tangere ista formidant, à cæteris irridentur. Ita omnium animos in hac re tenuit illa sententia veritatis, Non quod intrat in os vestrum vos coinquinat, sed quod exit; nullam cibi naturam quam societas admittit humana, sed qua iniquitas committit peccata condemnans. Quæ Augustini verba & Scripturæ testimonia supra allata si attendantur, ex illis constabit nullam fuisse causam sufficientem cur Vir longè Doctissimus & Clarissimus Christianus Becmanus Exercit. Theolog. 26. eruditionis suæ nervos intenderet, ad illam Apostolicam constitutionem postliminiò inter nos revocandam, & novorum scrupulorum laqueos in re merè adia phora conscientijs injiciendos. Moralitatem illius non astruit prohibitio quæ extat Gen. 1x, 3. 4. & Levit: xvii, 10. 11. 12. 13. 14. ac Deut: xii, 25. cùm illa typica fuerit & cæremonialis, donec fusus esset sanguis ille Novi Fœderis ad cujus communionem mysticam in Eucharistia invitamur; ut non immeritò Viri eruditi statuam sanguinis prohibitionem tum demù de facto sublatam fuisse. Necessarium quidem dicitur interdictum Apostolicum, sed secundù quid & pro temporum ratione, ad scandalù vitandù, non semper & in perpetuum ad salutem consequendam. Nec idèò hæc non adia phora, quoad idolothyta materialiter considerata, item sanguinem & suffocatum, ed quòd propreia sive fornicatio videtur unà adjungi,
cujus*

cujus prohibitionem esse moralem nemo negat, nisi fortè Græci ad hoc vitium procliviores, ut cenſet Guido Carmelita, & ſuperiori ſæculo Viſtor Cahierus ex Miniſtro Eccleſiæ Reformatæ Sorboniſta, Kabbaliſta & Magus, cujus & corpus perhibetur à Diabolo vel ablatum vel diſcerptum, ut lapides vice illius ejus loculo condendi fuerint. Non neſcio quid hic vulgò respondeatur, fornicationem apud Ethnicos pro nullo peccato habitam fuiſſe: Verùm hoc non ſatisfacit, cùm ij ex Gentilibus qui fidem Chriſtianam erant amplexi, proculdubio talem errorem non foverint in ſinu, à quo etiam honeſtiores Pagani & Philoſophi erant alieni. Poſſet obſervari aliud, nempe non eſſe id alienum ab uſu Scripturæ ut conjungat quandoque præcepta moralia cæremonialibus & poſitivis, ut Pſal. xv, 3. 4. 5. ubi uſura quæ jure duntaxat poſitivo & forenſi prohibebatur Iſraëlitis inter ſe, merè moralibus conjungitur. Sic videas cæremonialia & forenſia moralibus permixta Ezech. xviii, 5. 6. 7. 8. & ad utraque reſpicitur in encomio Zachariæ & Elizabethæ Luc: 1, 9. Sed puteum non ipſam πορνείαν intelligi in Apoſtolico interdicto, ſed ἀλισημάτια, id eſt cibos pollutos, ut τῶν ἰδωλῶν ſic τῆς πορνείας ut habetur Act: xv, 20. Quo nomine intelligantur tum cibi ſpeciatiim oblatis idolis à meretricibus, quæ ſolemnia ex ſuo quæſtu ſolebant ſacrificia offerre, cujuſmodi Deus ſuis aris inferri prohibuerat, meretricis mercedem & canis, id eſt cinædi ac pueri meritorii, pretium deteſtatus Deut: xxi, 18. tum etiam quilibet cibi qui in cauponis & ſtabulis ſive diverſoriis parabantur; Etenim eandem vocem πῦν παιδοκέντριαν & πορνὴν Hebræis ſignificare notum eſt, & cauponas olim non honeſtiori loco habitas fuiſſe quàm fornicæ, ab aliis fuit obſervatum: Nec proſtituta aliunde dicta quàm quòd ad ſtabula proſtarent meretriculæ hoſpitibus advenis, corporis ſui copiam oblaturæ; ut verè fuerint ἀλισημάτια τῆς πορνείας omnes cibi qui in diverſoriis Ethnicorum ſumebantur; quæ ideo ſollicitè Judæi fugitabant, & à quibus ut abſtinerent Gentiles Chriſtiani potuerunt moneri ab Apoſtolis: Confirmat hanc conjecturam quòd in veteri Eccleſia tantopere hoſpitalitas Chriſtianiſ & præſertim Episcopis commendabatur, ne fratres peregrè advenientes cogereſtur in cauponis pernoctare, & nemini Chriſtiano liceret eſſe cauponi, uti patet ex

ret ex Clemente Romano *Const. lib. 8. cap. 28.* ubi inter canones adscriptos Paulo Apostolo hic unus est ; *Scenicus si accedat five vir sis five mulier, Auriga* (nempe in Olympicis & Circensibus ludis) *Cursor stadii, Ludius, Olympius, Choraules, Cytharædus, Lyristes, Saltator, Cau-
po, desistat vel reiciatur.* Sed hæc obiter: Satis est constare contra Pontificios prohibitionem A postolicam sanguinis & suffocati, nec abstinentiæ gratiâ factam, nec perpetuam fuisse, adeoquè non favere ullo modo delectui ciborum, qui instar legis perpetuæ ad pietatem facientis obtinet apud adversarios.

Neque tamen ut mentiumur heretici) Bona verba Tirine, Nam Glossa hæc est non solum Pontificiorum modernorum, sed etiam veterum hæreticorum, qui statuebant damnari Paulo non quam libet ciborum prohibitionem, sed tantum eam quæ cibos prohiberet ceu malos & immundos, ut censuerunt Simoniani, Saturniani, Ebionitæ, Marcionitæ, Manichæi, Encratitæ, non simplicis abstinentiæ causâ. Eadem enim exceptione, Montanistæ apud Tertullianum *contra Psychicos* idest Orthodoxos, suas Xerophagias ceu Apostolo nulla ratione contrarias propugnabant ; *Exceptio* (inquit ille) *quorundam eduliorum portionale jejunium est* : Item, *Paulus ad Galatas disputat contra veteres legales solemnitates*, quales esse negat Montani. Item, *Paulus damnat hereticos perpetuam abstinentiam præcepturos ad destruenda & despicienda opera Creatoris, quales fuerunt Marcion & Tatianus* ; sed *quantula est apud nos interdictio ciborum ?* Duas in anno hebdomadas, (nam vetus quadragesima hebdomadaria erat) *Xerophagiarum nec totas* (exceptis scilicet Sabbathis & Dominicis) *offerimus Deo, abstinentes ab eis quæ non reiciimus sed differimus.* *Paulus verd accusat illos castigatores & interdictores victus, qui non ex officio in honorem Dei, sed ex fastidio in convitium Creatoris abstinebant.* Eadem utebatur etiam excusatione Eustahius Sebastæ Episcopus in Concilio Gangrensi inter alia damnatus ob introductum ciborum delectum & discrimen, multaque alia ad Monachatum spectantia, ut patet tum ex Socrate & Sozomeno, illo *lib. 2. cap. 33.* hoc *lib. 3. cap. 13.* tum ex præfatione Concilii Gangrensis, tum ex illius Canonibus, cujus secundus sic habet, *Si quis carnem edentem præter sanguinem & idolis immolatum & suffocatum cum religione & fide, condemnat &c. anathema sit.* Is enim apud

Sozomenum profitebatur se ista introduxisse ἐκ ἰουδαϊστικῆς ἑνικα, ἀλλὰ τῆς κατὰ θεὸν ἀσκήσιως. Quod si Tatiani scripta hac de re ad nos pervenissent fortè haud dissimili ratione suam ἰγκράτειαν ἢ βδελυσσόμενον eum propugnasse nobis constaret. Præterea Paulus loquitur generatim de ciborum prohibitione à seductoribus faciendâ , ut eam damnet quocunque fiat demum prætextu , etiam τῆς σωματικῆς γυμνασίας de qua agit 1. Tim: 1v, 8. quæ coincidit cum externa illa ἀσκήσει & corporis maceratione quâ jactant hîc adverbarii; ut quoque, agnoscen- te Cornelio à Lapide ad 1. Tim: 1v, 8. interpretantur hanc γυμνασίαν σωματικὴν Ambrosius, Anselmus, Thomas, Bernhardus in *Apoloγία ad Guilielmum Abbatem* : & alienum planè foret à scopo Pauli disserere hic de palæstrica : Nec tantum dicit quod omne à Deo conditum bonum sit , sed addit absolutè nihil esse reiiciendum , καὶ ἔστιν ἀποβλητὸν (quocunque demum prætextu vel ἰγκρατείας vel βδελυγμῶ) modò cum gratiarum actione percipiatur. Adhæc ex Col: 11, 28. satis constat eam Paulo damnari prohibitionem ciborum, quæ corporis sui castigandi & genium suum defraudandi prætextu fiebat : Sed nec negare possunt Pontificii se cibos quibus abstinent, saltem diebus suis nefastis pro pollutis & immundis habere , quandoquidem tunc citra grandis peccati reatum atrectari aut comedi nequeunt : Et si solam abstinentiam spectassent non carnibus modò, sed potissimū interdixissent vino : Quin solent alicubi sub Quadragesimæ finem, carnes & ova offerre sacrificulis, ut per varios exorcismos ab insitâ immunditiâ repurgentur : Et Durandus *Rat. lib. 6. cap. 7. §. 22.* hanc rationem reddit cur piscibus vescantur in jejunio , cum etiam pisces sint caro , quod Deus non maledixerit aquis ; unde colligas ergò propter terrestrium maledictionem illis abstineri. Imò Gregorius 11. atque Zacharias ejus successor ad Bonifacium Germanorum Apostolorum , immundum atque execrabile statuunt, vesci equis sylvaticis, item fibris, leporibus, graculis, corniculis & ciconiis, qua omninò cavenda sint ab usu Christianorum.

Vel quasi ex vi legis Mosaica) Iam ante audivimus easdem protulisse excusationes Tertullianum actum spiritu Montani contra Catholicos sui ævi, qui Xerophagias rejiciebant. De loco Col: 11, 16. & seqq. dixi sufficienter tom. 1. *Cont. 9. n. 5. & 10.* Non spectabant illi Hæretici

tici auctoritatem simpliciter legum Mosaicarum, sed ἀπειθαίε & ἀτιμίας corporis, non subministrantes (inquit ibi Tirinus) corpori omnia necessaria ad saturitatem carnis explendam, dum nempe per austeritates quasdam, & afflictiones corporales (quò sanè lex Mosaica in ciborum quodam delectu neutiquam collimabat) nolle se parcere corpori, aut illius curam habere ostentabant. De loco Matt. xv, 11. mox sum dicturus: Nec Pharisæi putabant fordes manuū illotarum per se animam coinquinare, sed ex neglectu traditionis Seniorum. Neque Montanistis uti supra visum Xerophagiæ erant perpetuæ, sed tantum diebus jejunij: Eas tamen Catholici improbabant ex iisdem Scripturæ locis, quibus utimur contra Pontificios; ad quorum redargutionem satis est, quod saltem diebus certis se quibusdam cibus, ceu immundis & pollutis, pollui & coinquinari putent; & per varias exsecrationes potius quàm consecrationes, & quandoque exorcismos, immunditiam à cibus removere conentur. Quid quod austeriores quidam Monachi non tantum certis diebus abstinent à carnibus, sed toto vitæ suæ tempore, ut Carthusiani, Cœlestini, Minimí & similes?

Sed quod certo tempore) Hæc fuit quoque excusatio Montanistarum, Eulthatianorum & Encratitarum, qui ad carnis petulantiam facilius domandã omnem hanc suam austeritatem destinabant. Vnde Tertullianus V. S. Catholicum Paraleti sui instituta reiicientem sic criminabatur, *Deus tibi venter est, pulmo templum, aqualiculus altare, sacerdos cocus, Spiritus nidor, condimenta charismata & ructus prophetia*: Item, *Apud te charitas in cacabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet*. Quis hîc declamationes Monachorum contra Protestantes hac eadem in causa non audiat? De se verò & suis lasciviam carnis per ejus modi jejunia asperiora edomantibus, sic loquebatur; *Macies non displicet nobis; Neque enim ad pondus Deus carnem tribuit sicut nec spiritum ad mensuram: Facilius verò per angustam salutis januam introibit caro exilior & ita resuscitabitur caro levior*. Denique tam similis est hîc causã Pontificiorum contra nos causã hæreticorum Montanistarum, cujus patronum agebat Tertullianus, contra Catholicos, ut non defuerint multi in Papatu qui Tertulliani dicta tanquam validissima in nos intorserint. Eos verò qui damnantur Paulo Col. 11, 23. etiam sibi proposuisse carnem edomandam

mandam antea visum : Idem intendebant Pharisei in suis superstitionibus jejuniis, ut multum occupati viderentur in carnis petulantia edomanda.

Ac proinde merito ab Ecclesiâ) Imò tyrannicè & contra Dei verbum iste delectus in legem publicam apud Pontificios abiit ; qui quàm parum profit ad edomandam petulantiam carnis vel inde quis colligat , quod Romæ quando macellum clausum est lupanaria tamen aperta remanent ; & pisces plus inservire ad excitandam carnis lasciviam etiam perhibent Medicorum filij : Unde & Venus ex spumâ maris nata apud Veteres Mythologos fingebatur : & *Pisces* Symbolum fuisse hominis profani, Hieroglyphici observant apud Pierium *Hierogl. lib. 31. c. 1.* Quare nullos pisces altari suo inferri Dominus voluit.

Cui si quis contraveniat) Hæc comparatio est planè blasphema , cum pari loco hominû traditiones ac Dei severissima interdicta ponat, & sic homuncionibus peccatoribus divinâ planè potestatem tribuat: Adhuc eodem modo immundos & pollutos cibos suos sic faciunt, quomodo suos Judei immundos arbitrabantur: Noverant quippe se non aliter illis pollutum iri quàm si patrum suorum traditioni eos usurpando reluctarentur : Ubi parem Deo auctoritatem Jesuitz suo Pontifici, quem hinc nomine Ecclesiæ indignant, convenire ostenderint, tum agnoscemus cibos ab ipso prohibitos polluturos conscientias nostras si contra mandatum ejus eos usurpemus : Sed quamdiu id non constat, imò constat contrarium , auctoritatem Imperij in ejusmodi ad cultum summi spectantibus Deum sibi soli reservasse relicta solâ hominibus quibuslibet obsequii gloriâ, & libertatem nobis circa talia partam sanguinè Christi, homines coarctare nec posse nec debere, eos demum censuramus pollui coram Deo, qui ejusmodi institutis non simpliciter humanis, sed uti dicuntur Paulo Diabolicis, suas conscientias serviliter mancipant.

Objectionem ex Matt. xv, 11.) Sed Tirinus *ibi* nihil aliud habet quàm quæ jam dixit, carnes in quadragesima comestas non coinquinare hominem, verùm eum coinquinari in illorum usu suâ inobedientiâ ; *Sicut olim in pomo Adami & in esu ciborum lege Mosaicâ vetitorum contingebat.* At id concesserim

cesserim si carnes ita essent divinitus prohibitae ut pomum Adamo, & bestiae immundae lege Moysi: Sed cum talis divina prohibitio nunc non extet, sed potius liberrima contrarii permissio & omnium omnino animantium ad esum purificatio Act: x, 14. 15. prout & apud Lyranum *ad Gen: 1x, 4.* tradunt R. Moses & R. Salomon nulla animalia amplius fore immunda sub Messia, sed omnia mundanda per ipsum legem, non video qui nunc carniū esus à Deo concessus possit eodem modo coinquinare conscientias, quomodo coinquinatae fuissent sub lege esu eorum quae Lex prohibuerat. Haec tunc erant immunda non ex rei natura, sed ex prohibitione divina: Si ergo carniū prohibitio in Papatu sit illi par, carnes eodem modo erunt immundae, nec omnia erunt purificata per Christum: At, inquit Tirinus, si hoc negasset Christus, nempe usu ciborum antea prohibitorum à Deo non coinquinari animam, Pharisei *cum statim legis reum peregerunt.* Sed primò non poterant Christi dictum rapere ultra subjectam materiam: agebatur autem non de cibis per legem prohibitis, sed de manuum illotarum sordibus, de quibus nihil extabat in lege: Deinde dubium non est quin hoc axiomate adhibito prudenter in quaestione quae directe ciborum discrimen lege Moysi constitutum non spectabat, voluerit tamen Christus ad illius discriminis abrogationem auditorum suorum animos praeparare, uti postea ejus Apostoli id bene intellexerunt & urserunt 1. Tim: iv, 4. At, inquit Tirinus, hoc solum sibi vult Christus, *Cibos immundos non ex se seu ex substantia sua pollueri comedentem, quod Pharisei opinabantur & Pythagoras ante docuerat.* Sed per omnia Phariseos cum Pythagora sensisse facilius dixerit Iesuita quam probaverit. Ad haec Pythagoras non putavit cibos ipsos ex substantia sua pollueri comedentem, sed ex vescentium crudelitate & intemperantia: Id liquet vel ex ipso Ovidio *Metam. 15.* ubi Pythagoram introducit homines ab esu carniū dehortantem, non aliis ferè rationibus quam quod ferinum planè illud sit, intemperans & inhumanum;

„ *Prodiga divitias alimenta que mitia tellus*

„ *Suggerit atque epulas sine caede & sanguine prabet.*

„ *Carne fera sedant jejunia: & paulò post*

„ *Heu*

„ Heu quantum scelus est in viscera viscera condi
 „ Congestoquæ avidum pinguescere corpore corpus;
 Alteriusque animantem animantis vivere letho !
 Scilicet in tantis opibus quas optima matrum
 Terra creat, nil te nisi tristitia mandere sivo
 Vulnere dente juvat, ritusque referre Cyclopum ?
 Nec nisi perdidideris alium placare voracis
 Et malè morati poteris jejunia ventris ?
 Item : Ergo ne pietas sit victa cupidine ventris
 Parcite (vaticinor) cognatas cade nefanda
 Exturbare animas, ne sanguine sanguis alatur.

Undeliquet non ipsas carnes pollutas fuisse Pythagoræ, sed eum ho-
 mines ab earum esu fuisse dehortatum, tum quod cædis reatu se pol-
 luunt qui bestiam ad esum occidunt, imo quandoque parricidij, prop-
 ter metempsychosim, tum quod intemperantiæ & gulæ vitium sit car-
 nibus velle vesci, à quo proinde abstinendum. Præterea non fuerunt
 Pharisæi tam bardi ut illotarum manuum sordes putarint ex sua natura
 polluere conscientiam; sed putarunt hominem tunc pollui coram
 Deo qui contra seniorum mandatum illotis manibus ad cibum ca-
 piendum accederent. Ideò exostulant apud Christum contra disci-
 pulos ipsius, non quod se polluerent per res naturâ suâ pollutas & pol-
 luentes, sed quod se polluerent transgrediendo *παράδοσιν τῶν πρεσβυ-
 τέρων*, nec eam satis scrupulosè servando, prout & nostri Jesuitæ vo-
 lunt homines pollui si vescantur carnibus in quadragesima, constitu-
 tionem Papæ & Prælatorum transgrediendo. Iam estis ergò pares.

Num. II. Denique reprehendunt, quod CERTIS anni DIEBUS
 adstringatur jejunium: Sed nisi dies designentur, spes non est impetrandi
 ut sponte plerique jejurent; quod tamen pernecessarium esse aliquando fa-
 cere vidimus num. 7. Neque tamen vel iisdem diebus, quibus Iudæi, vel
 eadem ob causas, jejunt Christiani; sed ut ad præcipuas anni festivi-
 tates decentiùs celebrandas, & mentem in Deum elevandam melius com-
 positi sint, jubentur hâc abstinentiâ corpus domare, & animum à pecca-
 tis expurgare, exemplo Apostoli I Cor: IX, vers. ult. *Castigo corpus meum et
 in servitutem redigo*, &c.

CENSURA, *Denique reprehendunt quod nobis*) Ampla hic esset dicendi materia si in originem jejuniorum, uti falso vocantur, quæ servantur ab Adversariis esset inquirendum; Habent jejunia hebdomadalìa, non amplius quartæ & sextæ feriæ, ut usitatum erat Veteribus, sed in Parasceve & in Sabbatho, in quo & Pharizæos bis hebdomatim jejunantes imitantur. Jejunare tamen Sabbatho olim tam grande piaculum erat, ut Ignatius *χριστου τοβη* annumeret qui id faciant. Non jejunant tamen Pontificii in Sabbatho à natali Christi usque ad purificationem Mariæ, quod id sit dandum lætitiæ ob Christum natum, sive ut vulgus loquitur, indulgendum B. Mariæ puerperæ. Habent jejunia quatuor temporum destinata ordinationi Presbyterorum in Ecclesiis Cathedralibus, quibus jejunandum est, ut & in Rogationibus, tribus diebus, nempe quartâ & sextâ feriâ & Sabbatho. Habent jejunia Vigiliarum pro aliquot Sanctis; Sed monet nos *Pastorale Rurzemundæ* p. 271. DD. *Iacobi & Bartholomæi, Thoma & Matthiæ vigiliis* aliis non adnumerari, quia apud multos illarum jejunia exoleverunt. In his jejuniis abstinentia est tantum à carnibus; Habent jejunium quadragessimæ, quâ totâ, nequidem Dominicis exceptis in quibus eadem abstinentia viget contra tot canones Antiquitatis, abstinentum est ab ovis & carnibus imò & omnibus lacticiniis; sed lactis & butyri prohibitio vulgari indulgentiâ plebi remittitur; nec desunt Monachi qui tres Quadragesimas celebrent in anno. Ex quibus omnibus patet longè plures dies jejuniis assignatos in Papatu quàm olim in lege Mosaicâ apud Judæos; Verùm tamen exolevit paulatim apud ipsosmet Adversarios jejuniorum ratio: Nam Jesuitæ per suæ professionis regulas facillè patiuntur quoad jejunia & austeritates se ab aliis ordinibus superari, & tot sunt hominû genera qui à jejunii lege eximuntur per Casuistas, prout videre est in *Aporisismis* Emanuelis Sà ad verbû *Jejunium*, ut vix aliter subsistant hæ sanctiones de delectu ciborû quàm avitâ illâ populorû & inveteratâ superstitione quæ non facillè exiuitur: Et quò magis constet falsò hæc jejunia dici, ad quæ nulla pietatis exercitia publica & solemnia, nullæ vacationes à cæteris negotijs secularibus accedunt, falsò quoque illum delectum ciborum ad jejunium ordinari, id mihi observatu dignum videtur quod illi ipsi qui per Casuistas à jejunandi debito eximuntur, tamen legē

hanc de ciborum delectu servare plerumque teneantur, nisi eorum infirmitas & adversa valcrudo, cui tamen per dispensationem prospicitur, contrarium exigat. Qui de jejuniorum & nominatim Quadragesimæ origine & observatione plura videre volet, adeat Molinzum *de Novis. Papiſmi ſepts. libro, Contr. 5.* Nobis enim ſufficit hâc Tirinum refutare. Vt verò certis diebus & tanto numero per annum, jejunia, etſi forent vera celebrentur, non modo durum eſt & *δυσβαſακτὸν*, ſed & alienum à recta ratione; cùm illis iſtis diebus ejuſmodi poſſint occurrere occaſiones quæ Eccleſias potiùs ad lætitiã in Domino & laudes ipſi decantandas provocent, quàm ad jejunia & deprecationes.

Sed niſi dies deſignentur) Attamen ſi quid ſpontaneum debeat eſſe, illud eſt; Cogere verò homines invitos ad jejunandum, qui aliàs facturi non eſſent, nescio an ſatis expediat Eccleſiæ conductoribus, quorum eſt perſuadere non imperare, cogere multò minus. Agnoſco neceſſarium eſſe ut quandoquæ etiam publicè jejunetur: Sed ut particularia jejunia quilibet ſibi debet & poteſt indicere, ſic publica ſunt demum promulganda publicâ authoritate, cùm ita videtur exigere Reip. vel Eccleſiæ ratio.

Neque tamen vel iſdem diebus) Pàrum id intereſt, ſi interea gravius jugum conſcientiis imponatis, quàm fuit olim legis Judaicæ: Quamquam & non video cur non eadem cauſæ, ſaltem genericæ, nobis eſſe debeant jejunandi quæ fuerunt olim Judæis: Imò cùm feſtivities pleræque in Papatu ſint Idololatricæ, quia in Creaturarum religioſum cultum & ad exercitium ſolemnius idololatriæ ordinatæ, dum hominum mentes per vigiliarum jejunia præparari volunt ad feſtivityatum illarum celebrationem, jejunia ſua eodem idololatriæ crimine implicant: Præterea non videmus quæ decentiùs celebrentur feſtivities per præcedens jejunium, cum feſtivities ad lætitiã ſpectent, jejunia ad triftitiã & læctum. Dum verò Jeſuita ſibi perſuadet per illa jejunia animũ à peccatis purgari, & corpus domari, fruſtra eſt; Cùm talis *σωματικὴ γυμναſία* ad pauca proſit, & corpus edomandũ non ſit hoc ſenſibile & carneum, imacerationibus excruciantum, ſed corpus peccati, cujuſ membra etiam mortificanda dicuntur Col: 111, 5. cui in pugilatu Spiritus contra carnem forſiter obſiſtendum, ut denotat vocabulum

πρωτία

Ἰσχυρισθέν à pugilibus desumptum, quo Paulus utitur loco hîc citato Jesuitæ I. Cor. Ix, 27. Sed de eo loco diximus *tom. 1. Cont. 1x, n. 10. p. 412. & 413.* quò lectorem amandamus.

Num. 12. **ELEEMOSYNAM** seu opera misericordiæ tam corporalia, quam spiritualia, ex præcepto obligare, quis dubitare possit, qui nõvit præceptum charitatis, Diliges proximum tuum sicut te ipsum ? Lev. XIX, 18. & Matth. XXII, 39. I. Cor. XIII, 4. Charitas benigna est, &c. I. Ioh. III, 17. Qui videris fratrem suum necessitatem habere, & clauseris viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo ? Et Tob. IV, 7. Ex substantiâ tuâ fac eleemosynam. Es. LVIII, 7. Frange esurienti panem tuum, &c. Luc. III, 11. Qui habet duas tunicas det non habenti : & qui habet escas, similiter faciat. Matth. XXV, 41. Ite maledicti, &c. esurivi enim & non dedistis mihi manducare, &c. Iac. II, 13. Inducium sine misericordiâ illi qui non fecit misericordiam.

CENSURA. *Eleemosynam (seu opera Misericordiæ)* Hæc ceu vera & pia approbamus: Nec putem repertum iri quenquam Christiani nominis qui de illis dubitare velit; ut parum appositè Indici Controversiarum inserta fuerint. Id tantùm monemus ad ista ex Dei præcepto nos semper affectivè teneri; effectivè verò, cùm suppetunt vel objecta erga quæ exerceantur convenienter, vel legitima media per quæ legitimè fiant. Prius est necessarium, quia charitas Christiana non est imprudens, nec cæcis oculis sua bona profundit: Dat liberaliter, sed prudenter, & videt cui dat: Imò charitatis est quandoque non dare validis mendicantibus (quales etiam sunt Monachi) ne eorum inertia aliena liberalitate foveatur; Et Paulus monet, sic omnibus benefaciendum, ut potior ratio habeatur domesticorum fidei Gal. VI, 10. & inter domesticos fidei, prima propinquorum cura esse debet; Qui enim suorum curam non habet, is infideli deterior est, & fidem abnegavit I Tim. V, 8. Sed hæc divitibus suis non inculcabunt Jesuitæ, testamentorum captatores, qui sæpè prætextu pietatis instillant parentibus ἀσπυϊαν in proprios liberos, iisque persuadent ut bonorum suorum opimiorum partem in se transcribant pro illis precaturos. Quæ res movit serenissimam Venetorum Remp. sub initium istius sæculi ut sibi illi intemperiei imponeret, & ejusmodi donationes testamentarias in propinquorum fraudem, Reip. detrimentum & solam

Ecclesiasticorum utilitatem fieri solitas, deinceps vel prohiberet, vel modificaret; qua de te videatur Thuanus Hist. sui temp. lib. 137. Posteriorius quoque est requisitum, ut nempe legitima tibi suppetant mediis quibus opera misericordiae exerceas: Nec enim decet, quenquam liberalem esse de corio alieno, nec probari potest S. Francisci ut vulgò habetur suis, præpostera charitas, quâ parentis scrinia compilabat, ut pauperibus de alieno largiretur, prout ejus Legenda refert. Mitto infinitos hic scrupulos à Casuistis Pontificiorum moveri solitos, Quando peccet moraliter qui non facit eleemosynam: Num qui non potest ex suo subvenire extremè patienti, possit ad id alienum rapere, citra restituendi obligationem: Num eleemosynam possit dare maritata marito prohibente; & num uxor impudica lucra si ampla sint possit in pios usus impendere; quorum prius in dubio relinquit Emanuel Sa, posteriora affirmat in Aphorismis suis ad vocem Eleemosyna.

Num. 13. Vim etiam habere tum SATISFACIENDI pro peccatis, tum PROMERENDI vitam æternam, tum quævis IMPETRANDI, si adsint conditiones requisitæ Controv. XVI, n. I. & Controv. XVII, num. 3. (eti hæc omnia negent hæretici,) pater Dan. IV. 24. Peccata tua Eleemosynis redime; & Matth. XXV, 34. Possidete regnum, &c. Esurivi enim et dedistis mihi manducare. LUC. XVI, 9. Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut recipiant vos in æterna tabernacula. Matth. X, 41. Qui recipit justum, mercedem justis accipiet. PROV. XV, 27. Per misericordiam et fidem purgantur peccata: LUC. XI, 41. Quod superest date eleemosynam et omnia munda sunt vobis: LUC. XIX, 8. Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus &c. Hodie hinc domui facta est salus. Act. X, 4. Eleemosyna tua ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, &c. Eccl. III, 33. Aqua extinguens ardentes ignem, et eleemosyna resistit peccatis: Tob. IV, 11. Eleemosyna ab omni peccato et à morte te liberat, et non patitur animam ire in tenebras. Sic de spiritali Eleemosynâ; Matth. VI, 14. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester delicta vestra: Matth. v, 19. Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno celorum; Deinde I. ad Tim. IV, 8. Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens que nunc est et futura vita

CENSURA. Vim etiam habere satisfaciendi) Imò ex iis quæ supra disputavimus liquet 1. Nullum opus nostrum qualecunque sit esse meritorium apud Deum. 2. In doctrina Pontificia vix idem opus posse dici meritorium & satisfactorium simul; cum nemo in eadem actione

actione & ejusdem personæ respectu possit creditoris & debitoris simul partes sustinere: Tum etiam mereri propriè est hominis in statu gratiæ; at satisfacere ut & conteri est hominis poenitentis & in statu peccati, cujus actus meritorios esse ipsi Pontificii negant. Loca Scripturæ quæ hic congestit Iesuita nihil probant. Dan. 1v, 24. aliàs 26. Junio 27. consulitur Nebucadnezari ut abrumpat peccata sua justitiâ & iniquitates suas gratiâ erga afflictos, idest, cum plus satis antea peccasset injustitiâ, inhumanitate & multorum deprædatione, nunc iter contrarium instituat, & abruptâ illâ iniquitatis telâ, justitiæ studeat & misericordiæ, quò sic securitati suæ consulat, & in somniis denunciata judicia Altissimi evitare conetur: Ut nihil aliud Daniel quàm Regem adhortetur ad conversionem seriam ad Dominum eamque justitiâ & misericordiâ contestandam, prout bene nostri Junius & Belgæ post ipsum interpretantur: Nam verbum *pro* quod est in textu originali minùs commodè redditur per *redime*, cum significet propriè *abrumpere*, *dissolvere*. Quod si tamen urgeas Lxx. Interpp. & V. V. reddidisse per *redime*, nec semel illos id verbi per *λυτρώω* explicasse, respondebo & hanc significationem posse retineri, ut consulatur Regi non tam redimere sua peccata, quod non nisi *cataphresticè* diceretur, quàm se ipsum redimere, liberare, vindicare, in libertatem asserere à suis peccatis; metaphorâ desumptâ à captivis qui catenâ abruptâ & disrupto ergastulo se liberant & asserunt in libertatem; Quicquid sit nihil aliud hic sermo Prophetæ continebit quàm seriam concionem respicientiæ, cujus studio Rex deberet se subducere servituti & vinculis peccatorum suorum, atque poenas sibi imminentes avertere: Sic dicebatur Simoni Mago Act: viii, 22. Respice ab ista malitia tua & deprecare Deum, si forte remitteretur tibi machinatio cordis tui; video enim te in felle amarissimo & connexu vel vinculis iniquitatis; & omnibus Israëlitis qui ad Apostolos convenerant Act. 11, 40. Servantini ex gente istâ pravâ. Iam verò concio poenitentiae & adhortatio ad fructus eâ dignos, hoc est ad eam contestandam eleemosynis & operibus justitiæ, nec ipsius poenitentiae nec ejus operibus & fructibus tribuit vim meritoriam aut satisfactoriam; Et certè à reatu peccatorum nostrorum & poena jure ipsis debita nos ipsos redimere

non possumus ullis largitionibus in pauperes, licet ridiculè scripserit Iesuita Marcus de Bonnyers in libello quem inscripsit *Moyens faciles d' ayder les ames cap. 2. pag. 26. Il est tres uray que l' argent fait tout, encore aupres de Dieu*; pecuniam omnia facere etiam apud Deum; contrarium testante Davide Psal: XLIX, 7. 8. Sed Redemptio nostra est opus in solidum misericordiæ Divinæ & Satisfactionis præstitæ per Iesum Christum, quod & agnoscit David ibid. com. 16. Imò quod ad eum locum Danielis annotatur à Cornelio à Lapide evertit doctrinam Pontificiam: vult eleemosynâ redimi peccata trifariam; I. *Quia peccatorem disponit ad gratiam & ad peccati remissionem*: At disponere peccatorem ad gratiam, nec satisfacere est, nec mereri; cùm mereri is demum possit qui est in gratiâ. 2. *Quia remissa culpa meretur ex condigno remissionem pœnæ reliqua*: Sed non potest idem actus esse dispositivus tantùm ad gratiam remissionis culpæ, & supponere culpæ remissionem, ut de condigno mereatur remissionem pœnæ: Deindè cùm remissio peccati nihil aliud sit quàm pœnæ aliàs jure exigendæ relaxatio, non potest à remissione culpæ remissio pœnæ illius divelli; quò pertinet versiculus qui in veteribus Canonibus & Glossis recitatur;

Larga Dei pietas veniam non dimidiabit

Aut nihil aut totum te lachrymanse dabit.

Præterea cùm mereri remissionem pœnæ residuæ sit hominis in statu gratiæ, oportuerit Nebucadnezarem in statu gratiæ & justificatum fuisse, si eleemosynis aliquid meritus sit, quod valdè est incertum. 3. *Quia licet non semper mereatur culpa & pœna aterna, tamen temporalis pœna remissionem fere mereatur*. At si meretur remissionem pœnæ temporalis, ergò pro ea non satisfacit; nec de remissione pœnæ temporalis est intelligendus Daniel, sed simpliciter de remissione culpæ; cùm peccata sua, non pœnas suas redimere debuerit. Tirinus ad eum locum his se tricus implicare non est ausus, contentus dicere quod *eleemosyna causa est, seu preparatio & effectus & signum iustitiæ & sanctitatis internæ*; in quibus verbis præter contradictionem evidentem, quâ eleemosyna ejusdem iustitiæ causa & effectus statuitur, & quod non semper eleemosyna externa effectus sit & signum internæ iustitiæ, cùm magni eleemosynarii sint interdum maximi hypocritæ Matth: v1, 2. I. Cor:

XIII, 3. nihil video quod meritoriam & satisfactoriam vim Eleemosynæ astruat : cùm neutra illi conveniat , vel quâ disponit ad justitiam quæ est ex mera gratia non ex merito aut satisfactione nostrâ , vel quâ signum est & fructus justitiæ, cùm talia signa & fructus ostendant quales simus & quid sit nobis à Deo expectandum , nihil verò novi ab ipso promereantur: Videantur quæ dixi *ad n. 8. sub finem, Com. xv.* De loco *Matt: xxv, 34.* dixit supra *Com. xiii. n. 8. p. 75. 76. 77.* Bona opera tunc proferentur nō ut merita mercedis debite, sed ut indicia & testimonia gratiæ indebite & adoptionis in filios, cujus demū respectu pii evocabuntur ad hereditatem illā cœlestem, ex electione & benedictione patris. *Qualis autem sit merces nobis in cœlo promissa, ad Com. super.* fuit explicatū. *Luc: xvi, 9.* nec meritū nec satisfactio eleemosynæ exprimitur, sed tantum ostenditur di vitiarum legitimus usus, & verus fructus suo tempore referendus. Amici illi nobis conciliandi per eleemosynam sunt pauperes, maxime domestici fidei, qui eâ ratione & benedicunt & bene precantur suis benefactoribus *Deut: xxiv, 13.* Illi verò dicuntur nos recepturi in tabernacula æterna , non *suorum bonorum operum communicatione*, ut vult *Tirinus*; cùm quisque debeat in suo corpore referre juxta id non quod alii fecerint , sed quod ipse fecerit ; sed tanquam testes liberalitatis & beneficentiæ nostræ : Nec alia mens Christi hoc loco, *Gregorio* iudice, quàm divites non tam dare quàm accipere beneficium à pauperibus , eò quod Deo foenerat qui dat pauperi : Sed posito eleemosynis ex fide & charitate factis, promitti ipsiusmet Deī favorem & amorem, ex quo nos sit postea ad se in cœlum recepturus, non video quid inde pro meritis eleemosynarum habeatur ; cùm certum sit Deum sic delectari bonis nostris operibus ex gratia & misericordia , ut tamen in illis nullam videat perfectionem , nullum meritum deprehendat , neque in illis nostra merita sed sua dona velit coronare. Addo *Stellæ* verba *ad eum locum Luca;* *In litera rigore si hæc verba perpendantur, nihil aliud Christum nobis hic innuere voluit, nisi ut bona nostra pauperibus impertiamur, ut cùm à via excesserimus in aternis habitaculis recipiamur.* Ut verò recipiamur non sunt causa meritoria apud Deum , sed via quâ itur ad cœlum. *Matt: x, 4.* promittitur merces justī & *Prophetæ* , *Prophetam aut justum recipienti in nomine Christi, non ex merito aut*

condi-

condignitate operis, sed ex dignitate Dei acceptantis levidense hoc nostrum fidei & amoris in ipsum testimonium & studium; ut patet ex versu sequenti, ubi etiam poculo aquæ frigidæ in nomine Christi dato sua merces promittitur; nec mercedem nobis repromissam meritum inferre cum sit ex gratia, suo loco visum est. Prov: xv, 27. verba hic Tirino citata non extant in textu Hebraico, ut etiam ab Emanuele Sa annotatum est; sed parum interest, cum extent cap. xvi, 6. Verum ea nihil ad eleemosynam aut earum merita: Salazar *ad Prov: xv, 27.* non putat aliter peccata purgari eleemosynâ quàm *quatenus impetrat auxilia gratia, quibus ad penitentiam induciti peccata expurgamus & ad Deum ex animo convertimur*: (hæc autem auxilia hominem non mereri de condigno certum est Pontificiis; merita vero de congruo multi ex illis reiiciunt, & omnes nonnisi improprie merita dici agnoscunt;) *aliam enim vim ad justificandum eleemosyna dare nefas est.* Cur ergo colligit Tirinus meritum eleemosynæ proprie dictum, (nam de eo hic disputatur) ex iis locis in quibus nullum proprium ejus meritum debet agnosci? Sed his missis Benignitas & Veritas quâ purgantur nostra peccata apud Deum non nostra est sed Dei, uti patet ex Rom: iii, 24. Nisi malis hanc sententiam de offensis delendis apud homines & amicos, qui injuriarum quas se accepisse putant sensum omnem coguntur deponere, cum nostram erga se & benignitatem & fidem experiuntur; Sed prius certius est; ostendit enim Salomon & quomodo admissa peccata expurgentur, nempe Dei benignitate, fide & constantiâ in promissis, & quomodo vitentur admittenda, scilicet timore Domini. Luc: xii, 41. omnia dicuntur futura munda eleemosynam daturis, occasione scrupulosæ illius mundicie, quam Pharisæi in suis servabant patinis, non quod eleemosynæ mundent nos à nostris peccatis, id solum Christi sanguini competit I. Ioh: i. 7. sed quod illi qui eleemosynas distribuunt & benignitati vacant ac misericordiæ, eâ fide coram Deo quâ par est, eo ipso habeant testimonium conscientiæ per fidem defæcatæ, juxta quam mundis omnia munda esse testatur Paulus Tit: i, 15. Ita scilicet cibi mundantur eorumque usus nobis sanctificatur, non sollicitâ illâ mundicie externâ quam Pharisæi sectabantur, sed studio pietatis & charitatis. Absurdè verò
Tirinus

Tirinus ad Luc: xi, 41. tribuit eleemosynæ factæ ex contritione vel amore Dei super omnia, quod remittat peccata etiam mortalia: Nam remissio peccatorum Dei gratiæ debetur non nostris meritis, & qui facit aliquid ex amore Dei super omnia & syncerè, ille est in statu gratiæ nec ullum habet mortale peccatum, ex Pontificiorum hypothese, quod remittendum sit. Luc: xix, 8. Zachæus in seriæ & synceræ fidei & resipiscentiæ suæ testimonium & ad gratitudinem suam Christo suo Servatori contestandam, qui ipsum suâ gratiâ & præsentîâ salutarî dignabatur, recipit se & quadruplum illis restitutum quos circumvenisse deprehenderetur (ad quod Tirinus *ibi* perperam negat Zachæum fuisse obligatum; cum aliàs agnoscat, id fieri debuisse *conformiter Legi Exod: xxii, 1.*) & daturum dimidium bonorum suorum pauperibus. Verùm hæc Zachæi protestatio, hoc ipsius consilium, nihil facit ad Iesuitę intentum; cum ex officio seriæ resipiscentiæ ad restitutionem teneretur, & gratitudinem suam ac fidem deberet testatam facere operibus charitatis. Quapropter non voti & promissi Zachæi merito tribuitur salus, sed salutis gratuitæ quàm perceperat efficacia & magnitudo ex tali consilio & voto tamque subitâ in isto homine mutatione, agnoscenda præcipitur: Hinc istius salutis causam assignat Christus, non meritum horum operum deinceps præstandorum, & quæ adhuc erant tantum in voto & in fieri (nam Tirino agnoscente illud *Do est statuo dare, & Reddo reddere ex nunc constituo*) sed suummet gratuitum & indebitum beneficium; Hodie salus huic domui contigit, eò quod ipse quoque est filius Abrahami, (idest inquit *Sà ex numero electorum*) Venit enim Filius hominis ut quærat & servet quod perierat: nec etiam juxta Tirinum fiebat hoc *(suo tam generoso facto* filius Abrahæ, sed tantum se talem *declarabat*. Act: x, 4. non solè eleemosynę sed etiam preces Cornelii dicuntur ascendisse in memoriam in conspectu Dei; Sed in eo nihil est meriti; Nam ut admissio, sic recordatio precum & eleemosynarum nostrarum coram Deo, ejus debetur misericordię & gratię: Et miror quî Tirinus id trahat ad meritum propriè dictum, cum *Contr. xiv, num, 11.* Cornelium tunc adhuc infidelem fuisse nec justificatum asserat, adeoque ineptum qui mereretur ex condigno: Ascendebat & sanguis Abelis ad Deum, quamvis in illo sanguine nul-

lum fuerit meritum vel propriè vel impropriè dictum, & eorum verborum sensus est, inquit Petrus Lyntrensis in Acta, *Tua assidua orationes & tua in egenos elemosyna sunt Deo grata; Deus statuit tibi dare quod per eas ab ipso petieris*: Negat quidem Lyntrensis inde colligi quod Cornelium iam tum esset justificatus, sed id tam perperam (cùm sine fide impossibile sit placere Deo, nec possint esse ipsi gratæ vel preces vel elemosynæ hominum, nisi fiant ex fide; ubi autem est fides ibi est justificatio & vita; nam justus ex fide vivit:) quàm nervosè contra harum elemosynarum & precum merita, si meritorum condiciones suprâ à Tirino decantatæ seriò attendantur. Cùm Syracides & Tobias Scriptores sint Apocryphi non est quòd eorum testimoniis additis à Tirino diu immeremur; Videantur quæ dixi ad *Contr. xiv. n. 10. xv. n. 8. xvi. n. 5. & 11.* Eccli: II 1, 33, non nisi valdè abusivè elemosynæ tribuitur extinctio vel expiatio peccati, quæ est misericordiæ Dei & sanguinis Christi per fidem apprehensi, cujus fidei comes est resipiscentia & elemosyna fructus. Tirinus vero ad *Tob. 1v, 7. & 17.* statuit præstare elemosynam quæ ei isthïc tribuuntur, Primò *dispositivè, quia impetrat majorem gratiam idque per se & propriè & de congruo si etiam fiat ex fide & ob motivum supernaturale, & aut saltem ex gratia præveniente; alioqui si solum ex natura viribus* (quasi verd ex naturâ corrupta quicquam boni procedere possit) *solum remotè & per accidens & ex mera liberalitate Dei*; atque ipso iudice ita suadebat Daniel Nebucadnezari, *Peccata elemosynis tuis redimo*. Secundò, inquit, *intelligi potest eadem omnia præstare etiam formaliter, nempe si cetera omnia ad sint qua Scriptura ad talem effectum alibi requirit, nempe fides, spes, penitentia, charitas*. Unde colligo primò Danielem non suavisse Nebucadnezari ut elemosynis suis propriè mereretur remissionem peccatorum suorum. 2. Non statim esse meritorias elemosynas, eò quod impetratoriæ sint suo sensu beneficiorum divinorum, idque liberalitate divina. 3. Frustra hic trahi ad meritum propriè dictum & de condigno quod apud Tobiam non nisi de merito impropriè & congrui ad summum dictum erat. 4. Si quæ merces & retributio elemosynis promittatur in Scripturis id fieri per metonymiam adjuncti, quod hæc fidei & resipiscentiæ ac charitati fidem comitantibus & quas per elemosynas demonstrare debemus, promissa sit. Huc spectat totum *caput xxvii. lib. 21. de Civit. Dei* apud

apud Augustinū ejus lemma, *Contra eorum persuasionem qui putant sibi non obscura peccata in quibus cum eleemosynas facerent persisterunt.* Matt. vi, 14. conditio fœderalis proponitur sub qua promittatur gratuita remissio peccatorum, non illius conditionis meritum exprimitur: Inde constat quibus Deus sit remissurus peccata, non propter quid. Matt. v, 19. approbatur qui sic fecit & docuerit uti pat est, & suus ei promittitur locus in cœlo. At cùm doctrina Evangelica sit fidei & resipiscentiæ, fidem & resipiscentiam rectè docenti & exercenti promittitur cœlum, non operum suorum meritis. 1 Tim: iv, 8. prædicatur utilitas veræ pietatis & quantas habeat promissiones exprimitur; Sed præterea quæ de pietate in idea & in abstracto uti deberet esse dicuntur, non statim sunt tribuenda pietati concretè & in subjecto & qualis imperfecta & manca ac debilis in nobis reperitur, promissiones factæ fidelibus seridè & sedulò pro virili sua pietatem excolentibus nihil faciunt ad meritum; cùm illæ sint indebitæ & gratiæ; & pietatis salutaris arx & caput sit fides quæ in unius Christi meritò & satisfactione acquiescit. Denique qui ex rei utilitate promiscua aut promissionibus ei factis ejus meritum volet colligere, is rationi & veritati renuntiare debebit. Nec video quid ad opera misericordiæ, de quibus volebat disputare Tirinus, pertineat *ivrißia* vel *svotßia* sive, ibi Tirino interprete, *cultus Dei* (scilicet qualis debet fieri in spiritu & veritate) quam etiam Apostolus opponit jejunii externis & macerationibus corporis, quas ante pari jure, id est nullo jure, meritorias Jesuita statuebat.

CONTROVERSIÆ XVIII.

De

SACRAMENTIS

& Aliis Cæremoniis Ecclesiæ.

Respondente

JOHANNES HOLTHUIS
Groningano.Num.
I.

Luth. de
capt. Ba-
bylon.
Kemsit.
2. p. ex-
amin.
Trid. de
num. Sa-
eram. Pe-
trus Mar-
tyr in
Rom. IV.
Calv. l. 4.
Inst. c. 14.
Brensius
in Conf.
Witt. S. Tho. 1. 2. q. 102. art. 1.

SACRAMENTUM est visibile signum ex ipsiusmet Dei institutione, non tantum distinctivum populi Christiani, vel significativum justitiæ, vel obsignativum promissionum divinarum, ut hæretici contendunt; sed etiam CAUSATIVUM seu effectivum IUSTITIÆ ac sanctitatis, legalis, corporalis & externæ in veteri testamento; internæ, spiritualis & realis in novo. Passim enim Scripturæ docent, SACRAMENTA esse res quasdam operantes Iustificationem, nempe Sacramenti novæ legis Ioh. III, 5. *renati* dicimur, & I. Cor. VI, 11. *abluci et sanctificati estis*; & simili modo Eph. v, 26. Tit. III, 5, & Act. XXII, 16. dicuntur nos *lavare, mundare, sanctificare, justificare, regenerare*. Sacramenta veteris legis, ut circumcisio Gen. XVI, 10. ritus agni paschalis Exod. XII, 3. sacrificia pro peccato Lev. IV. (nam & hæc quoque erant Sacramenta inquit S. Thomas) & ritus ordinationis Lev. VII, 1. saltem legaliter mundabant & sanctificabant; non verò absolutè vel coram Deo: nam (ut dicam n. 7.) omnia antiquæ legis Sacramenta erant *egena elementa* Gal. IV, 9. nequè ipsa causabant veram justitiam, sed actus fidei in Christum & contritionis qui illis adungebantur, ut dixi Gen. IV, 1. & cap. XVII, 14. justitiam tum temporis causabant.

CENSURA. *Sacramentum est*) Cum Sacramenti vox sit latina, ineptè faciunt qui ex Pontificiis insufficientiam Scripturarum probaturi

turi hoc ficulneo inter alia nituntur argumento, quod ne quidem nomen aut numerum Sacramentorum habeant: nam cum Hebraicè & Græcè libri Canonici scripti sint, mirum non est si Latina vox Sacramenti in illis non extet: Satis est rerum illarum quæ, ex recepto nunc inter Christianos usu, Sacramenta dici solent, naturam & institutionem ibi tam luculenter tradi, ut & quot sint Ecclesiæ Sacramenta, & quomodo & ad quid à Domino instituta, ex illis plenissimè habeatur. Olim Latinis, ut est apud Varronem *de ling. lat. lib. 4.* dicebatur, *ea pecunia qua in iudicium venit in litibus, Sacramentum à Sacro: Qui petebat & qui inficiabatur, de alijs rebus uterque quingentos aris ad pontem deponebant; de alijs rebus item certo alio legitimo numero assum; Qui iudicio vicerat suum Sacramentum à sacro auferebat, victi ad ararium redibat.* Iisdem Sacramentum dictum est iusjurandum quodlibet, maximè militare, tantæ religionis apud Romanos, ut in hostem progredi & eum occidere ante Sacramentum dictum aut post illud remissum, nemini liceret. Dicuntur Jesuitæ & Papæ Ministri ante aliquot annos tentasse in Italia causas juramentorum, quia aliquid in illis religiosi & sacri intercedat, facere fori Ecclesiastici, eadem arte quâ causas Matrimoniales tanquam Sacramentales jam ante Episcopi ad suas audientias & officialitates pertraxerunt. Desflorescente paulatim puritate linguæ latinæ, Scriptores Ecclesiastici hoc nomen Sacramenti, non tam habito respectu ad id quod inter Romanos significaverat, (quamvis aliqua analogia inter illa significata & Sacramentorum nostrorum usum possit observari; nam in eorum usurpatione Christo Imperatori Sacramentum dicimus, prout dictum à Tertulliano *lib. de Cor. militis*, alludente ad Baptisimum, *Vocati ad militiam in Sacramenti verba respondimus; suntque nobis, instar pecuniæ illius sacræ quam victor in iudicio reportabat, absolutionis & justificationis nostræ tesserae sigilla & symbola:*) quam quia aliquid sacri præ se fert, indiscriminatim adhibuerunt rebus sacris & mysticis significandis; adeo ut V. V. author non semel *Sacramentum* ponat in N. T. ubi Græcus textus habebat *μυστήριον*; Eph. 1, 9. III, 3. v. 32. Col: 1, 27. I Tim: III, 16. Apoc: 1, 20. XVII, 7. Imo eodem nomine expressit Dan: 11, 18. 30. 47. & 14, 6. vocabulum *מֵן* & *מַן*, quod *arcanium* sive *secretum* significat: Quam-

Vis autem veteres utantur promiscuè hoc nomine Sacramenti, tamen usus obtinuit, ut spectatim eo intelligantur signa & sigilla fœderalia divinitùs instituta, quæ Græcis *τολῆα*, *σημεία*, *μυστήρια*, *σφραγίδες*, *συμβόλα*, *ἀντίτυπα* dicuntur: quo respectu Isidorus lib. 6. orig. cap. 19. sic loquitur; *Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum, virtus divina secretius salutem operatur, unde & à secretis virtutibus vel sacris Sacramenta dicuntur; & antè ipsum Augustinus Epist. 3. ad Marcell. signa cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur.* Nomen Sacramenti rejicere quod sic *ἀγρασον*, uti fit ab Anabaptistis & Socinianis, cum ne quidem sacra illa signa quæ Sacramenta nobis dicuntur, ut Baptismus & Cœnà *μυστήρια* appellentur in Scripturis, est nimis delicatæ superstitionis: Valent enim nomina ut nummi ex consuetudine & usu receptò, veteque *λογομάχοι* sunt qui de voculis digladiantur, ubi de re convenit. Quam nostri non abhorreant à voce Sacramenti fuscè est ostensum à Chamiero, *Pansfr. tom. 4. cap. 1.* Id tamen hic monendum seriùs restrictum fuisse id nomen ad eum usum quem nunc obtinet: Id vel ex ipsis Pontificiorum Ritualibus satis colligitur, in quibus nomē Sacramenti etiam transfertur ad alia quæ propriè nunc talia non sunt. Nam v.g. in Pontificali p. 2. folio 108. Episcopus qui aquâ benedictam facit ad consecrationem novæ Ecclesiæ, accepto sale exorcifato, illud mittit in aquam in modum crucis dicens, *Hæc commixtio salis & aqua efficiatur salutare Sacramentum in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*; quo factò super sal & aquam dicit, *Domine vobis cum.* Et veteres etiam Latini frequentius hic sunt usi Mysteriorum quam Sacramentorum appellatione: quo pertinet nominatim Ambrosii opusculum, *de iis qui initiantur mysteriis*, prout Cyrillus Ierosolymitanus suas habuit Catecheses *Mystagogicas*. Extant quidem *tom. 4.* operum Ambrosii sex libri *de Sacramentis*, sed eos esse spurios nec Ambrosianos, ostensum à Riveto *Crit. sacri lib. 3. cap. 18.* quod & fusiùs factum à Coco *in Censura patrum pag. 139. & seqq.* qui num jure debeat alium tractatum, nempe *de iis qui inis. myst.* eodem verò jugulante conficere, viderint eruditi: potuit esse *ἀμαρτήματα μνημοικόν* etiam in vero Ambrosio quod legitur *cap. 5. ad preces Hieroboal ignem cœlirùs descendisse; nomine Hieroboalis, pro nomine Eliæ usurpato; nisi ab*

nisi ab Ambrosio Eliam hoc nomine designatum dicamus quod revera Elias fuerit certius Hieroboal vel Jerubaal, quam Gedeon Iud: vi, 32. Hic enim solum altare Baalis evertit, ille verò ipsos Baalis sacerdotes super ipsius ara immolavit. Cur autem quæ nobis Sacramenta dicuntur, Mysteria tam constanter appellarint Veteres (voce non derivata παρα τὸ μυστήριον τὸ ἕρμια ut Græculi putant, sed ab Hæbreo קרוב *abscondit*, *occultavit*, unde & nomen hæmanticum קרוב *absconditio*, quod est Græcum μυστήριον; nec dubium quin inde Saturnum suum fecerint quoque Latini:) constat ex Casaubono *Exercit. 16. ad ann. Babilonii n. 43.* nempe id factum ideo quod cum sua Ethnici haberent μυστήρια, suas μύησεις, τελετάς, ἑποψίας, quas plurimi faciebant, Christiani nomina Ethnicorum sacrorum sanctis suis ritibus censuerunt accommodanda, quo facilius ad veritatis amorem corruptas superstitione mentes traducerent; prout jam antè Apostolus Euangelii doctrinam non semel eadem de causa μυστήριον nomine insigniverat. Quid autem sit discriminis juxta Pontificios inter Sacramenta & Sacramentalia suo loco infra videbimus.

Visibile signum) Hactenus nulla ferè prodierat definitio Sacramenti, quæ genus illius *Signum* vel eminenter vel formaliter non assignaret, prælucente ipso Paulo Rom: iv, 11. ubi de circumcissione loquitur. Sed nonnulli ex iis Theologis, qui se Lutheranos vocant, censuerunt nostris in eo Controversiam esse movendam quod Sacramentorum genus *signum* constituendo, ea potiùs relationibus quam actionibus, quod illi faciendum volunt, annumerent: quasi verò illæ ipsæ actiones Sacramentales non sint relativæ, ad ἀνάμνησιν mortis & beneficiorum Christi comparatæ, teste Paulo i Cor: xi, 26. quod & ab Altin-
gio observatum *ad Conf. Aug. art. 13. pag. 86.* Si quæcunque agitantur tum à Pontificiis, tum à Lutheranis de Sacramentis, deberem hic fusè expendere, in immensum labor meus excresceret, & sæpè in meris titivillitiis deberem occupari: De hac quæstione videatur Systema nostrum, *loco alt. th. 8. & 9.* Satis esto annotasse tale signum visibile requiri ad Sacramentum, quod sit distinctum ab actionibus Sacramentalibus tum illius qui administrat, tum illius qui recipit Sacramentum; quale signum est aqua in Baptismo, panis & vinum in Eucharistia: unde

ftia : unde Augustino, tale signum materiale Sacramenti, dicitur Elementum, *tract. 80. in Ioh. Adde verbum Elemento & fiet Sacramentum*; & Hugo de Sancto Victore *lib. 1. p. 9. cap. 2.* Sacramentum dicit esse *corporale vel materiale elementum foris sensibiliter propositum ex similitudine representans, ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam invisibilem & spiritualem gratiam*: Et cum sententia constans Pontificiorum sit Sacramenta constare rebus & verbis ut materiã & formã, res illæ non possunt esse nisi distinctæ ab actionibus Ministri, quandoquidem ad actiones ejus ipsa verborum à rebus distinctorum prolatio pertinet: Quod hic in limine observatum magni erit usus in hac disceptatione de Sacramentis; Talia enim quædam nobis procuduntur à Pontificiis in quibus nullum signum corporale vel materiale reperire est; cujusmodi sunt conjugium & pœnitentia: Adhæc volunt Eucharistiam ejusmodi esse Sacramentum in quo per consecrationem, id est cum fit Sacramentum, res & elementum Sacramenti pereat & desinat esse, nempe substantia panis & vini; hoc est revera aboleatur materiã Sacramenti per illius formam.

Ex ipsiusmet Dei institutione) Etenim ut solius est Magistratus supremi sigilla publica instituere, ita solius est Numinis Sacramenta, ceu gratiæ suæ solemnia signacula, condere & commendare Ecclesiæ. Adhæc cum res significata solius Dei gratia & beneficio nobis conferri possit, ipsius quoque solius est ea signa sacra instituere, per quæ & in quibus ex pacto operetur: Sunt enim Sacramenta in eo genere signorum reponenda, quæ significant non *κατὰ φύσιν* sed *κατὰ συνθηκὴν*; Quamvis enim in signorum istorum delectu etiam attenderit Deus aliquam analogiam naturalem inter signa & res signandas, tamen ut fierent formaliter signa talium rerum, institutio divina requirebatur. Hinc non omnis aqua, nec omnis panis est Sacramentalis, sed tantum potest Sacramentalis fieri, si juxta Dei institutionem adhibeatur & usurpetur ad usum sacrum: Quare non incommode Hugo V.S. Elementum externum quod in Sacramentis adhibetur volebat esse *ex similitudine representans & significans ex institutione*. Nec solum Sacramenta debent esse divinitus instituta, sed insuper potestas instituendi Sacramenta ita

Deo

Deo propria est , ut ne quidem sit communicabilis alicui creaturæ ;
 Quamvis enim contrarium statuunt Suarez & Thomistæ apud Coninck
quæst. 64. de Sacram. dub. 2. ad quos & ipse videtur quadantenus accede-
 re, tamen Scoti, Bielus Vasquesii *ibid.* statuentium quod dicimus longè
 certior est sententia; Ex qua etiam sequitur I. Christum Sacramenta N.
 F. instituisse propriâ non delegatâ autoritate, ut falsò asserit Becanus
6.5. de Sacram. q. 1. §. 2. quandoquidem illa autoritas & potestas dele-
 gari non potest : II. Non esse nobis Sacramenta quæ Christus in N.
 F. non instituit ; cujusmodi sunt & Matrimonium jam diu institutum
 ante Christum incarnatum , & Pœnitentia quæ non minus sub V. T.
 inculcabatur & exercebatur ad salutem , quam sub Novo. III. Sa-
 cramentorum censu dispungenda esse Extremam Unctionem, quam
 non à Christo sed à Iacobo institutam fuisse statuit Lombardus *in sent.*
4. dist. 23. litt. B. Item Confirmationem quam in Concilio Meldensi insti-
 tutam dixit Alexander Alensis *4. p. q. 24. m. 1.* Confessionem quoque
 quam Ecclesiasticæ institutionis esse docet Glossa *de pœnit. dist. 5. in*
princ. Hos quidem errasse in eo dicit Becanus *V. S. §. 5.* quod puta-
 verint quædam Sacramenta immediatè esse instituta ab Apostolis vel
 ab Ecclesiâ; sed ego potius errare dicam Becanum cum suis, cum hæc à
 Christo nunquam instituta annumerant tamen Christi Sacramentis.
 IV. Penes nullos hominos esse dispensare aut immutare aliquid in Sa-
 cramentis divinitus institutis , quod ad eorum essentiam pertineat ,
 adeoque gravissimè errasse hæctenus Ecclesiam Pontificiam , Eucha-
 ristia mutilatione & ablatione *et ceteris* , licet Concilium Tridentinum
 hanc sibi potestatem facere videatur *sess. 21. c. 2.* ex dicto Pauli I. Cor:
 xv, 1. quod eam disertè evertit ; cum ad fidelem Mysteriorum Dei
 dispensationem requiratur inprimis , ut œconomus tradat domesticis
 quod & ipse acceperit à Domino, ut idem Apostolus de Eucharistia se
 fecisse profitetur I. Cor: xi, 23.

Non tantum distinctivum) Quamvis enim & eò inserviant Sacramenta,
 perperam tamen ab Anabaptistis, Swenckfeldianis & Socinianis eò re-
 stringuntur , ut videre est apud Volkelium *lib. 4. de vera rel. cap. 22.*
 ubi ne quidem admittit nomen Sacramenti de sacra Cœna usurpari ;
 quippe qua , si ipsi fides , nec ullam Dei gratiam donet nec obsequet , sed

M m m

jam de-

jam donata obſignationem adumbret, & ideo ſit inſtituta ut ipſa Dei benignitas ſolemni commemoratione ac gratiarum actione celebretur. Abſit à nobis ut in Sacramentis nihil præter nudas picturas, aut profeſſionis Chriſtianæ teſſeras externas ſuſpicemur, vel totam eorum ſignificationem merè theoreticam & commemorativam conſtituamus: Equidem omnis ſigni formalis ratio eſt ſignificativa, & ridiculè ſtatuit Tirinus Sacramentum tale ſignū eſſe quod non ſit tantum ſignificativum, cum totam ſigni naturam ſignificatio exhauriat: Sed ſignificatio in genere, eſt duplex theoretica & practica: utraque autem concurret in Sacramentis; Signa ſunt theoreticè ſignificantia, 1. profeſſionem noſtram; 2. efficaciam gratiæ Chriſti in nobis; 3. ipſiusmet paſſionem pro nobis, ad cujus ἀνάμνησιν ſunt etiam inſtituta: Verum in hac ſignificatione theoretica non ſubſiſtunt, nam habent etiam ſignificationem practicam, id eſt tum obſignativam, tum exhibitivam, ſuo modo & ſenſu, rei ſignificatæ; prout clavis traditio habet ſignificationem practicam immiſſionis in poſſeſſionem eamque obſignat & exhibit; & quemadmodum olim baculus & annulus ſigna erant investituræ Episcopalis, non mere theoretica, ſed practica, quandoquidem illius obſignativa & exhibitiva: quo ſimili utitur Bernardus ſerm. de cæna Domini; Sicut investituræ Canonici per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, ſic diſiſiones gratiarum diverſis ſunt traditæ Sacramentis. Interim Tirinus agit meliori fide quam Bellarminus lib. 1. de Sacram. c. 16. & 17. ubi omni ope conatur oſtendere Sacramenta non habere vim obſignativā nec eſſe ſigilla promiſſionum divinarum; cujus quoque inſiſtit veſtigiis Becanus c. 1. de Sacram. q. 4. & 5. Noſter vero Tirinus ſic negat Sacramentum eſſe ſignum tantum obſignativum, ut aliàs in Sacramento illam vim obſignativam admittat: Et ſanè diſertior eſt in hanc ſententiam Paulus Apoſtolus Rom: iv, 11. ubi circumciſionem vocat ſignum & ſigillum juſtitæ fidei, quam ut debeat in dubium revocari: obſignabat enim Circumciſio & Dei cœdus gratuitum & juſtificationem ex illo: nec eſt quod dicat Bellarminus fuiſſe ſigillum unī Abrahamo, cum Tirinus ipſe ad Rom: iv, 11. agnoſcat eundem habuiſſe uſū in omnibus Judæis, qui, inquit, abſque hoc ſignaculo fidem ſaltem parentum concomitante, juſtificari non poterant. Nemoque poteſt dubitare quin fuerit σφραγίς illius ἰσαγγελάς

ἡ δὲ de qua Rom: 1v, 13. Quod autem uni Sacramento est essenziale, aliis convenire necesse est: Nam licet non sint essentialia toti generi que sunt unius speciei, tamen quod est essenziale vni individuo (cujusmodi est Circumcisio sub ratione specifica Sacramentorū) toti speciei debet tribui. Idē quoque videre est in Iris Gen: 1x, 11. 12. 13. quę vim habet ob signativam fœderis & confirmativā fidei nostrę circa promissionem divinam de diluvio nunquam terris deinceps immittendo: Dicere enim cum Beccano & Bellarmino, quod Circumcisio & Iris fuerint ad *memoriam juvandam*, non tamen ad *fidem confirmandam* quid aliud est quam Sacramentorum efficaciam elevare? Et cum memoria sit præteritorum, promissio futurorum, sane Iris non proponitur nobis in memoriam præteriti diluvii, sed in sigillum & pignus divinę promissionis de diluvio non amplius futuro: Etenim, ut benè monet Tirinus *ad Gen. 1x. 13. ante tantum erat naturale signum pluvia, præsertim si matutino tempore appareat, post diluvium verò assumpta est à Deo in signum ex beneplacito nunquam amplius futuri diluvii.* Idein analogicè potest colligi ex nonnullis signis miraculosis, quorum Scripturę meminerunt; quę erant ob signativa & confirmativa promissionis divinę: Sic Mosi signa dedit Deus se populum liberaturum ipsius manu Ex: 111, 12. Sic Gedeoni in vellere signum dedit, quo ob signabatur promissio de Madianitis superandis Iudic: vi, 38. Sic Ezechię signum & sigillum recuperandę valetudinis, & vitę adhuc per annos xv. prorogandę, in umbra horologii datum est 2 Reg: xx, 11. Et tale signum ob signativum offerabatur Achabo Es: vii, 11. Neque inde sequetur, ut volunt adversarij, Sacramenta esse notiora & certiora verbo Dei, si illius promissiones debeant nobis ob signare: Etenim non ipsum Dei verbum in se confirmatur per Sacramenta, sed nos usu Sacramentorum juxta Dei verbum, confirmamur in illius promissionibus; quę licet in se certissimę, tamen nobis propter incredulitatem semper titubantibus confirmari debent, non solum communibus asseverationibus verbi divini quod ad nos pertineant magnę illę promissiones, sed etiam speciali & personali usu Sacramentorum, quibus quod generaliter omnibus dicitur in verbo, sigillatim in singulis confirmatur; Nihil ergo addunt Sacramenta ad certitudinem objectivam promissionum divinarum, sed tantum ad earun-

earundem certitudinem subjectivam, cui corroborandæ non solum verbum audibile, sed etiam verbum quadantenus *visibile* in Sacramento, ut dicitur Augustino, misericorditer destinatur. Nec aliter veteres loquuti sunt; Basilius *lib. 3. contra Eunomium*, *πιστευσαι δεῖ πρότερον, ἔπειτα ἐπισφραγισασθαι*; id est, Bellarmino ipso interprete, *sigillum fidei* in baptismo accipere. Sic Augustino *signaculum*, & *Sacramentum* idem est, *lib. 19. contra Faustum cap. 11. In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.*

Sed etiam causativum.) Nihil ferè est in tota Theologia quod magis suâ Sophistice infecerint Scholastici quam hanc doctrinam de Sacramentorum efficacia. Ipse Bellarminus Pyrrhonismum suum hic profitetur *lib. 2. de Sacram. in gen. cap. 1.* ubi negat disputandum *de modo quo Sacramenta sint causa, id est an physicè attingendo effectum, an moraliter tantum; & rursum si physicè an per aliquam qualitatem inherentem, an per solam Dei motionem;* Videbat enim in his suos Theologos inter se digladiari & in contrarias planè abire sententias. Mavult itaque, ut noster Tirinus hîc, in genere tribuere efficaciam justificandi Sacramentis, prout dolosus in generalibus versatur, quam efficaciz istius modum exprimere; quanquam postea redit uterque *ad opus operatum*, de quo suo loco dicendum erit. Nos verò 1. agnoscimus suam efficaciam esse tribuendam Sacramento, eaque esse media & instrumenta conditioni nostræ convenientia & divinitus destinata ad gratiam Christi nobis obsignandam, fidemque nostram corroborandam & firmandam; Nam per sensibilia & *αἰσθητὰ*, ducimur ad *νοητὰ*; eo faciliùs quod plerumque nihil est in intellectu, quod prius non sit in sensu; quò spectat Chrysostomi dictum non semel inculcatum, *Ὅτι ἔσσης incorporeus, nuda & incorporea tibi dedisset ipsa dona, sed quia σώματι ψυχὴν συμπίπτειται, ἰdeo ἐν αἰσθητοῖς τὰ νοητὰ παρέδωκε, tradidit intelligibilia in sensibilibus; ad pop. Antioch. hom. 60. & hom. 93. in Matt.* Adeoque injurii nobis sunt tum Pontificii tum Lutherani Theologi, cum clamitant nobis Sacramenta esse picturas mortuas, & nos omnem efficaciam & vim illis abrogare. 2. Censemus instrumentaliter quidem concurrere Sacramenta ad obsignandam & confirmandam nobis gratiam Christi

Christi, fidemque & charitatem, ipsamque habitualem gratiam, fovendam, nutriendam, augendam, sed modo merè morali, nequiquā vel physico, vel quasi physico; in quo & nobis saniores è Pontificiis in genere coguntur ad stipulari; Becanus enim *cap. 3. de Sacr. q. 3. §. 5. probabilius statuit Sacramenta non esse instrumenta physica gratiæ, sed tantum moralia*; qua in sententia dicit esse Canum, Ledesnam, Molinam, Vasquesium, Guilelmum Parisiensem, Scotum & multos alios: Et sanè cum in Sacramentis non *quid sint sed quid ostendant* semper attendi debeat, monente Augustino *lib. 3. contra Max. c. 22.* sit que *miserabilis servitus animæ, signa pro rebus accipere & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non posse*, ut idem Augustinus loquitur *lib. 3. de doct. Christ. cap. 5.* putamus quod sicut per externum verbi divini præconium Spiritus Sanctus solet suam *ἐπιπέσει* in nobis exerere, cum auditus ille externus fide contemperatus fuerit, ut loquitur Apostolus *Heb. 17, 2.* ita per symbola externa, juxta suas promissiones Deus operatur in fidelium cordibus, quomodo & quantum ipsi placuerit. 3. Statuimus per consequens, nec Deum gratiam suam externis alligasse symbolis, & opus Ministri semper ab opere Domini esse in illis distinguendum: Accipimus enim à Ministris panem Domini, sed Deus per Spiritum suum dat nobis eum panem qui Dominus est; Paulus plantat, Apollos rigat, Deus dat incrementum *1. Cor. 111, 6.* Minister baptizat aquâ, Deus Spiritu Sancto & igne *Matt. 111, 11.* Ex quo *discimus*, inquit Hieronymus *ad 4. Es:* quod homo tantum aquam tribuat, Deum autem Spiritum Sanctum quo sordes abluuntur & sanguinis peccata purgantur; Unde Augustinus *contra Crescon. lib. 3.* Rem Sacramenti solus dat Deus, Sacramentum dant boni & mali: & *tract. 6. in Epist. Ioh:* Aliud est aqua Sacramenti, aliud aqua qua significat Spiritum Dei; aqua Sacramenti visibilis est; aqua spiritus invisibilis est; ista abluit corpus & significat quid fit in anima; per illum Spiritum ipsa anima mundatur & saginatur. Et apud Cyprianum author *de card. op. Christi, serm. de Bapt. Christi;* Sive Iudas, sive Paulus baptizet, Christus peccatum lavat, absolvit & delet. Et paulò ante; Remissio peccatorum sive per baptismum sive per alia Sacramenta donetur, Spiritus sancti est, & ipsi soli hujus efficiëntia privilegium manet. Verborum solemnitas & sacri invocatio nominis, &

signa institutionibus Apostolicis Sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant Sacramentum, rem verò ipsam Spiritus Sanctus formatur & efficit & consecrationibus visibilibus invisibiliter manum totius bonitatis auctor apponit &c. 4. Hinc insuper apparet Sacramenta extrinsecus percepta non habere in singulis percipientium eandem efficaciam, tum quia Dei Spiritus à quo omnis illa manat, spirat ubi vult Ioh: III, 8. & sua dona distribuit uti lubet I. Cor: XII, II. tum quia in Sacramentis fit nobis juxta nostram fidem & tantum in illis percipimus utilitatis & divitiarum spiritualium ex illis reportamus quantum habemus & fidei; Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit Marc: XVI, 16. Unde auctor quæstionum ex V. & N. T. apud Augustinum q. 59. *Qui baptismum putat carnali ratione consistere, hic non est spiritualis, nec donam caeleste poterit consequi, cum se per aquam non per fidem immutari credat: & ipse Augustinus tract. 25. in Ioh. Vt quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti. Et tract. 26. De mensa Dominica qua alicubi quotidie, alicubi certis dierum intervallis preparatur, sumitur quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res verò ipsa cujus est Sacramentum omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque ejus particeps fuerit. Uno verbo sicut vestes quas induimus ad calorem nativum fovendum, conservandum & augendum, eum tamen in nobis prærequirunt; nam si cadaver multis indumentis obvolvere volueris, nihilo magis ex illis incalescet; ita Sacramenta sic ordinantur ad fidem & gratiam habitualement in nobis fovendam, firmandam, augendam, ut tamen eam necessariò in adultis prærequirant, aliàs omni vi & efficaciam caritura: Jam autem ut ad Tirinum veniamus, duplicem eumque grandem committit errorem: Prior est quod Sacramentis tribuat vim effectivam justitiæ & justificationis. Cum enim fide justificemur, qui possunt Sacramenta efficere justificationem fidei, quæ prærequiritur ad salutarem Sacramentorum perceptionem? Et cum ad plurima ex Sacramentis suis ritè percipienda, ipsimet Pontificii requirant ut homo sit in statu gratiæ, nec ponat obicem peccati mortalis, qui possunt effectiva & productiva esse illius gratiæ? Maneant ergo Sacramenta, sigilla nostræ justificationis in sanguine Christi, & instrumentaliter à Deo adhibeantur ad fidem nostram de remissione peccatorum magis magisque*

magisque confirmandam, & quasi novo affuso oleo lampadem hanc Sanctuarii nostri fovendam, donec clara illa dies illucescat qua videbimus facie ad faciem, & cernemus coram, non amplius per speculum & ænigma, uti nunc 1. Cor: XIII, 12. Sed ipsamet justificatio præsupponatur in legitimo usu eorum, non ab ipsis suspendatur. Alter est, quod aliam efficaciam tribuat Sacramentis N. Fœderis quam Veteris; ut illis justificationem tribuat coram Deo, his verò non nisi externam & legalem purificationem: Habent quidem Jesuitæ in elevanda Sacramentorum V. T. virtute, ad stipulatores Socinianos, Anabaptistas & Swenkfeldianos, qui nihil in illis præter inanes umbras suspiciunt: Sed tamen in eo & Dei verbo & rectæ rationi adversantur: nam ut usus legitimus Sacrificiorum veterum habebat remissionis peccatorum annexam promissionem Levit: VI, 7. sic & eandem obsignabant, quamvis minus clarè quam nostra, eorundem Sacramenta; quod testatur satis disertè Paulus Apostolus 1. Cor: X, 1. 2. 3. 4. Et cum vix ausint negare adversarii Sacramenti nomen & definitionem univocam esse Sacramentis V. & N. Testamenti, non video cur rerum ejusdem essentia & naturæ, efficientia sit æquivoca & modus operandi planè diversus: Id proculdubio vidit Bonaventura qui in 4. d. 1. a. 1. q. 5. ut agnoscit Becanus cap. 3. de Sacr. q. 10. §. 1. asserit vetera Sacramenta non minùs quam nova gratiam contulisse, uti loquuntur isti homines, *ex opere operato*: Sed de eo fusiùs erit dicendum infra, ad n. 7.

Pasim enim Scriptura) Nihil minùs dicunt Scripturæ, quam quod hic illis tribuit Tirinus, videlicet Sacramenta esse res operantes justificationem: nec tale quippiam habent loca quæ huc congefissit. Ioh. III, 5. nulli Sacramento tribuitur regeneratio, sed tantum Spiritui sancto, uti alias à nobis ostensum, & postea distinctiùs quoque monebimus, *Cont. XIX, n. 1.* 1 Cor: VI, II. ablutio quæ fit in Baptismo commemoratur ut signum & sigillum justificationis & sanctificationis internæ, non ut illius causa efficiens: Ablutio Sacramentalis & significativa fit Baptismo, spiritualis remissione peccatorum & sanctificationis gratiâ: Sic Eph: V, 26. Ecclesiæ mundatio tribuitur lavacro aquæ Sacramentaliter & significativè, efficienter vero ipsi verbo vitæ, prout dicebat Christus

Christus Ioh: xv, 3. Jam vos puri estis propter sermōnem quem dixi vobis, & à Patre petebat ut suos sanctificaret suâ veritate Ioh: xvii, 17. Sic Tit: iii, 5. Baptismus vocatur lavacrum regenerationis, quod sit regenerationis Sacramentum; ut eò pertineat Augustini dictum Epist. 23. *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum Sacramenta sunt non haberent, omnino Sacramenta non essent; Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt; sicut ergo secundum quandam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, & Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei fides est.* Non ergo ipsi baptismo tribuitur aliter nostra regeneratio, quam quod illius est & contestandæ & obsignandæ & promovendæ Sacramentum à Deo institutum. Ipse Tirinus ad Tit: iii, 5. ita lavacrum regenerationis interpretatur *baptismum quo exterius abluimur, ut statim adjiciat, Sed interius per infusam Spiritus Sancti gratiam renovamur, ac regeneramur in filios Dei & heredes vitæ ac gloriæ æternæ.* Sic Act: xxii, 16. monetur Paulus ut confestim baptizetur & abluatur à suis peccatis, id est ut Sacramento Baptismi corroboretur & confirmetur in fiducia remissionis peccatorum suorum, quam jam antè suâ ad Christum conversione & fide, apprehendere cœperat: Nec enim baptizatum fuisse Paulum adhuc incredulum, sed jam in Christum credentem eâ fide quâ purificantur corda nostra Act: xv, 9. & de qua dicitur Act: x, 43. quod quicumque credit in ipsum sit remissionem peccatorum consequuturus per nomen ejus, nemo ibit inficias. Quare per baptismum obsignabatur Paulo remissio peccatorum, non ei simpliciter conferebatur. Sic Cornelius & ejus domestici jam Spiritum Sanctum acceperant priusquam baptizarentur Act: x, 47. Nec Eunuchum Candacis ad baptismum admisit Philippus, priusquam fidei suæ in Christum professionem emisisset Act: viii, 37. Ipse Tirinus ad Act: x, 44. monet de Cornelio ejusque domesticis & amicis, quod *etsi nondum essent baptizati, per contritionem tamen & baptismum in vota jam erant justisati, atque ita capaces donorum Spiritus Sancti: Quare in illis baptismus non effecit aut operatus est justificationem, sed eam tantum obsignavit & confirmavit.* Et de ipso Paulo idem Jesuïta ad Act: xxii, 16. statuit quod ante baptismum susceptum, jam justisatus

catus erat; unde liquet ablutionem peccatorum ejus Baptismo non tribui effectivè, sed tantum obsignativè, prout Circumcisio fuit Abrahamo signum & sigillum justitiæ fidei Rom: IV, 11. Id cum vidissent alii inter Pontificios ut Lyntrensis ad Ad: xxii, 16. maluerunt negare Paulum fuisse justificatum, antequam baptizaretur, quam opus suum operatum quo jure quâinjuriâ non tueri: adeò isti homines nihil ferè habent in quo conveniant. Et dum Tirinus hic recurrit in Cornelio & Paulo ad *baptismum in voto*, quod faciliùs divinat quam probat ex Scripturis, satis agnoscit hanc non esse propriam baptismi efficiëntiam: cum omnis effectus realis necessariò ab aliqua causa producendus, causæ illius existentiam aliquam præsupponat; qualis baptismi fingi nequit per simplex illius votum.

Sacramenta Veteris legis) Sed I. quod Thomas annumerat Sacramentis V. T. Sacrificia veterum, & Tirinus cum ipso, sit perperam: Totâ enim naturâ & essentiâ differunt Sacrificia & Sacramenta: Illa offeruntur Deo ab hominibus in agnitionem sui Domini & ad consequendam remissionem peccatorum, aliave beneficia impetranda; hæc hominibus à Deo proponuntur ad eorum fidem alendam & confirmandam suaque beneficia in ipsis obsignanda; Becanus *de Anal. V. & N. T. cap. 13. & 14.* Sacrificia Mosaica à Sacramentis Mosaicis expressè distinguit: Quanquam haud gravatè concessero in Sacrificiis veteribus sacramentalem habuisse rationem tum aspersiones quæ ex illis fiebant super peccatoribus, tum epulæ sacræ, in quibus ex oblatibus coram Domino vescentes Israelitæ, ad ipsius mensam admitti videbantur. II. Etsi legalis duntaxat externaque mundities & sanctificatio convenerit Sacrificiis & Sacramentis Veterum in se consideratis, prout nec alia quam externa sanctificatio Baptismo fluminis simpliciter quâ tali competit, tamen habuerunt eadem Sacrificia & Sacramenta longè aliam efficaciam, considerata cum sua *χρίστος* ad Christum servatorem, ceu Agnum illum Dei mactatum ab origine mundi Apoc: XIII, 8. & ex illius fide ritè usurpata: Fuerint sane illa Paulo egeza elementa Gal: IV, 9. Hieronymo ipso *ibi* interprete, postquam abrogata sunt per mortem Christi, et si in se citra *χρίστος* ad eum considerantur, non tamen sequitur ea nullius fuisse efficaciam, durante legali

economiâ , & primo tabernaculo adhuc subsistente : Distingue tempora & conciliabis Scripturas. III. Non secum consentiunt Jesuitæ dum Circumcisionem annumerant Sacramentis inefficacibus veteris legis, quæ non nisi externè & legaliter mundabant. Etenim quoties insufficientiam Scripturæ volent probare & Traditionum necessitatem, hoc inter alia adferunt exemplum, quod debuerit extare per Traditionem aliquod remedium peccati originalis tam pro foemellis absolutè, quam pro maribus qui moriebantur ante octavû diem; Ita Bellarminus *lib. 4. de verbo Dei c. 4.* & Becanus *lib. 1. Manualis c. 2. §. 7.* Ergo fuit Circumcisio in remedium peccati originalis ordinata pro aliis : At cum de discrimine Sacramentorum V. & N. T. differunt vela convertunt & negant eum in usum Circumcisionem institutam aut quicquam ad id valuisse, ut multis disputat Becanus *Anal. V. & N. T. cap. 14. §. 7.* & seqq. item *cap. 3. de Sacr. q. 11.* nec non Bellarminus *lib. 2. de Sacr. in gen. cap. 13.* qui tamen ibi agnoscit Alexandrum, Bonaventuram, Scotum & Gabrielem contrarium statuere : Adjiciam & ego ipsum Innocentium III. *cap. Maiores de bapt.* qui statuit quod *baptisma circumcissioni successit, & quod originalis culpa remittebatur per circumcissionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur.* Nec potest hinc se explicare Becanus v. s. aliter quam dicendo Innocentium nihil definivisse, sed tantû insinuasse *privatam suam sententiam* : scilicet nec Paparum suorum judicio teneri volunt isti homines, & possunt eorum ferulæ manum subducere quàm libuerit. Imò non dissententur in ea sententia ipsummet Augustinum fuisse, *lib. 16. de Civit. Dei cap. 27.* & *lib. 2. de peccat. orig. cap. 30.* & *lib. 2. de nupt. & conc. cap. 11.* Et merito id mirum videtur, æquari Baptismo Circumcisionem à Tirino quoad characterem non vero quoad deletionem peccati originalis ; cum minoris non sit efficaciz imprimere characterem illum indelebilem quem fingunt adversarii, quam peccati originalis remissionem obsignare. Verum quandoquidem Apostolus Col: 11, 11. non obscurè Baptisma nostrum vocat Circumcisionem Christi, ut pote Circumcisioni à Christo subrogatum, dubitum non est quin eandem efficaciam Circumcisio olim habuerit ac nunc Baptisma. Sed non est de nihilo quod tam acriter disputant contra Circumcisionis efficaciam : vident enim

enim ex illius exemplo contruere, quicquid efficientiæ hyperbolice tribuunt Sacramentis; cum alia esset Circumcisio externa & cutis, alia interna & cordis Rom: 12, 28, 29. ipsum verò Circumcisionis Sacramentum non esset productivum & operativum justificationis ex fide, sed signum & sigillum illius Rom: 14, 11.

Neque ipsa causabant) Tam ambigüe locis hîc sibi citatis loquutus est Tirinus, ut nescias an statuatur ipsa Circumcisione saltem in iis quibus mandata erat, an verò actu fidei parentum ad illam elicitò, expeditòs fuisse infantes à peccato originali: tamen dum propendit in posterius, quod disertè hîc ostendit, & animum suum nimis renudat, & obest suæ causæ: Illud: Si enim hoc est discriminis inter Sacramenta Vetera & Nova, quod hæc causent ipsam justitiam, illa verò eam non causent sed *actus fidei & contritionis qui illis adjungebantur*, quis inde non colligat, ergo actus fidei & contritionis non requiri ad justitiam illam quam ex opere operato ipsa producunt Sacramenta? Quæro enim à Jesuita, an sint necessarii actus fidei & contritionis in Sacramentorum usurpatione, nec ne? Si affirmet, erunt utique necessarii ad justitiam consequendam, & sic Sacramenta non operabuntur justificationem ex opere operato, sed ex opere operantis; si neget, tum mirum nobis produdet usum Sacramentorum hodiernorum, ad quem, nec fides, nec resipiscentia requirantur. Hoc verò; cum nulla subsit ratio cur major efficacia aut dignior causalitas Baptismo tribuatur quam Circumcisioni. Coninck *de Sacram. q. 62. art. 6. §. 141.* hanc habet conclusionem; *In circumcissione adultis non conferebatur major gratia quam sua fide & devotione, quâ eam suscipiebant, merebantur.* At peto ego, an ergo hac majorem adultis promittant Jesuitæ in Sacramentis N. F. ita ut peccatores tantum attriti, non contriti, per ea justificentur? Idem *ibid. §. 146.* statuit *circumcissionem propriè non causasse gratiam, sed se habuisse tanquam quandam conditionem quâ postâ Deus gratiam parvulis conferebat. extraordinaria quasi liberalitate.* Id si habet pro certo ex Scripturis, quam finget rationem cur idem non dici possit nunc de Baptismo? Præsertim cum ipse paulò ante §. 44. sic loquutus fuerit; *Infantibus posteris Abrabæ in Circumcissione remittebatur peccatum originale & infundebatur consequenter gratia; Ita Innocentius 3. c. Majores de*

Bapt. & Augustinus lib. 2. de nuptiis c. 11. quem universi fere sequuntur Theologi: huic tamen sententiæ nec Becanum nec Bellarminum, imo neque nostrum Tirinum ad stipulari ante visum. Sed inter hos homines quot capita tot sensus.

*Num. 2. VERBA, quæ in confectione Sacramentorum legis novæ necessario prout Christus ea expressit, non verò pro libito cujusque adhibenda, (ut constabit ex formulis singulorum,) non debent (ut Calvinus, Brentius & alii volunt) esse CONCIONATORIA seu instructiva circumstantium (nam talium nusquam meminit Scriptura) sed CONSECRATORIA elementi, vel expressiva effectus aut actionis Sacramentalis. Patebit ex formulis singulorum. Et Paulus 1. Cor. 1, 7. cum dicit, Non misit me Christus Baptizare, sed Evangelizare; expressè distinguit verbum Sacramentale à verbo concionatorio. Et indè sequeretur parvulos, utpote in capaces concionum, non posse Baptizari: Eccles. XXXI, 6. *Vbi non est auditus non effundas sermonem.**

CENSURA. Verba qua in confectione) Nihil receptius hoc dicto Augustini Adde verbum elemento & fiet Sacramentum; atque hinc nata Scholasticorum doctrina de rebus ut materia, & verbis ut forma Sacramentorum: quanquam nec audent huic sententiæ absolute insistere; nam Becanus cap. 1. de Sacra. q. 6. eam tantum probat ubi Sacramenta considerantur per modum compositi physici; aliàs si considerentur per modum compositi artificialis statuit res & verba simul ad materiam Sacramentorum pertinere, significationem verò & efficientiam ad formam. Qua in doctrina multifariam labitur; nam Nicolaus Bayonensis Viridunensis Theologus cap. 1. de Sacra. §. 3. statuit non posse defini Sacramentum definitione exactâ propriâ & accuratâ, qua fiat per genus & differentiam, quoniam est Sacramentum ens artificiale, quod proprie loquendo in nulla categoria reponitur; de quo ipse viderit: Sed quare ens merè artificiale posset considerari bifariam ad modum nempe compositi tum physici tum artificialis? Deinde quâ potest Becanus ad formam Sacramenti referre ejus tum significationem tum efficientiam, nisi significationem ei practicam tribuendo? Hæc noto obiter ut ipsos adversarios hic intricatos ostendam; aliàs enim non negamus posse elemento & verbo exprimi materiam & formam Sacramenti; maxime quatenus verbum, significationem & efficaciam signi ex instituto & promissione divina exprimit. Hoc sanè sensu etiam Sacramenta vetera rebus

rebus & verbis constitisse, contra quam pertendit Becanus V. S. §. 1. est certissimum; cum habuerint illa non secus ac nostra verbum institutionis divinæ duabus constans partibus, præcepto de legitima ipsorum celebratione, & promissione de illorum fructu. Quibus autem verbis fiat confectio sive consecratio Sacramentorum non est fusè disputandum. Veteribus, quos etiam Græci hodie sequuntur, fuit persuasissimum fieri illam consecrationem sanctis precibus ad Deum fuis; addo & secretionem elementorum ab usu vulgari, eorumque usurpatione juxta Dei institutionem & promissionem ad usum sacrum & religiosum: Id tam verum est ut Becanus agnoscat *cap. 1. de Sacr. q. 8. §. 7.* Patres quando de verbis Sacramentorum loquuntur facere tantum mentionem *invocationis & consecrationis*; quod confirmat multis Veterum testimoniis. Saltem id monemus contra Tirinum I. Non posse Pontificios ostendere in copiosa illa sylva Sacramentorum suorum, à Christo expressas fuisse omnes formulas quibus mordicè ipsi inhærent in eorum administratione. II. Non esse verisimile Christum nos ad certas verborum formulas alligasse, quales Magi & superstitiosi sectari solent, ut unâ vel vocolâ vel syllabâ omisâ, totum mysterium corruat; nec futurum sit baptisma nisi sub his præcisè verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, licet idem sensus aliàs retineretur; nec consecratio in Eucharistia, si quis dixerit *Meum hoc est corpus*, & non dixerit distinctè *Hoc est enim corpus meum*. Bonaventura statuit in *4. art. 2. q. 2.* Apostolos olim in Christi solius nomine baptizasse; de quo tamen valdè dubitem: Et Ecclesia Romana non improbat Græcorum formulam, à suâ distinctam, *Baptizetur Servus Christi in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*: Imò apud Gratianum *de Consecr. dist. 4. can. Retulerunt*, Zacharias Papa ceu legitimum approbavit baptismum barbarè celebratum *in nomine Patria, Filia & Spiritua Sancta*. III. Nullam subesse rationem, cur Tirinus hîc verba Sacramentalia, & quæ putet necessariò adhibenda, faciat disjunctivè, uti videtur, vel *consecratoria elementi, vel expressiva effectus aut actionis Sacramentalis*: Etenim non certius consecratur elementum, quam si per verba institutionis ac promissionis divinæ exprimat quæ sit natura & usus illius Sacramenti, quisve effectus & fructus ab illo expectari debeat. IV. Frustra hic

verba *Concionatoria seu instructiva circumstantium* consecratoris opponi : An non enim verba consecratoria, maximè quæ sunt expressiva effectus aut actionis Sacramentalis, debent esse instructiva circumstantium? Aliàs cum non sint votiva & precatória ad Deum, nec ad ipsa elementa quæ surda sunt dirigi possunt, super est ut ordinentur ad circumstantium instructionem; id argente illo ipso digito Syracidis quod híc citat Tirinus, Ubi non est iudicis, non effundas sermonem. v. Calumniari Jesuitas dum per verba *concionatoria* quæ Sacramentalia faciamus, intelligunt prolixam ad Populum concionem, quæ in ceteris nostris solet haberi, quando Sacramenta administrantur. Illa enim concio apud eos, in qua sæpè nihil de Sacramentis, non est de essentia Sacramentorum, sed tantum de essentia cæterorum Sacrorum, in quibus solis, siue majores sint siue minores, Sacramenta censemus debere administrari: Tales quoque conciones, & ut interdum loquuntur Latini Patres Tractatus aut tractationes, præmissas olim fuisse celebrationi publicæ mysteriorum, patet ex Justino Martyre *Apol. 2.* & multis aliis: Christus prolixam sic satis habuit ad Apostolos suos concionem, cum sacram Cœnam primum instituit; & Paulus fracturus panem cum discipulis, sermonem produxit usque in mediam noctem *Act: xx, 7.* Iohannes Baptista habebat conciones resipiscentiæ ad eos qui veniebant ad se baptizandi: Sic præmissam concionem baptismo legimus *Act: 11, 37. 38. VIII, 12. 35. 36. IX, 17. X, 44. 47.* & Christus gentes antè doceri mandat quam baptizari *Matth: xxviii, 19.* Quod ergo dicit Tirinus, *nusquam* Scripturam meminisse verborum eorum in Sacramentis quæ sint *concionatoria seu instructiva circumstantium*, nimiam ejus supinitatem arguit; maximè cum talia debeant esse illa ipsa quæ vult propriè vel Consecratoria vel Sacramentalia esse: Quamvis enim non debeant diluci prolixa concione ad populum, debent tamen continere & exprimere ad circumstantes aut ipsam Sacramentum percipientes, quæ sit talis Sacramenti ex institutione & promissione Dei, consecratiuus & effectus.

Patebit ex formulis singularum) Iam dixi non posse Pontificios singularum Sacramentorum suorum formulas à Christo demandatas nobis exhibere. Deinde illæ ipsæ formulæ, quæ videntur posse haberi ex

Euan-

Euangelio, sunt suo sensu concionatoris & instructiva: Ad hæc mira est de rebus & verbis in Sacramentis Jesuitarum doctrina, quam Becanus exprimit c. 1. de Sacram. q. 6. §. 5. *Ut Sacramenta, inquit, nove legis dicantur consistere rebus & verbis, non est necesse ut res non sint verba, & verba non sint res, sed satis est ut aliquid fingatur vice rerum ac verborum:* (per liberalem fictionem juris) *Hæc conclusio ponitur propter Sacramentum Pœnitentiæ & Matrimonii; nam in Pœnitentiâ actus confessiois qui verbo fit fungitur vice rei, in Matrimonio autem loca verborum sufficiunt nutus vel litteræ, quibus consensus exprimitur.* Ita scilicet habes unum Sacramentum é septem in quo non accedit verbum ad elementum, sed verbum ad verbum ut fiat Sacramentum: habes aliud in quo nutus vel litteræ sine verbis sufficiunt, tantum abest ut formulam habeat verborum difertè à Christo præscriptorum & omninò retinendorum: Sed an aliorum saltem formulæ & verba sunt necessariò determinata? Ut Christus nusquam expressit vel formulam Absolutionis, in Pœnitentiæ Sacramento retinendam, vel formulam verborum quibus explicatur consensus in Matrimonio, sic reliqua pseudepigrapha Sacramenta adversariorum carent formulis divinitus determinatis. Becanus ipse V. S. §. 4. vult verba Sacramentorû Confirmationis & Extremæ unctionis esse *orationem*; at formula orationis in utroque retinenda, non habetur Act. xviii, 15. Jac. v, 14. nec ullo Scripturæ loco: Nec capio cur in duobus his Sacramentis verba formalia & consecratoria, sint precatória, potius quàm in Baptismo & Cœna Domini.

Et Paulus 1. Cor. 1, 7.) Agnosco hinc sequi non omnem prædicationem Euangelii esse Sacramentalem, & latius patere officium illud evangelizandi, quod Apostolis speciali modo commissum erat, quam baptizandi, quod Apostolatus respectu longè restrictius est; Sed quis inde colligat, ergo nulla ratione Euangelicum & instructivum dici debet verbum quod ad Baptismi celebrationem essentialiter pertinet? Non est ibi distinctio verbi Concionatorii à verbo Sacramentali; sed partis principalioris à minus principali in munere Apostoli; Nec enim se negat absolute missum ad baptizandum, sed statuit tantum evangelizationis munus sibi potissimum incumbere, ad quod tamen ex consequenti pertinere baptismum docemur Matth. xxviii, 19.

Et inde sequeretur) Id in bona Logica concludi non potest : nam verba sacramentalia debent esse instructiva vel etiam illius qui baptizatur, si ejus sit ætatis ut intelligere & assequi ea possit, vel saltem eorum omnium qui interfunt baptismo, maximè verò parentum, qui suos liberos Christo initiandos curant : Tam ineptus fit qui verba Sacramenti dirigat ad elementum inanime, quam ad puerum recens natum ex Syrac : xxxii, 6. Quare pronunciarum non debent clam & secretò, ut fit in Missa, unde pars ea Canonis *secretum* appellatur, sed distinctè & clarâ voce, ut omnes circumstantes de natura, usu & institutione Sacramenti edoceantur.

Luth. l. de missâ privata. C. unctiōe sacerdotum anno 1534.

NUM: 3. MINISTER Sacramentorum non est ANGELUS seu bonus, seu malus, (ut voluit Lutherus,) sed solus HOMO : neque enim Angelis, sed hominibus solis à Christo (qui unicus auctor est Sacramentorum novi Testamenti) dictum Matth: ult. v. 19. *Euntes docete*, &c. *Baptizantes eos* &c. Luc. xxii, 19. *Hoc facite in meam commemorationem* : Ioh. xx, 23. *Quorum remisistis peccata*, &c.

CENSURA. *Minister Sacramentorum*) Cùm Angelis non sit cominissa prædicatio Euangelii, nec ad illos potest pertinere Sacramentorum administratio, ut benè hic argumentatur Tirinus ; Sed dum monstra sibi fingit in Luthero quæ debellet, imprudens evertit, quæ docent Pontificiū de baptismo à mulieribus & laicis administrato, item de ministro Matrimonii, qui ipsis à contrahentibus non distinguitur. Si enim valet ratio Tirini, ut Angelis non concedat ullius Sacramenti legitimam administrationem, quod ipsis non sit dictum, *Euntes docete*, item *Hoc facite*, item *Quorum remisistis* &c. debet niti isto axiomate, ad eos solos pertinere administrationem omnis Sacramenti, ad quos hæc dicta sunt : atqui hæc dicta sunt solis ministris Ecclesiæ, non laicis, non mulieribus. Ergo ad solos Ecclesiæ Ministros pertinebit administratio omnis Sacramenti, non ad mulieres, vel ad laicos : Nec possunt confugere ad casum necessitatis, quin idem casus possit etiam obiici pro Angelis. Quod si verbo *λειτουργῶντων*, quo utitur Lucas Act: xiii, 2. exprimitur missificatio, ut vult *ibi* etiam Tirinus, non debet facultas missificandi

Et tunc denegari Angelis, qui πνεύματα λειτουργικά dicuntur Heb. 1, 14. Sed ut seriò agam, non est quod tam absolute in Papatu neget Tirinus Angelos, non improprie dictos (hoc enim nomine ipsi Ecclesiæ Ministri uti notum est solent appellari, quo sensu verum foret Angelos sive bonos sive malos esse ministros Sacramenti;) sed proprie sic appellatos, posse administrare Sacramenta: Nec enim solus Scotus censet Angelum posse baptizare, ut refert & assentitur Becanus cap. 5. de Sacram. quest. 2. §. 2. sed ipsemet ibidem §. 4. definit, quod licet Angeli secundum legem ordinariam non possint ullum Sacramentum ministrare, quia non sunt ad hoc ordinati à Christo, possunt tamen id facere ex speciali Privilegio, quia Deus non alligavit suam potentiam ad unum modum agendi; atque eo refert, ut & Jesuita Coninck q. 64. de Sacram. art. 7. §. 55. exemplum cujusdam Amphilochni, qui ab Angelo dicitur fuisse consecratus in Episcopum, apud Nicephorum lib. 11. hist. cap. 20. Uterque insuper agnoscit Thomam p. 3. q. 64. art. 7. ad 2. insinuare beatos posse esse ordinarios Ministros Sacramentorum; quod si verum, cur non competet idem jus Angelis, cum hi sint facti οἱ ἄγγελοι Matth. xxii, 27? Ita hic Tirinus non tam in Lutherum quam in suos symmystas disputavit. A quo autem isti Angeli essent suam potestatem & jurisdictionem derivaturi, in administratione Sacramentorum, & num à Pontifice Romano, viderint qui talia propugnant.

Num. 4. Neque tamen quibet homo (si BAPTISMUM & MATRIMONIUM excipias, de quibus suo loco,) sed is solus, qui ritè ad hoc ab Ecclesiâ ORDINATUS est: Nec enim quisquam sumit sibi honorem hunc, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, Heb. v, 4. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret &c. & 2. Paral. xxvi, 19. Ozias leprâ punitur quia fungi voluit munere sacerdotali. Neque verò aliis quam Apostolorum successoribus dictum à Christo Luc. xxii, 19. Hoc facite, & Ioh. xx, 19. Quorum remisistis peccata, &c.

Objectiones solvi I. Pet. i, 9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, Ap. v, 10. Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes. Apoc. xx, 6. Erunt sacerdotes Dei & Christi.

CENSURA. Neque tamen quilibet) Et hoc citra restrictionem ullam Baptismi vel Matrimonii fuisse statuendum suo loco videbimus: Hancque veritatem in diatriba nostra de usu & honore Sacri Ministerii, fusiùs vindicavimus, contra Erotemata anonymi cujusdam statuentis

(ut & facit author *Grallarum puerilium* contra Apollonium) jam inter Christianos omne Ministerium ordinarium defecisse, nullumque superesse discrimen inter Ministros & Plebem: Furores Anglici Anabaptismum ex orco revocantes, hæc monstra nobis peperere, inter alios fructus acerbos Independentissimi, quos noster Hornius sub nomine Honorii Reggi in *Commentario suo de statu Ecclesie in Anglia* retulit. Argumentum desumptum ab ordine constituto divinitus in Ecclesia Judaica, quo Sacrorum administratio solis sacerdotibus & Levitis ad id evocatis Heb: v, 4. ita inviolabiliter concessa erat, ut Ozias non tulerit impune quod thuribulo voluerit manum admovere 2. Chron: xxvi, 19. est magni ponderis; Etenim Christum & Apostolos in ordine Ecclesie Christiane constituenda, etiam in multis imitatos fuisse eum qui vigerat sub V. T. nemo nescit: Neque valet exceptio authoris *Grallarum cap. 5. p. 129. Sub Levitis commune fuisse circumcidendi jus, nec Levitis proprium; Pascha item mactatum & comestum fuisse, nullo Levita presente; Vnde sequatur non magis ad solos hodiernos Ministros pertinere Sacramentorum administrationem, quam olim ad Levitas & Sacerdotes. Sed responsio est in promptu; Primum plerisque doctos existimare merito post ordinem Leviticum & Sacerdotalem institutum, Paschalem agnum non nisi à Sacerdotibus & Levitis fuisse mactandum & jugulandum; quod patet etiam ex 2. Paral. xxxv, 11. & Josepho lib. 7. de bello Iud. cap. 17. Nec video cur idem debeat negari de Circumcisione: Eam enim & in se & in suis domesticis Abraham primo administravit; & quamdiu ordo Leviticus & Sacerdotalis non fuit institutus, quilibet paterfamilias aut primogenitus in familia Sacerdotali fungebatur munere, & ea quæ huc spectarent, nominatim Circumcisione & Sacrificia procurabat: Sed ordine Levitico & Aronico jam secreto ad Dei cultum, quis negabit Circumcisionis administrandæ munus eidem incubuisse, aut Josuam illam procurasse in universo populo eorum ministerio & manu Ios: v, 1. 2. cum ipse unus tot homines sua manu circumcidere non potuerit? Sed demus etiam tunc Josuam solum id præstitisse, quod ipse cum Caleb soli remansissent circumcisi, (nam qui Jordanem secum transierant, omnes in deserto nati fuerant) quis inde colligat Levitas deinceps non factos esse*

esse idoneos & ordinarios Circumcisionis ministros, eo quod hæc cura extra ordinem uni Josue divinitus fuerit demandata, quoniam nullus vel Levita vel Sacerdos, ut pote omnes incircumcisi, eam potuit sustinere? Sanè ex historia Evangelica Luc: 1, 59. constat Circumcisionem cum solemnitatibus variis fuisse celebratam, ad quas Ministri ordinarii accessisse delectum, vel sola Traditio Iudaica nos docet; juxta quam circumcisoris, quem *חַוּוּ* appellant, munus ordinarium est & publicum in illa gente, solisque viris permissum, ut nos docet Buxtorfius *Synag. Iud. c. 2.* Deinde nec valeret ratio à Circumcisione & Paschate, ad communem faciendam omnibus sub N. F. Sacramentorū administrationem: Nam si concedatur Circumcisionis & Paschatis celebrationem non fuisse speciatim juris Levitici, hæc erit demū ratio, quod utrumque hoc Sacramentum, fuerit institutum ante ordinem Leviticum secretum ad Dei cultum, & demandatū Patribus familiàs, quo tempore quique in sua familia sacra & civilia simul procurabat; quasi Deus voluerit id juris patribus familiàs relinquere, in cujus possessione fuerant ante consecrationem Levitarum. Verum alia erit ratio Sacramentorum N. T. quæ cum à primæva sui institutione non nisi à specialibus ad id delegatis ministris fuerint administrata, eo ipso administrationis restrictæ ad Ministros, non verò promiscuæ, adhuc hodiè debent censi; eò magis, quod id constanter obtinuit sub Apostolis & eorum successoribus proximis ut Cœnæ administratio non nisi à verbi Dei & Ecclesiarum ministris publicis perageretur, ut liquet ex Act: 11, 46. xx, 7. & Iustino Martyre *Apol: 2.* Quæ de cœnæ administratione ubi Pastores non sunt, ex Rigaltio ad locum Tertulliani qui extat *lib. de Exhort. Castitatis*, emiserat ante aliquot annos Hugo Grotius, postea meliùs edoctus à Petavio Jesuita, Catechista suo, ipsemet revocavit; Nec ab eo quod putaretur licere ubi pastores non sunt, vel uti loquitur Tertullianus, *ubi Ecclesiastici ordinis non est confessus*, procedit argumentum in Ecclesia ordinata & constituta, in qua eodem Tertulliano iudice, *differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesia & honor per ordinis confessum sanctificatus*: Ecclesia autem hanc differentiam sic constituit in actu exercito, electione personarum quæ ad eum confessum pertineant, ut ea jam sit in actu signato constituta à Deo, Ministerii sacri au-

thore Eph: IV, II: Rom: X, 15. 16. 17. Quod autem ariolatur author *Grallarum V. S. pag. 131.* non adfuisse Episcopus omnibus illis conventibus Corinthiorum in quibus sacra Synaxis minùs convenienter celebrabatur, planè est improbable; quia nec tunc Ecclesiæ Corinthiæ sui defuerunt Pastores & Præpositi, & absque illorum præsentia cœtus Ecclesiasticus non futurus fuisset, cum tamen convenirent ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ I. Cor: XI, 18. Ad hæc cum nexu indissolubili ministerium docendi & baptizandi Christus conjunxerit in suis Apostolis Matth: XXVIII, 19. idem nexus debet hodie obtinere in veris Apostolorum successoribus, qui sunt ordinarii Ecclesiæ Ministri, non equidem quoad ὑπεραχὴν Apostolatus, sed quoad ordinarium Ministerium; in quo hæc successio Apostolica potest observari, licet Ministri ordinarii non sint θεόπνευστοι & infallibiles; prout iudice Christo Scribæ & Pharisei sedebant in cathedra Mosis Matth: XXI II, 23. licet nec θεόπνευστοι nec θεοδιδάκτοι fuerint; ut Thomas Hobbes nobilis Anglus, qui novam emisit Politicam, eamque mirificam, sanè patriæ suæ morbis exulcerandis potiùs quam mitigandis accommodatam, planè vegetetur extra oleas, cum illud Christi dictum de Mosis cathedra ad politicam autoritatem spectare pertendit. At, inquit author *Grallarum V. S. pag. 130.* Quam cui prædicationi Christus baptismum alligaverit? an soli Apostolica, quam ibi solemniter instituit, an simpliciter prædicationi publica? Si illud, malè ergò faciunt hodierni prædicatores, quod Apostolicè haud prædicantes, speciali jure baptizandi jus ex hoc loco sibi vendicent; Si hoc, peccant quod proponentibus, publicis prædicatoribus, jus baptizandi adimant; cumque nemini publica prædicatione divinitus interdicta sit, modo dona habeat, sequitur solis Ecclesiasticis prædicatoribus jus baptizandi divino jure non competere: Sed ad ista omnia facilis est responsio: Apostolicæ prædicationi conjungitur administratio baptismi, non simpliciter ut sit Apostolicè & θεόπνευστος, sed etiam ut post Apostolorum tempora ex doctrina Apostolica debebat continuare ministerio Pastorum ordinariorum, quos ipsimet Apostoli post se eum in usum reliquerunt: Quapropter cum nostra prædicatione hoc sensu sit Apostolica, licet non fiat Apostolicè, etiam ei conjunctum remanet jus Sacramenta administrandi & celebrandi; Proponentes verò nostri admit-

tuntur

tuntur ad suggestum, ut concionentur non ex officio & munere quod habeant, sed ut se exercent & præparent ad illud officium: prout olim juniores Levitæ à senioribus præformabantur per quinquennium, priusquam actuale munus suum aggrederentur, anno vitæ suæ trigésimo: Cùm ergò prædicatio proponendum non fiat ex autoritate Ministerii, sed exercitii duntaxat præparatorii ad illud gratiâ, meritò illis interdicitur administratio Sacramentorum. Omnibus verò si dona adsint licere concionari & manum suam consecrare, tam falsum est, quam falsum omnibus in Rep. licere jus dicere & Magistratum exercere, si donis prærequisitis ad hanc dignitatem sint instructi; Sanè Apostolus I. Tim. III, 5. 9. Tit: I, 9. ita dona vult expendi eorum qui sacris Ecclesiæ muneribus præficiuntur, ut tamen non permittat illis ex suorum donorum conscientia ante publicum scrutinium & legitimam ordinationem atque *χειροθεσιαν*, ad Ministerium publicum se ingerere: Sed hæc obiter. Id unum adhuc moneo de Tirino quod cum Apostolorum successores faciat quoslibet Ecclesiæ Ministros, minimos in Papatu sacrificulos æquat imprudens Pontifici Romano, qui de Apostolica successione Petri tantoperè gloria- tur. Porrò locus Luc: XXI, 19. minùs aptus videtur ad probandum jus Ministerii, quoniam Apostoli tunc populi potiùs quam Pastorum personam sustinebant; nisi dicamus illud mandatum sic esse intelligendum, ut ex eo debeant fideles omnes à Pastoribus suis accipere, quod tum Apostoli acceperant à Christo, & Apostoli ac Pastores post eos idem facere in cœtu publico, quod tum fecerat Christus, corporis & sanguinis sui Sacramentum distribuendo; prout Coninck non malè q. 80. art. 11. dub. 1. §. 90. probat præcepto divino nos teneri ad hujus Sacramenti susceptionem, quia Luca 22. *Christus post institutionem & sumpcionem hujus Sacramenti ait Apostolis, Hoc facite in meam commemorationem; ubi præcipit Apostolis non solum consecrationem sed etiam sumpcionem hujus Sacramenti, eandemque in iis præcipit omnibus fidelibus; quod probat autoritate Pauli qui I. Cor: XI, 24. agens de communione Laicorum accommodat illis hoc præceptum.*

Objectiones solvi) Quanquam Tertullianus V. S. hoc videatur ur- gere, parum tamen in eo superest præsidii pro hac causâ: cum ex

his locis sequatur quidem nullum speciale sacerdotium propriè dictum amplius restare in N. F. quod valdè notandum contra prætentum Sacrificium Mislæ, non verò omne discrimen pastorum & plebis tollendum esse in Ecclesia: nam jam Apostolorum tempore sic omnibus fidelibus competebat hoc sacerdotium spirituale, ut nihilominus per Ecclesias ipsimet Apostoli Episcopos & Pastores constituerent, qui attenderent ad totum gregem, & quibus grex ipse se submittere debebat, Act: xx, 28. 1 Tim: v, 17. Heb: xiii, 17. 1 Pet: v, 1. 2. Et Joliannes in sua Apocalypsi Angelos Ecclesiarum ab ipsismet Ecclesiis distinguit, quarum tamen singula membra hoc sacerdotio regali condecorata erant. Benè quidem Tirinus *ad Apoc. xx, 6.* ostendit Sacerdotes hos fore, quia offerent Deo & Christo continua sacrificia Laudis, gratiarum actionis, & obsequii perpetui; nec malè *ad 1. Pet: 11, 9.* monet id privilegii Piorum continere allusionem *ad priscam consuetudinem quæ sacerdotium conjunctum erat regno*; Sed *ad Apoc: v, 10.* planè vagatur extra oleas, dum illud *Fecistis nos Domino nostro regnum & Sacerdotes*, sic interpretatur, *Id est constituisisti nos universales principes Ecclesia, qui tam sacra quam prophana, tam Ecclesiastica quam politica curemus & administramus super terram.* Nam ut perperam per septem spiritus agni intelligit Angelos creatos, sic vitiosè illis septem spiritibus deputat doxologiam Seniorum, qui nihil minus quam universalem principatum Ecclesiæ, quoad temporalia & spiritualia, qualem sibi unus Papa tribuit, hîc exprimere voluerunt; cum non possit alius hic esse sensus quam loci paralleli *Apoc: 1, 6.* quem Jesuita ipse de regno spirituali gratiæ & gloriæ & Sacerdotio mystico, præsertim laicorum respectu, intelligit; Et fatetur Ribera *ad Apoc: 1. §. 45.* quod omnes Catholici expositores hunc locum de Sacerdotio metaphorice dicto interpretantur, prout paulò ante Ambrosii, Haymonis & Bedæ sententiam eò facientem retulerat.

Nam: 5. Sed neque (ut volebant Donatiani, Albigenes, Waldenses, Wiclefistæ, & plerique Anabaptistæ) necessariò requiritur in ministro vera FIDES aut PROBITAS, ut Sacramenta quæ administrat, sint efficacia. Præcipuas enim partes hîc agit Christus, Ioh: 1. 33. *Hic est qui baptizat: 1 Cor: 11, 6.* hic est qui incrementum dat: Christus autem non minus uti potest in-

test instrumento mortuo, quàm vivo. Et nonne utebatur Iuda ad baptizandum? Ipse enim Iesus non baptizabat, sed discipuli eius Ioh: IV, 2.

Sed quia hi ministri sunt instrumenta animata & ratione urentia, quorum arbitrio relicta est actio Sacramentalis Ioh: xx, 23. Quorum remiseritis peccata &c: hinc (contrà Lutherum, Calvinum, Heshufum, Kemnitium) requiritur in ministris saltem virtualis intentio faciendi quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia: Cum enim rationalia instrumenta sint per voluntatem & intentionem, si hanc tollis, desinunt esse talia instrumenta.

Luth. de captivitat. Calv. in antidoto

Trid. sess. 7. c. 11. Heshus. de erroribus Pontificiorum loco 15. Kemnit. suprà.

CENSURA. Sed neque ut volebam) Id certissimum viam & operationem Sacramentorum non ex ministri probitate & dignitate, sed ex Christi institutione & promissione esse arcessendam: Etiam leprosus aut morbidus Medicus salubria medicamenta aliis potest dispensare; & cum præcipuas partes hic agat Christus, ut benè monet & probat Tirinus, hinc sequitur meritò semper nostros distinguere, inter efficaciam Magistri, & Ministri œconomiam, ut illi non huic omnis interpretata Sacramenti deputetur. Sed 1. malè Tirinus conjungit Fidem & probitatem Ministri, quasi indiscriminatim pari passu hic ambulent: Nam ut quod dicit de probitate & de fide quâ creditur soli Deo notà, libenter admittimus, sic non censemus sumendum illimitatè quod habet de fide, si sumatur de ea quæ creditur: Nam licet non negemus etiam apud Schismaticos & hæreticos, qui saltem fidem de S. S. Trinitate retinuerint, Sacramentum initiationis hæctenus ita legitimè conferri, ut non sit reiterabile, nec admittamus in univèrsum Cypriani axioma, apud eos & ab iis Spiritum Sanctum non conferri posse, qui Spiritu Sancto carent, tamen negamus ibi legitimum esse baptismum ubi S. S. Trinitatis dogma rejicitur: Unde Concilium Nicænum Can. 19. fancivit de Paulianistis, si ad Ecclesiam Catholicam confugerint, eos omnino rebaptizandos esse; Negamus insuper in cœtu heterodoxo, cujus populus & pastores ex professo & palam deviant à fide, licet legitimus ibi supersit baptismus, ut olim apud Jeroboamitas & Samaritanos legitima supererat circumcisio, legitimam esse sacræ Cœnæ administrationem, quæ cum sit non solum adultorum, sed etiam ad adultos, utrinque prophanatur ab iis qui sequiùs quam par erat

par erat sentiunt in fundamentalibus de fide Christiana; Quæ ratio nos movet, ut infantes apud Pontificios semel baptizatos ab ordinariis Ministris, quorum qualiscunque superest aliqua vocatio publica, rebaptizandos non censeamus; eorum tamen Missam tanquam sacræ Cœnæ à Christo institutæ publicam corruptelam meritò detestemur.

II. Si nec fides nec probitas in Sacramentorum Ministro debet attendi, ergo ex mente Jesuitæ Ecclesiarum Reformatarum Ministri legitima administrabunt Sacramenta, licet hæresis notâ, ex mente adversariorum, insigniti. III. Nec satis fideliter Tirinus dissentientes à vero in hoc capite enarravit. Anabaptistarum causam meam non facio; Sed Wicleffo, Albigensibus & Waldensibus multa per calumniam imputata fuere, quæ tamen nec senserunt nec dixerunt: Verum cum passim exostularent de Cleri sui temporis moribus depravatis, qui ad corruptionem doctrinæ publicæ accedebant, ipsorum adversarii hac missâ, quam nequibant tueri, nec illa negatâ, quam inficiari non poterant, eò plausibiliter conati sunt totam controversiam araducere, Num homo scandalosus & vitæ perditæ, sit idoneus Sacramentorum Christi minister. Interea tamen de illis dici nequit, quod Anabaptismum Donatistarum vel approbarint vel exercuerint; quibus tamen Donatistis in suo errore præluserunt non solum Asiatici, uti colligit Becanus *cap. 5. de Sacr. q. 5. §. 1.* ex Eusebio *lib. 7. hist. Eccl. cap. 6.* sed etiam, ut fatetur *ibid.* post Bellarminum *lib. 1. de Sacram. in gen. cap. 6.* Agrippinus & Cyprianus Carthaginenses Episcopi, quorum ultimus ceu Sanctus & Martyr publicè in Papatu colitur: Eisdem ordini adscribere nequeunt Becanus & Bellarminus Luciferianos, contra quos *dialogum* suum Hieronymus scripsit, cum ipsi ut plurimum, Hieronymo teste, (nam Hilarii diaconi, quem *orbis deucalionem* Hieronymus dixit, exemplū in contrariū singulare est) baptismum collatū ab hæreticismitterent, & solum de eorū ordinatione, quæ Sacramentū propriè non est, disceptarent, quod ex Baronio constat *ad an. 362. n. 46. & 47.*

Sed quia hi ministri) Quod si uti modo dicebat Jesuita *Christus non minus uti potest instrumento mortuo quam vivo*, quare minus poterit uti instrumento rationali, non intendente vel contrarium intendente, quam attendente & intendente id facere quod Deus instituit? Si
satis

fatis erat Paulo Phil: 1, 16. 17. 18. Christum saltem annunciari, sive in speciem sive sincerè id fieret, sive ex charitate sive ex contentione, etiam satis debet esse Christiano, si juxta Christi institutionem percipiat Sacramenta à Christo instituta, sive Minister in eo bonâ & debitâ intentione versetur, sive malâ: Id quidem ipse non tulerit impune, vel si negligentius & animo supino sacra tractaverit, vel si intentionem suam datâ operâ & actu positivo aliò transtulerit; sed hoc fideli sacra symbola percipienti fraudi esse non potest: Et mira est contradictio in doctrina Pontificia: volunt enim Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, & infallibiliter gratiam operari: attamen eorum non efficaciam modo sed existentiam omnem ex Ministrorum intentione suspendunt. Nam juxta primum debet omnis fidelis qui obicem peccati mortalis non posuerit, ipsius Sacramenti latentem energiam in se ipso certissimè experiri; At juxta secundum cum nulla unquam ratione certus esse possit se verum Sacramentum percepisse, multò minus certus esse poterit de illius efficacia. Favorabile quidem est hoc commentum Clero ad sui reverentiam excitandam apud plebem: Nam cum salus pendeat ex Sacramentis, Sacramenta verò ex intentione Ministri, quis non reverenter admodum habeat Ecclesiæ Ministros, ex quorum intentione, ut ex crine fatali, quicquid Deus contrà decreverit, quicquid animæpiæ, fidei & charitatis conatibus annitantur, pendere credet salutem totius populi? Sed tamen ab altera parte miris incommodis urget adversarios: Nam cum de intentione Ministrorum nulla dari possit certitudo, omnia vel ex hoc principio remanent dubia & incerta; Nemo certus esse potest, se esse Christianum; cum nescire queat se esse baptizatum: Nemo certus esse potest Innocentium hodiè sedentem esse legitimū Pontificem, cui se debeat subicere ad salutē consequendam; quia sciri non potest, eum vel esse baptizatum, vel esse ordinatum legitimè, cum utrumque ex dubia intentione baptizantis & ordinantis incertū remaneat. Nemo certus esse potest Concilii Tridentini definitiones, quæ pro articulis fidei sunt habendæ, esse legitimas & admittendas; cum nesciatur an Episcopi qui ad illud convenerant veri fuerint Episcopi, ut pote quorum & baptismus & ordinatio ex hominum dubia & fluxa intentione pependerit.

PPP

derit. Nemo certâ & indubiâ fide potest adorare hostiam quæ quotidie in Missa elevatur & adoranda proponitur; cum propter intentionis defectum non modo in presbytero consecrante, sed in Episcopo qui ipsum ordinavit, nec ab ipsomet presbytero, nec ab ullo alio sciri possit, vel panem illum fuisse transsubstantiatum in corpus Christi, vel ab illo homine transsubstantiari potuisse: Nec diffitentur Jesuitæ hîc quotidianum subesse periculum Idololatriæ saltem *materialis*, uti loquuntur, sed in qua nihil putant subesse culpæ propter invincibilem facti ignorantiam, ut Bresserus asserit *lib. 5. de conséc. cap. 12.* Bonaventura, Alexander, Marsilius ut huic incommodo præverterent, cum non sit de fide hanc numero hostiam esse adorandam, sicut non est de fide has numero reliquias debere adorari, adorationem hic proposuere conditionatam, ut quis diceret, *Adoro te, si tu es verè Christus;* Sed Bresserus cum Vasquesio eam conditionem ut nimis scrupulosam respuit, & adorationem exigit simplicem & absolutam: An verò hoc non sit adorare quod nesciatur, ut quondam Samaritani, viderint ipsi. Nemo ibidem poterit esse certus se non esse spurium & nothum, non modo si Matrimonii celebratio Sacramentalis pendeat ex Parocho juxta Canum & sic ex illius intentione, sed etiam in communiori sententia Adversariorum, cum nescire possit, qua intentione pater suus cum matre sua convenerit, & num eam habere intenderit pro concubina an pro conjuge legitima. Ad quas etiam angustias interdum redigantur, patet ex eo quod annotatur ex *Congreg. Card. Interpretum Concilii Tridentini ad illius Sess. 23. cap. 27. N. 2.* Casus talis erat: Episcopus aliquis ante ordinationem declaraverat quod non intendebat ordinare nisi eos qui legitimam ætatem haberent; tamen proferebatur attestatio Decani illius Ecclesiæ asserentis se audisse ab ipso Episcopo quod diceret hujusmodi protestationem fieri ad terrorem, ceterum se habere intentionem ordines simpliciter conferendi. Quærebatur, an illi qui tunc ordinati fuerant ante legitimam ætatem pro ordinatis essent habendi. Hîc ipsa Cardinalium congregatio nihil ausa est definire, sed quæstionis longè difficillimæ decisionem remisit ad Papam. Et mirum est adversarios tam certò intentionem hîc requirere, cum nesciant, inquit ne ipsi Ministro vis aliqua operativa, effi-

tiva, efficiens & instrumentalis, qualem fingunt in ipsis Sacramentis; agnoscente Bellarmino *lib. 1. de Sac. cap. 27.* hic suos in diversas abire sententias: Et circa naturam istius Intentionis mirè inter se digladiantur; alii enim actualem requirunt; alii habitualement tantum; alii primam non necessariam & secundam insufficientem statuentes, tertiam omninò urgent quam virtualem vocant. Thomas olim in habituali acquiescebat *3. p. q. 64. art. 8.* Sed Scotus mediam reperiit inter actualem & habitualement, quæ dicatur virtualis, quam Jesuitæ arripiunt; licet juxta saniozem Philosophiam inter actum & habitum medium vix detur. Quid quod operose disputant isti homines de intentione absoluta & conditionata, vera & erronea, ut videre est apud Becanum *cap. 5. de Sac. q. 4.* Item de intentione materiali & formali *ibid. q. 3.* an videlicet restringatur ad voluntatem efficiendi illam actionem quasi materialem, an etiam requiratur voluntas faciendi Sacramentum: Hoc ita affirmant, ut negent tamen intentionem formalem conferendi effectum Sacramenti esse necessariam: adeò ut non minus ineptè mediam faciant intentionem inter materialem & formalem, quam inter habitualement & actualem: Quin etiam eò processit vrsanæ Bellarminus V. S. ut statuatur sufficere intentionem faciendi quod facit Ecclesia aliqua particularis & falsa, quam ipse putat veram, ut Genevensem. Nam, inquit, qui intendit facere, quod facit Ecclesia Genevensis, intendit facere quod facit Ecclesia universalis. Quibus verbis non modo Genevensium causam propugnat, sed statuit tum fieri V. G. transsubstantiationem à Sacrificulo, si intendat non facere transsubstantiationem; prout eam nec fieri nec intendi ab Ecclesia Genevensi in confesso est. Disputant quoque de jocosa & ludicra Sacramentorum administratione, cujusmodi fuit Baptismus ab Athanasio puero collatus suo inter lusitandum collatus, quem habent perperam pro legitimo; quamvis intentio Athanasii non alia fuerit quam per recreationem puerilem imitandi actus externos qui fiebant ordinariè in Baptismo: Querunt itidem num requiratur intentio faciendi quod intendit Ecclesia, id est intentio finis Sacramenti, ut volunt Biel & Alexander apud ipsum Bellarminum, an verò quod ipse putat sola intentio actus Sacramenti & faciendi quod facit Ecclesia; quasi verò voluntas

luntas expressa faciendi Sacramentum quàm Sacramentum, non imporet æquè intentionem finis ac intentionem actus, cum ipse Sacramenti in suo formali conceptus, involvat *χέρι* ad ejus finem. His nempe difficultatibus implicantur isti homines illo suo dogmate de intentione, quas dum vitare studuit Ambrosius Catharinus in opusculo de *intentione*, eam restringendo ad actum externum in Ecclesia receptum, vapulavit suis Symmystis, quamvis suam sententiam in Synodo Tridentina defenderit, & Concilii decisionem ad se pertrahere conatus sit; qua de re videatur *Historia Conc. Trid. lib. 2.* Respondebunt Deo Ministri prophani, qui vel non satis attentè Sacra sua Mysteria tractaverint, vel nimium securi contrariam habuerint intentionem suæ institutioni; prout non defuere in Papatu Sacrificuli multi, qui intenderent devovere Diabolo infantes, quos se Deo consecrare per Baptisma simulabant: Sed absit ut putemus vel oscitantiam, vel profanitate aut malitiam Ministri, exhausti Dei promissionem & fidelium spem frustrari. Quod si juxta Innocentium III. *cap. Apostolicam, de presbytero non baptizato, Omisio Baptismi non nocet credenti probabiliter se esse baptizatum*, quantò minùs nocebit baptizando omisio intentionis in baptizato?

Cum enim rationalia) Hoc est istius commenti unicum fundamentum quo nihil frigidius & magis dilutum dici potest. Servi nostri sunt instrumenta rationalia; Non tamen attenditur in familiâ quo animo, aut quâ intentione; aut quâ voluntate faciant quod ab hero mandatum est, modo constet id ipsum quod faciunt, ut incurrit in sensus, esse id quod fieri herus ipse præcepit. Confessores, ut vulgò vocantur, multi sunt qui nihil aliud intendunt quam vel lucrum captare vel curiositatem suam explere ex vitæ alienæ cognitione; genus hominum curiosum ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad suam emendandam: An ergo miser pœnitens carebit fructu contritionis suæ & absolutionis Sacramentalis, si confessarius voluerit corvum hiantem deludere, & dum pronunciat verba absolutoria, apud se illud cogitarit quod Cardinalis ille legatus à latere Lutetiam ingressus stulto populo sibi adgeniculanti, facto signo crucis submissâ voce dictabat; *In nomine Diaboli, quandoquidem populus iste vult decipi, decipiatur?*

Num: 6.

Num. 6. Neque sola fides Sacramentis adjuncta justificat, (ut fingunt ijdem hæretici; non aliam vim tribuentes Sacramentis Novæ, quam Veteris legis,) sed ipsamet SACRAMENTA sunt veræ & immediatæ CAUSÆ IUSTIFICATIONIS: nam non ponentibus obicem conferunt gratiam Sanctificantem, & quidem EX OPERE OPERATO, id est, independentem à fide ac devotione operantis seu conscientis actum Sacramentalem, & etiam suscipientis Sacramentum. Etsi enim fides in adultis requiratur ut dispositio, non tamen concurrat ut causa. Patet Marc. ult. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; Ioh. III, 5. Nisi quis renatus fuerit ex aquâ &c.* Et jam credentibus Act. II, 38. dicitur, *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum: & Act. XXII, 16. Baptizate, & ablue peccata tua.* Sic Act. VIII, 17. *per impositionem manuum Apostolorum datur Spiritus Sanctus jam antè credentibus: Et similia habes Eph. v, 26. ubi lavacrum aque dicitur mundare, ad Titum III, 5. & 1. Pet. III, 21. regenerare & salvare.* Et quæ alioqui ratio urfisset Paulum Act. XIX, 4. ut cogeret baptizari baptismo Christi, quos audierat jam baptizatos baptismo Iohannis? & quare ipse Iohannes in fidei paritate, tanto intervallo baptismum Christi præponit suo Baptismo? Ioh. 1, 26. *Ego baptizo vos aquâ, ille Spiritu Sancto?* Nam etiam Iohannes prædicabat *baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* Luc. III, 3. *per fidem in eum qui venturus erat; Act. XIX, 4.* Et quomodo alioqui baptismus prodesset infantibus? Ratio verò à priori est, quia Sacramenta ut dixi n. 5. non solum in institutione, sed etiam in usu & applicatione procedunt à Christo ut principali agente, & efficaciam suam habent ex ejus morte & meritis: Ioh. 1, 33. *Hic est qui baptizat, &c:* Et verò Luc. v, 21. *quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?*

CENSURA. *Neque sola fides Sacramentis* Ex iis quæ antea annotavimus ad n. 1. facile possunt confutari, quæ hîc habentur de opere operato. Quid per illud sibi velint adversarii haud facilè dixeris, nisi quod barbaris his vocibus sic distinguunt efficaciam Sacramentorum N. F. ab efficacia Sacramentorum V. T. ut illa dicant gratiam conferre *ex opere operato*, hæc eâ non nisi *ex opere operantis* contulisse; id est illa propriâ & insitâ suâ virtute, hæc non nisi pro devotione & fide recipientium: Unde sequatur fidem & devotionem nihil facere ad Sacramentorum N. F. efficaciam, quam adeo absque illa exerant, etiam in homine dormiente & planè nesciente quid fiat circa se. Negant adversarii, uti suo loco visum, Sacramenta esse causas physicas gratiæ, ut pertendit cum suo Bellarmino Becanus *cap. 3. de Sacr. q. 3. s. 5.*

ac multis demonstrat omnem eorum efficientiam esse moralem, (quam neque hic Jesuitæ uno ore loquuntur; nam Lorinus *ad 1. Pet: 111, 21.* disertè dicit nostra Sacramenta gratiam quam significant *physicè* efficere) & tamen dum opus operatum propugnant, hanc efficientiam faciunt physicam, sive per potentiam Dei extrinsecùs assistentem, sive per virtutem aliquam activam inhzrentem; de qua insuper disputant sit ne illa obediencialis tantum, an qualitas superaddita; item sit ne spiritualis an corporea; quæ omnes sententiæ suos habent patronos in communione Romana, ut videre est apud eundem Becanum *ibid. q. 4. & 5.* At quid magis falsum quam Sacramenta N. F. aliam habere vim, non tantum quoad gradum, sed etiam quoad speciem, quam Sacramenta Veteris, contra id quod expressè docet Paulus *1. Cor: x, 1. 2. 3. 4?* Cui concinit Augustinus *tract. 26. in Ioh. Hunc panem (qui de cælo descendit) significavit manna, hunc panem significavit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt; in signis diversa sunt, sed in re que significatur paria sunt; Amplius audi, Nolo enim vos, inquit, ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt & omnes mare transierunt, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube, & in mari & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt; Spiritualem utique eandem, nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud &c.* Eadem habet in *Psal: 77.* Quid absurdius quam statuere ipsamet Sacramenta esse veras & immediatas causas justificationis, aut conferre gratiam justificantem ex opere operato, cum nihil sint aliud quam justificationis nostræ gratiæ signa, sigilla & pignora, uti supra visum, & ipsimet Pontificii, ad eorum usum legitimum requirant in adultis statum gratiæ & conscientiam à peccato mortali defæcatam? Illud ipsum *non ponere obicem* in adultis, nonne est ipsiusmet gratiæ effectus primarius, cum homo gratiâ deftitutus nihil aliud queat quam obicem ponere? Quid iniquius quam minus tribuere fidei, quoad gratiam justificationis, quam ipsis externis Sacramentis, licet *gratia & virtus Dei Sacramentis non sit alligata*, ut etiam monet Thomas *3. par. q. 64. art. 7.* & cum fidei tam sæpè nostra justificatio tribuatur in Scripturis, & ipsimet Pontificii justificationem primam fidei tribuant, & Sacramenta nihil præsint absque fide, fides verò plerumquæ sufficiat absque Sacramentis? Longè sanior mens Augustini,

gustini, apud ipsum Gratianum *dist. 4. de consec. can. 33.* Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est *Hodie mecum eris in Paradiso*, non leve documentum idem beatus Cyprianus assumit; Quod etiam atque etiam considerans invenio non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex Baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim Latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum, nec quia credidit passus est, sed dum patitur credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, in illo latrone declaratum est; sed tunc impletur invisibiliter cum mysterium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Quod si Sacramenta essent verę & immediatę causę justificationis, tum Sacramenta forent absolutę necessaria ad justificationem; cum effectus non possit dari cessante causa, nec pendeat unquam ex sola dispositione, uti Tirinus statuit Sacramenta causaliter se habere ad justificationem, fidem tantum dispositivę; attamen *infra Cont. xix, n. 3. & 4.* Baptismum suppleri posse multifariam ipse docebit, ac nominatim per pœnitentiam & votum Baptismi: An ergo tunc Pœnitentia & votum Baptismi conferet ex opere operato ipsam gratiam quam Baptismus fuisset collaturus? Vel an erit illa gratia opus operatum ipsiusmet Baptismi propter ejus votum & desiderium? Neutrum dixerit Jesuita si sapiat: Non prius; quia conferre gratiam ex opere operato, in Theologia Pontificia non virtutum est sed Sacramentorum: nec possit concipi quę contritio & pœnitentia, quę si adesset Baptismus, non concurreret *ut causa* ad justificationem sed tantum *ut dispositio*, per Baptismi defectum novam causalitatem adipisceretur. Non posterius; quia revera conferre gratiam ex opere operato, sit physicę operari: at juxta Becanum ipsum *cap. 3. de Sacram. q. 6. §. 2.* *Sacramenta non possunt physicę operari quando physicę non existunt; quia quod operatur physicę, hoc operatur per actionem physicam & realem. Sed realis actio in fieri dependet à reali virtute activa, & realem influxum ab eâ recipit; Ergo dependet à causa realiter existente.* Adhęc cum Tirinus hanc causalitatem veram & immediatam tribuit Sacramentis, non definit eamne competat omnibus & singulis, an quibusdam tantum ex illis: Si prius
 statua-

statuatur, tum omnia Sacramenta pariter erunt necessitatis ad justificationem & salutem; & sic cum Sacramento ordinis, debebunt omnes suscipere Sacramentum Matrimonii: Si posterius, tum gratiæ justificationis collatio ex opere operato, non erit universale *ὑποπλομα* quo Sacramenta N. T. à Sacramentis V. T. discernantur. Quid iterum absurdius & iniquius, quam plus tribuere fidei veterum quam nostræ, dum plus nostris Sacramentis quam illorum volumus vindicare? Etenim, uti dicebat Tirinus ipse n. i. Sacramenta veterum *non causabant veram justitiam, sed actus fidei in Christum & contritionis qui illis adjugebantur justitiam tum temporis causabant.* Ergo tunc vis causalitativa justitiæ fidei inerat: at nunc causalitas hæc ad Sacramenta transit, & fides in Christum eâ multata, ad dispositiones reducitur, id est ab æquis ad afinos. Quid denique absurdius & falsius quam Sacramenta novæ legis *non ponentibus obicem conferre gratiam ex opere operato, id est independentem à fide & devotione operantis seu conficientis actum Sacramentalem & etiam suscipientis Sacramentum?* Fateor equidem efficaciam Sacramenti non dependere ex fide & devotione conficientis sive conferentis Sacramentum; *Cum baptizat malus* (inquit Augustinus apud Gratianum *dist. 4. de consecr. can. 27.*) *ex aliqua vel ignorantia Ecclesia vel tolerantia, (aut enim ignorantur mali; aut tolerantur ut palea, quo usque in ultimo ventiletur area) illud quod datum est unum est: nec impar propter impares ministros, sed par & æquale propter Hic est qui baptizat.* Sed Sacramentum operari independentem à fide & devotione suscipientis etiam in adultis, quis audeat asseverare, quin pari ratione dicat vim Christi in hæmorrhøissa fimbrias vestis ejus tangente, operatam fuisse independentem ab illius fide, contra quam historia Euangelica testatur? Et si hoc admittatur quid erit discriminis inter dignum & indignum communicantem; quandoquidem ad salutarem communicationem non requiritur ulla fidei & devotionis operatio? Tunc enim æquè fructum Sacramenti percipiet indignus ac dignus. Quod si concurrat fides ad gratiam, quam efficit Sacramentum per modum dispositionis, ergo Sacramentum in suo operari pendebit quoque à fide, ut à dispositionibus præviis pendet in physicis introductio formæ: Imò cum illa ipsa non positio obicis, sit conditio sine qua non operationis Sacramentalis, tantum

tantum hæc suspendi debet ex fide & devotione suscipientis, quantum illa fidei & devotioni debetur. Et cum in sacra cœna non *quærens dente sed qui credit corde* fiat particeps carnis Christi & efficaciam Sacramenti consequatur, hæc non potest esse independens à fide & devotione suscipientis.

Patet Marci ult. 16.) Hic homo vult prodere suam causam non probare, dum ea adfert quæ nihil minus quam opus operatum independens à fide & devotione suscipientium tribuunt Sacramentis. Marc: xvi, 16. ita fides præmittitur Baptismo, ut omnis ejus efficacia ex fide pendeat, quandoquidem certum sit Baptismum absque fide (adulto saltem juxta Pontificios) nihil prodesse: Accedit ergo Baptismus ad fidem, ut olim Circumcisio Abrahamo in signum & sigillum justitiæ fidei Rom: iv, 11. Ioh: iii, 5. non agitur de Baptismo fluminis sed de Baptismo flaminis; Et si ipsam totam regenerationem efficeret Baptismus etiam in adultis, tum sanè in ipsis quoque deberet fidem & pœnitentiam operari, quæ sunt ipsius regenerationis partes essentielles: Utraque tamen præmittitur Baptismo Matth: xvi, 16. Act: ii, 38. Quod verò altero hoc loco jam compunctis corde dicitur, Resipiscite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomen Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti, nihil facit ad opus operatum, aut independenciam Jesuiticam; nam sub resipiscentiæ nomine ipsam quoque fidem in Christum hic exigi, nec ipse dubitaverit Tiranus, qui illud, *in nomine Christi*, interpretatur *ibi, in fide, professione, virtute ipsius: & certum esse statuit, pœnitentes hos tria milia antequam baptizarentur instructos fuisse de S. S. Trinitatis aliisque fidei nostræ mysteriis quæ symbolo Apostolico continentur, ut fuse docet Suarez, Coninck & alii Scholastici.* In his ergo erant fides & resipiscencia, adeoque gratia sanctificans, à qua hæc virtutes producuntur, antequam baptizarentur, & per consequens non contulit ipsis Baptismus ex opere operato hanc gratiam quam jam habebant; sed dependenter ab eorum resipiscencia & fide in illis ob signavit illam remissionem peccatorum suorum quam jam verà in Christum fide apprehenderant & crediderant: Baptizari enim in remissionem peccatorum nihil aliud est quam remissionis peccatorum in sanguine Christi signum & sigillum

certissimum per hoc Sacramentum consequi: nec magis ex opere operato Baptismi pendet remissio peccatorum, quam collatio charismatū Spiritus sancti hic annexa ab Apostolo. Requiritur ergo Baptismus ad fidem & resipiscentiam, non ut producat gratiam, sed ut illam obsignet & confirmet. De loco Act: xxii, 16. dixi ad N. I. Cum justificatus jam Paulus esset ante Baptismum, uti ex Tirino demonstravimus non potuit Baptismus ei conferre gratiam justificantem ex opere operato. Act: viii, 17. Apostolica impositio manuum ad conferenda charismata extraordinaria Spiritus sancti non concurrebat effectivè, sed significativè; prout eadem manuum impositio super ægris, ipsis non conferebat sanitatem ex opere operato, sed ex opere operantis, cum fieret illis secundum fidem suam: & quam illud nihil faciat ad Sacramentum imaginarium Confirmationis dicemus suo loco. De locis Eph: v, 26. & Tit: iii, 6. dixi itidem ad n. i. Mirum non est id signo tribui quod est rei significatæ, cum hoc fluat ex ipsa natura Sacramenti citra ullum opus operatum. Locus 1. Pet: iii, 21. jugulum petit hujus causæ. Nam prout Paulus Tit: iii, 5. 6. salutem nostram tribuit principaliter misericordix Patris, beneficio Filii, efficacix Spiritus Sancti super nos copiosè effusi per Iesum Christum, lavacro autem regenerationis sive Baptismo non nisi declarativè, significativè & obsignativè, & Eph: v, 16. Sanctificationem nostram deputat efficienter ipsi Dei verbo, purganti corda à conscientia mala, obsignativè & Sacramentaliter Baptismo, in quo corpus abluitur aquâ mundâ Heb: x, 22. 23. Ita etiam Petrus disertè Baptismum quo servamur statuit esse non externum, quo carnis sordes abjiciuntur, sed internum qui consistit in stipulatione bonæ conscientix apud Deum per resurrectionem Christi; Et ne Baptismo ipsi aliam vim quam significativam & obsignativam tribuamus, ab ipso Petro ἀβλύσιον appellatur, ut non tam quid sit, quam quid significet debeat attendi. Scio equidem Lorinum cum suis illud Petri ἡ σαρὰς ἀπόθεσις ῥύπτῃ, referre non ad Baptismum ipsum sed ad alios abluendi modos usitatos in veteri Testamento; Sed meliori conscientix usus noster Tirinum agnoscit & illud ad Baptisma pertinere; sic tamen ut ei conveniat ablutio, non tantum fordium carnis, sed etiam sordium anime seu conscientie. Et res ipsa loquitur Petrum illâ antithesi velle

mentes

mentes Christianorum à signo ad rem signatam, à sensibili ad intelligibile elevare, ne ipsi aquæ quæ cutem duntaxat abluit, tribuatur ex opere operato, quod est sanguinis Christi quem significat, à quo solo sordes animi & conscientiæ eluuntur: Et illud est quod ante nos docuit Augustinus tract. 80. in Iob. *Accedis verbum ad elementum & fit Sacramentum: Vnde autem tanta vis aqua ut cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur sed quia creditur.*

Et qua aliqui ratio) Hæc disceptatio de Baptismo Iohannis commodiùs forte potuisset referri ad Controversiam sequentem, in quâ hæc crambe recoquitur n. 10; sed Tirinus eam sciens natam ex quæstione de opere operato, quod evertit disertè Iohannes Matt: 111, 11. voluit quoque illâ huc inferre: Operosè non est probandû Baptisma Iohannis idem re & substantia fuisse cû nostro, quamvis in aliquot circumstantiis discrepent, prout & ipsa prima cœna à Christo instituta à nostrâ differt in quibusdâ circumstantiis; Christus enim tum tradebat panem in symbolum corporis sui frangendi pro nobis, quamvis usus sit præsentis, quia cingendus pro cincto habetur; nobis verò traditur in symbolum corporis fracti & sanguinis effusi. Sanè cum Baptisma Iohannis non pertinuerit ad cæremonias legales & vetus Testamentum Matth: xi, 13. debuit esse Sacramentum N. T. à nostris quoad modum operandi non distinguendum. Hinc Euangelii initium Marcus constituit in præconio & Baptismo Iohannis Marc: 1, 2. quod & monuit Cyrillus catech. 3. illum. Non contentus enim dixisse ἀρχὴ τῆ κόσμου τῷ ὕδατι καὶ ἀρχὴ τῶν ευαγγελίων ὁ ἰορδάνης, paullo post subiicit, *Vetus Testamenti finis & novi principium est Baptismus; Ioannes erat dux, ἀρχηγός, ejus, quod major inter natos mulierum nullus, qui finis erat Prophetarum, omnes enim Prophetæ & Lex usque ad Iohannem; & idem erat rerum Evangelicarum principium; Initium enim Euangelii Iesu Christi & qua sequuntur erat Iohannes baptizans Baptisma.* Hinc eadem quoad essentialia de Baptismo Iohannis & de Baptismo ab Apostolis administrato leguntur. Iohannes prædicabat Baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum Marc: 1, 4. & Act: xix, 4. baptizabat Baptismo resipiscentiæ, dicens populo ut in eum crederet qui veniebat post se, hoc est in Christum Iesum: Similiter Apostoli Act: 11, 38. Resipiscite & baptizetur unusquisque

que vestrum in nomen Iesu Christi, in remissionem peccatorum: Et cum nostra Sacramenta non secus ac vetera in seipso sanctificare voluerit Dominus, necesse est Baptisma illud Iohannis quo voluit baptizari, idem re & substantiâ esse cum nostro: unde author *de oper. card. Christi*, apud Cyprianum *serm. de bapt. Christi*, *Veniebat Christus ad Baptismam non egens lavacro in quo peccatum non erat, sed ut Sacramento perennis daretur auctoritas, & tanti virtutem operis nulla personarum acceptio commendaret; quoniam remissio peccatorum sive per Baptismum, sive per alia Sacramenta donetur, propriè Spiritus Sancti est & ipsi soli huius efficientie privilegium manet.* Nec evertunt hanc veritatem; quæ in contrarium habet Tirinus: Paulus Act: xix, 4. non coëgit baptizari Baptismo Christi quos audierat baptizatos Baptismo Iohannis: Absit ut statuamus Paulum Anabaptismi patronum; Res per se clara est, nempe hos non fuisse denuo à Paulo baptizatos, sed Paulum postquam eos edocuisset de natura, sine & usu baptismatis illius Iohannis, quo jam initiati erant, illis manus imposuisse, ut Charismatum illorum Spiritus Sancti, de quibus nesciverant antea an darentur, fierent participes; Nec enim ulla subesset ratio cur hi potius duodecim antea à Iohanne baptizati à Paulo rebaptizarentur, quam Apollos ille Alexandrinus, de quo Act: xviii, 25. qui sciens tantum Baptisma Iohannis, ab Aquila & Priscilla fuit penitius edoctus viam Domini, neutiquam verò iterum baptizatus, etsi id ariolentur adversarii, nominatim Petrus Lintrensis ad Act: xviii, 27. Igitur illa verba Act: xix, 5. ἀκούσαντες δὲ ἰβαντισθῆσαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἰησοῦ, non sunt Lucæ referentis quid istis contigerit postquam jam audivissent Paulum, sed ipsiusmet Pauli narrantis quomodo ij qui auscultabant Iohanni dicenti populo ut crederent εἰς τὸν χριστὸν ἰησοῦν (quem scilicet digito monstrabat & dicebat hic est) ejus Baptisma admittendo, eo ipso facti fuerint Christiani & baptizati in nomen Iesu Christi: Hoc ubi eos pressius docuit Apostolus, tum illis, utpote jam baptizatis per Iohannem, manus imposuit ad collationem charismatum Spiritus Sancti, quæ illicò se prodiderunt. Non nescio alios aliter respondere, vel baptizatos hos se profiteri Baptismate Iohannis, id est tantum ejus doctrinâ imbutos, vel baptizatos dici à Paulo Baptismo fluminis non fluminis; Sed
expos-

expositio illa quam dedi plenissima est, primùm quidem à Beza ob-
 servata, sed exindè in nostris Ecclesiis receptissima: Confirmatur
 autem ex eo quod illud *ſc̄i*, autem, correspondet *τῷ μὲν, quidem*, quod
 erat in versu præcedenti, unde liquet ad eandem orationem pertinere;
 Nec potest aliter huic rationi obviam ire Lintrensis, quam statuen-
 do illud (*autem*) non reddi *isti μὲν quod præcessit versu 4. verum per se*
poni copulandis solum sermonis gratia, perinde ac si nullum μὲν præcessisset:
 quod sanè est indicium causæ desperatæ; cum pleonasmus non possit
 fingi in illo *ſc̄i*, quin similiter constituatur in *μὲν* quod præcessit.
 Quod verò spectat intervallum ab ipso Iohanne constitutum inter
 Baptismum Christi & suum Ioh: 1, 26. illud non spectat Baptismum
 externum Iohannis cum externo Baptismo per Christum mandato,
 collatum: Etenim, uti antea dixi, idem erat; & Baptismum Iohannis
 Deum habuisse authorem, & ipsū cœlitus missum fuisse ad ejus admini-
 strationem, sicut & divinæ institutionis est Baptismus noster, ex Scrip-
 tura liquet; & baptizabat sicut ipsimet Apostoli, uti modo visum, in
 nomine Christi, idque Baptismo resipiscentiæ in remissionem pecca-
 torum: Baptizando autem in nomen illius qui post se veniebat, sive
 ut agnoscit ipse Tirinus ad *Act: xix, 2.* invocatione *Christi venturo* &
 quem præsentem digito ostendebat dicendo, Hic est agnus Dei qui
 tollit peccata mundi, baptizabat eo ipso (quicquid contra nitantur
 adversarii, Tirinus nominatim V. S.) non minus quam Apostoli po-
 stea, in nomen Trinitatis, si non formaliter & totidem verbis sal-
 tem eminenter; unde etiam celebratissimum illud veterum axioma,
Abi Ariane ad Iordanem & videbis Trinitatem. Quare superest ut inter-
 vallum illud constituat Iohannes inter id quod extrinsecè præstabat
 tanquam servus, & id quod intrinsecè præstat Christus tanquam
 Dominus; prout & dicitur 1 Cor: III, 5. 6. 7. Paulum qui plantat
 nihil esse, nec Apollos qui rigat, sed Deum qui dat vim crescendi.
 Ideo Iohannes sibi tribuit Baptismum aquæ, id est externum mini-
 sterium, Christo Baptismum Spiritus, id est internam efficaciam.
 Quod si inde sequeretur in Iohannis Baptismo, etiam respectu Dei
 nihil fuisse Spiritus sed meram aquam, pari ratione statuendum foret
 in Baptismo Christi nihil esse aquæ sed tantum Spiritum: Sanè non

descendisset tam palam Spiritus Sanctus super Christo cum à Iohanne baptizabatur, nisi etiam hoc symbolo voluisset Deus testari Spiritus efficaciam & gratiam adesse illi Sacramento à se instituto & à Iohanne administrato in Euangelicæ prædicationis & N. T. auspiciis: Nec dubitem Pontificios ipsos doctiores his facile assensuros, nisi Conciliabuli Tridentini definitio & studium inserviendi suæ hypothese de opere operato eos retineret. Nonne præstitisset illam vim operis operati abrogare etiam Sacramentis N. F. quam ad Sacramenta vetera Baptismum Iohannis relegare? Et unde certius iudicium de nostris Sacramentis quam ex iis quæ sacræ litteræ habent tum de Sacramentis V. T. tum de ipsomet Baptismo Iohannis, qui expressa invocatione nominis Christi peragebatur?

Et quomodo alioqui) Supra ad n. 10. Controv. xv. diximus de infantibus: In ipsis quamdiu non sunt rationis capaces, Sacramenta obstant activè ex parte Dei, non passivè ex parte sui: Cum baptizantur non capiunt quid sibi fiat, ut nec puer cum coronatur in cunis, sed ubi adoleverint tum intelligunt. Vide verò hic infirmum Jesuitæ argumentum. Debet prodesse Baptismus infantibus, ergo confert illis gratiam ex opere operato. Nulla enim est hujus consequentiæ firmitudo: cum etiam prodesse debuerit & actu prodesset infantibus Circumcisio V. T. quam tamen ipsemet Tirinus negat contulisse illis gratiam ex opere operato: Explicet nobis modum quo infantibus proderat Circumcisio, neque ex opere operato, neque à parte infantium ipsorum ex opere operantis, & tum intelliget quomodo proficit illis Baptismus sub novo Testamento.

Ratio verò à priori est) Nec plus inest ponderis huic rationi ad hanc rem quæ agit: Cur non enim æquè dixeris de Sacramentis V. T. ea processisse à Deo non solum in institutione, sed etiam in usu & applicatione, quamvis non contulerint gratiam ex opere operato? Quis dubitat etiam Sacrificia & Sacramenta Legalia omnem vim & efficaciam habuisse non ex se sed ex Christi morte & meritis, quandoquidem in illorum usurpatione actus fidei in Christum causabat iustitiam, ut dixit suprà Tirinus n. 1. ? Urgeo amplius: Illud non agit per vim aliquam physicam sibi inhxerentem, sed tantum per energiam moralem, quod
habet

habet omnem suam efficaciam *ex morte & meritis* Christi ; quandoquidem omnis illius efficacia tum sita est in *χριστι* & relatione ad Christi mortem : Iam verò quod habet efficaciam tantum moralem in Theologia Tirini non producit gratiam ex opere operato , quandoquidem in frà n. 13. tribuit efficaciam tantum moralem Sacramentalibus suis , quæ non agere ex opere operato statuit vulgus Scholasticorum. Et cum suo loco viderimus Becanum & Bellarminum non nisi moralem efficaciam deputare Sacramentis N. T. eò minus potest subsistere opus operatum , quod illud nisi positâ efficientiâ physicâ defendi non possit. Adhæc prædicatio publica verbi divini, non solum in institutione , sed etiam in usu & applicatione, procedit à Christo ut præternaturali agente , & efficaciam suam habet ex ejus morte & meritis ; hic est enim qui intus docet & movet affectus juxta Scripturam Ioh: vi, 4. 5. I. Cor: iiii, 9. An inde sequetur prædicationem verbi & eò quod Evangelium sit potentia Dei ad salutem omni credenti Rom: i, 16. eam conferre gratiam ex opere operato ? Porro non faciunt ad rem loca duo hic citata Tirino : Nam Ioh: i, 33. non absolutè dicitur Christum esse qui baptizet , sed esse eum qui conferat ubi & quo modo vult rem Baptismo significatam, nempe Spiritum Sanctum. Quod si ipsum Baptisma ut externè à ministro administratur, illam Christi energiam modo quodam physico semper adjunctam haberet , nemini conferretur in cassum , & sic de facto justificarentur quotquot externè baptizantur ; quia Spiritus Christi removeret in illis omnem obicem incredulitatis, hypocrisis & peccati mortalis, quod tamen repugnat quotidianæ experientiæ. Locus alter Luc: vii, 21. ut supercilium deprimit Sacrificulorum sibi tribuentium ex tribunali Pœnitentiæ potestatem peccata remittendi, sic nihil habet pro opere operato : Deus enim qui efficienter remittit & condonat nobis nostra peccata , hoc remissionis beneficium obsignat per Sacramenta , quibus hæc virtus ex promissione & institutione sua competit : Imò nihil minus quam remissionem peccatorum Sacramenta possunt in nobis producere ex opere operato : Nam opus operatum ponit realem effectum nobis subjectivè inhzrentem ; Sed licet acceptatio & fiducia remissionis peccatorum nobis subjectivè insit , ad ipsam

ipsam tamen remissionem peccatorum, non aliter nos habemus quam objectivè & terminativè, cum ea nihil aliud sonet quam propositum Dei de peccatis nostris non puniendis, propter meritum & satisfacti-
onem Filii sui: quod & ab Augustino dictum in *Psal: 31. Si texit peccata Deus noluit advertere: si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire; noluit agnoscere, maluit ignoscere.* An non & remissionem peccatorum consequerentur fideles sub V. T. ? Uti-
que; & tamen nullo opere operato in ipsis producebatur, fatentibus ad-
versariis: Cur ergo eam nunc produci fingunt in nobis per opus ope-
ratum ?

*Num. 7. Quia verò nullum Sacramentum veteris legis, seu naturæ, seu Mosaicæ, justificabat EX OPERE OPERATO, sed solum ratione FIDELI ET CONTRITIONIS adjunctæ; hinc longo intervallo (etsi id negent iidem hæretici,) cedunt Sacramentis novæ legis. Antecedens constat ex Rom: III, 20. Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Neque Abraham per Circumcisionem justificatus fuit Rom: IV, 2. Inò I. Cor: VII, 19. Circumcisio nihil est, neque aliquid valet, Gal. VI, 15. & c. IV, 9. vocat infirma & egena elementa; Philip. III, 8. derisivum & c. Col. II, 17. umbram futurorum: Ideoque Heb. VII, 18. reprobata propter infirmitatem & inutilitatem; cap. IX, 10. & 13. fuisse solum iustitias carnis & emundasse car-
nem; cap. X, 1. non potuisse accedentes perfectos facere, neque auferre peccata v. 4. neque mundare conscientiam v. 2. Ideoque Deum *Psal. xxxix, 7. sacrificium & oblationem noluisse, nec ei in hunc modum placuisse.**

Objectiones solvi Gen. XVII, 14. *Delebitur anima illa de populo suo. Lev. IV, v. ult. Rogabit sacerdos pro peccato ejus et dimittetur ei. I. Cor. X, 3. Eandem escam spiri-
tuale manducaverunt, & c.*

CENSURA. *Quia verò nullum Sacramentum) Varia admittimus discrimina, inter Sacramenta Veteris & Novi Testamenti: Hæc enim illa superant paucitate, facilitate, perspicuitate: Hæc merè sunt Euangelica, & rectà ad Christum jam manifestatum nos ducunt; Illa autem ut operosiora erant & obscuriora, in adumbrando Christo ven-
turo, sic habebant cum significatione Euangelica & aliā le-
galem, per quam Moses suæ Sephoræ erat vir sanguinum: Hoc in-
sinuat ipse Apostolus Heb: X, 1. Legem umbram obtinuisse futuro-
rum bonorum, non vivam imaginem rerum; similitudine desump-
ta à pi-*

ta à picturis, quarum aliæ rudem duntaxat habent delineationem rei repræsentandæ, aliæ accuratiores eam quasi ad vivum exprimunt; quod & ipsi Tirino *ibi* observatur: Unde fit quod Nazianzenus, Theodoretus, Theophylactus *ibidem* ei citati, legi Mosaicæ tribuunt *ορια*, id est *umbram*, Evangelio *εικονα* id est *imaginem* expressiorem, Cælo *αληθεαι*, id est *veritatem*. Nec aliter de discrimine hoc philosophati sunt alii veteres. In *signis* (inquit Augustinus, *tract. 26. in Ioh.*) *diversa sunt, sed in re qua significatur paria sunt*: hæc quoad rem: quoad modum rei *Mutata Sacramenta*, inquit idem, ad *Psal: 37. facta sunt faciliora, salubriora, saliciora*. Et *cap. 9. lib. 3. de doct. Christi*. Hoc tempore posteaquam resurrectione Domini nostri Iesu Christi manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum qua jam intelligimus operatione gravi onerati sumus; Sed quadam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Domini. Qua unusquisque cum percipit quo referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed spiritali potius libertate veneretur. Similia habet *lib. de vera relig. cap. 17. & lib. 19. contra Faustum cap. 13.* Nec dubium quin ut clarior & facilior est significatio nostrorum Sacramentorum, virtus quoque eorum efficacior sit: Sed illa efficacia gradu duntaxat non specie differt ab efficacia quæ inerat Sacramentis V. T. Quod verò statuit Tirinus hoc esse discrimen inter vetera & nova, quod hæc gratiam conferant ex opere operato, illa non, est falsissimum: Nam neque in his opus operatum esse admittendum, jam ante demonstravimus. Quare si quæ hîc habet non aliò dirigantur quam ut probetur nullum Sacramentum Veteris legis justificasse *ex opere operato*, facile ipsi assentiemur, cum ne quidem hoc opus operatum in nostris Sacramentis agnoscamus. At si velit ex illis efficere, hoc esse discriminis inter Sacramenta vetera & nova, quod illa non nisi ex opere operantis, hæc etiam ex opere operato conferant gratiam, nullis fideiculis id eliciet ex locis quæ huc congeffit. Id videamus.

Antecedens constat ex) *Locus Rom: 111, 20.* non agit de Sacramentis aut eorum efficiencia, sed de justitiæ nostræ materia coram Deo,

quæ ex operibus legis haberi nequit. Sed quæ Logica docuit Jesuitas sic argumentari: Nunquam opera legis possunt esse causa materialis nostræ justitiæ; Ergo Sacramenta V. T. non potuerunt esse instrumenta gratiæ ejusdem generis cum nostris Sacramentis? Circumcisio ut erat signum & sigillum justitiæ fidei ipsi Abrahamo, non poterat accenseri operibus legis; ut nec cœtera Sacramenta in quantum non legi sed gratiæ subserviebant. De Abrahamo Rom: iv, 2. non dicitur quod non fuerit per Circumcisionem justificatus, sed per opera legis; imo justificationem Abrahami ex fide non ex operibus, per ipsam Circumcisionem illiusque in Abrahamo usum Paulus comprobat. Adhæc neque per Baptismum quis formaliter justificatur, sed tantum declarativè & obsignativè: Et sicut Abraham jam justificatus fide, per Circumcisionem quæ sequuta est justificari nequivit ex opere operato; ita Paulus jam fide justificatus antequam baptizaretur, ut supra ex ipso Tirino demonstravi, per sequentem Baptismum ex opere operato justificari non potuit. Agnoscimus Circumcisionem juxta loca 1 Cor: vii, 19. Gal: vi, 15. nihil esse, ad nihil prodesse, Primùm post Christum manifestatum & ad illius communionem sub Euangelio; nam eò spectat Paulus in utroque hoc loco; & eam velle revocare esset Christi beneficio renunciare & se legis umbris & cæremoniis subdicere: Secundò etiam sub V. T. ut externè tantum considerabatur & quatenus fiebat in cute, quod & docemur Rom: xi, 28. 29. Quo sensu etiam Petro nihil est & ad nihil prodest Baptismus in solo esse suo externo consideratus, quo sordes carnis deponuntur 1 Pet: iii, 21. ut nec in Eucharistia panis & vinum, si per indevotionem & incredulitatem participantium, absit res Sacramenti; juxta illud Augustini apud Gratianum *dist. 2. de consecr. can. 65. Qui discordat à Christo nec manducat carnem ejus nec sanguinem bibit, etiamsi tante rei Sacramentum ad judicium sua presumptionis quotidie indifferenter accipiat.* Sanè Tirinus ipse ad 1 Cor: vii, 19. nostram comprobat responsionem: *Circumcisio (inquit) nihil est, id est ad salutem homini Christiano nec prodest nec obest: Loquitur S. Paulus de suo tempore quo cæremonia Iudaica jam tum mortua erant, sed necdum mortifera, ut paulo post facta sunt, inquit S. Ambrosius, Anselmus, Cajetanus,*

IAMUS; & ad Gal: vi, 16. illud in Christo, in quo nihil juvat Circumcisio, interpretatur in religione Christiana, ut & ad Gal: v, 6. Iam vero quid absurdius quam inde colligere, nullarum virium fuisse Circumcisionem sub V. T. eo quod postquam mortua est & mortifera, nihil profit sub Novo? An dicemus enim absolutè Sacramenta à Deo instituta, quamdiu eorum durabat œconomia & viva erant, nihil planè fuisse, ad nihil planè profuisse, aut Deum illuisse populo suo per hæc signa, aut rem tantæ molis instituisse & sub gravissimis etiam pœnis exegisse, quæ tamen frustra esset? Idem dico de loco altero ex Gal: iv, 9. Tunc sanè Galatis cæremoniæ legales egena erant & infirma elementa, cum mortuæ essent & mortiferæ; Non verò tales fuerunt Sanctis V. T. quibus erant signa & sigilla justitiæ quæ est fidei. Phil: III, 8. Paulus non agit tantum de cæremonialibus, sed potissimum de moralibus, quibus tamen nolebat confidere, in solius Christi justitia & merito acquiriturus: Sed & ausim dicere etiam detrimento futurum illi Baptismum externum, qui eo solo nixus resipiscentiæ & fidei in Christum securus fuerit. Col: II, 17. cæremoniæ veteres *umbra* quidem dicuntur, sed non inanes efficaciæ & gratiæ: Nam etiam umbræ corpus non adumbrant modo & repræsentant, sed & quadantenus præsens sistunt spectatoribus: Ac sicut Mathematici ex umbris terræ metiuntur cælestia, ita fides piorum sub V. T. in illis umbris & *σκιαι*, etiam τὰ *φαντά* metiebatur & contemplabatur ad salutem: Tum demum vero illis umbris non insistendum, quod volebat Paulus, cum jam tenemus corpus ipsum, seu, ut ibi Tirinus interpretatur, *veritatem & adimpletionem figurarum per Christum exhibitam*. Sed etsi dicantur inanes umbræ oppositè ad Christum, sive contradistinctè ab ipso & re significata, an ideo habendæ fuerint eodem loco sub V. T. conjunctè cum Christo, sive relativè ad Christum & rem significatam? Atque sic etiam respondeo ad locum ex Heb: vi, 18. Ibi enim non fit comparatio Sacramentorum veterum cum nostris, sed totius legis in se & citra *χριστιν* ad Christum consideratæ, cum unico æterno & immutabili sacerdotio Christi; At quamvis Lex & œconomia tota legalis oppositè ad Euangelium fuerit non modo infirma sed planè inu-

nè inutilis ad justificandum , quod patet ex Rom: VIII, 3. ut tamen non negant adversarii fuisse locum sub V. T. gratiæ & justificationi per Christum , sic negare nequeunt legalem cultum , non legaliter consideratum sed cum *grætiæ* & relatione ad Christum atque Evangelica significatione , suam habuisse vim & efficaciam ad justificationem gratuitam per fidem in Christum obsignandam, confirmandam & suo sensu exhibendam fidelibus. Nec plus est ponderis in reliquis testimoniis ex cap. ix, 10. & 13. Nam quæ dicuntur de cæremoniis legalibus in se tantum consideratis , & absque Christo ac relatione ad ipsum , quo sensu inserviebant tantum *purgationi exteriori in foro fori, non in foro poli* , ut monet Tirinus *ad Heb: ix, 10.* non debent trahi ad easdem consideratas in usu suo formaliter Sacramentali & respectivo ad Christum , cujus gratiam non adumbrabant modo , sed suo modo exhibebant , ut etiam Deus potuit in *umbra* Petri vim & efficaciam suam exerere ad ægros sanandos. Heb: x, 1. 2. monemur non potuisse illum cultum Leviticum perficere vel sanctificare quenquam & peccata auferre , nempe consideratum in eo quod erat ut Heb: ix, 9. non verò in eo quod significabat ; Patet id ex ratione Apostoli desumpta à Sacrificiorum illorum veterum anniversaria & sæpiùs repetita reiteratione : quæ sanè si procedat ad efficaciam omnem Sacramentalem cultui Levitico, etiam in sua *grætiæ* ad Christum abrogandam , ejusdem erit ponderis contra ea Sacramenta N. T. quæ sæpiùs itidem repetuntur : Sed illa Pauli ratio ostendit sibi cultum illum considerari tantum exterioriùs & in se , & prout illi Israëlitz carnales ultra velum non prospicientes adhærescebant. Verùm Tirino parum interest hoc loco Missam ipsam periclitari quæ iteratò non esset offerenda , juxta Paulinum argumentum , si vim haberet peccata expiandi , modo omnis efficacia Sacramentalis abrogetur Veteri Testamento : Non potest sanè sanguis taurorum & hircorum auferre peccata , ut habetur ibid. com. 4. vi nempe propriâ & physicâ ; sed neque sic potest aqua Baptismi , quæ ultra cutem non progreditur , peccata delere & abluere : Sed ut sanguine Christi per Spiritum Sanctum ex promissione divina in Baptismo asperguntur conscientiæ nostræ, ita nihil impedit quo minus facta fuerit aspersio sanguinis Christi super

con.

conscientiis fidelium in asperſionibus externis & legalibus, quæ illi ſignificandæ & obſignandæ deſtinabantur. Cornelius à Lapide hinc imprudens noſter eſt; Nam ad *Heb: x, 2. n. 217.* diſertè ſtatuit illa ſacrificia legalia, non fuiſſe quidem *expiatoria peccati* antepoſenda *sacrificio Chriſti*, ſed tamen fuiſſe pretii redemptorii in cruce olim offerendi *applicatoria*, cujuſmodi vult nunc eſſe ſacrificium Miſſaticum; applicatoria autem eſſe nequiverunt redemtionis Chriſti æquè ac Miſſa, quin ejuſdem cum illis efficaciz ſtatuantur. Quoad locum *Pſalmi xxxix.* juxta *Heb: xl, 7.* citatum ipſi Paulo *Heb: x, 5. 6. 7.* is oſtendit debuiſſe Chriſtum alio ſacrificio quam *Levitico*, nempe oblatione ſui ipſius corporis, quod eum in ſinem adaptatum ſibi profiteretur, nos redimere coram Deo; ſed non demonſtrat ſacrificia legalia, ut *αἵμα* ſuam habebant ad Chriſtum ejuſque ſacrificio adumbrando deſtinabantur, nullius fuiſſe efficaciz, non ſui reſpectu & per ſe, ſed reſpectu rei ſignificatz & per illam: Ut nihil dicam de *ἀσπληγῆς* Ieſuitæ, dum in controversia de Sacramentis, à Sacrificiis argutatur: Nam Sacrificia in ſuo formali ſacrificiorum peragebantur extra peccatores & homines; nihilque hoc ſenſu poterant in illis efficere: Sed fideles ipſa Sacramenta in ſe ſuſcipiebant, utique non fruſtra, & per conſequens non abſque aliqua vi & operatione eorum.

Objectiones ſolvi) Ad locum *Gen: xiv, 17.* nihil annotavit Tirinus, quod propriè huc faciat: monet tantum mortem illam denunciari corporalem, eamque pœnam ſolos adultos & infantes poſtquam adoleviſſent tetigiſſe: Item quod ſi ante tempus præſtitutum ad Circumciſionem mortis interea periculum ingrueret, poterat privilegio & ritu antiquo juvari infans, & quocumque alio externo actu fidei per parentes vel amicos exhibitio expediſſe à peccato originali, uti poterant ſœmina Iudaica & alii omnes aliarum nationum populi; præceptum enim Circumciſionis ſolos illos Abrahæ poſteros qui erant & habebantur filii promiſſionis ſpectaſſe; reliquos ex ipſo oriundos, ut Iſraëlitas & Idumæos, non aliter quam vernaculos aut ſervos, nempe non niſi quia & quamdiu cum ſemine promiſſionis habitabant; qui ſeparatione à Iacobitis factâ poterant omiſſere Circumciſionem, etiam retento apud ſe vero Dei cultu; pleroſque tamen retinuiſſe non ut Sacramentum ad expiandum originale peccatum, neque ut ſignum fidei,

*vel obedientia erga Deum, multo minus ut professionem venturi Messia sicut
 Iudæi faciebant, sed ut liberum morem & sanctum ritum à Deo acceptum, à
 majoribus observatum, atque id temporis passim laudatum & honoratum.*
 Sed ut in his omnibus nihil planè est quod abroget efficaciam Cir-
 cumcisionis, aut eam deprimat infra efficaciam Sacramentorum
 N. T. imo è contrario argumentum pro illa firmissimum ex eo quod
 fuerit Circumcisio Judæis *Sacramentum ad expiandum originale peccatum,*
 quo nihil majus de Baptismo dicitur in Papatu, ita vice versa multa
 sunt censurâ dignissima in hac Tiriniana doctrina. I. Cornelius à
 Lapide ibi agnoscit illam pœnam sic corporalem fuisse infligendam
 per judicem, ut per eam significaretur & intentaretur *mors spiritualis
 anima & æterna damnatio illi qui Circumcisionem, vel infans non suscepit
 (infanti enim mors anima infligi potest à Deo, non verò mors corporis à judice)
 vel adultus neglexerit.* Quibus verbis statuit Jesuita ille, contra quam
 hic noster definit, pœnam illam etiam *infantes* antequam adolevisent
 spectasse, adeoque non minoris efficaciz & necessitatis Circumci-
 sionem quam Baptismum ex Adversariorum sententia fuisse; Quan-
 quam verum sit illam pœnam denunciari solis adultis vel in se vel
 in suis Circumcisionem negligentibus; cum non privatio Sacra-
 menti damnet, sed illius duntaxat contemptus qui in infantes non
 cadit. II. Dum Tirinus hîc multum elevat necessitatem Circum-
 cisionis, etiam tantundem detrahit necessitati Baptismi qui in illius
 locum successit. III. Deberet explicare quodnam fuerit privilegium
 & quis ritus antiquus quo poterat infans juvari ante octavû diem Cir-
 cumcisioni destinatum, quandoquidem eum ritum illudve privile-
 gium nondum ipsius symmystæ ex traditione Judaica haurire potue-
 runt. IV. Non video quî fingatur ad id privilegium & ritus specialis,
 si idem præstari poterat *quocunque alio externo actû fidei per parentes & ami-
 cos exhibitio,* etiam *apud omnes aliarum nationum populos.* Nam quod est
 commune omnibus populis non habere potuit rationem privilegii
 antiqui pro Judæis; nec ibi ritus aliquis est necessarius, ubi quilibet
 actus externus fidei parentum sufficit ad peccati originalis inductio-
 nem. V. Longè faciliorem hîc viam salutis comminiscitur ante Chri-
 stum, quam sub Evangelio; quandoquidem tunc quilibet actus ex-
 ternus

ternus fidei parentum vel amicorum sufficiebat absque ullo Sacramento ad infantem expediendum ab originali peccato ; nunc vero ad id præcisè requiratur Sacramentum Baptismi. VI. Longè tenacius facit nunc peccatum originale tempore gratiæ quam olim tempore legis : tunc enim facilè poterat extirpari & deleri ; nunc verò ad id requiritur efficacia grandior & vis maior operis operati in Baptismo. VII. Absurdè quoque fingitur potuisse verus Dei cultus olim remansisse apud aliquos populos qui non essent Filii promissionis & qui incircumcisi remanerent ; cum hoc esset fœderis divini signaculum, quo Dei populus & verus ipsius cultus dignoscebatur. Denique ea hîc docet de Circumcisione quorum saltem respectu , si non eò modo quo à Judæis, posset adhuc hodie à Christianis observari, quod nec improbat fieri à Mahometanis ; an ad Pauli mentem Gal: v, 2. VI, 13. viderit ipse. Ad alterum locum Levit: iv, 35. nihil planè Tirinus annotavit : Nec à nobis citaretur pro efficacia Sacramentali , cum agat de Sacrificio expiatorio: Interea tamen hæc duo ibi conjunguntur , non *rogabis*, ut malè V. V. habet, sed *expiabis eum*, וְכַפֵּר אֶת הַכֹּהֵן Sacerdos à peccato suo , & remittetur ei ; Unde patet eodem modo fuisse expiatoria sacrificia legalia , non per se aut suâ naturâ , sed per sacrificium Christi , quomodo remissionem peccatorum procurabant apud Deum. Ad tertium ex 1. Cor: x, 3. monet Tirinus Hebræos eandem hanc escam non *nobiscum*, sed *inter se* manducasse, & dici spirituales, *idest mysticam*, quia *typus seu figura erat nostra Eucharistia* : Sed hæc nihil faciunt ad hanc quæstionem : quod eandem escam spirituales, *nobiscum* comederint, res ipsa loquitur, cum eodem Baptismo , quoad rem significatam, nobiscum baptizati fuerint : nec aliàs stringeret Pauli argumentum ab ipsis desumptum : & quotquot ex illis in manna Christum intellexerunt eum quoque manducaverunt: Quod vero manna fuerit esca spiritualis, non adumbrando nostram Eucharistiam, sed significando ipsummet Christum, adeoque tantundem, pro ratione illius temporis, ex Christi beneficiis fidelibus exhibendo, quantum nos hodie in nostris Sacramentis percipimus , evidenter docet Apostolus , cum Petram illam spirituales, ex qua bibebant, Christum fuisse asserit : Hinc Augustinus *tract. 26. in Iob. Manna & altare*

altare Sacramenta fuerunt, in signis diversa, sed in re qua significatur paria; diversa specie visibili, paria virtute spiritali: Patres enim eandem spiritualem escam comederunt quam & nos. Et Bertramus lib. de corpore & sanguine Christi; Eandem escam spiritualem bibisse patres Paulus asseverat. Quares fortasse quam eandem? Nimirum ipsam quam hodiè populus credentium manducat & bibit. Non enim diversa licet intelligi, cum unus idemque Christus sit qui & populum in deserto in nube & in mari baptizatum suâ carne pavit, suo sanguine tunc potavit, & in Ecclesia nunc credentium populum sui corporis pane sanguinis undâ pascit & potat. Et Anselmus ad 10. 1. Cor: Eandem escam corporis Christi quam nos in pane manducamus, patres nostri manducaverunt in manna, & eundem potum sanguinis Christi quem nos ex calice bibimus, ipsi biberunt ex petra, & ideo spiritualem manducaverunt eandem quam & nos, corporalem verò alteram. Videat ergo Tirinus hanc esse non Calvinii & Bezae malignam interpretationem, sed monti Pauli convenientem & veterum orthodoxam explicationem, à qua Iesuitæ nimis malignè recedunt. Coronidis loco addo Tirinum hoc numero disputantem contra efficaciam Circumcisionis, non minus in suos Catholicos mucronem stringere quam in nos, cum plerique ex illis sequuti Augustinum, ut vult Bellarminus lib. 2. de Sac. in gen. c. 13. & 17. eandem Circumcisioni efficaciam cum Baptismo deputent. Hos inter sunt Lombardus, Scotus, Bonaventura, Alensis & multi alii.

Num. 8. Præter GRATIAM sanctificantem, VIRTUTES quæ huic annexas (de quibus Contr. xv, n. 8.) & AUXILIA ACTUALIA quæ ad finem cuiusque Sacramenti obtinendum necessaria sunt; imprimitur præterea animæ per tria Sacramenta, BAPTISMUM, CONFIRMATIONEM, ORDINEM, (etsi hæretici id rideant) CHARACTER indelebilibis, qui est qualitas, & instar potentia, per quam ad cultum divinum deputamur, & ab omnibus aliis æternum distinguimur ac dignoscimur; Colligitur ex 2. Cor. 1, 21. *Vixit et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*; Vbi præter gratiam sanctificantem, quâ ungitur anima, dicit eandem signari, seu obsignari, utique caractere de quo hîc agimus: Idem dicit ad Eph. 1, 13. & cap. 1v, 3. & alibi. Et quia hic caractere nunquam deperditur, ideo tria hæc Sacramenta nunquam iterari possunt, cum in effectu hoc suo semper maneant.

7. Can. 9. *Bemnit. et Hefhus sup.*

CENSURA. *Prater gratiam sanctificantem*) Nescias an id sibi velit Tirinus gratiam sanctificantem aliasque virtutes imprimi animæ per Sacramenta, ut indelebile illū characterē de quo postea; quandoquidem imprimendi vocabulo utrobique utitur. Deinde cum in statu gratiæ debeat esse qui Sacramenta vult percipere utiliter, adeoque instructus virtutibus Theologicis, fide, spe & charitate, quī possent gratia sanctificans & virtutes Theologicæ ac morales conferri per Sacramenta? Et si hoc esset proprium eorum effectum ex opere operato, missifici sacrificuli qui quotidie Sacramentum Eucharistiæ percipiunt, deberent gratiā & omni virtutum Theologicarum ac moralium genere omnes alios Christianos multis parasangis superare, quod tamen non videmus. Adhæc optarem descriptum nobis fuisse à Tirino quī differant illa *Auxilia actualia que ad finem cuiusque Sacramenti obtinendum necessaria sunt*, à gratia sanctificante & virtutibus illis annexis; Et cum inter auxilia necessaria ad finem Sacramentorum percipiendorum fiat actus fidei & devotionis, nemo indignè poterit ullum Sacramentum percipere aut suæ indevotionis vitio ejus sine excidere, si Sacramenta ex opere operato conferant non modo gratiæ sanctificantis & virtutum Theologicarum ac moralium habitum, sed etiam actualia auxilia fidei & devotionis quæ sunt necessaria ad eorum finem assequendum; Atque sic frustra dixerit Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 25. *Aliud est Sacramento tenui, aliud revera corpus Christi manducare; Hoc est enim in Christo manere, ut in illo maneat & Christus.*

Imprimitur praterea anima) Nec Confirmatio, nec Ordo Sacramentis Ecclesie Christianæ debent annumerari, ut suo loco videbimus; & merito quæ de characterē indelebili docent Scholastici, per Baptismum, Confirmationem & Ordinem impresso, ex quo etiam inter damnatos dignoscendi sint qui Baptizati, Confirmati vel Missifici fuerint, tanquam absurda & ridicula rejiciamus: Nam primò quid ille character sit & ubi sit, necdum constat inter Pontificios; Scotus apud Becanum cap. 4. de Sacram. q. 2. vult esse relationem realem; Durandus relationem rationis: alii volunt esse qualitatem absolutam; Becanus refert ad dispositionem & habitum; Tirinus ad potentiam;

tiam : Sunt qui intellectui hunc characterem imprimant ; sunt qui voluntati ; sunt qui immediatè ipsi substantiæ animæ ; ad quam sententiam propendet ipse Becanus. Deinde ille character quo æternum aliquis distinguitur & dignoscitur ab omnibus aliis, debet talis dici vel respectu Dei vel respectu hominum : Prius statui non potest : etenim Deus non opus habet notis & signis quibusdam physicis, ad homines dignoscendos & distinguendos ; Novit ab ævo qui sui sint ; Nulla ovium suarum est *ὄσ ἀσματος*, etsi nullo horum characterum insignita fuerit. Posterius quoque dici nequit ; cum hic character imaginarius non incurrat in sensus, & in turba hominum eodem habitu utentium non facilius sit internoscere confirmatum à non confirmato, aut ordinatum à non ordinato, aut baptizatum à non baptizato, quam hostiam consecratam multis aliis non consecratis immistam ab illis secernere. Nec est quod dicas illum characterem inserviturum distinctioni & discretioni in altera demum vita ; Cum in altera vita illà distinctione & discretionem opus non sit, nec in Paradiso nec in inferno ; Non isthæc, quia nihil conferet ad gloriam vel innotescere aliis fuisse te confirmatum, vel internoscere inter beatos qui confirmati aut non confirmati fuerint ; Non hæc quia illa discretio vel activè vel passivè considerata, nihil faciet ad pœnam aut discretionem aut discernentium ; nec est credibile majorem fore, aut cognitionem damnatorum in inferno quam Christianorum in mundo quibus ille character est imperceptibilis, aut illius characteris efficaciam, ut tum innotescat, cum eum dignosci nullius referet, nunc verò lateat & sit imperceptibilis, cum magni interesset eum apparere. Nam quia *character Baptismi est passiva potestas quæ facit hominem aptum ad suscipienda omnia alia Sacramenta*, & character Confirmationis est potestas quoque passiva quâ confirmatus redditur aptus ad alia Sacramenta, & *character ordinis est activa potestas administrandi aliis Sacramenta*, valdè conduceret characterem Baptismi & Confirmationis innotescere tum Episcopis, ut neminem presbyterum ordinarent non baptizatum & confirmatum, nec daretur locus illi casui *de presbytero non baptizato* de quo Gregorius IX. *Decret. lib. 3. tit. 43.* tum omnibus presbyteris, ut alia Sacramenta in cassum non administrarent iis qui non fue-

non fuerint baptizati vel confirmati; Imo valde prodesset characteré ordinis: toti Ecclesie innotescere, ut cum minori scrupulo adoraretur hostia ab homine characterizato & qui potestatem habet transubstantiandi consecrata, & populus certâ scientiâ dignosceret suos pastores, nec solâ præsumptione incertâ & vagâ in illis admittendis niteretur. Ad hæc quo argumento ex Scripturis aut ratione desumpto probabit Becanus characterem Baptismi merè passivum esse; passivum & activum characterem Confirmationis; Ordinis vero tantum activum? Aut characterem Ordinis esse physicè activum ad ministranda aliis Sacramenta, Confirmationis verò non nisi moraliter activum esse ad profitendam fidem? Præterea si character Baptismi sit passiva potestas quâ homo fit aptus ad suscipienda omnia alia Sacramenta, ut vult Becanus, quid ei potest accedere per characterem passivum Confirmationis, quo fiat aptus ad alia Sacramenta suscipienda? An pariliter necessaria erit Confirmatio ad alia Sacramenta ac ipse Baptismus? Id non dixerint Jesuitæ. Deinde si absque Baptismi characterè nulla aliorum Sacramentorum susceptio est legitima & rata, ut statuit idem Becanus, quâ poterit ullus certò sentire efficaciam & operationem certam Sacramentorum in se, cum nemo certò sciat se illo characterè Baptismi esse insignitum? Ad hæc ipse Innocentius III. in *Decretat. de presb. non bapt. cap. 3.* ostendit non nisi majoris cautelæ gratiâ reordinandum fuisse presbyterum non baptizatum, cum quis non solum per Sacramentum fidei, sed etiam per fidem Sacramenti, efficiatur proculdubio membrum Christi, & qui Christum habet per fidem, etiamsi Baptismum non habeat, habet utique fundamentum præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Jesus; superadificare posse videtur, sicut salutifera opera, sic & qualibet Ecclesiastica Sacramenta; cum illud non sit generaliter verum, neque de novis, neque de veteribus Sacramentis, quod Baptismus sit fundamentum illorum, quoniam & Sacramentum Conjugii & Eucharistia à non baptizatis suscipi potest: Præterea Sacramentum ordinis non solum Pontificalis sed Sacerdotalis etiam & Levitici ex institutione sua præcessit Baptismum, per quod forsitan videtur quod ante Baptismum huiusmodi ordines possent rite conferri, maxime iis qui baptizati esse credantur. Tunc enim error publicus videtur jus facere; quod potuisset adferri in solatium illius Præfulis

Itali, qui consistorium Romanum scrupulis suis & querelis replevit, quod à nutrice sua audivisset, se à ipsa sola fuisse baptizatum & hac demum formulâ, *Ego te baptizo in nomine nostra Domina B. Virginis*; unde inferebat se nec Christianum esse, nec idoneum qui Presbyter, Episcopus & Archiepiscopus factus fuisset; omnes itaque Ordines à se collatos aliis nullos fuisse, nullas per consequens Missas quas illi celebrassent, nullas Absolutiones quas contulissent: quibus scrupulis & querelis non aliter potuit satisfieri, quam rem alto premedando silentio; cum ipsiusmet Archiepiscopi & tot Presbyterorum reordinatio citra magnum scandalum procedere non potuisset. Denique eidem characteri, saltem quoad Ordinem, repugnat *degradatio* solemnis presbyterorum, quæ solet apud Pontificios quandoque exerceri; illa enim nulla debet esse & inefficax, etsi vitro radantur in degradatione vertex & digiti presbyteri antea Chrismate inuncti, si character ille Ordinis, qui confert potestatem administrandi omnia Sacramenta, sit indelebilis; adeo ut cum animæ immediatè inhæreat, possit etiam presbyter in inferno, vel in Purgatorio, adsint modo elementa panis & vini, ipsam transubstantiationem ritè peragere: Ut taceam quod cum Ordines sint numero plures majores & minores, quæri posset, num aliquis tot habeat in anima sua distinctos characteres, quot Ordines susceperit, & quâ notâ invicem distinguantur; vel num indelebilis character minorum Ordinum per characterem Ordinum majorum deleatur. Et sanè Scotus de *Characterere* sic disputat, ut neget extare eum vel in Scripturis vel in Patribus, imo nequidem in Lombardo sensu quo hodie sumitur, & statuat primum illius authorem extitisse Innocentium III. *Extra de Baptismo, cap. Majores*. Nec video cur Baptismus magis nobis Characterem imprimeret quam Christo, in quo nullum fuisse asserit Bellarminus *lib. 2. de Sacram. in gen. cap. 19.*

Colligitur ex 2 Cor: 1, 21.) Apagesit inepta probatio, in qua dum acquiescit Tirinus ceu palmaria tacitè agnoscit quam infirmæ illæ sint quæ præterea proferuntur à Bellarmino *de Sacram. in gen. lib. 2. cap. 20.* Agnoscimus ungi animam Spiritus Sancti gratiâ & unctiōne illâ spirituali, de qua 1 Ioh: 11, 20. atque illam ipsam unctiōnem gratiæ

gratiæ esse nobis instar sigilli & arrhæ salutis æternæ; Sed quid hoc ad characterem distinctum à gratia, quem hic comminiscuntur ad-versarii? Hic character imaginarius manebit etiam in inferno: Sed quis damnatis sigillum & arrhabonem salutis æternæ in ipso inferno convenire statuat? Tirinus ad 2 Cor. 1, 21. Paulum perperam interpretatur de imaginario suo confirmationis Sacramento; cum tamen Cornelius à Lapide statuat posse intelligi de Baptismo, & agnoscat fumi à Chrysostomo Oecumenio & Theodoro de obsignatione interna Spiritus Sancti & unctione gratiæ quâ confirmamur in fiducia salutis obtinendæ & signamur in Dei filios: Johannes à Gorcum ex Estio nihil hic vidit pro Confirmatione, nihil pro characterem Sacramentali: sed hoc comma 21. sic reddit; *Id est tanquam sigillum quoddam nobis impressit Spiritum Sanctum, largiendo varia ejus charismata qua sigilli instar nos probent veros Dei nuncios ac ministros; qui idem Deus dedit in cordibus nostris arrham suarum promissionum, ipsum Spiritum Sanctum.* Tietelmannus commodiùs; *Qui autem nos pariter & vos in Christo confirmat, Deus est qui & Spiritu Sancto nos signavit adoptando, tanquam filios Dei discernens à filiis Diaboli, & eundem nobis in pignus dedit aterna hereditatis in intimis nostris;* Neuter hic vel Confirmationem vidit vel characterem Scholasticorum: Plures, quod proclive esset in re plana, non referam. Sufficiat illud Photij apud Oecumenium, ἡ χάρις καὶ ἡ σφραγὶς ἀρραβὼν ἔστι τῆ παραλήτυ.

Idem dicit ad Eph. 1, 13. & 17, 30.) Illud alibi debuisset Tirinus nobis indicare: nec alibi dixit Apostolus quod nusquam dixit. Eph. 1, 13. nihil minus extat quam hic character; cum, juxta ipsum Tirinum ibi, simus signati & sigillati Spiritu promissionis, id est Spiritu Sancto promisso Ecclesiæ à Christo, qui Spiritus Sanctus per celestia charismata sua, tum externa & visibilia (v. g. donum linguarum, miraculorum &c.) tum interna & invisibilia (puta charitatem, justiciam pacem & gaudium conscientia) est nobis pignus & arrha futura gloria & hereditatis celestis. Quid hoc ad imaginarium illum characterem horum Sacramentorum qui sit communis probis & reprobis, servatis & damnatis? Nec aliter Cornelius à Lapide, qui ad eundem locum sic habet; *Sicut sigilli impressi-
one obsignantur littera Regis ac tabula publica ut authentica à dubiis, genuina*

à falsis secernantur ; certoque constet has esse literas & tabulas Regis , ita vos Christiani Ephesi quasi epistola Christi scripta non atramento sed Spiritu Dei vivi , non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus , signati id est ob-
 signati estis Spiritu Sancto quasi sigillo , ut constet vos esse non fictam sed authent-
 icam Christi epistolam , vos verè esse fideles conscriptos à Deo , verè esse popu-
 lum ac Ecclesiam veri ac summi Dei. Et quemadmodum hic locus paria fa-
 cit cum præcedenti ex 2 Cor:1, 21. ejusdemque est mentis & argumen-
 ti , ita cum utroque conspirat tertius Eph: 1v, 30. in quo neque cha-
 racterem vidit Cornelius à Lapide , qui illud signaculum Spiritus
 Sancti in anima distinctum , uti vult , à signo Iudæorum in corpore per
 Circumcisionem , interpretatur Conditoris signum , figuram & imaginem ,
 id est gratiam & sanctitatem ; ut sicut ex sigillo agnoscitur , cujus sunt litera
 V. G. esse literas Regis , ita ex hoc gratia sigillo sciaturo vos esse filios Dei Deoque
 consecratos : Item , Quasi dicat sigillo gratia obsignati sumus ad hunc finem ,
 ut scilicet in die resurrectionis ad redemptionem , id est , ad liberationem ple-
 nam à morte , peccato omnique malo , & ad caelestem gloriam ac beatam immorta-
 litatem asciscamur utpote conscripti in libro vitæ , quasi cives Sanctorum & domestici
 Dei ejusque gratiâ quasi sigillo & arrâ hereditatis caelestis obsignati. Ita
 Chrysostomus , Hieronymus , Theodoretus , Ambrosias. Hac ergo conscriptio
 & obsignatio fit per gratiam , qua est pignus hereditatis & redemptionis futurae.
 Quod verò inchoatam etiam hic putat se videre obsignationem per
 characteres imaginarios Baptismi & Confirmationis , est per absurdum ;
 quia character non est obsignatio in diem redemptionis , quando-
 quidem etiam remanebit in inferno ; & cum à Pontificiis contra-
 distinguatur à gratia quæ simul in Sacramento confertur , non po-
 test inchoatè se habere ad eam consignationem quæ tota gratiæ est.
 Tirinus ipse ibi eam obsignationem statuit factam internâ & copiosâ gra-
 tiâ quâ tanquam peculiari notâ filiorum Dei sumus dignoscendi ab omnibus
 aliis in die redemptionis , quando ab hac misera vita liberabimur : adeoque
 nec ipse hîc quicquam vidit pro illo suo caractere qui sit reman-
 surus in inferno : Quod si ea loca Scripturæ in quibus Spiritu Sancto
 ejusque gratiâ dicimur *εσσηματισμένοι* in diem redemptionis & salu-
 tem æternam , characterem illum Sacramentalem important , quare
 negant Pontificiû characterem ullum in Christo fuisse , ut Bellarminus

V. S. ex

V. S. ex *Thoma 3. p. q. 63. art. 5.* cum Ioh: VI, 27. de ipso dicatur τὸν γὰρ ὁ πατὴρ ἰσφαγίσει ὁ θεός;

Et quia hic character) Mirum aduersariorum acumen: Rogati unde probent characterem, proferunt irreiterabilitatem horum Sacramentorum, nam hoc argumento utitur Bellarminus; Rogati unde probent hæc Sacramenta reiterari non posse, non aliò confugiunt quam ad characterem: quod nihil aliud est quam idem per idem velle demonstrare. Verum nec irreiterabilitas Sacramenti characterem inducit; cum juxta Bellarminū *lib. 2. de Sacr. in gen. c. 19. & Thomam quem citat 3. parte q. 63. art. 1.* à quibus tamen alii dissentiunt, Circumcisio quæ irreiterabilis erat, nullum planè imprimeret characterem; nec in characterem fundetur Sacramenti irreiterabilitas, quam omnes saniores Theologi arcessunt aliunde; Thomas *3. par. q. 66. art. 9.* Baptismum non posse reiterari probat inter alia ex dicto Pauli Eph: IV, 5. quod sit unum Baptisma; quâ ratione utitur quoque Gratianus ex Leone *dist. 4. de consecr. can. Cum itaque;* imò & Catechismus Romanus *par. 2. cap. 2. §. 55.* tibi probaturus *Baptismum iterari nunquam posse,* hanc primam probationem proponit, sed ad characterem non confugit. Adferunt & Theologi veteres præter locum Pauli Heb: VI, 6. quem pleriquè eo contra Novatianos traxerunt, hoc argumentum, quod ut loquitur Glossa ordinaria ad Heb. 6. *una Christi mors; unum Baptisma consecravit; ut Christus semel mortuus est, ita nos in Baptismo semel morimur peccatis:* Solidissima est ratio tum quæ petitur ab analogia Circumcisionis, quæ non poterat nec debebat iterari, quam urget Augustinus *lib. 1. contra Cresconium cap. 31.* tum quæ inde desumitur quod Baptismus sit Sacramentum regenerationis & primus ingressus in Ecclesiam; *Quemadmodam igitur, inquit ipse Catechismus Romanus V. S. naturali virtute semel tantum generamur & in lacum edimur, atque ut D. Augustinus ait, uterus non potest repeti, sic etiam una est spiritualis generatio, nec Baptismus ullo anquam tempore iterandus est.* Verba Augustini quo respicit extant *tract. 11. in Iohannem; Dua natiuitates sunt, sed nec illa repeti potest nec ista; Quomodo uterus non potest repeti, sic nec Baptismus; ut Adamus non potest bis generare, sic nec Christus.* Cum igitur solidioribus nitatur rationibus irreiterabilitas Baptismi, quam imaginario caractere

tere Pontificiorum, non est quod illi characteri statuminando Baptisti irreiterabilitas proferatur.

Num. 9. Porro SEPTEM SACRAMENTA, (quot præcisè contra nostros hæreticos, S. S. Patres & Concilia agnoscunt, & de singulis probabimus suo loco,) conveniunt quidem æqualiter in ratione Sacramenti, ac proinde sunt EJUSDEM GENERIS: sed SPECIE valdè DIFFERUNT, & secundum varias rationes, (ut ex dicendis patebit contra Lutherum) alia aliis multum præcellunt, sed EUCHARISTIA omnibus supereminet propter incomparabilem substantiæ ipsius dignitatem, Ioh. VI, 51. &c.

*Lab. de
instituen-
dis mini-
stris ad
Præses.*

CENSURA. Porro (septem Sacramenta) Debuisset Tirinus citasse eos Patres qui ante Lombardum, ea Concilia quæ ante Florentinum & Tridentinum septenarium hunc numerum Sacramentorum proposuerint. Bellarminus non vult cogi ostendere in *Scripturis aut Patribus nomen septenarii numeri Sacramentorum, lib. 2. de Sacr. in gen. cap. 24. & cap. 25.* neminem habet Lombardo vetustiore inter eos qui præcisè ponunt numerum septenarium. Quod si ex illis omnibus quibus Sacramenti nomen datur quandoque apud Veteres, debuerimus fabricari Sacramenta propriè dicta Ecclesiæ Christianæ, in longè majorem numerum illa excrescere sentiemus; Becanus *cap. 6. de Sacr. q. 1.* agnoscit Augustino Sacramenta vocari, signum crucis *lib. 19. contra Faustum cap. 14.* exorcismos catechumenorum *lib. 4. de symb. cap. 1.* cibum sanctificatum qui catechumenis dabatur *lib. 2. de pecc. remiss. cap. 26.* Apud Bellarminum *V. S. cap. 24.* Alexander I. idem statuit de aqua lustrali; & de ablutione pedum Cyprianus, Ambrosius & Bernardus; ac multum insudat Bellarminus, ut hanc saltem eximat numero Sacramentorum: Et cum Ordines faciant iterum numero vel septem vel novem, (nam nec in eo sibi constant) si eorum quilibet Sacramentum speciale constituat, ut certè oportet, numerus Sacramentorum septenarius esse desinet. Si tamen attendamus ad omnia requisita in Sacramentis propriè dictis N. E. ut videlicet sint à Christo instituta sub sensibilibus & externis elementis, ad gratiæ suæ salutaris significationem & ob signationem ex singulari promissione, in usum communem & perpetuum totius Ecclesiæ, sen-

fiæ , sentiemus corruiere septenarium illum numerum , & ultra binarium Baptismi & Sacræ Cœnæ non esse procedendum : Nec Paulus 1. Cor: x, 1. 2. 3. 4. in collatione Sacramentorum nostrorum cum Sacramentis extraordinariis Israëlitarum in deserto , processit ultra hæc duo , quorum unum est regenerationis , alterum nutritionis fidelium. Sic 1. Cor: xii, 13. unionis nostræ spiritualis vinculum aliquod in eorundem Sacramentorum usu constituturus , hæc duo tantum commemorat , dum refert nos per unum Spiritum in unum corpus esse baptizatos , & omnes esse potatos in unum Spiritum , quorum ultimum de Calice Eucharistiæ esse sumendum agnoscit *ibi* Cornelius à Lapide , & res ipsa id tam clarè loquitur , ut Theodoretus uno verbo mentem Pauli exprimat dicendo , *Divinorum Sacramentorum sumus ex aquo participes.* Johannes similiter 1. Ioh: v, 8. testes reales quos habemus in terra distincturus à personalibus qui sunt in Cælo , Spiritum , Aquam & Sanguinem nominat ; per Spiritum intelligens juxta plerosque doctrinam Evangelii , quæ non semel eo nomine venit Apostolo ut 1. Ioh: v, 6. juxta alios gratiam illam internam quæ in Sacramentis efficacem se præbet ad consolationem & oblationem fidelium ; sed per Aquam & Sanguinem , Sacramenta N. F. quæ ex latere Christi profluxisse ideo dicuntur veteribus , Cyrillo , Chrysofomo , Theophylacto , Augustino *ad Ioh: xix, 34.* Noster quoque Tirinus *ibi* statuit quod quando S. Augustinus & alii Patres subinde dicunt Ecclesiam à latere Christi, quasi secundi Adæ dormientis efformatam fuisse, indeque omnia Sacramenta emanasse, illud mysticè debeat sumi, quia aqua Baptismum, sanguis Eucharistiæ designabat. Et cum idem *ad 1. Ioh: v, 6. & 8.* per Aquam intelligat Baptismum, non video cur Sanguinem ita restringat ad Christi mortem & Sanguinem in illa effusum , ut nullam Eucharistiæ (in qua potamur sanguine illo N. T. effuso pro nobis in remissionem peccatorum) faciat mentionem. In hoc quoque Sacramentorum propriè dictorum numero , cui etiam correspondebant sub V. T. maximè communia toti populo , Circumcisio & Pascha , consentit Antiquitas ; Per hæc duo fieri & consistere vitam Ecclesiæ docet Theophylactus *ad 19. Ioh.* & Augustinus *tract. 9. in Ioh.* ex illis formari Ecclesiam. Eadem habet *lib. 2.*

T t t

de symb.

de *ymb. ad Catech. cap. 6.* ubi geminis facit Sacramenta Ecclesie quæ de Christi latere fluxerunt. Et *epistola 118.* atque *lib. 3. de doct. Chri- st. cap. 9.* paucissima illa numero, & facillima observatione Sacramen- ta propositurus, solum nominat *Baptismi Sacramentum* & celebratio- nem *corporis & sanguinis Domini*: Nec plura commemorat Iustinus *Apok. 2.* ritus Christianorum sui ævi explicans; Nec plurium aut aliorum me- minit Irenæus *lib. 1. cap. 18.* Tertullianus sæpè *1. & 4. contra Marcionem,* Cyprianus *lib. 2. Epist. 1.* Clemens Romanus *Recog. lib. 1.* Nec de aliis tra- ctant Cyrillus Hierosolymitanus in *Catechesibus* suis, Ambrosius *de iis qui initiantur myst.* Author *lib. sex de Sacram.* inter ejus opera, Scriptor *Hie- rararchia* qui falso Dionysius Areopagita dicitur. Meminerunt quidem & illi *Chrismatis*, sed quod *Baptismale* fuisse certo certius est. Denique Alexander Alensis non nisi hæc duo à Christo instituta statuit, & Cardinalis Bessarion, citante utrumque hunc Witakero *Prælect. de Sacram. quest. 6. cap. 3.* hæc duo sola in *Evangelio* manifestè tradita legi, agnoscit. Et quam cætera his superaddita non habeant verorum Sacra- mentorum rationem tum videbimus, ubi de singulis erit disputan- dum; Ut quæ hîc solent adferri *Congruentia* à Pontificiis, ad septena- rium hunc numerum comprobandum, ad otiosas Monachorum spe- culationes sint referendæ. Parmenio auditis conditionibus quas Darius offerebat Alexandro, se eas dicebat admissurum si esset Alex- ander, Et ego, inquit Alexander, eas admitterem, si essem Parme- nio; Si Monachi Scholastici fuissent loco Dei in Sacramentorum institutione, propter eas quas comminiscuntur congruentias, septena- rium servassent numerum, & eundem numerum servaturus fuisset Deus si eo animo fuisset quo Scholastici & Monachi; Verum ejus cogitationes non sunt ut cogitationes nostræ, neque ut viæ nostræ, sic viæ ejus *Es: L v, 8.* Coperniciani Mathematici multas adferunt congruentias propter quas terram moveri & cælum ac solem stare oporteat: illæ tamen cursum quotidianum solis & terræ in suo cen- tro compactæ immobilem firmitatem non debent impedire.

Convenimus quidem aequaliter) Neque de hoc absolute convenit inter Doctores Pontificios: Non putavit Alensis convenire hæc sep- tem Sacramenta in ratione univoca Sacramenti, qui duo tantum ex illis à

illis à Christo ipso agnoscebat instituta, cætera putabat institutionis esse partim Apostolicæ, partim Ecclesiasticæ. Matrimonium non esse speciale Sacramentum N. T. sed tale fuisse etiam sub V. T. docent Alphonsus à Castro *lib. 11. contra hæz. V. Nuptie hæz. 3.* Petrus Sotus *leñ. 2. de Matrim. & Catharinus apud Henriquez lib. 11. cap. 2.* quibus se opponit Becanus *cap. 47. de Sacram. q. 4. §. 5.* Eidem Becano *ibid.* Canonistæ cum Durando statunt Matrimonium nullam conferre gratiam & per consequens non nisi *aquivoce* Sacramentum esse. Et ipse Lombardus, quem ante nemo septenarium hunc numerum inexit (ut notatur Cassandro *Consult. ars. 13.*) *Sent. lib. 4. dist. 2. litt. C.* statuit quod *Sacramentum Conjugii fuit ante peccatum.* Interim nobis Tirinus hoc suo asserto arma ministrat: Nam si Baptismus & Cœna in generica & essentiali natura Sacramenti conveniunt, necesse erit manere elementa in Cœna post Consecrationem non minus quam in Baptismo, nec minus Cœnæ quam Baptismo convenire *quod alii suscipiant Sacramentum & rem, alii Sacramentum & non rem, alii rem & non Sacramentum,* ut de hoc probandum suscipit Lombardus *lib. 4. Sent. dist. 4.*

Sed specie valde differunt) Differentiam agnoscimus & nos inter Baptismum & Cœnam (magis fortè numericam, accuratè loquendo, quam specificam) tum quoad signa quæ diversa sunt, tum quoad modum significandi, tum quoad utriusque usurpationem, quod ille semel tantum, hæc sæpiùs suscipiatur. Sed 1. quam inter septem sua Sacramenta comparationem multiplicem instituunt Pontificii, ceu superfluum respuimus, cum nec alia quinque sint Sacramenta; 2. Nec discrimen dignitatis quod hîc inter ea comminiscitur Tirinus simpliciter possumus approbare; Imo cum Luthero statui-mus æqualia esse omnia Sacramenta non tantum in generica ratione Sacramenti, sed etiam in specifica eorum necessitate, efficacitate, & virtute operativa: Ut quid enim Eucharistiæ primarias partes tribuit Tirinus, cum juxta ipsosmet Pontificios, subsidat infra Confirmationem & Ordines quoad dignitatem Ministri; infra Ordines, Confirmationem & Baptismum, quoad characteris impressionem; infra Baptismum quoad absolutam necessitatem & efficaciam inducendi omnia præcedentia peccata, tam quoad culpam quam quoad

T t t 2

pœnam,

pœnam, & ipsam gratiam justificantem cum omnibus qualitatibus virtutum Theologicarum & moralium conferendi. Nec debet hic confugere Tirinus ad *incomparabilem substantia dignitatem* (quam perperam arcessit pro Eucharistia ex Ioh: VI, 51. nam ibi de illa non agitur, uti probandum erit suo loco) cum etiam res Sacramenti in Baptismo, nempe Christi sanguis quo mundamur ab omnibus peccatis & gratia regenerationis, & ex opinione adversariorum in Christum ipse Spiritus Sanctus, sit pariter incomparabilis dignitatis.

August.
ep. 118.
cap. 6.

Num: 10. Ad Sacramenta commodiùs, utiliùs, ac decentiùs administranda cum paucos ritus ac CÆREMONIAS Christus ipse per se instituerit, reliquum sine dubio providentiæ Pastorum Ecclesiæ relictum; voluit, ut docet S. Augustinus. Sic de ritibus Eucharistiæ cum paucula decrevisset S. Paulus I Cor: XI. vers. ult: *Cætera inquit cum venero, disponam*; & cap: XIV. vers. ult: *Omnia honestè & secundum ordinem fiant*. Act: XV, 29. novam gentibus cæremoniam Apostoli præscribunt, *abstinendi à sanguine & suffocato*: & olim Abel Gen: IV, 4. pro placito suo obtulit *Sacrificium Deo de adipibus gregis sui*. Et Iacob Gen: XXVI 11, 18. etsi privatus homo, *erigit lapidem in titulum, &c.* & Iudæi, Iudith ult: vers. ult: & Esther: IX, 21. & I Mach: IV, 59. nova festa instituunt. Quid ni possit similia Ecclesia Christi? (Vide Controv. VI, n. 14. de auctoritate Prælatorum Ecclesiæ.) 1 Thess: ult. vers. 14. *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, bene nosate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.*

CENSURA. Ad Sacramenta commodiùs) Agnoscimus Ecclesiarum libertati relicta fuisse à Christo ea quæ externum duntaxat ordinem & decorum spectant, juxta regulam Apostoli I Cor: XIV, 40. Omnia decenter fiant & ordinatè; Sed improbamus meritò insanam illam multitudinem rituum & cæremoniarum in Papatu, cujus comparatione leve erat jugum Leviticum, cum tamen Christus nos ab illo liberaturus, ac *leni iugo suo* subditurus & *sarcina levi*, *Sacramentis numero paucissimis, significatione præstantissimis, observatione facillimis, societatem novi populi colligaris*, teste Augustino *Epist. 118. cap. 1.* Tot ritibus & Cæremoniis obruuntur potiùs quam ornantur Sacramenta, nec apparet quid sit institutionis divinæ inter tot observatiunculas humanæ inventionis: in quibus tamen toti sunt adversarii, easque fermè pluris

pluris faciunt quam ipsamet Sacramenta, & potiozem cultus divini partem in illis constituunt. Earum originem si requiras, ex Iudaismo partim, partim ex Ethnicismo pravâ quædam κακοζήλια irrepsere: Multas nominatim ex illis ab Ægyptiis delumptas esse Iohannes Boemus Aubanus post Beroaldum testatur *lib. 1. de moribus gent. cap. 5.* his verbis; *Pleraque ex religione Ægyptiorum translata in religionem nostram sunt, ut linea vestes, derasa sacerdotum capita, vertigines in altari, pompa sacrificalis, musica modulamina, adorationes, preces aliaque id genus.* Quod cum citasset author anonymus *Consult. de horis Canon. cap. 3.* & modestè testatus esset probandas Cæremonias à Patribus institutas, addit hanc Confessionem; *Fatendum est tamen insequentibus sæculis plures additas fuisse, recto certè consilio sed malo eventu.* Ipsarum enim copia largior atque operosior observatio, eorum qui divina officia celebrant animos adeo detinent, ut sapissimè suis precibus nequeant attendere Deumque interius adorare veluti cæremoniis istis exterius illum venerari videntur; adeo quoque spectantium animos occupant, ut dum illis curiosius fortè quam opus est attendunt, minus suis orationibus attenti sint. Adde quod Cæremonia quadam invaluerunt, qua fortasse plus fastus, superstitionis aut simulata ne dicam ridicula religionis, quam veræ ac sincerae pietatis præ se ferunt. Et hunc scilicet fructum suarum inventionum homines consequuntur, cum Deo sapientiores videri volunt, & altare Damascenum in sanctuarium student inferre. Sanè quod de auro dixit Ambrosius *2. lib. off. cap. 28.* *aurum Sacramenta non querunt, neque auro placent, qua auro non emuntur,* potest convenire toti illi Cæremoniarum externo splendore, quem dum volunt Pontificii Sacramentis inferre, & variè expolire aram Dei, contra quam ipse prohibuerat sub lege, ea subruunt; parum memores illius quod à Persio Ethnico homine quondam dictum fuit,

Dicite Pontifices in sacris quid facit aurum

Nempe hoc quod Veneri donata à Virgine puppa.

Facilè possèt ostendi plurimas ex Cæremoniis Pontificiorum supersticiosas & Idololatricas esse, si ad illud examen esset deveniendum; sed ut loquamur cum Augustino *epist. 119. cap. 19.* *quamvis neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem quam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit,*

voluit servilibus vneribus premunt, ut tolerabilior fit conditio Iudaorum qui etiam-
si tempus libertatis non agnovissent, legalibus tamen sacrosinis non humanis pra-
sumptionibus subiciantur.

Reliquum sine dubio Providentia) Id sanè verùm quoad Circumstantias
externas modi, ordinis, temporis & similibum, (quo pertinet locus
Augustini hîc Tirino citatus, ubi statuit Apostolis à Christo reli-
ctum fuisse, num manè, num vesperi, num à jejuniis, num à
pransis, num semel aut bis de die, sacra Cœna esset usurpanda) neuti-
quam verò quoad ea quæ ad cultus & religionis essentiam pertinent,
cujusmodi sunt sacræ Cæremoniæ, id est actus & ritus religionis er-
go & cultus divini causâ suscepti: Sive enim illæ dicantur à *carendo*,
sive à *Cerere*, sive à *Cere* oppido, quo Albinus virgines Vestales cum
suis sacris deduxit in direptione Romæ per Gallos, parum interest:
Satis est quod ritus propriè & per se sacros & religiosos, cujusmodi
sunt ipsa Sacramenta, hominum non sit instituere sed Dei, qui non
ex inventis nostris, sed ex suis mandatis coli debet Matth: xv, 9.

Sic de ritibus Eucharistia) Nec Apostolica potestas competit ordinariis
Ecclesiæ ministris, ut his tantum liceat quantum Apostolis circa Dei
cultum: Nec quæ ad ordinem & *ivtaçiar* constituerunt Apostoli in
singulis Ecclesiis, habuerunt vim legis immutabilis & necessitatem
cultus annexam & opinionem meriti; Nec illa simpliciter ad esse
Religionis pertinerunt, sed tantum ad ordinatiùs esse; Nec un-
quam probabitur Apostolicæ esse institutionis innumeros ritus qui ho-
die vigent in Papatu sub opinione necessarij cultus, & in quibus pro-
ra & puppis religionis constituitur, Nec improbamus ut omnia fiant
ευχημότως καὶ κατὰ τάξιν, sed ordo & honestas requirunt ut simpli-
citatem etiam Christianam sollicitè sectemur, & institutioni divinæ, in
iis quæ ad suum cultum formaliter & per se spectant, acquiescamus.

Act: xv, 29. novam) Sed nec licet ordinariis Ministris quod licuit
Apostolis; nec ad opinionem cultus illa abstinencia pertinuit,
sed ad scandali evitacionem & charitatis exercitium, & cum
nequidem illa lex fuerit immutabilis & perpetuæ ac necessariæ
observationis, cur majorem auctoritatem deputant Pontifici suis Cæ-
remoniis, ut sub gravi peccato, illas relinquere vel omittere nemi-
ni liceat?

ni liceat? Abel Gen: iv, 4. obtulit ex fide Heb: xi, 4. adeoque ex Dei institutione & præscripto: Quod si juxta Tirinum ad Gen: 17, 4. jam primis parentibus à Deo remedium fuerat designatum quo liberi sui simul ac essent nati, expedirentur à culpa originali, quis negabit à Deo præscriptum fuisse ordinem sacrificiorum sibi offerendorum, in expectationem seminis contrituri caput Serpentis? Jacobi Gen: xxviii, 18. titulus nihil favet his Cæremoniis, quia eum erexit non aliis sed sibi, nec ad cultum ordinarium aut perpetuum, sed sic in præsentaneum instrumentum libaminis quod fecit super eo, ut in futurum nihil aliud deberet esse, ipso Tirino ibi interprete, nisi in signum & indicium rei ibidem sibi coctus demonstrata, & etiam ut hoc signo posset olim in reddere locum agnoscere, ibidemque insignis beneficii memoriam recollere, quod & facit cap. 35. constructo illic altari & sacrificio Deo oblato. Quod si in hoc facto Jacobi quicquam est quod Cæremoniis Pontificiis faveat, & quæ eò trahant acervum lapidum, quem idem Iacob extruxit in testem inter se & Labanem Gen: xxxi, 48. Miseram oportet esse causam, quæ tam infirmo nititur præsidio. Adhæc nec simpliciter Iacob privatus erat homo, qui jam cum jure primogenituræ sacerdotium in familia paterna erat adeptus, nec id fecisse credendus est, absque speciali Dei inspiratione quæ illi erat pro mandato; Nec credo Jesuitæ permitterent privatis hoc argumentum, quaslibet Cæremonias ad Dei cultum erigere & instituere. Quoad nova festa, quæ Tirinus hîc refert à Judæis fuisse instituta, 1. Ea *θεοπνευστος* instituta fuisse debent Adversarii profiteri, qui Mardocheum *θεοπνευστος* Scriptorem Estheræ, ut Tirinus expressè in argumento libri illius, facit: Is enim qui *θεοπνευστος* hanc historiam conscripsit, etiam eodem modo festum Purim instituisse Esth: ix, 21. censendus est. Idem de Encæniorum festo 1. Macch: iv, 59. dici potest. Quod de die festivitatis illius victoriæ relato in numerum sanctorum dierum ab Hebræis, habet fabula Judith, cap. ult. versu 31. in V. V. non extat in textu Græco, nec potest probari ex Kalendariis Judæorum. Imò ad illum ultimum versum nec Emanuel Sà, nec Tirinus ipse quicquam annotarunt. Nec si Magistratus Politicus eum Ecclesiæ potest instituere ut anniversaria memoria celebretur liberationis alicujus extraordinariæ à Deo concessæ,

cessæ, ut factum in festis illis duobus *Purim* ac *Enceniorum* additis ideo ad alia jam ante per Moſem divinitus instituta, & prout ipsa Genevenſis Ecclesia quotannis celebrat memoriam singularis illius liberationis Urbi suæ concessæ anno 1602. cum jam hostes plurimi per scallas in mania ingressi, ferè eam occupaverant, & in multis Urbibus Fœderati Belgii celebratur cū gratiarū actione dies anniversarius suæ liberationis per quam Hispanicæ dominationi ereptæ & in libertatē assertæ fuerunt, inde potest colligi novas Cæremonias & novos ritus posse institui ab hominibus ad Dei cultum: Nam in tali dierum designatione, fit tantum ob causam particularem specialis determinatio circumstantiæ temporis ad cultum ipsius, nullus novus ritus aut cultus instituitur. Præterea paucula hæc festa olim ad *εὐχαριστίας* instituta sub V. T. non favent onerosæ illi festorum multitudini in Papatu, sub qua ita fatiscit populus, ut jam diu debuerint Principes & Reges, Galliæ nominatim, quod patet ex litteris Cardinalis Ossati, urgere eorum imminutionem, quæ tamen hæctenus obtineri non potuit.

Quid ni possit similia) Quid in dierum & circumstantiarum cultus ordinarii determinatione, ad ordinem servandum, possint homines, jam dictum: dictum quoque eo loco ad quem nos remittit Tirinus, de Pontificis & Prælatorum autoritate in talibus; qui sanè multò plusquam par erat sibi de supercilio Phariseorum in talibus arrogarunt, cum Ministros se deberent nosse non Dominos, quibus gloria obsequii, non autoritas imperii concessa sit. Neque huc pertinere potest locus 2. Theſſ: III, 14. quia nec quæ obedientia debetur Apostolicæ doctrinæ est deferenda institutionibus humanis; nec quod spectat fidem & mores, ut ille locus disertè, trahi debet ad frigidas cæremonias in quibus revera nihil est situm quod salutis & gloriæ divinæ inserviat.

Nam: II. Sunt verò CÆREMONIÆ actus externi imperati à virtute religionis, ut per eos Deus colatur & honoretur. Vnde & instar reliquorum operum bonorum (etsi rideant hæretici) sunt Deo grati & vim habent satisfaciendi, merendi & impetrandi, cum adsunt conditiones requisitæ Controv: XVI, n. 1. & Controv: XVII, n. 3. Neque enim solum sunt distinctiva signa Catholicorum ab hæreticis, sed etiam excitant, fovent, au-
gent de-

gent devotionem, & sunt externa fidei professio, & pars cultus divini. *Qui autem me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego coram Patre meo: Matth: x, 32.*

CENSURA. *Sumt verò cæremonia actus*) Néc satis accuratè actus religionis *imperati* dicuntur, cum potius ad actus illius *elicitos* referendi sint, eo ipso quod formaliter ad Dei cultum pertineant; nec hominum est excogitare pro libitu eos actus *quibus Deus colatur & honoretur*, cum talis *ἡθελοβροσκήσια* expressè damnetur Col: II, 23. Sed in primis per absurdum est I. Quod tales ritus externi ab hominibus instituti exæquentur bonis operibus, quæ bonitatem propriè dictam habent ex conformitate cum lege Dei & quæ Deus se grata rata habiturum testatur in suo verbo, dicturus de mimicis illis observatiunculis quod legitur Es: I, 12. *Quis quæsitivè hæc de manibus vestris.* II. Quod triplex virtus ejusmodi ritibus humanis tribuatur, *satisfaciendi, merendi, & impetrandi*, quam suo loco etiam ipsis bonis operibus non convenire ostendimus. Sunt preces ex fide factæ impetratoriæ beneficiorum divinorum juxta Domini promissionem, remuneratio certa sit promissa facientibus voluntatem Domini, tamen ut nec precibus nec bonis operibus ideo vel meremur apud Deum vel satisfacimus in foro poli exactæ ipsius justitiæ; ita multo minùs Cæremoniæ merè externæ & humanæ debent dici impetratoriæ, satisfactoriæ, meritoriæ, quibus nihil à Deo promissum est, & quas nec præscripsit in suo verbo, nec gratas ratas se habiturum unquam declaravit.

Neque enim solum sumt) Signa nulla debent esse distinctiva piorum ab impiis, nisi quæ Deus ipse instituerit in suo verbo; cum solius Pastoris demum sit suas oves signare & discernere, solius summi Imperatoris tesseram militarem constituere. Ea etiam solùm propriè excitant, fovent & augent devotionem, quæ ex Dei verbo petuntur & fiunt juxta illud: nam eodem sanguine vescitur infans per ubera quo formabatur & nutriebatur in utero: nec aliis institutis quam divinis foveri & nutrirî potest vera devotio quæ ex Dei verbo enata est. Nec ad eam fidei professionem ad quam tenemur ex Matth: x, 32. pertinet frigidarum cæremoniarum usurpatio; illa enim nihil ad Christi confessionem aut gloriam: Sed è contrario *negativè* eò facit abstinentia ab

ejusmodi cæremoniis, quæ forent tessera Superstitionis, aut Hæreseos, aut Idololatriæ; *positive* societas Spiritualis in publicis pietatis exercitiis cum iis qui simul sectantur. veritatem & simplicitatem Evangelicam. Absit vero à nobis ut illius cultus qui Deo deberetur ex suo verbo partem faciamus vel integram vel essentialem cæremonias merè humanas, quæ tantum detrahunt sincero illi cultui, quantum videntur illi apud homines hujus sæculi splendoris & majestatis conciliare.

Num: 12. Inter alias CÆREMONIAS in primis locum habet efformatio signi CRUCIS. toties in administratione Sacramentorum adhiberi solita (quam auctor Apicarij Aldegon dius solis muscis abigendis servire vult, & Magdeburgenses mentiuntur inductam per Tertullianum in Ecclesiam;), Sed fuit hæc multis olim figuris in Veteri Testamento adumbrata, ut Gen: XLVIII. 14. cancellatis Jacobi manibus: Ezech: IX, 4. signo *tau*. Et hoc signo signari jubentur illi Apoc: VII, 3. *Signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* & cap: XIV, 1. *Habentes nomen ejus & nomen Patris ejus in frontibus suis.* Et S. Chrysostomus dicit S. paulum 1. Tim: IV, 5. docere Christianos ut signo crucis cibos suos consignent. Et tantum abest, Tertullianus hunc ritum primus induxerit, ut ipsemet tradat, eum ex Apostolicâ traditione pro-manasse.

Tertull: l. de coron: milit.

Similia docent SS. Patres de AQUA lustrali, cujus figuram habes Num: VIII, 7. & c: XIX, 12. de LUCERNIS in templis Actor: XX, 8. De CERA benedictâ, de qua Es: LIII, 7. De PANE ad Christi exemplum benedicto Matth: XIV, 19. & Luc: IX, 16.

CENSURA. *Inter alias cæremonias*) Quicumque ad magorum præstigias & artes attenderit, & cum illis mimicas gesticulationes Pontificiorum ac scrupulosas certoque numero determinatas signorum crucis repetitiones contulerit, facillè deprehendet vix ovum ovo similis esse. Mitto quæ statuunt de efficacia illius ritus, & more signandi inter oscitandum, ne dæmon os adaperitum reperiens corpus subeat, & mira illius signi virtute ad omnia; quam si sigillatim vellem persequi deberem ferè totum *lib. 3.* Gresseri *de cruce.* describere. Nec eum puduit *cap. 10.* reponere suis lectoribus fabulam Gregorii Dialogistæ *lib. 2. dial. cap. 4.* de quadam moniali, quæ hortum ingressa lactucam decerpserit, eam comestura; Sed ritus eam signandi oblita,

oblita, unâ dæmonem ibi insidentem deglutiit, qui postea se apud Equitium Abbatem his verbis excusabat; *Ego quid feci? Sodebam ibi super lactucam, venit illa & memordit me.* Non inficior veteribus in usu frequenti signum Crucis fuisse, quo sic palam testarentur Ethnicis Crucifixi contemptoribus & inimicis, se illius non pudere; Imo & illud in Sacramentali consecratione & administratione ut plurimum usurpasse; Sed 1. ex iis quæ Gretserus lib. 3. de Cruce cap. 7. & seqq. adfert probaturus *veteros omnium Sacramentorum administrationi Crucis signum adhibuisse*, multa sunt aliena ab hac re; cum ridiculè ad signum externum sæpè rapiat, quæ de morte Christi & Crucifixi beneficio sub Crucis nomine veteres dixère. II. Cum nihil tale in Christi & Apostolorum institutis legatur, quâ facilitate absque Scripturis fuit introductum, pari facilitate potuit ac debuit, ut factû à nobis, relinqui, ex quo præsertim tale signum non in Christianismû, ut olim erat, sed in Papismi tesseram & Idololatriæ vexillum atque objectum abiit; eâ illi deputatâ multiplici efficacîâ, quam merito Nobilissimus Philippus Mar-nixius Santaldegondanus, quondam Belgii decus, in suo *Apiario*, quod Gallicè inscripsit *Tableau des differents*, suis lectoribus deridendam propinavit; quod revera hæc gesticulatio mulcis abigendis, quam Dæmonibus fugandis aptior sit. Nec abluerit peritus à vero qui cum Magdeburgensibus dixerit Tertullianum primum fuisse qui illi ipsi cæremoniæ externæ paulò plus tribuerit quam oportebat, cum dixit *de resurr. carnis, Caro signatur ut & anima muniatur.* Neque id evertit quod notat Tirinus, Tertullianum hunc ritum ex traditione Apostolica derivasse; Nam ibi Tertullianus multas alias observatio-nes commemorat, quæ sine ullius Scripturæ instrumento, solum traditionis titulo, vigeant (*ut lactis & mellis in Baptismo prægustatio, & quod die Dominico jejunium nefus duceretur & de geniculis adorare &c.*) quas tamen nec ipsi Pontificii, earum nunc securi & negligentes, ausint Apostolis adscribere. Nemo eorum qui certò ante Tertullianum scripserint, dicit aut docet, signum Crucis in Sacramentis fuisse adhibitum; non Iustinus, non Ignatius: quorum tamen ille ad Anto-ninum satis exactè ritus & sacra Christianorum persecutus est: hic qui-dem deplorat passim Crucis inimicos, ut in *Epistola ad Smyrnenses*, sed eodem

eodem planè sensu quo Paulus Phil: III, 18. IV. Abusum etiam in hoc ritu aliquem cœperunt Veteres observare, quem emendatum optassent: Nam dixit Chrysostronus *hom. 55. in Matt: Crucem non simpliciter digito in corpore, sed magna profecto fide in mente formare oportet.*

Sed fuit hac multis) Propriè commutatio manuum Iacobi non significabat crucem, quamvis eò per allegoriam à Ruperto & nonnullis aliis trahatur, sed tantum quod Ephraim Manassi præponeretur, minor majori natu; uti ipse declarat Iosepho putanti id per errorem fieri, *com. 19.* Neque manus Patriarchæ decussatim permutatæ in formam & signum crucis, signum Crucis significare debuerunt, sed potius ipsam Christi crucem per quam omnis ad nos benedictio derivatur. Signum de quo Ezech: 1x, 4. non fuit externum & sensibile, sed mysticum & intelligibile. Nec sunt servi Dei signandi signo *Thau* ut habet V. V. Sed simpliciter signo notandi, ut Græci interpretes qui vulgo *Lxx.* dicuntur, Symmachus, Syrus & Arabicus, ipso Tirino *ibi* agnoscente, reddiderunt: Nam vox illa *Thau* non est propria ultimæ literæ Alphabeti apud Prophetam, sed appellativa *signi* à verbo *TH* quod habet in Niphal *hitteyah*, signavit. Emanuel Sâ illud *Thau* hoc loco *signum* quoque ut 70, interpretatur: Neque si propriè debeat sumi, id pertinebit ad crucis signum commendandum; quia 1. Potius deberet referri ad crucifixum ipsum cuius solius beneficio salutem & redemptionem consequimur; 2. Littera *TH* Hebræorum nullam habet conformitatem cum signo crucis: nec debet recurri ad characteres Samaritanos, ut sit à nonnullis, cum celeberrimus Buxtorfius non ita pridem adhuc *in Dissert. sua de lit. Hebræor.* fasè ostenderit & eruditè probaverit litteras quadratas Hebræorum, quæ nobis hodie sunt in usu, non ab Esdra fuisse inventas, sed à Mose ipso usurpatas & semper in Sacris adhibitæ; Esdram verò eas suis communes fecisse, & Samaritanis, ne quid cum illis haberetur commune, alias litteras, quæ hodiè Samaritanæ dicuntur, non nisi vulgaribus antea & profanis usibus applicatas, in solidum reliquisse. 3. Illud *Thau* in fronte æque significaverit *thichie*, *vires*, vel *tham*, *simplex*, *innocens*, vel *thorah*, *lex*, quod (ut Judæi autumant apud Hieronymum *ibi*) illi acciperent *hoc signaculum*, qui legis præcepta compleverant.

Et hoc

Et hoc signo signari jubentur) Falsissimum est agi in Apocalypsi de externo signo crucis, cum posterior locus priorem satis explicet; & agatur utrobique de signo aliquo intellectuali per Dei *σφραγίδα* & signaculum expresso, quod electis ad salutem est speciale, ut in iudiciis divinis Orbi immittendis immunes evadant; prout signatæ fuerunt ædeis Israelitarum in Ægypto, & Rahab in Jerichuntis direptione, ut illis parceretur: Et cum ipsi Tirino signatum esse in fronte Apoc: VI, 3. idem sit quod habere in fronte nomen Christi & Patris Apoc: XIV, 1. illud prius non potest intelligi de externo signo Crucis, quandoquidem hoc nihil aliud sit, Riberâ teste ad Apoc: 14. §. 6. quam non erubescere testimonium Domini nostri I. C. neque Patris ejus; frons enim sedes verecundia: Quid autem sit nomen habere scriptum, intelligitur ex verbis cap. 3. Et scribam super eum nomen Dei mei &c. An quæso hoc signaculum, quo speciatim discernuntur qui Dei sunt ex prædestinationis æternæ consilio, prout dicit Paulus, Fundamentum ejus firmum manere, habens hoc signaculum Novit Dominus qui sui sunt, & Discedat ab iniquitate quicumque invocat nomen Domini 2. Tim: II, 19. 20. ad frigidam cæremoniam spectaret quæ piis & impiis, reprobis & electis communis & promiscua est? Imo cum ipse Tirinus ad Apoc: XII, 16. bestię sive Antichristi characterem cum Primasio & Ansberto statuat esse nomen Christi decussatim scriptum, eodem planè modo quo illud Constantinus Imperator in Labaro castis suis præferebat contra Maxentium & alios hostes, (cum hac inscriptione *in τριτῷ σταυρῷ*) an non signum Crucis, quod ex illo Constantini ostento tanti faciunt Jesuitæ, potius Antichristi nota erit & Antichristianisini sequacium. quam Agni & verè fidelium? Quid multis? Viegas ad 7. Apoc: comm. 5. sect. 2. §. nihil minùs hic vidit quam signum Crucis: sed Sigillum Dei in manu Angeli, interpretatur esse judicium à Patre datum Filio & amplissimam in celo terræque potestatem, ut omnia quæ vellet posset tanquam Princeps eodem Patris sigillo obsignare & confirmare signareque pro suis quoscunque ipsum credidissent; quod adumbratum fuit Gen. 41. in Ioseph cui Pharaos anulum suum dedit signatorium, ut pro se universas Ægypti provincias gubernaret; Et paulo post profert Ambrosii verba hoc omne ἔραμα referentis ad Christi primum adventum, quo fecit ut Romani ab infestatione genera-

ris humani cessarent, fietque pax per universum orbem, sicut dicit Psalmista, *conetur in diebus ejus justitia & abundantia pacis, donec semina fidei per universas gentes spargerentur ac signaculo fidei ij qui praordinati erant ad vitam aeternam signarentur.* Et postea ipse Viegas *salt. 6.* hanc omnem signationem praedestinatorum, ad fidem fideique constantem professionem, qualis erat Pauli dicentis Non erubescio Evangelium Dei Rom. 1, 16. & ei annexam veram charitatem refert ex Cant. VIII, 6.

Et S. Chrysostomus) Verba Chrysostomi hæc sunt; *Duo capita ponit, unum quidem quod creatura nulla communis est; secundo quod etsi communis sit, medicamentum in promptu est, signum illi crucis imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immundities omnis abscescit.* Hæc autem potius de benedictione quæ fit per preces ante ciborum summptionem, ut ipse Tiranus *ad eum Pauli locum*, Apostolum ex Chrysostomo & aliis interpretatur, qualem & Christus solebat præmittere fractioni panis, cum illæ preces nobis per Christum ejusque crucem, id est beneficium & mortem, legitimum faciant creaturarum Dei usum, quam de ritu illo externo signandi crucem in aere, debent intelligi: Saltem hinc liquet Chrysostomi benedictionem mensalem sola hæc frigidâ cæremoniâ, ut fit nunc plerumque inter Pontificios, absolutam non fuisse.

Similia docent S. S. Patres de aqua) Præter signum crucis quatuor alia desumpsit Tiranus vindicanda quæ suis Sacramentalibus solent adversarii annumerare; Primum est *aqua lustralis*, quam perperam arcessit ex Num. VIII, 7. & XIX, 12. Si enim illa typus & figura hujus fuerit, tum sanè plus huic quam illi debet inesse virium & dignitatis; figura enim semper cedit rei figuratæ & eâ censetur vilior & indignior. Sed quis audebit institutum divinum & Sacramentum propriè dictum ab ipomet Deo præscriptum, postponere commento humano, ad imitationem Ethnicismi excogitato? Cum præsertim hæc aqua lustralis constans ex sale & aqua variis ritibus exorcisatis, non nisi in Baptisni memoriam benedicatur, Durando teste *Rat. lib. 4. cap. 4;* adeoque, præter ea quæ falsò & ineptè tribuunt illi aque, de quibus fuit noster Hospinianus *lib. 2. de Templis c. 13. & lib. 4. c. 8.* non possunt adversarii, in illius usu quotidiano, Hemerobaptistarum, Pharisaeorum de quibus Marc. VII, 4. & Ethnicorù præposteram imitationem inficiari.

Quid

Quid quod antiquissimus pro hac aqua falsa titulus profertur ex Epistola 1. Alexandri 1. quam Blondellus noster jam diu confecit obelo jugulante, in *Epistolarum Decretal. Censura* longè doctissima: ubi monet pag. 166. *aqua falsa usum inter Donatistas primum fuisse*, idque colligi ex Optato lib. 6. *adversus Parmenianum*, qui hac in parte multum schismaticos exagitat, & queritur quod aqua non *leviser* ab ipsis degradetur, ejusque *dulcedo* vexetur: Et sanè dum aquæ hujus lustralis Pseud-Alexander iste efficaciam & asperisionem confert cum asperisione cinerum vitulæ & factæ Helizæi aquas Jerichuntis sale injecto sanantis (quod & commemorat illius aquæ benedictæ Consecrator in Rituali & Pontificali Romano) & contactui fimbriæ Christi per hæmorrhoissam, non impegit uno modo: Nam 1. non debuit Alexander Hypobolimæus commenta sua divinis institutis æquiparare, imò longè præferre. 2. Cum quicquid erat virium in aqua illa Levitica, cujus fit mentio in Numeris & Heb. 12, 13. pependerit non ex illius *natura*, sed ex *institutione divina*, ut notat Arias Montanus *ad Heb. 9.* par aut superior efficacia non potest tribui aquæ lustrali, ut *populum sanctificet & mundet*, quin divinæ institutionis esse ostendatur. 3. Elizeus non sine Numine salem injecit aquis ad eas sanandas; neque id factum virtutè salis sed Numinis: at de sale exorcifando & injiciendo aquæ, nullum Dei mandatum potest ostendi, prout nullum hîc ut isthuc fieri videmus miraculum. 4. Nec si ad salis injectionem aquæ sunt divinitus sanatæ, hinc multò magis sequetur quod sal *divinis precibus factus* (ut Alexander ille suppositivus loquitur) *sterilitatem auferat rerum humanarum & coinquinatos sanctificet atque mundet & expurget*, & cætera bona multiplicet & insidias diaboli avertat & à Phasmatis versutius homines defendat; ut nihil super sit amplius quod tribuatur speciatim sanguini Christi, siquidem huic salî & aquæ conveniat quicquid à Deo expectare necesse est. 5. Nec fimbriæ sed Christi virtute convaluit Hæmorrhoissa: nec ulla illius contactus per fidem facti comparatio potest institui cum aqua hac lustrali, propter quam ullo jure Alexander in hæc blasphema verba proruperit; *Si in fimbria vestimenti Salvatoris, salvatos infirmos esse non dubitamus, quanto magis virtute factorum ejus verborum divinis sacramentis elementis, quibus sani-*

tatem

ratem corporis & anima, humana percipit fragilitas? Verum ut ad meum Tirinum redeam, quâ conscientiam aquæ suæ lustralis figuram quærit Num: VIII, 7. & XIX, 12. cum ipse ad Num: VIII. statuat has aquas Paulum adaptare allegoricè sanguini Christi Heb: IX, 13. & ad Num: XIX, 12. sic loquatur; Eugubinus vult hanc aquam typum fuisse aquæ nostræ lustralis; Sed melius S: Augustinus, Theodoretus & alii S. S. Patres dicunt præfigurasse Baptismum vel lavacrum Pœnitentiæ.

De Lucernis in templis) Hoc secundum est Sacramentale quod propugnandum hoc loco suscepit Jesuita, ignem simul & aquam, quibus duobus peragebantur februationes Ethnicorum, in Ecclesiam Christianam præter institutionem Christi illaturus. Quamvis autem Baronii ad annum 58. n. 25. & seqq. hinc sequatur vestigia, dum luminarium interdum accensorum originem arcessit ex loco Act: XX, 8. tamen inepta est probatio; nam illæ lampades multæ debuerunt esse propter multitudinem fidelium quæ isthinc convenerat; nec alio fine accensæ fuerant quam tenebris discutiendis, cum circa vesperam hic conventus fuisset institutus, & ad *μεσούριον* usque Paulus sermonem suum protraxisset. Quod si in hac controversia diutiùs luberet immorari, facillè ostenderem, nullum ferè testimonium à Baronio & aliis ex Antiquitate hinc adferri quod non spectet nocturna pietatis exercitia, quæ etiam aliquandiu in Veteri Ecclesia post pacem adeptam continuarunt. Nec quæ de moribus Judæorum tam sacris quam prophanis protulit Annalista, alio spectasse quam ad tempus noctis, unquam demonstrabitur. Solis Ethnicis fuit in usu, *die lato lucernis diem infringere*, ut hoc illis exprobrat, negat de Christianis Tertullianus *Apolog. cap. 35.* & ut queritur Lactantius *lib. 6. cap. 2. Deo accendere lumina velut in tenebris agenti.* Ipse Hieronymus *contra Vigilantium* ita conatur muliercularum præposteræ devotioni adscribere lampadum diurnarum usum ad Martyrum memorias, ut satis hunc morem jam gliscentem se testetur improbare, his verbis; *Cereos non clarâ luce accendimus, ut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci dormiamus in tenebris.* Legerat quippe vir eruditus, etiam Sapienti Ethnico displicuisse illa diurna luminaria, *quoniam nec lumine Dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine*, ut Seneca loqui-

ca loquitur *Epist. 96.* & à Concilio Elibertino hunc ritum jam inolefcentem inter Christianos damnatum fuisse *can. 34. Cereos per diem plausis in cimiterio non incendi; inquietandi enim Sanctorum spiritus non sunt; Qui hæc non observaverint, arceantur ab Ecclesia communione.* Dicamus ergo de istis Scripturarum Lucifugis, quod olim dicebat Tertullianus *de Idolol. cap. 35. Accendant quotidie lucernæ, quibus lux nulla est; affigant postibus lauros post modum arsuras, quibus ignes imminet; illis competunt testimonia tenebrarum & auspicia peccatorum.*

De Cera benedicta de qua) Tertium illud est quod ex Sacramentalibus Jesuita suscepit defendendum: Sed quam impudenter & blasphemè trahatur ad ceræ frustulum magicis execrationibus potius quam consecrationibus incantatum, elogium illud *Agni Dei*, quod convenit Christo non solum ex *Es: LIII, 7.* sed etiam ex *Ioh: 1, 29. Apoc: v, 6.* & aliis locis, res ipsa loquitur: Et cum Baronijs ista idola cerea, quæ *agnus Dei* dicuntur, statuit successisse bullis Ethnicorum *ad ann. 58. n. 30.* eorum hoc ipso vanitatem tacitè condemnavit, si quid illi ejus inerat cordis, cujus figuram bullæ Ethnicorum, ut & hæc sua Idola de collo suspendenda, referebant. Quis non detestetur istorum Periaptorum descriptionem ab Urbano V. Pontifice Romano factam, quæ extat in ipso Cæremoniali, ut fuscè ostensum à Riveto post alios *Summa cent. tract. 2. q. 17. §. 10.*

*Balsamus & munda cera cum chrismati unda,
Conficiunt agnum, quod minus do tibi magnum,
Fonte velut natum per mystica sanctificatum,
Fulgura desursum depellis, omnia malignum
Peccatum frangit, ut Christi sanguis & angit:
Pregnans servatur simul & partus liberatur,
Dona deseri dignis, virtutem destruit ignis,
Portatus mundè de fluctibus eripit undæ.*

Quousque insaniant circa hæc superstitosæ mentes haud facilè dixerim; Olim novi hominem, honoratæ aliàs in sæculo conditionis, qui cum rædiosæ liti coram amplissimo Senatu Parisiensi implicaretur, deprehensus fuit in suo cubiculo de geniculis ad mensam cui suum *Agnus Dei* impofuerat, cum sic enixè & altà voce rogans, *O agnus Dei, fac*

X x x

ut in mea

ut in mea lise triumphum. Imò non possum hic non referre, quod cum olim Laoduni Veromanduorum improvidentiâ mei famuli flamma grandior fumarii fuliginem corripuisset, & vicini in communi periculo, quod majus metuebant quam revera esset, accurrissent, non defuerit qui ad incendium restringendum, cœa exploratæ fidei remedium mihi suum *Agnus Dei* offerret: Sed ego gratis actis, respondi certius adhuc & præsentius mihi suppeteret remedium, nempe aquæ copiam, quâ tamen nec opus fuit.

De pane ad Christi exemplum) De hoc quarto Sacramentali, quod eum ferè usum obtinet respectu Eucharistiæ, quem aqua lustralis respectu Baptismi, non est quod multa annotem; cum tam paucula de his *Eulogiis* ab iis recipiendis qui Missarum solemnitatibus interfuerint nec communicaverint, ipse Baronius annotaverit *ad ann. 313. n. 13. & 14.* Miseret me Tirini eò trahentis loca Scripturæ Matth: xiv, 19. & Lucæ ix, 16. quæ extraordinarium & insigne miraculum à Christo patratum nobis proponunt, non ritum ordinarium in Ecclesia fervandum. Istæ vel *Eulogia*, vel *buccella* panis benedicti, hanc videntur originem habuisse: Olim non erat moris ut asservaretur Eucharistia: Quod communione peractâ restabat ex oblatiis, primò à Clericis intra Sacrarium consumebatur, ut patet ex Clemente; postea igni absumebatur, ut Ilychius docet; tandem videbatur dari Catechumenis, quasi in prægustationem ipsius Sacramenti ad quod præparabantur. Eò spectat quod dicit Augustinus *lib. 2. de pecc. merit. & remiss. cap. 26.* *Quod accipiunt Catechumeni quamvis non sit corpus Christi sanctum, est tamen & sanctum quam cibi quibus alimur; quoniam Sacramentum est:* Et cum paulatim defervesceret zelus & frequentia communicantium, in illius ritus erga Catechumenos ante recepti imitationem illæ *Eulogiæ* cœperunt institui & distribui populo diebus Dominicis, ut saltem imaginem communionis Eucharisticæ qui non communicaverant retinerent; maximè quod cum *fermentum*, cujus meminere Innocentius *Epist. 1. ad Decentium Episcopum Eugubinum cap. 5.* unionis contestanda gratiâ & *eulogiarum* commutatio, cœpisset adhiberi inter eos qui de eadem mensa propter locorum distantiam participare non poterant, aptæ viderentur quæ etiam inter ejusdem cœtus particularis mem-

ris membra, non modo veterum Agaparum jam diu ante abrogatarum, sed etiam sacre Synaxeos defectum supplerent; ut sic populus in Missa, post subtractam Eucharistiam & Candelam sub Modio repositam, videatur retinuisse quod olim Romani in præmium libertatis amissæ petebant, Panem & Circenses: Nam ludos plusquam circenses ipsa theatralis Missa exhibet; panem Eulogia ab honestioribus parœciæ per vices diebus Dominicis in templum adferenda; Porrò quod Eulogias dicunt alias privatas fuisse alias publicas, alias catechumenorum alias fidelium, alias Clericorum alias laicorum, ut obiter monuit Forbesius *Instruct. Historico-Theol. lib. 11. cap. 7. §. 22.* non est hujus vel loci vel instituti pressius excutere.

Num. 13. Et verò habent hæc suos quoque effectus spiritualis, & speciale **ENERGIAM** seu efficaciam, non **PHYSICAM**, vel **NATURALEM** (ut nos fingere mentiuntur iidem hæretici,) sed **MORALEM** duntaxat: v. g. Primò, sanctificandi ea quibus adhibentur, non sanctitate **INTRINSECA** (quod **SACRAMENTIS** est proprium,) sed **EXTRINSECA**, quæ consistit in deputatione ad usum sacros & cultum Dei; quo modo S. Paulus 1. Tim. IV, 5. docet, omnem creaturam Dei sanctificari per verbum Dei & orationem: Secundò, terrendi, coercendi, fugandi dæmonem, magiam, veneficia &c. Lucæ IX, 6. Tertiò, morbos & alia seu corporis seu animi mala curandi. Nam specialem potestatem in dæmones & morbos à Christo datam Ecclesiæ, constat ex Matth. X, 1. & Marc. ult. v. 17. &c.

CENSURA. *Et verò habent hæc suos* Non contenti isti homines theoreticam aliquam significationem his suis commentis indulgere, quod utcumque tolerari potuisset, etiam efficaciam illis tribuunt & vim practicam, si res ipsa propius attendatur, non minorem quam ipsismet Sacramentis; cum tamen nullam habere possint efficaciam *ad effectus spirituales*, qui physicam eorum activitatem longè superant, nisi à Deo: hæc autem Deo non sit deputanda nisi ex illius speciali institutione, prout Becanus *cap. 5. de Sacr. q. 1.* probat solius Dei esse instituere Sacramenta, eo quod ipse solus possit vim operandi illis tribuere, *sive vis illa moralis, sive physica fuerit*; cum ergo hæc Sacramentalia non sint à Deo instituta, nulla vis vel moralis vel physica potest illis tribui *ad effectum spirituales*. Parum verò interest, qualis

qualis illa efficacia dicatur Tirino *physica an moralis*; quandoquidem nec inter ipsos Pontificios constat physicè ne an moraliter ipsa agant Sacramenta: Satis est quod majorem ipsis efficaciam, uti patebit ex n. sequenti, deputat quam Sacramentis V. T. quæ nullo modo ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, ut isti loqui a-mant, suam vim exerebant.

Primò sanctificandi) Suprà vidimus à Papis ea tribui aquæ lustrali & ceræ benedictæ, quæ dicitur agnus Dei, quæ nec ipsismet Sa-cramentis convenire queant; Nec Sacramenta habent aliquam in-trinsecam sanctitatem sibi inhæsi-vè inhærentem, quæ physicè alios sanctificet, sed tantum extrinsecam *qua consistit in deputatione ad usus sacros & cultum Dei*, ex ipsius institutione & promissis; Nam prout quilibet cibus nobis sanctificatur ad usum quotidianum per verbum Dei & orationem 1. Tim. iv, 5. sic etiam per orationem & verbum sanctificantur elementa ad usum religiosum & sacrum, ut fiant Sa-cramenta: Sed cum desit Pontificijs verbum quo hæc sua Sacramen-talia deputent ad effectus spirituales, quale habemus ut ea elemen-ta quæ ad id ordinata sunt à Deo consecremus in Sacramenta, aut ut ad effectus corporeos & naturales, cibos quoslibet absque scrupulo & dis-crimine cum gratiarum actione adhibeamus, nequidem extrinseca san-ctificatio illis potest conferri. Adhæc si non nisi *extrinsecam* habent sancti-tatem, alterius generis ab *intrinsecâ* Sacramentorum, quæro qua ratione poterunt eos sanctificare quibus adhibentur, aut in illis *effectus spirituales* producere? Etiam extrinsecam habet sanctitatem toga sacerdotalis, ut-pote usui sancto, ex istorum hominum opinione, destinata; non tamen crediderim illi vim inesse sanctificativam aliorum & effectuum spiritu-alium productivam: Nisi contrarium statuatur ex femoralibus Ignatii Loyolæ, quorum reliquæ Audomaropoli, impositæ ventri puellæ quæ ex disuria laborabat, statim urinam provocarunt.

Secundò terrenis) In hoc secundo & tertio effectu plus dicitur de his Sacramentalibus, quam ausint Pontificii de ipsismet Sacramentis af-firmare: Nec enim ea nobis data sunt à Deo in periapta & amuleta contra morbos & veneficia, nec usquam Scripturæ eam vim illis tribu-unt. Et quam ridiculè & falsò aquæ suæ lustrali, ceræ benedictæ, granis

granis consecratis, eulogiis & aliis dignitatibus, uti loquuntur, hæc deputent, experientia ipsa quotidiana docet: Quin si hæc forent vera, deberent, ut quondam Romæ factum, omnes Medici eiici ex Europa; quandoquidem certiora & faciliora hæc remedia animis & corporibus æquè sanandis destinari possent. Specialis quidem potestas data fuit Apostolis in dæmones & morbos Matth: x, 1. Marc: xv, 17. eaque certa & infallibilis; Sed nec illa potestas miraculorum edendorum, quæ ad extraordinaria charismata Spiritus Sancti pertinebat, Ecclesiæ nascenti, cum ejus poneretur fundamentum, summo opere necessaria, debuit esse perpetua in Ecclesia; nec à Christo ad certos ullos ritus fuit adstricta; nec eam potest Ecclesia suis illis Sacramentalibus alligare & quadantenus infundere, nisi eadem planè arte quâ Astrologi nugantur se suis sigillis & figuris Talismanicis, quas fuscè propugnat Gaffarellus *Curiosit. inaud. cap. 6.* vires quassdam miras cœlitùs derivatas imprimere.

Num. 14. Et hos effectus operantur etiam quodam modo ex OPERE OPERATO, (nam & Iudæi & Ethnici sæpiùs ejusmodi Ceremoniis adjecti sunt, teste Nazianzeno, Epiphanio, Augustino, Gregorio:) sed *Nazian. orat. 1. in* NON INFALLIBILITER: cum de his non exstet alia promissio *orat. 1. in* Dei, quam quæ orationi adjuncta est *Ioh. xv, 23.* Si quid petieritis *Paulian.* *strem in nomine meo dabit vobis: Nisi dixeris, infallibiliter hæc consequi, Epiph. hæc non simpliciter & absolutè, sed ex hypothesi, nempe si sic expediat res. 30.* ad nostram vel aliorum salutem: quo modo de Extremâ unctione dici *Gregor. 1. 3. dialog.* solet, quod ad sanitatem corporalem conferat: certum enim videtur, christum ut Ecclesiæ suæ promeruit, non solum gratiam & gloriam, *cap. 3.* sed & alia omnia illi necessaria & utilia: ita reliquisse etiam eidem potestatem instituendi certas cæremonias quibus Christi merita applicentur in ordine ad hos effectus minùs principales ex opere operato consequendos. *August. 1. 83. quæst. 9. 79.*

CENSURA. Et hos effectus operantur) Non est quod his multum immoremur. Primùm secum Tisinus parum convenit: nam Numero præcedenti negabat his suis quisquiliis efficaciam physicam; hic tamen eam illis quodammodo tribuit, quandoquidem vult eas effectus suos producere, quodammodo ex opere operato: etenim in

ipſius Theologia, ad hoc ut Sacramenta N. F. agant ex opere operato, debent efficaciam habere non moralem ſed phyſicam. Et cum his Sacramentalibus efficaciam deſignat *quodammodo ex opere operato*, tamen eam arceſſit ex precatone adjuñcta, id eſt revera ex opere operantis. Secundò teſtes quos hic citat Tirinus (quibus Dialogiſta Gregorius fabuloſiſſimus author non erat annumerandus) nullum deputant miraculum aquæ, vel ceræ benediſtæ, vel lucernis Eccleſiæ, vel pani benediſto; Nec ſi quæ ad crucis ſignum aut etiam martyrii reliquias facta ſint miracula quædam inter Ethnicos & in fidei Chriſtianiæ confirmacionem, ea debent tribui efficaciz cuidam latenti & agenti ex opere operato, ſed virtuti Crucifixi, gloriam ſuam inter ſuos adverſarios ſolemniſter vindicantis. Tertio plus his ſuis cæremoniis tribuit Tirinus quam Sacramentis V. T. quæ ſupra n. 7. negabat nullo modo egiſſe ex opere operato. In quo mireris merito impudentiam Jeſuiticam, non æquantem modo ſed præferentem ſuas nœnias Sacramentis divinz institutionis: Nec puduit Agidium Coninck *ad quaſt. 60. de Sacram. art. 4. dub. 1. ſ. 20.* licet his ſuis Sacramentalibus opus operatum denegantem, aſſerere, quod *in lege veteri potuiſſent dici Sacramenta.* Quarto non habet Tirinus quod certo & definitè ſtatuat de hac efficaciâ & operatione. Namſi procedit ex opere operato, cur non etiam infallibiliter? Aut quomodo infallibiliter, ſi tantum ex hypotheſi, & quantum expedierit ad ſalutem vel noſtram vel aliorum? Et quid ni dicam idẽ de re qualibet, etiam miſſis execrationibus & conſecrationibus Pontificiis, eam profuturam, ſi ita Deo viſum fuerit? Quintò cum fateatur Jeſuita hæc ſua cæremonialia nullam habere promiſſionem *preter eam qua orationi adjuñcta eſt ex Ioh: xv 1, 23.* cur non acquieſcit in illa oratione quæ promiſſionem habet, miſſis ac omiſſis cæremoniis quibus Deus nullam promiſſionem fecit? Aut quo jure vult reſtringi & determinari ad hæc cæremonias, promiſſiones factas orationi citra reſpectum ad illas? Sextò, ſi nequidem Sacramentum, ut putatur, extremæ unctiõnis, effectum ſuum producit quantum ad corpus ex opere operato, (quod quomodo conciliet Tirinus cum doctrina ſua de Sacramentis N. T. quibus eam unctiõnem annumerat, viderit ipſe) quanto minus debuiſſet Tirinus tam magnificè de his ſuis cæremoniis

moniis loqui , & illos spiritalis effectus illis tribuere , quos in superiori numero enarravit ? Imò quid ampliùs supererit discriminis inter Sacramentalia & Sacramenta N. F. si par sit utrobique ratio operandi ?

Certum enim videtur) Hoc quidem dum *videtur* tantum esse *certum*, certum esse definit : & potuisset pari ratione & ore rotundo Ecclesiæ tribuere facultatem instituendi nova Sacramenta , si potestas illi competat cæremonias sancienti , *quibus Christi merita applicentur*, etiam *ex opere operato* : Neque opus est distinguere inter meritorum Christi effectus principales & minus principales ; cum nec illam distinctionem admittat Scriptura ; nec effectus salutare meritorum Christi debeant separari ; nec possint ab hominibus institui cæremoniæ quæ plus habeant efficaciz ad ullos effectus meritorum Christi applicandos , quam ipsi divinitùs instituti ritus V. T. quos id non præstitisse ex opere operato asserunt adversarii. Præterea si tales cæremonias ex opere operato applicativas meritorum Christi quoad effectus istos minùs principales , (quamvis & supra visum sit hanc efficaciam illis deputari etiam quoad effectus principales , nempe sanctificationem & mundationem à peccato ; magis quam per asperionem legalem de qua Heb: IX, 13.) posset instituere Ecclesia ex Christi merito ac privilegio speciali , illæ sanè tum hosce effectus minùs principales producerent semper & infallibiliter , ut Sacramenta ipsa effectus suos principales , quod tamen Trinus non audeat asserere.

CON-

CONTROVERSIAM XIX.

De

BAPTISMO.

Respondente

ALBERTO BIERUMA
Gr. Phryſio.

Nam:

1.



Se Sacramentum ablutionis cum invocatione Sanctissimæ Trinitatis; Matth. ult. vers. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti.* & Marc. ult. vers. 16. additur promissio gratiæ, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ejus MATERIA non est quicquid balnei nomine potest nuncupari (ut ait Lutherus;) nam etiam ex lacte & vino balnea fiunt: sed sola & om-

Luth. in Colloq. symposiacis cap. 17.

nis aqua naturalis: Ioh. III, 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & sanguine, &c.* Act. VIII, 36. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?*

Luth. de capt. Babil. c. de Bapt.

FORMA Baptismi non libera (ut vult Lutherus, Zwinglius, & Brentius,) sed necessaria est, **EGOTE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI:** vel verba æquivalentia: Hæc Matth. ult. v. 19. ab ipsomet Christo præscribitur, & hanc ab Apostolis adhibitam semper fuisse docui Act. II, 38.

l. de verâ & falsâ relig. c. de Bapt. Brent. in Catechismo suo c. de Baptismo.

CENSURA. *Est Sacramentum ablutionis*) Ridiculè, cum perinde esset ac si diceret, est Sacramentum Baptismi: cum βαπτισμα Græcè sit Latine ablutio; Similem definitionem à Thoma traditam, Becanus cap. 8. de Sacram. q. 1. §. 1. dicit esse Baptismi *quatenus est Sacramentum tantum*, nullo habito respectu ad rem Sacramenti sive ad id quod significatur; cum tamen in omnibus signis minùs debeat attendi id quod sunt quam id quod significant: Melius itaque Baptismum defini-veris

Definiveris, Sacramentum initiationis in fœdere gratiæ quo externâ aquæ asperſione in nomine S. Trinitatis juxta Chriſti præſcriptum Matt: xxviii, 19. peccatorum remiſſio & regeneratio per ſanguinem Chriſti & Spiritum Sanctum offertur & obſignatur, vi promiſſionis quæ extat nominatim Marc: xvi, 16.

Ejus materia non eſt) In eo quidem nobis convenit cum Tirino; Quamvis enim ritus Baptiſmi videatur proceſſiſſe à Judaicis lotionibus, eâ potiſſimum, quam adhibebant Judæi in faciendo profelyto juſtitiz, circa quem tria erant neceſſaria, מילה & טבילה & קרבן; Circumciſio, Baptiſmus, & Oblatio. Unde Johannes Baptiſta, auſpice Chriſto, ſic agebat hac in parte cum Judæis quaſi de novo fuiſſent initiandi fœderi divino, tum quod illud protervè neglexiſſent, tum quod veteri mox abrogando novum illud ſuccenturiaretur de quo Jerem: xxxi, 31. Attamen dubitari non poteſt quin Chriſtus ex profeſſo aquam elegerit ad initiationis Sacramentum, quod præter alias rationes quæ huc poſſent adferri, nulla ſit Creatura, ut magis vitæ noſtræ neceſſaria, ſic quæ commodiùs & faciliùs ubique haberi poſſit: Nec video quo jure Jeſuita hic tribuat Luthero, quod illi ipſi Theologi proteſtantes, qui Lutherani dici gaudent, annumerant Socinianorum erroribus, ut videre eſt apud Brochmannum loco de Baptiſmo, cap. 6. quaſt. 1. Saltem meminifſet ipſe Brochmannus, quod dum nobis *ibid.* & quaſt. 10. eundem affingit errorem, nihil obijcit noſtris, quod ſuis & ipſi Luthero non obijciant Jeſuitæ. Illâ nos ſimplicitate contenti, non diſputamus, ut ſit inter Pontificios, num deficiente aquâ elementari, aqua diſtillata ſit adhibenda, vel urina, vel ſaliva, vel brodium, vel ſudor, vel lutum, vel lachrymæ, vel nix, aut glacies, aut grando, vel pannus aquâ imbutus, vel aqua cui tantum olei aut vini aut mellis aut alterius alicujus liquoris immiſtum fuerit, ut ſaporem illius retineat: Sane Guido de Monte Rocherij in *Manipulo Curat. tract. 2. cap. 2.* refert non deeſſe doctores qui putent in urina propter defectum aquæ poſſe baptizari: Eriſte ſtatuit quod *lixivium* poſſit eſſe materia baptiſmi, vel *brodium* ut ipſe loquitur, ſi tanta non ſit *ſpiſſitudo illius quanta eſt in carne*, quod & de Lupo aſſerit, ſi aqua exprimat ex illo.

presbyter Castri novi, in libro quem inscripsit *de officio Curati cum multis approbationibus edito, cap. 6.* dubitat num *sal liquidatum* sit apta materia Baptismi: negare enim Sylvestrum, affirmare ex communiore sententia Henriquez & alios. Quin idem Possévinus *ibid.* refert quod *semel in Baptismo magnatis* adhibuerit *aquam rosaceam*. Nec solum has inanes speculationes invexerunt Pontificii circa legitimam materiam externam hujus Sacramenti, sed eandem onerarunt multis aliis rebus inutilibus, sale, sputo, Chrismate, quarum nec vola, nec vestigium extat in sacris literis: ut nihil dicam de superstitioso ritu aquam ad Baptismum prius exorcisandi & mimicis ne dicam an magicis gesticulationibus baptisteria consecrandi ac benedicendi, tum in Sabbato Paschatis & Pentecostis, tum extra illud, de quibus videantur *Pontificale, & Rituale Romanum*. Ad loca quæ Tirinus hic annotavit moneo primum ex Ioh: III, 5. non esse ad rem; quia ibi non agitur de Baptismo: tertium ex I Ioh: v, 6. non posse à Jesuita urgeri, quin agnoscat ibi agi de utroque Sacramento Ecclesie, Baptismo & Cœna; secundum & quartum sic aquam commendare ad usum Baptismi, ut additamenta & exorcismos Pontificiorum damnent, ac distinctionem Baptismi in solemnem & non solemnem: cum solemnior non possit eo excogitari quem Philippus Evangelista ad primum occurrentes aquas administravit. Id porro notamus, quod cum vox baptizandi non tantum immersionem denotet, sed etiam asperionem, unde Tertulliano *tingere* est baptizare, insani sunt illi in Anglia hoc tempore Anabaptistæ, qui Baptismum solâ asperione factum, quod immersionem asperius nostrum cœlum non ferat, tanquam irritum renovant, atque omnes non sine vite discrimine de novo ad immersionem adigunt.

Forma Baptismi) Quanquam hæc formula non sit essentialis forma Baptismi, quæ potius in analogia signi ad rem signatam & significatione practica illi divinitus imposta quærenda est, attamen ut pertinet ad formam Baptismi externam, sic à Christo præscriptam & retinendam omninò pertendimus: Nec enim admittimus dogma Socinianorum, apud Volkeliū *lib. 6. de relig. cap. 14.* Christum Matt: xxv 11, 19. non loqui de aquæ Baptismo quod mandaverit Apostolis,

cum

eum tamen vox Baptismi ibi absolutè posita, satis insinuet agi de Baptismo aquæ, quod nusquam in N. T. extet verbum *Baptizandi* aut Baptismi absolutè, quin hoc sensu intelligi debeat. Nec dubium quin talem hic Baptismum præcipiat Dominus qualem jam exerceri curaverat per suos discipulos Ioh: III, 22. & quem postea ipsi passim administrarunt; id enim fecisse eos absque mandato Christi, sic ut Baptisma Iohannis quod fuisse è cælo constat ex Luc: VII, 30. sanctius fuerit Baptismo ab Apostolis sponte suâ administrato, nemo sanus dixerit: Nullius est momenti *ἰνϑασις* Sociniana, nusquam Apostolos legi usos hâc formulâ, sed tantum baptizasse in nomine Christi, ut Act: II, 38. & alibi videre est. Etenim illis in locis, rei gestæ ab Apostolis compendium refertur & natura, ordo & modus quo gesta fuit reticetur, utpote satis notus ex praxi Ecclesiæ & institutione Christi. Paulus vero I. Cor: I, 17. non absolutè negat se missum ad baptizandum, aliàs quî potuisset ullos unquam baptizasse, sed tantum comparatè, quod potior pars muneris sui potius ad Euangelium annunciandum, quam ad Baptismum conferendum spectaret: illud enim per seipsum exequi tenebantur Apostoli, hoc vero ut per alios fieret procurare poterant. Fateor quod *ῥο μαθητευσατε* significet propriè Facite discipulos; Sed optimè jungitur cum sacro initiationis in hac disciplina ritu, nempe aquæ Baptismo ut Ioh: IV, 1. Interim ut quæ hîc Tirinus de hac formula ceu præscripta à Christo verè differit admittimus, servata ipsiusmet explicatione, ut vel illa verba adhibeantur, vel illis *æquivalentia*, quod statuerunt Lutherus, Zwinglius & Brentius, solû caventes ne his magica quædam vis tribueretur, ita improbamus *Manipuli Caratorum* supra citati c. 3. sententiam, etiam validum fore Baptisma sub hac formula, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti & B. Virginis*; nec non quod extat *dist. 4. de consecr. can. Retulerunt*, legitimum fuisse Baptismum sub hac formula, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*. Quas alias circa hanc Baptismi formulam, Pontificii movent difficultates & otiosas quæstiones, ultro prætermittimus.

Utm. 2. Necessarium esse **MED RUM** ad salutem, etiam **INFANTIS**

Wiclef **BUS FIDELIUM** (quod negant cum Pelagianis *Wiclef*, *Zwinglius*,
præc. 96. *Bucerus*, *Petrus Martyr*, *Bullingerus*, *Calvinus*, *Beza*, & *Anabaptistæ*,)
Zwing. constat ex *Ioh. III, 5.* *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest in-*
supr. *troire in regnum Dei.* *vers. 7.* *Oportet nos nasci denuo.* Et an *David* non erat filius
Bucerus hominis fidelis? *1 Reg. XVI, 1.* & tamen *Pf. L, 7.* dicit, *In iniquitatibus con-*
in cap. 3. *ceptus sum*; & *Paulus 2 Cor. XII, 22.* filium Sanctorum se vocat, & tamen
Matth. *Ephes. II, 3.* ait, *Eramus & nos naturæ filii iræ.* Vide & alia loca quæ citavi
Bullinger. *Controv. XI, n. 5.*
et Beza in 1. Cor. 7. *Calv. in Antidoto Trid. sess. 6. c. 5. et l. 4. Inst. c. 16. §. 24. et 25.*

CENSURA. *Necessarium esse medium*) Agnoscimus sacrum Baptis-
ma habere necessitatem præcepti, ita utj negligi vel contemni citra
piaculum & grande peccatum nequeat; quicquid contra crepent *Ca-*
tabaptistæ & *Sociniani*, quibus apud *Volkeliu* V. S. cæremonia est
liberè assumpta ab *Apostolis* absque *Christi* mandato, illis solum ini-
tiandis qui ex *Judaismo* ad *Christianismum* transibant, adeo ut nunc
inter nos nemo ad illum *Apostolorum* ritum teneatur: Cum tamen &
inmandatum sit generale de omnibus baptizandis *Matth: XXVIII, 19.* &
addita promissio *Marc: XVI, 16.* quam ad *Baptismum mysticum* re-
stringere non poterit, qui attendet inde proculdubio *Apostolos* usur-
passe *Baptismum* in remissionem peccatorum, atque ad illum susci-
piendum invitasse suos auditores *Act: II, 38.* quo sic *Christum* indue-
rent *Gal: III, 27.* & in unam plantam cum ipso coalescerent *Rom:*
VI, 4. 5. Nec fingi potest ratio cur substituto *Baptismo* in locum *Cir-*
cumcisionis *Col: II, 11.* non sit ille paris necessitatis sub *N. F.* ac ista
sub *Veteri*, ita ut citra piaculum omitti non potuerit *Gen: XVII, 14.*
nisi *Deo* ipso expressè dispensante, uti factum cum *Israëlitis* in deser-
to. Et cum ab *Apostolis* baptizarentur non adulti modo & capita fa-
miliarum, sed etiam eorum liberi & familiarum singula membra, u-
ti liquet exemplis quæ extant *Act: x, 48.* *XVI, 15. 33.* *1. Cor: I, 16.*
hinc sequitur etiam *Christianorum* posteros & liberos eodem ritu ini-
tiandos esse *Christo* ac parentes & avos eorum: ut nihil constantius
retinuerit *Ecclesia* post *Apostolorum* tempora, quam usum hujusce
Sacramenti, *Scripturis* sacris tantopere commendatum *Heb: VI, 2.* &
22. Eph: IV, 5. v, 26. 1. Cor: XII, 13. 1. Pet: III, 21. Quem cur potius
liberum

liberum & solis Apostolorum temporibus usurpandum fingant Soci-
niani, quam sacræ Cœnæ, non video, cum Paulus utrumque Sacra-
mentum conjungat 1. Cor: x, 1. 2. 3. 4. xii, 13. Quod enim nugatur
Volkelius multos non baptizatos, Cœnâ Dominicâ usos fuisse, non
solum ex Scripturis probari nequit, sed refutatur constanti praxi vete-
ris Ecclesiæ, in qua nemo jus sacræ mensæ nisi per Baptismum conse-
quebatur. At licet Baptismus ex præcepto & institutione Dei sit ne-
cessariæ observationis, tanquam medium externum infirmitati nostræ
accommodatum ad salutem nostram promovendam, non habet tamen
necessitatem mediij, ut ex illius mera privatione homines & in-
fantes, qui ejus contempti rei esse nequeunt, excidant regno cœlo-
rum: Cur enim potius damnarentur infantes Christianorum, qui
præmaturâ morte prærepti nequiverint baptizari, quam Iudæorum
sub V. T. qui ante constitutum diem Circumcisioni moriebantur? Et
cum eorum sit regnum cœlorum, nec aliter jus habeant ad signum
quam quia ad ipsos ex Dei fœdere res signata pertinet Matt: xix, 19.
Act: ii, 39. 1 Cor: vii, 19. an defectus merus signi citra contemptum
ejus, illos privabit re significatâ, ut ex aliena culpa non sua pereant in æ-
ternum? Disputatum est à Pontificijs, num præstaret infantem mori-
bundum conijci in puteum pronunciatâ formulâ Baptismi, cum nec
est situla ad manum quâ hauriatur, nec alia aqua qua baptizetur,
quam eum non baptizatum decedere: Author *Manipuli Curatorum*
in negativam inclinat, quod non sint facienda mala ut eveniant bo-
na; Interea tamen ex hypothefi Pontificia, affirmativa verior esset;
quia præstat infantem in puteo ceu baptisterio suo sepeliri ad vitam
æternam, quam bapismo carentem excludi ex regno cœlorum: Au-
gustinus sanè *lib. 1. de Bapt. contra Donat. cap. 22.* nixus quoq; authorita-
te Cypriani in *Epist. ad Iubajan.* etiam Latronis conversi in cruce ex-
emplo probat *non tantum passionem pro nomine Christi, id quod Baptismo*
deerat posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebren-
dum mysterium Baptismi in angustijs temporum succurri non potest: Neque enim
ille Lairo pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum,
nec quia credidit passus est, sed dum patitur credit. Quantum ergo fides valeat
etiam sine visibili Baptismi Sacramento, quod Apostolus ait, Corde creditur ad-
justificationem

justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est; Sed tunc impletur invisibiliter, cum mysterium Baptismi, non contemptu religionis sed articulus necessitatis excludit; quem locum protulit Lombardus lib. 4. dist. 4. litt. D. probaturus esse qui rem Sacramenti, tamen Sacramentum ipsum non fuscipiant; prout & Augustinus idem tradit cap. 84. super Levit. Visibilem sanctificationem quibusdam affuisse & profuisse sive visibilibus Sacramentis. Valentinianus Junior catechumenus decessit: eum tamen Ambrosius Orat. de ejus obitu, imperterritè cœlo locat; Quem, inquit, in Evangelio eram generaturus amisi, sed ille non amisit gratiam quam poposuit: Nec alio fine absoluta hæc necessitas Baptismi urgetur à Pontificijs Sacrificulis, quam ut se arbitros constituent vitæ & mortis æternæ, dum ex sua intentione suspendunt eadem illa Sacramenta sine quibus nemo queat fervari. Quid statuunt de eorum infantium statu, qui decesserunt absque Baptismo, vidimus tom. 1. Controv. xi, n. 10. Nec defuerunt qui præter pœnam damni communem omnibus illis infantibus, etiam aliquam pœnam sensus ijs assignarent qui ex copula illicita geniti fuerint, quasi verò illa intenderet maculam aut reatum peccati originalis: Quidam furiosus & factiosus Pontificius, qui Iohannis Duyffeldorpij sibi nomen fecit, librum emisit de Matrimonio non ineundo cum infidelibus; ut suos in Belgio Pontificios à nuptijs cum Reformatis ineundis deterreret, & consueque progreditur, ut illicitam statuat esse copulam omnium eorum qui in Ecclesijs nostris solemnè ritu copulantur; varias autem pœnas commemorat quæ tales sequantur nuptias, ac illis p. 3. cap. 12. n. 1. etiam annumerare conatur hanc quam dixi parvulorum eorum qui ex tali concubitu nati, absque Baptismo decederent: Non defuerunt, inquit, qui ex illicita copula procreatos parvulos, ante Baptismum decedentes ultra pœnam damni, quàm legitimos liberos solâ puniri afferunt, etiam aliam aliquam pœnam sustinere arbitrati sunt. Et laudat in margine Genitium Heruetum in Pedag. Clem. Alexand. lib. 2. cap. 3. Ita suaviter delirant Pontificij & indulgent genio suo: Porro malitiosè Tirinus nos hic conjungit Anabaptistis circa Baptismi necessitatem: Illi enim, ut & Worgeliani ex ipsis, negant Baptismum ullo modo vel necessarium vel utilem esse infantibus fidelium; Nos vero & necessitatem præcepti

hïc

hic agnoscimus & utilitatem summam ex institutione divina, quæ negligi vel contemni nequit citra peccatum: Illi ideo negant infantes baptizandos, quod illos statuunt cum Pelagianis originali carere maculâ; Nos vero ideo illos baptizandos censemus, quod nativæ generationis vitia per regenerationis beneficium elui debeant. Et tantum abest ut negent Nostri infantes fidelium esse baptizandos quia Sancti sunt, ut é contrario I. Nullos statuunt infantes baptizandos nisi fœderatorum & fidelium, & qui nomen Christianum profiteantur; cum Ethnicorum & Judæorum ac Turcarum infantes jus nullum habeant ad Baptisma. II. Ideo fidelium infantes censeant baptizandos quod Sancti sunt sanctitate fœderali, adeoque capaces Sacramenti quo debemus initiari illi fœderi ejusque promissiones debent in nobis obsignari: Quomodo & quo sensu sancti sint fœderatorum filii, jure speciali natalium suorum, ex Dei promissione factâ nobis ac semini nostro, & nihilominus peccato originali obnoxii jure communi, adeoque necessariò regenerandi ut consequantur regnum Cœlorum, docuimus *tom. 1. Cont. xi, n. 5.* atque nostros à Tirini calumnia hac in re vindicavimus: Quare quæ hîc profert exempla Pauli & Davidis obnoxiorum peccato originali, licet ex parentibus fidelibus & fœderatis nati fuissent, nos non ferunt, nec quicquam faciunt ad hanc quæstionem de necessitate mediî in Baptismo agnoscenda: Imò eam necessitatem evertunt: Nam ut Davidi & Paulo, quia nati erant in peccato, necessaria fuit Circumcisio necessitate præcepti, non tamen necessitate mediî, ut damnandi fuissent si vel ante octavum vitæ suæ diem obijissent, vel etiam post octavum absque Circumcisione, eâ omissâ supinitate suorum parentum aut alio aliquo casu fortuito, ita quoque sic debent baptizari ex præcepto & institutione Christi infantes fidelium propter peccatum originale quo inficiuntur, ut tamen eorum salus illi ritui non sit clavo adamantino suffixa, nec damnandi sint in æternû si alienâ culpâ aut alio aliquo casu, hoc Sacramentû, præmaturâ morte erepti, non susceperint; cum nulla subsit ratio, cur cum olim tam facîle etiam citra Circumcisionem absolvi possent infantes ab originali peccato, ut statuebat Tirinus nobis citatus in superiori Controversia, hodie non queant

inde

inde liberari nisi per Baptismum, licet ampliandis non restringendis beneficiis Christi tempus Gratiæ destinetur. Id quoque obiter venit observandum Lutheranos Theologos nodum in scirpo quærere dum nostris ab una parte litem movent de absoluta Baptismi necessitate, & ab altera benè negant Pontificiis tantam esse Baptismi necessitatem ut infantibus fœderatorum absque Baptismo decedentibus necessariò æternâ morte pereundum sit: Hoc enim posterius non possunt legitime, ut fit à Brochmanno *cap. 6. de bapt. q. 4. & cap. 6. de pecc. q. 16* quia abrogatâ nobiscum Baptismo necessitate mediï, eam solum propugnent quam nos agnoscimus, nempe necessitatem præcepti. Proferrunt tamen utrique in nos locum illum Ioh: III, 5. & 7. quo solo & hîc Tirinus nititur. Sed parum faustis avibus: Nam 1. Dato non concessio, ibi agi de Baptismo fluminis, nihil tamen pro absoluta Baptismi necessitate inde potest haberi: Etenim non magis hîc commendaretur necessitas Baptismi quam Circumcisionis Gen: XVII, 19. Hanc tamen non habuisse necessitatem mediï & agnoscunt Pontificii & res ipsa loquitur; nam masculos Isreëitarum, qui iussu Pharaonis debebant projici in profluentem Exod: 1, 22. aut quibus in deserto perigrinatio Circumcisionem negavit Ios: v, 7. ut bene Brochmanno observatum V. S. morti æternæ adjudicare nimis durum fuerit. Filius Davidis ex Bersabea susceptus, mortuus est incircumcisus, quia septimo die; David tamen de ipso affirmare non dubitat, Ego vadam ad ipsum, ipse vero non revertetur ad me 2. Sam: XII, 18. 23. Urget quoque Brochmannus exemplum Latronis quem sola fide citra Baptismum servatum asserit, Luc: XXIII, 43. & quod *Deum promississe non tantum ipsorum fidelium, sed etiam seminis fututum Deum Gen: xvii, 7. Act: 11, 39. Eph: 11, 11. 12. unde etiam liberi oriundi è parentibus agnoscetes Deum vocantur filii regni Matth: viii, 12. filii diaboli; Act: 11, 26. vocantur sancti 1. Cor: vii, 4. Quæ & similia Scriptura dicta, inquit, evidenter evincunt divinas de salute in Christo promissiones, non tantum ad fideles ipsos qui adulti sunt, sed etiam ad tenerrimos ipsorum liberos pertinere, adeo ut divinâ gratiâ non excidant nisi actualibus peccatis id effecerint ipsi; Unde tandè colligit dictum Ioh: III, 5. non nisi de hiis intelligi debere quibus copia & facultas Baptismi concedi potest, & qui supercilioso & contumaci contemptu Baptismum neglexerint, ut factum in*

Etum in Baptismo Johannis à Phariseis: Luc: vii, 32. Eadem de hoc loco ipse habet Lombardus *lib. 4. Sent. dist. 4. litt. E.* nempe illud *Nisi quis renatus fuerit &c. intelligendum esse de illis qui possunt & contemnunt baptizari;* Et Bernardus *Epist. 77. qua est ad Hugonem,* aliquem carpit & refutat qui ex hoc loco absolutam illam Baptismi necessitatem adstruebat. II. Christus equidem absolutam regenerationis necessitatem urget ad salutem consequendam, & regenerationis illius cujus habemus lavacrum & Sacramentum in Baptismo; Sed cum teste Lombardo, possit res Sacramenti haberi; etiam cum non habetur Sacramentum, nec infantes planè sint incapaces Spiritus Sancti ad internam sui regenerationem, modo nobis imperceptibili, ut constat exemplo Iohannis Baptistæ Luc: i, 15. 44. non est quod à necessitate rei per Sacramentum significatæ, ad Sacramenti necessitatem arguantur adversarii. III. Negamus Christum agere eo loco de Baptismo fluminis sive externo; Etenim aquam & Spiritum conjungit per hendiadym, ut ignem & Spiritum Johannes Baptista Matt. iii, 11. ad significandam aquam spiritualem id est mysticam & Spiritum aqueum cujus vis sit purgativa & regenerativa; prout Thaleti aqua erat principium omnium rerum, & Latinis *aqua* dicitur, ceu res illa à qua sunt omnia: Nec dubitem Christum pro sua sapientia hic respicere ad generationem naturalem: cum enim ad hanc calidum & humidum requiratur juxta Physicos, voluit analogicè in regeneratione Spirituali, vim utramque per aquam & Spiritum exprimere: Et quo magis constet Christum nihil aliud intellexisse hinc quam Spiritum aqueum, & instar aquæ Spirituales in nos effundendum, ut Baptista in alio illo loco loquebatur de Spiritu igneo nobis per Christum conferendo, ipse quod modo dixerat de renascendo ex aqua & Spiritu, versibus sequentibus de regeneratione ex Spiritu, nullam amplius aquæ factam mentionem, fusiùs explicat. Agit quoque Servator de tali regeneratione ex aqua & Spiritu quæ sit absolutè & omninò necessaria ad salutem; quod vocabulum *Nisi* satis exprimit: imo de tali regeneratione, quæ ipsi Nicodemo jam necessaria erat eo temporis momento quo loquebatur: At regeneratio Sacramentalis per Baptismum, non habet absolutam illam necessitatem; cum & suas hic adhibeant Pontificij cautelas, limitationes & exceptiones,

uti in n. sequenti explicatur à Tirino, & absque ea servari infantes fidelium agnoscant ipsimet Lutherani: Nec saltem Nicodemo erat tunc temporis ullo modo necessaria; siquidem juxta Bellarminum *lib. 1. de bapt. cap. 5. Baptismus Christi non fuit necessarius necessitate mediij aut præcepti ante Christi mortem, sed demum à die Pentecostes.* Quæ contra objiciuntur à Brochmanno, *cap. 6. de bapt. q. 11.* facile corruunt. Obij. 1. Aquam Baptismi esse verum & efficax regenerationis medium; Ergo de illa agi à Christo. Resp. Internam regenerationem non esse alligandam externo Sacramento; cum absque illa nemo servetur, & absque hoc contentibus omnibus multi servari possint: Nec Christus vult ostendere quibus medijs externis utatur Deus ad nostram regenerationem, sed quam necessaria sit ipsa regeneratio ad salutem. Nec si Baptismus dicatur medium externum regenerationi promovendæ, id ei magis competet quam externo verbi divini præconio, cum verbum aquæ conjungatur Eph: v, 27. Nec quicquid habet rationem aliquam mediij quo res quædam obtineatur, habebit ideo necessitatem mediij ad illam, aut censebitur medium sine quo non obtineri possit; nam, ut vulgo dicitur, per diversa media ad eundem pervenitur finem; Nec mediij alicujus externi ad salutem mera privatio, importat carentiam & negationem mediorum internorum, quæ ipsam rem conficiunt. Obij. 11. Nunquam posse probari Aquam & Spiritum simul jungi ad eandem rem significandam. Resp. Id habere hendiadym ut distinguat aliàs conjungenda; ut illud apud Virgilium *Georg. 2. Pateris libanum & auro, pro pateris aureis.* Et *Æneid. 1. Munera lætitiæque Dei, pro muneribus lætæ:* Exempla sunt frequentia in Scripturis, ut *Matth: 1v, 16. In regione & umbra mortis,* pro *In regione umbra lethalis;* Et *2 Pet: 111, 12. προσδοκῶντας καὶ σπυδῶντας,* id est, *προσδοκῶντας μετὰ σπυδῆς:* Et *Act: xvii, 5. ζῶν καὶ πρὸν,* idem est quod *πρὸν ζῶνς* ut *Gen: 11, 7.* Et *Col: 11, 8. Per philosophiam & vanam deceptionem,* id est *Per vanam deceptionem philosophicam.* Et locus est expressior & similior huic nostro *Matt: 111, 11.* quam negari possit; Quod enim statuit Brochmannus igni nomine ibi visibilem illam si ammam intelligi cum qua Spiritus Sanctus fuit communicatus Apostolis in Pentecoste, est nimis dilutum: Nam ut non negaverim visibilem

visibilem illam effusionem Spiritus Sancti in Apostolos symbolum fuisse ejus quod semper præstat Christus in suis, ipsos baptizans Spiritu Sancto & igne, tamen reliquos fideles nullam partem habere in illo Baptismo Spiritus & ignis nemo sanus dixerit; cum ibi Johannes externam suam operam ministerialem in Baptismo ab interno opere & efficacia herili quæ ibidem se exerit distinguat; Hinc Paulus omnes fideles tanquam baptizatos Spiritu Sancto & igne, monet ne Spiritum extinguant 1. Thes: v, 19. Quæ verba prostant explicata eloquentissimis concionibus tribus à Samuele Durantio cum viveret viro Sanctissimo & Ecclesiaste Parisiensi Facundissimo; Scitè vero Chrysostronus hom. 31. in Iob. Spiritus Sancti gratiam nunc ignem nunc aquam Scriptura appellat, ut non substantia sed operationis has intelligentias esse doceret: non enim Spiritus ex differentibus constat substantiis, cum invisibilis & unius generis sit; Et Iohannes quidem dicit, Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni; Christus autem, Flumina de ventre ejus fluent aqua viva; hoc autem dixit de Spiritu Sancto quem erant accepturi. Hinc Tirinus noster ad Matt. III, 11. agnoscit, non ibi sermonem esse de materiali igne; sed de igne metapharico, id est de gratia & donis Spiritus Sancti inquit S. Hieron. Euthymius, & alij Patres; ut igitur Spiritus & ignis ibi Spiritus est igneus, ita hic aqua & Spiritus, est aqua Spiritualis & Spiritus aqueus, qui aquæ nomine sæpius in Scripturis exprimitur.

Num: 3. Sed suppleri potest per MARTYRIUM, quod etiam ab ipso met Christo vocatur Baptismus, nempe sanguinis: Marc. x, 39. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? an Baptismo quo ego baptizor, baptizari? Nam etiam martyrium (etsi neget Kemnitius & Magdeburgenses) remittit peccata tam originale, quam actualia, & poenas omnes peccatis debitas: Matth. x, 32. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego cum coram Patre meo: vers. 39. Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam, id est, salvam faciet eam, ut est Matth. VIII, 35. & Luc. IX, 24. & Ioh. XV, 13. *cent. 5,* Majoram charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat &c. *c. 4.*

CENSURA. Sed suppleri potest per Martyrium) At regeneratio illa sine qua nemo potest ingredi in regnum Cælorum, nequidem per Martyrium potest suppleri; Nam inquit Paulus 1 Cor: x, 11, 3. Etsi tradam

tradam corpus meum ut comburam, charitatem autem non habeam, hoc nihil mihi prodest: Martyrium enim posse esse sine charitate & cum peccato mortali, agnoscit Cornelius à Lapide *ad 1 Cor: xiiii*. Et noster Tirinus *ibi* sic loquitur; *Si tradidero corpus meum ut ardeam vel exuram, verbi gratia pro Patria servanda ut Mutius Scavola, vel pro inani gloria ut ille Peregrinus Luciani, vel etiam pro fide Christi curanda, sed odio erga proximum vel alio mortaliter peccandi affectu reservato, nihil mihi prodest; ita Theodoretus, Anselmus, S. Thomas & Suarez.* Non ergo verum est quod hic asserit Jesuita, *Martyrium remittere peccata tam originale quam actualia & penas omnes peccatis debitas, siquidem sustineri potest cum peccato, ex inani gloria & absque fructu.* Agnosco quidem ærumnas & calamitates & martyrium Baptisma dici in Scripturis *Matt: xx, 22. Marc: x, 39. Luc: xii, 50.* quia & tribulationes solent conferri in Scriptura, aquis profundis quibus homines immerguntur; Sed nego eam esse Baptismi sanguinis seu Martyrij efficaciam, ut ipsa passionis dignitate & merito deleat peccata, ac primam conferat gratiam, ut hoc per Baptismum fieri volunt adversarii: Sic enim condignæ essent passiones hujus vitæ gloriæ in nobis revelandæ, contra quam docetur *Rom: viii, 18. 2 Cor: iv, 17.* Sic Martyres non in sanguine Christi, sed in suo stolas suas lavarent; Sic non paterentur pro ea fide Christi quæ ex illius sanguine & merito omnem nostram salutem suspendit; Et si suppleatur Baptisma fluminis per Baptisma sanguinis, tum illud meritorie ut de hoc fingitur, debet conferre remissionem peccatorum, quod nemo sanus dixerit; statuentibus adversarijs primam gratiam quæ confertur in Baptismo, non cadere sub meritum: Nec in eo consentiunt adversarii: Nam Bellarminus quidem *de bapt. cap. 6.* asserit martyrium conferre primam gratiam ex opere operato; Sed opus operatum in martyrio negant Dominicus à Soto & Ledesma, ut ipsemet *ibi* agnoscit, qui statuunt *martyrium non dare gratiam ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, nec dare ullum gradum gratiæ præter eum qui respondet merito charitatis ipsius martyris.* Quæ sententia si obtinet, corrumpit dogma Tirini hoc loco; nec enim potest suppleri virtus Baptismi agentis ex opere operato, ad justificationem & primam gratiam, per id quod præsupponit gratiam

gratiam, justificationem & charitatem, nec aliter agit quam ex opere operantis. Quod si quandoque Veteres statuerunt etiam absque baptismo externo eos servari qui adhuc Catechumeni martyrium passi fuissent, id non dixerunt martyrij meritum deprædicaturi, aut illud Baptismo Christi exæquaturi; sed tantum imminuturi opinionem plus nimium invalescentem de Baptismi externi necessitate, quæ efficiebat apud nonnullos, ut minus honestè sentirent de martyribus quibusdam, eo quod absquæ Baptismo deceffissent.

Matth: x, 32. Omnis qui confitebitur) In locis citatis Tirino nihil præsidij est pro hac causa: Nam ut incipiam ab ultimo ex Ioh: xv, 13, cum inde supponatur in martyrio pro Christo summa charitas, quâ major haberi nequit, non video quî tale martyrium conferat primam gratiam & remissionem peccatorum ex opere operato; cum, uti loquuntur adversarij, absque peccato mortali debeat esse & in statu gratiæ exquisitissimo, qui eliciat ejus charitatis actus heroicos, quâ major dari non potest. Adhæc, summa quidem est charitas martyrium optetere pro Christo, si id facias ex Christi dilectione; at si id feceris ex vana gloria nihil proderit: Ergo non est operis operati sed operantis, omnis efficacia martyrij quæcunque illa sit: Nec actus charitatis etiam exquisitissimæ possunt ulla ratione statui meritorij, vel justitiæ, vel remissionis peccatorum, cum supponant statum gratiæ per remissionem peccatorum, atque ex illius sensu intimo, quoniam amoris pretium est amor, enascantur Luc: vii, 47. Alter locus ex Matth: x, 39. intelligendus est non solum de Martyrio effectivo, sed etiam de votivo vel affectivo, quod tamen supplere Baptismum, & abolere omnem culpam & pœnam, non dixerint adversarij. Deinde qui animam sive vitam perdidit pro Christo, vel effectum, vel affectum paratus eam libenter profunderet pro ipsius nomine si eo evocabitur, dicitur animam suam invenire, imò servare eam, ut est Marc: viii, 35. Luc: ix, 24. non quod sit futurus suus Iesus & Servator, aut illo vel affectu vel effectum mereatur vitam æternam, sed ipso Tirino interprete *ad Matth: x, 39. quod cerio se servatum salutemque æternam sibi partam inveniet, ipso mortis temporalis instanti, inquit S. Chrysost. & Theoph.* Igitur Christus his verbis martyrij legitimi notat non meritum nec effectum ex opere operato

perato loco Baptismi, sed certissimum consequens juxta promissiones suas. In priori vero testimonio ex Matth: x, 22. non præcisè martyrium intelligitur, sed ipso Tirino interprete, quælibet libera, ingenua & constans Christi Confessio, quâ quis fatebitur *Christum esse filium Dei, Dominum ac redemptorem suum*, eumque *ut talem colet ejusque doctrina inharebit*; Talem autem Confessionem in genere, quæ nequidem semper adjunctum habet martyrij sive mortis periculum, supplere quoque Baptismi defectum, nescio an sint dicturi Jesuitæ. Hinc *Confessores* dictos olim esse statuit Tirinus: Cum autem ipso Baronio judice, *ad ann. 253. n. 11.* id esset discriminis inter Confessores & Martyres, quod hi jam tormenta vel ipsam mortem sustinuisent pro Christo, illi non, imo Confessoribus quoque *extorres* annumerarentur, *qui ne Christum negare cogerentur, neve per ipsos dispendium religio pateretur, dimissis omnibus bonis* se subtrahebant, videat Jesuita num paræ dignitatis & efficaciz censeat quoad Baptismi supplementum, talem Confessionem ac ipsum Martyrium: & cum Martyres dicerentur non ij solum qui mortem oppetijissent pro nomine Christi, sed etiam qui verbera ac tormenta pro ipso sustinuisent, vel ad metalla damnati fuissent, etiam id superest definiendum Jesuitis, qui se Martyrij candidatos per Regicidia profitentur, num quodlibet Martyrium suppleat Baptismum, an illud solum quod mortem inferat.

Num. 4. Suppleri etiam potest in adultis (licet ijdem id negent) per **PŒNITENTIAM**, seu perfectam conversionem, quæ includit veram contritionem, & desiderium seu votum Baptismi aquæ; Nam & pœnitentia vocatur in Scripturis *Baptismus* Luc. III, 3. *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*: & I. Cor. xv, 29. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* Et pœnitentiæ promittitur certa remissio peccatorum. Ezech. xlviii, 27. *Cum averteris se impius ab impietate sua, et feceris justitiam ipse animam suam vivificabit.* v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam à peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius.*

CENSURA. *Suppleri etiam potest in adultis*) Primum hîc nostris fit injuria: Statuimus enim etiam in adultis, si non adsit copia & facilitas Baptismi, sufficere ad eorum salutem fidem & resipiscentiam; et si si-

et si fides hæc & resipiscentia non sint formaliter suppletoria Baptismi, quandoquidem non minus requiruntur ad legitimum ejus Sacramenti usum, si detur ejus copia, quam cum obtineri non potest. Deinde non video quâ tribuatur pœnitentiæ & perfectæ conversioni, productio primæ gratiæ ex opere operato, quæ vindicatur Baptismo ab adversariis, quandoquidem nemo resipiscere aut converti perfectè potest, nisi per auxilium speciale & efficacissimum salutaris gratiæ. Ad hæc pœnitentia non aliter ordinariè concurret ad justificationem & salutem, quam antecedenter & dispositivè, non vero efficienter & meritoriè, saltem de condigno; Quomodo ergo alia ei activitas tribuetur ex defectu Baptismi, ut gratiam & justitiam & salutem conferat ex opere operato? An immutabitur natura virtutis alicujus, propter Baptismi carentiam, ut ullam aliam vim agendi consequatur? An pœnitentia quæ cum Baptismate & ad illud requiritur, agat non tantum remissius, sed etiam alio plane genere operationis, si suscipiatur Baptisma, quam si illius suscipiendi copia non detur? Præterea si votum Baptismi in adulto, ejus defectum potest supplere, cur non etiam eum supplebit in infante votum parentum de ejus Baptismo procurando, quam primum commodè per ordinem Ecclesiæ & à legitimo Ministro fieri possit? Num durior erit Infantium hac in parte quam Adultorum conditio, ut quia Baptisimum nec vovere, nec desiderare, nec expetere possunt, pereant absolutè ex ejus defectu, quem supplere potest Adultus suo desiderio & voto? Cur non potius teneræ illius ætatis respectu limitabitur dictum Christi *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu*, quam provectiorum, eo indigniorum ullius indulgentiæ & relaxationis ab hac severitate, quod ad labem originalem multa actualia & personalia adiecerint peccata, quæ in infantibus non reperiuntur? Denique ut Baptismi votum & desiderium idem operetur quod ipse Baptismus, est perabsurdum: quia Baptismi efficientia est physica ex opere operato, ut volunt adversarij: at Becano judice, ut etiam monui supra pag. 487. cap. 3. de Sacram. q. 6. *Sacramenta non possunt physicè operari quando physicè non existunt*; Ergo Baptismus in voto non potest operari physicè sive conferre gratiam ex opere operato. Nec Christus de voto Baptismi aut de Pœnitentia, sed de ipsomet

Baptismo,

Baptismo ; ut volunt adversarij , dixit absolutè *Nisi quis venatus fuerit &c.* Nostrum non est limitare aut restringere , ubi lex id non facit ; Nonne satius fuisset agnoscere non agi ibi de Baptismo , & necessitatem duntaxat præcepti in illo agnoscere , quam tandem per varias ambages eodem fere redire ?

Nam & pœnitentia vocatur) Id falsum est : Baptismus Johannis externus dicebatur Baptismus pœnitentiæ Luc: III, 3. quod ad pœnitentiæ studium invitarentur baptizandi , nec aliter quam sub illius conditione eo Baptismo offerretur & obsignaretur ipsis remissio peccatorum ; Sed ipsa pœnitentia Baptismus non appellabatur.. Patet quod dico ex Matth: III, 11. ubi profitetur Baptista apud auditores suos quod eos baptizaret in pœnitentiam , *id est*, inquit Tirinus, *is signum quo profiteremini vos velle serio pœnitere* ; Sic & resipiscencia annectitur Baptismo Act: II, 38. unde Gregorius *in catena Thoma, Cunctis legentibus liquet, quod Iohannes non solum Baptismum pœnitentiæ predicavit, sed & quibusdam dedit*, iis videlicet qui ab ipso fuerant baptizati in Iordane. Neque hoc in loco Luc: III, 3. proferendo satis meminit Iesuita eorum quæ scripsit *Controv. xviii. n. 6.* ubi id ipsum de externo Iohannis Baptismo fuerat interpretatus. Multo minùs baptizandi vocabulum de pœnitentia quæ suppleat defectum Baptismi usurpatur 1. Cor: xv, 29. Nam juxta Tirinū *ibi id æquè de Judæorum & Cerinthianorum purificationibus & precibus pro mortuis, ac lachrymis & orationibus Christianorum potest intelligi: Fuisse tamen apud Judæos & Cerinthianos eum metaphoricum Baptismum qui ex opere operato veri defectum suppleret, quis sibi persuadebit? Aut quis credet preces & suffragia pro mortuis in purgatorio, nam huc trahitur perperam iste locus ab adversariis, esse Baptismum metaphoricum, qui propriè dictum supplere possit, quandoquidem vix tales preces pro mortuis funduntur, ab aliis quam baptizatis? Omnes hujus loci Paulini interpretationes referre nihil attinet. Fuerint sane qui jam mortuos baptizarent, prout de Judæis refert Cuneus *lib. 3. de Rep. Heb. cap. 5.* quod liberos suos ante occiduum mortuos circumcidant ad sepulchrum; Fuerint qui super mortuis, id est in cœmeteriis, in quibus Christiani ut plurimum ad suos cœtus conveniebant, se baptizari curarent potius quam*

quam alibi ; Fuerint inter veteres superstitioni homines qui vicarium Baptismum in locum amici demortui suscipere & conferrent, quod Scaliger putat se colligere ex Tertulliano *lib. 4. in Marc.* Aut fuerint qui non ante baptizarentur quam mox morituri & qui pro mortuis jam haberentur, unde *Clinici* tantopere veteribus decantati ; Ut semper benè procedet illud argumentum Apostoli, pro resurrectione mortuorum, saltem ad hominem, ita nihil inde pro purgatorio habetur, nihil pro operibus pœnitentiæ illius quæ & Baptismus dici debeat & illius defectum supplere queat.

Et pœnitentiæ promittitur) Supra *Cont. xvi, n. 2.* Tirinus loca Ezechielis his parallela nempe *xviii, 30. & xxxiii, 14.* proferebat ut merita de congruo adstrueret : at nunc longè amplius illi tribuit ; Si enim pœnitentiæ possit supplere Baptismum, non tantum merebitur gratiam *de congruo*, sed quod majoris adhuc foret efficaciam quam si illam mereretur *de condigno*, debet illam producere & conferre ex opere operato. Pœnitentiæ quidem promittitur certa remissio peccatorum, sed non dicitur quod eam debeat vel producere vel efficere meritorie aut ex opere operato ; quandoquidem ipso Tirino teste *Contr. xv, n. 9.* non aliter quam dispositivè concurrat ad justificationem. Nec quælibet virtus cui promittitur certa remissio peccatorum, potest ideo vel Baptismus dici, vel in Theologia Pontificia suppletoria Baptismi censeri : Siquidem etiam fidei certa remissio peccatorum promittitur *Act: x, 43.* Et idem de jejunio & eleemosyna probare conatus est Tirinus *Controv. xvii, n. 8. & 13.* Nec tamen facient adversarij ex fide & eleemosyna aut alio aliquo bono opere Baptismum metaphoricum, qui suppleat defectum hujus Sacramenti.

Num. 5. MINISTER BAPTISMI ordinarius, seu cui ex officio id convenit, est SACERDOS ; sed potest ab Episcopo committi etiam Diacono, ut solemnius baptizet. Sed in necessitate (licet id neget Calvinus) potest quisvis etiam laicus baptizare, sive femina sit, sive vir ; sive Christianus sit, sive Paganus ; dum modò adhibeat materiam, formam, & intentionem debitam ; Ita definit Florentinum : Colligitur ex *Matth. ult. vers. 19. Doceat omnes gentes, baptizantes eos &c.* Vbi facultatem baptizandi tradit omnibus quibus facultatem docendi. Et videntur tunc adfuisse

A A A A

non soli

*Calv. l. 4.
Inst. c. 15.
§. 20. 21.
22.*

non soli Apostoli (ut fingit Calvinus,) sed plusquam 500 fratres, 1. Cor. xv, 6. Et an soli Apostoli baptizarunt unâ die Pentecostes illa *tria milia*? Act. 11, 41. Nonne laicus Ananias Act. 1x, 10. Paulum baptizavit? Et si Sephoræ licuit Exod. 1v, 25. filium circumcidere, cur non liceat feminae in casu necessitatis baptizare? Nam quod Calvinus stultam vocet, & temerè atque illicitè egisse clamet, gratis & immeritò facit.

CENSURA. *Minister Baptismi*) Sacerdotis nomen hîc abusivè sumitur: tum quia ex usu Scripturæ Ministri Ecclesiæ Sacerdotes non sunt dicendi, tum quia ex usu Ecclesiastico veterum, Sacerdos Præfulem & Episcopum significabat, distinctum à Presbyteris & Diaconis, uti ex Cypriano & multis alijs veteribus liquet; adeo ut nonnisi abusivè admodum & ex quo sacrificium Missaticum fuit constabiliendum, facti sunt Sacerdotes ex ordinariis Presbyteris: Sed ita nominum significatio debuit immutari, ubi tanta doctrinæ Christianæ immutatio procurabatur. Quoad Diaconos, prima eorum institutio erat ut mensis inservirent in Agapis Christianorum & pauperum haberent curam Act: vi, 2. Postea vero variis in locis admissi fuère ad distributionem sacræ Cœnæ & administrationem Sacramentorum; Quod enim asserit Baronius *ad ann. 34. n. 80.* id fuisse primævæ eorum institutionis, ut mensæ utrique sacræ & communi inservirent, ex Luca haberi non potest. Sane Oecumenius *ad eum locum*, asserit creatos ab Apostolis Diaconos, *non juxta gradum qui nunc est in Ecclesiâ, sed ministros qui omni cum diligentia & non neglectim distribuere videntur simul & orphanis ea quæ ad alimentum pertinebant.* Ut vero postea aliquid fuisse additum ad Diaconorum munus non negaverim, & eo usque aliquando processum, ut se Presbyteris non æquarent modo sed præferrent, unde varij Canones ad eos reprimendos & infra Presbyteros deprimendos condi debuerunt, de quibus videatur Baronius *ad ann. 402. n. 12.* Sic ex Apostolica institutione prima certum est Diaconis non competere Ministerium vel Verbi vel Sacramentorum; Philippus qui benè ministrando in Diaconatu bonum sibi gradum acquisiverat & multam *παιδείαν*, ut de Diaconis fidelibus loquitur Paulus 1. Tim: III, 13. jam evectus fuerat ad munus Evangelistæ, cum Samaritanis Christum annunciare cœpit Act: viii, 5. quò etiam titulo Evan-

gelisæ insignitur Act: xx1, 8. Quod si tamen in quibusdam Ecclesijs Reformatis *Diaconi* appellantur infra Pastores sive Parochos, qui alioquin jus habent concionandi & baptizandi, id fit ex eo ritu qui jam olim obtinuit, ut *Diaconis* etiam functio *Spiritualis* tribueretur, nec eorum ministerium omne ad temporalia & τὰ βιωτικά restringeretur, præsertim ubi cœperunt Ecclesiæ habere suos œconomos ptochotrophos, xenodochos, apocrisarios & alios bonorum Ecclesiasticorum administratos à *Diaconis* distinctos; Utut sit administratio Baptismi semper est ministerij Ecclesiastici, tum ex ijs quæ disputata sunt *Com: xviii, n. 3. 4. & 5.* tum ex illa expressa conjunctione Baptismi & prædicationis verbi quæ extat Matt: xxv111, 19. Ac sicut nemo ad id non auctoratus, citra crimen falsi poterit sigillum principis atrectare, & diplomata ex illo munire, ita nemo citra specialem vocationem, præsertim in Ecclesia jam constituta & ordinata, potest sibi jus tribuere aut concionandi aut Sacramenta administrandi. Nec est quod distinguant adversarij Baptisma in solemne & non solemne; ut illud ex officio conveniat Ministris Ecclesiæ, hoc cuilibet: nam omne Baptisma est solemnis receptio in fœdus Dei, nec ab alijs administrandum, quam quos ipse Myltagogos tali initiationi præfecit.

Sed in necessitate) Nullus necessitatis casus debet fingi quo ordinem à Deo institutum violare fas sit: Et jam supra refutavimus necessitatem medij quam Adversarij Baptismo conantur vindicare; quâ sublata manendum intra terminos institutionis divinæ, ut non negligatur Baptismus quando à legitimis illius Ministris potest haberi; & æquo feratur animo ejus privatio, si defunt qui conferre possint; Nec quicquam proferent Jesuitæ in gratiam Baptismi à Laicis administrandi in casu necessitatis, quod non possit extendi in pari casu ad publicum Ministerium Ecclesiæ & alia quælibet Sacramenta: imo idem necessitatis casus ipsos Angelos tam bonos quam malos faciet legitimos Ministros Sacramentorum, contra quam negatum à Tirino *Com: xviii, n. 3.* Nec video cur id minus ipsis concedatur quam Judæis & Paganis, quos volunt Jesuitæ alios posse initiare Christi Mysterijs, quorum ipsi Epoptæ non fuerint: Tertullianus qui prior Laicorum Baptisma utcunque probavit *lib. de Baptismo*, eam protulit suæ sententiæ

rationem, quæ si valeat & excludet Judæos ac Paganos ab hoc jure, & laicis Cœnæ non minus quam Baptismi administrationem permittet; *Quod ex æquo*, inquit, *ab omnibus accipitur, ex æquo ab omnibus datur*: Elibertinum Concilium *Can. 38.* aliquid etiam laicis visum est indulgere, his verbis: *Peregrè navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducatur, ut per manus impositionem perfici possit*: Sed tamen valde restrictum fuit hoc laicorum privilegium, quod nec ad fœminas, nec ad Paganos, nec ad quoslibet laicos, nec ad quoslibet baptizandos extendebatur: *Quod de Paganis & non baptizatis* defini- vit Conciliabulum Florentinum *in instructione Armeniorum*, quam tamen nonnulli tanquam spuriam rejiciunt, ut etiam quis dare possit alteri quod non habet, non modo contrarium est illi antiquissimo decreto Elibertino, sed etiam ipsiusmet Gregorij II. PP. decisioni apud Gratianum *Can. Quod à paganis, de consec. dist. 4.* quo jubet rebaptizari baptizatos à Paganis. Etiam Antiquitas muliebrem Baptismum planè rejectit. Tertullianus *de vel. virg. cap. 9.* *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officij sortem vindicare*: Et alibi irascitur Hæreticorum mulieribus quæ eò procederent petulantix & audaciæ ut & tinguerent & offerrent. Clemens Romanus *lib. 3. Const. cap. 9.* accuratè docet ut habet lemma capituli, *Quod non oportet mulieres baptizare; impium est enim & à Christi doctrina alienum*; Epiphanius *Contra Collyrid.* disputat non permissum mulieribus *ἱερατεύειν ἢ κανονικὸν τὸ ἐργάζεσθαι ἐν ἐκκλησίᾳ*, imo nec ipsi B. Virgini, cui *ἡ δὲ βάπτισμα δίδοναι πιστεύεται*, ne Baptismum quidem conferre erat concessum; Et Concilium Carthaginense *IV. Can. 100.* rotundè & absolutè & absque limitatione pronunciat, *Mulier baptizare non præsumat.*

Colligitur ex Matthæi ult.) Imo contrarium ex hoc loco colligitur: Si enim solis Apostolis, & ipsis in munere docendi & pascendi Ecclesiam successuris id dicitur à Christo, non quibuslibet laicis Christianis, multo minùs mulieribus aut etiam Paganis, non video quí hinc colligat adverbarius laicis, mulieribus & Paganis facultatem baptizandi

zandi competere; nisi velit in eorum transire sententiam qui omnem distinctionem docentium & discipulorum, ministrorum & plebis, pastorum & gregis in Ecclesia juris faciunt humani & positivi: Facultas docendi non est omnibus tradita, etiam mulieribus, contra dictum Pauli 1 Tim: 11, 12. sed ijs qui ad hoc legitime sunt vocati Eph: 14, 11. Rom: 1, 14, 15. Ipse Tirinus *ad Matt: xxviii, 19.* hanc facultatem restringit ad solos Apostolos & Ecclesie Ministros; *Euntes vos quos mihi vicarios & Legatos constituo, docete non modo Iudeos, sed & omnes gentes.* Et Maldonatus magis disertè; *Loquitur non de qualibet potestate, sed de ea quam Apostolis dabit, id est de potestate regni sui spiritualis acquirendi, colligendique, quam ad rem Apostolos mittebat.* Nec si plusquam quingenti illi fideles de quibus 1 Cor: xv, 6. testes fuissent hujus mandati ad Apostolos, quod nunquam probabitur, sequeretur tamen eos cum illis præditos fuisse eadem facultate: Sed Matthæus disertè com. 16. satis ostendit hæc undecim Apostolis solis dicta fuisse, qui potestatem $\tau\epsilon\ \mu\alpha\theta\eta\tau\iota\kappa\acute{o}\nu$ & discipulos faciendi à Christo tunc acceperunt; Et Theophylactus expressè hæc verba de Apostolorum missione interpretatur.

Et an soli Apostoli) Nescio qui non potuerint duodecim Apostoli, per asperionem potius quam immersionem, unâ die tria millia hominum baptizare, cum Xaverij novi Jesuitarum apud Judos Apostoli Legendæ referant eum suâ manu nescio quot myriadas Japonensium brevi tempore baptizasse, & uno die quindecim millia, ut Salmeron. *jactat tract. 15. in Acta.* Et cum nefas sit laico in communione Romana baptizare præsentem Clerico, aut mulieri præsentem viro, si laici sub oculis Apostolorum ad se rapuissent administrationem Baptismi, perperam & contra officium suum fecissent: Nec si ministros quosdam adhibere sibi Apostoli in hoc opere, sequetur eos vel merè laicos fuisse, non ex numero septuaginta duorum discipulorum quos jam Christus ante elegerat, vel si laici fuerunt eo posse statui seorsim legitimos Baptismi Ministros quod illius cum Apostolis ministri fuerint, cum & Diaconi olim ministri essent Episcoporum in Cœnæ distributione, licet seorsim ab illis non essent idonei Eucharistiæ Ministri. Ananiam Act: 19, 10. fuisse laicum, nullo documento

probabit adversarius : Ipsemet *ad eum locum* statuit eum fuisse juxta Oecumenium unum ex 72. Discipulis, imo Presbyterum juxta Augustinum *lib. 2. qq. Euang. q. 47.* Lintrensis *ad Act: 12, 10.* putat *verisimile fuisse vel Presbyterum vel Episcopum eorum Christi fidelium qui morabantur Damasci* ; Idem sentit Baronius, qui Ananiam tribuit quod jam ante Pauli conversionem collegerit Damasci *Ecclesiam Christo ad ann. 35. n. 1.* Adhuc habuit Ananias speciale & immediatum Dei mandatum de Paulo baptizando, quod sibi non possint vindicare Laici illi qui limites sue vocationis prætergressi ea quæ sunt Sacri Ministerij usurpare volunt. Quoad Sephora factum Exod: 1v, 25. supra ad *n. 4.* *Cont. preced.* annotavi rationes propter-quas non procedat necessariò argumentum à Ministro Circumcisionis ad Ministrum Baptismi; cum hujus administrationem conceptis verbis conjunxerit Christus publico Euangelij sui Ministerio, cujus mulieres non sunt capaces: Adhuc placuit Deo Circumcisio filij Mosis, etsi non approbaverit modum quo facta fuit ex impetu mulieris alienigenæ, quæ si Lyrano fides, (de quo alij viderint) hac etiam de causa Mosem dimiserit & ab eo irata recesserit; Nec potuit licité fecisse Sephora coram viro, quod proprium viri officium fuisset; Et legenti illam historiam facile apparet hanc mulierem non ex devotione & reverentia Numinis, sed ex ira & perturbatione egisse & loquutam fuisse; ut jure Calvinus ideo culpandus non fuerit, quem suscipiæ propugnat Chamierus *Panstr. tom. 4. lib. 5. cap. 14.* Fingere autem Mosem adeo fractum fuisse viribus ut ipse par non fuerit muneris isti obeundo, quod fit à Brochmanno *cap. 5. de Sacr. sect. 3.* est non solum divinare quod in Scripturis non extat, sed etiam contradicere ipsis, referentibus Mosem & erectum & vegetum fuisse, quandoquidem Sephora ad illius pedes præputium pueruli sui indignabunda projecit. Atque hinc patet nec Pontificios, nec Lutheranos, quicquam habere ex Scripturis quod faveat Baptismo Laicorum & mulierum, quam hos propugnare eo minus conveniebat, quod absolutam Baptismi necessitatem, sicut ejus privatio importet damnationem æternam, nolint cum illis tueri.

NUM: 6. INFANTES autem capaces esse Baptismi, ac proinde POSSSE AC DEBERE BAPTIZARI, (contra Balch: pacimontanum, Mich.

Mich: Servetum & Ministros Transilvanos & alios omnes Anabaptistas) *Ministri*
 colligi potest ex Matth. XIX, 14. & Luc: XVII, 15. *Transilv.*
me, talium est enim regnum Cælorum. Et Marc: X, 16. additur, Dominum com-
 plexum fuisse parvulos, eisque benedixisse. Quæ omnia signa sunt, posse par-
 vulos justificari & salvari: atqui non est aliud in eo statu ipsis remedium ad
 salutem quam Baptismus, & per hunc ingressus in Ecclesiam Christi, extrâ
 quam nulli est salus. Ioh: III, 4. *anno*
Nisi quis renatus fuerit, &c. ergo Baptis-
 mus ipsis applicari, & sic ianua Ecclesiæ & salutis aperiri potest. Deinde
 si in veteri lege juvari poterant Circumcisione Gen: XVII, 14. non pote-
 runt ullo remedio expiari in novâ lege? & minus efficax erit gratia & me-
 ritum Christi, quam peccatum Adami? Rom: V, 15. & cum toties dicantur
 integrâ familiâ ab Apostolis baptizatâ fuisse, ut Act: XVI, 15. & 33. item
 I Cor: I, 16. an in ijs non etiam infantes baptizati? maximè cum constans
 sit Ecclesiæ doctrina, parvulorum Baptismum ex Apostolico usu & tradi-
 tione promanasse? *Cochleus*
in Actis
Lutheri
anno
1527.
1528.
Es apud
Calv. su-
pr. c. 16.
§. 29.

CENSURA. *Infantes autem capaces esse Baptismi* Est primo quod
 hîc nobis gratulemur Pædobaptismum à Tirino probari ex Scripturis:
 Sic enim refutat suos, Bellarminum nominatim *lib. 4. de verbo Dei cap.*
4. & Becanum Manu. lib. 1. cap. 2. §. 18. qui Traditionibus ἀρχαίως
 annumerant Baptismum parvulorum, atque ex eo Traditionum ne-
 cessitatem adstruere satagunt. Deinde non satis cordatè contra Ana-
 baptistas & Socinianos Tirinus hanc causam propugnat; sed partim
 utitur argumentis ineptis, partim solida delumbat & enervat:
 Ineptum est argumentum, quod statuit parvulis non esse *aliud in eo sta-*
ta remedium ad salutem quam Baptismum. Etenim gratia Dei non est alli-
 gata Sacramentis magis sub N. quam sub V. T. Nec Baptismus habet
 in se vim & efficaciam ipsius remedij; sed est duntaxat remedij ap-
 plicativus, obsignativus & declarativus: Et qui ordinariè agit in Bap-
 tismo, extraordinariè citra Baptismum, si defuerit, agere potest. Inep-
 tum itidem est argumentum, quod per Baptismum sit *ingressus in Ec-*
clesiam Christi extra quam nulli est salus; Nam fidelium & fœderatorum
 liberi non simpliciter extra Ecclesiam nascuntur, quippe qui jure spe-
 ciali natalium suorum sancti sunt I. Cor: VII, 14. nec ideo baptizan-
 di quod sint extra Ecclesiam, sed potiùs quod jam ad illam perti-
 neant; prout Civium albo Athenis in ἀρχαίως, Romæ in Actorum
 libris, inscribebantur qui nati erant ex civibus, non quo cives fierent,
 sed quod

sed quod jus haberent civitatis. Baptismus quidem hæcenus inferit aliquem Ecclesiæ visibili quoad politiam externam, ut ejus ordini, censuræ, jurisdictioni ac disciplinæ subsit; Sed Catechumenus aut puer recens natus in Ecclesia, non est censendus absolutè extra Ecclesiam invisibilem & corpus mysticum Christi, quandoquidem ipsimet Pontificij agnoscunt multos Catechumenos licet nondum baptizatos posse servari; quod dici non potest nisi etiam ante Baptismum & sine illo pertineant ad eam Ecclesiam Christi extra quam nulla est salus: Quod si per solum Baptismum accenderetur quis illi Ecclesiæ & communioni Christi, sic ut extra illam & omnem spem salutis sit omnis non baptizatus, sane durior esset conditio N. T. quam Veteris, sub quo, uti suo loco ex ipso Tirino ad *Cont. super.* observatum, aditus ad cælum & salutem patebat fidelium liberis, absque Circumcisione, & quolibet actu fidei parentum suorum. Ineptum est etiam argumentum quod desumitur ex Ioh: 111, 5. Nam à necessitate regenerationis spiritualis, de qua ibi agitur non de Baptismo, ad necessitatem Baptismi, non procedit argumentum. Solida autem argumenta pro Pædobaptismo enervat Tirinus, dum quæ huc spectantia extant in Scripturis proponit potius in signa, quam in demonstrationem τὴ κρημύνη; Nos ergo paucis eandem veritatem debemus contra Anabaptistas confirmare, & fortiùs quam à Tirino factum, nodum adstringere. Sic enim confutatos dabimus non modo Anabaptistas, sed etiam Socinianos, Weigelianos & Remonstrantes nonnullos, huic veritati obstrepentes. Primum itaque argumentum colligitur ex locis hic annotatis, Matth: XIX, 14. Luc: XVIII, 15. Marc: X, 16. Nam qui arcent fidelium liberos à Baptismo in quo Christus induitur & per quem ipsi inferuntur, eos quantum in se est impediunt quominus ad ipsum veniant: Nec potest denegari illis signum, ad quos pertinet res significata, etiam sub eo modo quo ibi significatur: Et verè dixit Irenæus de Christo, *Ideo per omnem venit aetatem & infantibus infans factus sanctificans infantes, in parvulis sanctificans hanc ipsam habentes aetatem, simul & exemplum illis pietatis effectus & justitia & subjectionis.* Secundum nostrum argumentum desumi potest ex Ioh: 111, 5. sed longè aliter quam factum à Tirino: Nam qui sunt capaces regenerationis illius, quæ ut hic ha-

hic habetur est absolutè necessaria ad salutem , sunt etiam susceptibiles lavacri regenerationis uti Baptismus dicitur Tit: III, 5. At nisi fidelium liberi regenerationis per Spiritum Sanctum essent capaces , forent excludendi ex regno cœlorum ; cum tamen & sancti sint I. Cor: VII, 14. & ut resurrectionis finalis participes futuri ad gloriam , sic necessariò regenerandi ad salutem ; aliàs filii Dei nec dici nec haberi possent juxta Scripturam Ioh: 1, 12. 13. III, 6. Quamvis non exprimat Scriptura quomodo Deus agat in regeneratione infantium , cum nequidem capiamus quomodo peragatur eorum naturalis generatio in utero , tamen certò debet auferri labis originalis cum qua nascuntur & reatus per justificationem , & macula per sanctificationem (quibus duobus beneficiis nostra regeneratio absolvitur) ut possint recipi in cœlum , quo nihil coinquinatum ingreditur. Tertium argumentum nobis suppeditat locus Rom: v, 15. etiam hîc Tirino citatus. Si enim maleficium Adami ipsos infantes pervasit per labem originalem , cur non etiam beneficium Christi ad eos infantes qui ex suis fœderatis nati sunt pertinebit , adeoque & illius beneficii signum & sigillum publicum? Cum Deus se Deum nostrum & seminis nostri fore publicè testetur Gen: xvii, 7. & nobis atque liberis nostris promissiones factæ dicantur Act: II, 39. ut quilibet pius prolis suæ Baptismum procurans , videatur se sistere coram Deo , sub verbis Prophetæ Esai: viii, 19. Ecce ego & filii quos dedisti mihi. Quartum & invictissimum argumentum desumitur ab analogia Circumcisionis , in cujus locû successisse nostrum Baptisma certius est quam ut hîc debeat operosè probari. Si enim infantes Piorum obsignabantur sub V. T. illo Circumcisionis sigillo , an fas erit arcere sub Novo ab eadem obsignatione solempni per Baptismum fidelium Liberos ? Et cum longè amplior facta nunc sit Christi gratia quam olim , unde hoc initiationis Sacramentum non fit cum dolore & sanguine ut Circumcisio , nec adstringitur ut illa præcisè ad octavum diem , nec ad solos mares restringitur , (eo quod sub Christo nec mas sit nec fœmina sed nova Creatura , neque ad dierum præcisam observationem ut sub lege nunc teneamur) audebimus-ne initiale fœderis signum , fœderatis infantibus denegare , sub Euangelio , quod illis competeat sub lege,

Bbbb

licet

licet non magis capaces essent illi actum fidei & resipiscentiæ, quam nostri? Imò eo usque ab ævo prævaluit inter Christianos hæc ratio à Circumcisione desumpta pro parvulorum Baptismo, ut etiam olim disceptatum fuerit num fas esset propter *legem Circumcisionis* infantem baptizare *intra octavam diem*; ut videre est apud Cyprianum *Epist. ad Fidum qua est 8. lib. 3.* quem scrupulum Cyprianus Fido eximit, & statuit infantes nullo tempore arcendos à Baptismo; hæc inter alias usus ratione; *Si etiam gravissimis delictoribus & in Deum multum ante peccantibus cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, & à Baptismo atque gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antique prima natiuitate contraxit? Qui ad remissionem peccatorum accipendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata.* Quintum argumentum nobis suppeditant exempla familiarum integrarum ab Apostolis baptizatarum Act: xv, 15. 33. 1. Cor: 1, 16. in quibus & infantes fuisse non est quod dubitemus: prout & in nube & in mari baptizati fuere non adulti modo, sed infantes omnes Israëlitarum 1. Cor: x, 1. 2. Hic enim recurrere ad *synecdochen* cum Smalcio, & quod de universa familia dictum est ad solos adultos restringere, est nimis temeritatis; præsertim cum Apostoli mandatum generale acceperint, quo tenebantur omnes *μαρτυρεν & βαπτίζεν* Matth: xxvii, 19. nec infantes, qui à primis vitæ initiis sunt in discipulatum Christi asciscendi, aliter possint fieri discipuli quam per Baptismum: Tunc enim primum, ut quondam jure Romano ad legitimationem, quasi Curia offeruntur, futuri ipsi actu Curiales & Decuriones ubi adoleverint: Nullâque probabili conjecturâ possumus assequi Apostolos infantes etiam credentium non consignasse *in nomine Patris Filii & Spiritus Sancti*, qui æquè ac parentes sui, censebantur habere Patrem Creatorem, Filium Redemptorem, & Spiritum Sanctificatorem. Sextum denique argumentum nobis suppeditat continua praxis & consuetudo non interrupta Ecclesiæ Christianæ ab ipsis Apostolorum temporibus: Etenim, *Quod universa tenet Ecclesia nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolicâ autoritate traditum rectissime creditur*, inquit Augustinus *lib. 7. adversus Donat. cap. 24.*

Licet

Licet autem fateamur frequentiore & constantiore fuisse Pædobaptismum inter Christianos post exortam hæresim Pelagii, qui peccatum originale negabat, prout etiam nunc infantium Baptismus ideo rejicitur ab Anabaptistis quod negent originale peccatum, at tamen id est certissimum, etiam ante Pelagium exortum & priusquam actualis confessio peccati originalis esset in Pædobaptismo magis mordicè retinenda, viguisse inter Christianos illum morem infantes recens natos tingendi & Christo per Baptismum initiandi: Id patet ex Origene *ad cap. 6. Rom.* Cypriano *Ep. ad Fidum* quam supra citavi, Augustino *lib. 1. de Gen. ad litt. cap. 23.* & Clemente Romano, si modo illius sint & genuini Constitutionum libri, *lib. 6. cap. 15.* cujus verba hæc sunt; *Baptizate quoque parvulos vestros, & educate eos in disciplina & præceptis Dei. Sinite enim, inquit, parvulos venire ad me & nolite eos prohibere.* Sed tamen Baptisma in parvulis olim usurpabatur valdè liberè & citra imaginationem absolutæ illius necessitatis quam sequiora sæcula invexerunt: Nam quidam, unde *Clinici* dicti sunt, Baptisma differabant in extremum vitæ suæ tempus: nec olim administrabatur regulariter, nisi in Paschate & Pentecoste, cujus ritus obscurum adhuc vestigiùm superest in Papatu; nam nemo baptizatur in Ecclesiis Cathedralibus, uti vocant, nisi illis duobus diebus: Et quamvis extra ordinem alicubi receptum esset aliis diebus baptizari qui minus benè haberent, tamen Nicephorus *lib. 12. hist. Eccl. cap. 34.* refert neminem in Thessalia baptizatum fuisse nisi in Paschatis ferijs, unde fiebat, inquit, *ut multi sine Baptismo decederent;* Nec Tertullianum *de Baptif. prope finem* puduit ejus dilationem multis suadere rationibus, maxime respectu infantium, quando nempe commodè differri poterat. Itaque pro cujusque persona conditione ac dispositione etiam aetate cunctatio Baptismi utilior est; præcipuè tamen circa parvulos; Quid enim necesse est sponsores etiam periculo ingeri qui & ipsi per suam mortalitatem destituere promissiones suas possunt & preventu mala indolis falli. Ait quidem Dominus; *Nolite illos prohibere ad me venire; veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant doceantur* (forte legendum *dum que veniunt doceantur*) *fiant Christiani quum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum?* Nazianzenus pariliter *serm. de bapt. optat differri Baptismum*

ptisimum donec pueri aliquid de sua fide possint respondere, quod plerumque apud Græcos obtinuisse (uti etiam num) colligunt nonnulli ex *can. 6. Concilii Neocæsariensis*; & patet ipsius Nazianzeni & Chrysoſtomi exemplis quorum ille licet Episcopi filius baptizatus non fuit nisi postquam exceſſerat ex ephœbis, hic verò non nisi post annum vitæ *xxi.* uti ex illorum vitis constat. Quamquam non eò debent trahi quæ habet *Walafridus Strabo de rebus Eccles. cap. 26.* *Notandum primis temporibus illis solummodo Baptismi gratiam dari solitam, qui & corporis & mentis integritate jam ad hoc pervenerant ut scire & intelligere possent, quid emolumenti in Baptismo consequendum, quid constituendam atque credendum, quid postremo renatis in Christo esset servandum:* Id enim posset ad solos adulescentes conversos ad Christum restringi: Ut ut sit, ex his liquet Pædobaptisimum jam olim viguisse in Ecclesia Christiana; nec si qui Veteres suavisse videntur Baptismi dilationem in infantibus donec fidei suæ rationem reddere possent, ideo censuerunt Pædobaptisimum esse illicitum, quandoquidem etiam in mortis periculo infantes curantur baptizari. Sed, uti dixi, tum demum constantior cœpit esse per totum Occidentem, ut ab ævo in Africanis Ecclesijs obtinuerat, cum peccati Originalis confessionem contra Pelagianos debuit continere.

Num: 7. Neque ut baptizentur opus est parvulis FIDE ACTUALE (quam Lutherus illis concedit) neque ullis novis motibus aut inclinationibus, ferè quales fuerunt in Ioh: Baptista Luc: I, 44. quæ similes sint actibus fidei ac dilectionis Dei, (quas Melanchthon, Kemnitius, & alii Lutherani parvulis concedunt:) cum enim careant omni usu rationis, sunt ejuſmodi motus ipsiſ impossibiles. sed *INFANTIBUS* in Baptismo infunditur habitus fidei, spei, & charitatis unâ cum gratiâ justificante, ut colligunt Patres ex generalibus sententiis, Act: xv. 9. *Fide purificans corda eorum:* Eph: III, 17. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Rom: III, 28. *Arbitramur hominem justificari per fidem.* Heb: XI, 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et ab hâc fide infantes vocantur & verè sunt fideles & Christiani: quamquam etiam ab ipsâ actuali receptione Baptismi, quæ est vera fidei professio: sicut erat martyrium in Innocentibus, Matth. II, 16. de quibus Ecclesia dicit, quod præconium Dei non loquendo sed moriendo confessi sunt.

Luth. de capt. Babil. c. de Baptismo an. 1520. & l. contra Cochleum. ann. 1523. Melanchth in locis an. 1558. Kemnit. sup. ad can. 3. sess. 7.

CENSURÆ

CENSURA. *Noque ut baptizentur*) Hac de re fuse dixi ad *Contr.* xv, n. 10. nec repeto. Moneo tantum tam perperam *habitum* fidei hic comminisci Tirinum, quam *actum* ejus illos quos carpit: Etenim generales sententiæ quas citat ex Act: xv, 9. Eph: 111, 17. Rqm: 111, 28. Heb: x1, 6. intelligendæ sunt de fide actuali, non vero de habitu otioso & inutili ad agendum. Habeant autem adulti eam fidem sibi propriam qua placeant Deo & sibi applicent Christi promissiones & beneficia, & quæ est ex auditu verbi Divini Rom: x, 17. Non necesse tamen erit eam ponere in infantibus, adhuc incapacibus operationum intellectualium; cum ab illo peccato, quod citra ullum suum actum personalem contraxerunt, possint justificari ac mundari absque ullo suo actu personali; ut etiam Spiritus Sanctus operetur in ipsis regenerationem ad vitam, sed nullam tamen operationem ex ipsis eliciat. Et cum habitus omnis sit ad operandum, quid opus foret per Baptisma infundi habitus earum virtutum, qui nunquam fortè sunt in actu transitori? Et quam tales habitus non necessariò in Baptismo infundantur patet multorum baptizatorum exemplo, qui ubi ad adultam vitam pervenerunt nihil minus quam tales ostendunt habitus aut ex illis operantur: Patet quoque exemplo circumcisionis, in qua tales habitus necessariò infusos fuisse nemo dixerit, qui observaverit Paulum circumcisum octavo die, non tamen ante suam ad Christum conversionem habitum fidei consecutum fuisse 1 Cor: vi11, 25. Censeantur ergo infantes fidelium templa Spiritus Sancti suo modo inhabitantis in illis, si electi fuerint, ad ipsos Christo inserendos, & cum eorum capaces fuerint excitaturi in ipsis illos habitus fidei, spei & charitatis & actus eorum elicaturi; Verum fideles nec ab habitu nec ab actu fidei denominentur; sed tantum, quia Baptisma Sacramentum est fidei & suo sensu fides, uti ex Augustino aliàs observavi, ab ipsa actuali receptione Baptismi, ut benè noster monet Tirinus, *quæ est vera fidei professio*; quæ illis tamen potius passivè competit & dispositivè quam activè; prout Beethemiti pueri, quos Pontificii *innocentes* vulgò appellant licet noxâ primi peccati infecti fuerint, confessoribus & martyribus solent annumerari, satis improprie, cum passivè hic demum se habuerint, non activè.

Num: 8. Tollit BAPTISMUS quicquid habet veram rationem peccati, ita ut nihil prorsus in baptizato remaneat quod ab ingressu cœli remorari possit: Rom. VIII, 1. *Nihil nunc damnationis ijs qui sunt in Christo Iesu: Delirium enim hæreticorum somnium de concupiscentiâ, quod sit verè peccatum, sed non imputetur baptizatis, refutavi Controv. XII, n. 7.* Sicut & peccata non tegi solùm in iustis, sed reverà deleri, probavi Controv. xv, n. 3.

CENSURA. *Tollit Baptismus*) De hac quæstione & loco hic citato videatur *Tomus I Cont: XII, n. 7.* quo benignum lectorem amandamus: Ibi enim fusè demonstravimus, nulli quidem condemnationi amplius pios & fideles subesse ex peccatorum suorum remissione gratuita quæ obsignatur in Baptismo; attamen concupiscentiam, quæ remanet post Baptismum, & in se damnabilem esse ac legi contrariam, & fontem ac originem omnium peccatorum actualium in quæ homines subinde incidunt, prout nemo sine crimine vivit. Quid autem importet ipsa peccati gratuita remissio, nempe ejusdem non imputationem ad pœnam, sive ablationem reatus coram Deo, ostensum fuit ad *Contr. xv, n. 3.* Illi vero annexa est sanctificatio ad maculam delendam & reliquias carnis & peccati inhabitantis paulatim attendendas; Sanctificatio in parvulis si illicò post Baptismum decedant eo faciliùs peragi intelligitur per Spiritum Sanctificantem, quo minùs potuit confirmari per actus repititos habitus ille nativus concupiscentiæ, qui aliàs remanere intelligitur jam ablato ejus reatu per sanguinem Christi & justificationem in illo. Ut enim peccata actualia, si remissa non fuerint, transeunt quidem actu, sed remanent reatu, sic è contrario originalis illa labes, reatu transire remanere actu censetur, non ut non sit, sed ut non imputetur.

Luth. sus pr. Cal. l. 4. Inst. c. 15. §. 3. Kemnit. supr. ad cas. 10. *Num: 9.* Sed efficacia BAPTISMI non se (ut vult Lutherus, Calvinus, Kemnitius & alii sectarij,) ita extendit in futurum, ut solà MEMORIA & FIDE suscepti Baptismi, peccata remittantur quæ post Baptismum patrantur; Sed ad hæc abolenda necessariò confugiendum ad secundam post naufragium tabulam, nempe ad Pœnitentiam de quâ Controv. XXIII, n. 2.

CENSURA. *Sed efficacia Baptismi*) Fateor nullum ferè errorem esse hoc

esse hoc in Ecclesia vetustiore, ex quo cœpit illa *miserabilis anima servitus*, uti dicitur Augustino, *que signa pro rebus accipiens*, plus illis cœpit deferre quam par erat: Hoc deinum visus est motivo impelli Tertullianus V. S. quando cunctationē Baptismi utiliorē pronuntiavit: Hoc nitebantur fundamento *Clinici* illi, quorum furor & error variis Ecclesiæ canonibus debuit coerceri, de quibus videatur Baronius *ad ann. 254. n. 9.* & ex Concilio Neocæsariensi *canon. 57.* codicis Canonum Ecclesiæ universalis, & quod hic ab Ampliff. Iustello fuit annotatum. Eodem tenebatur errore Constantinus Cæsar, qui dum de die in diem Baptismum suum differt, donec in Jordane ipso posset baptizari, debuit Nicomedię lethali morbo præventus, quasi in agone ab Eusebio Urbis Episcopo Arrianorum antesignano eum suscipere: Cum enim sibi isti homines persuasissent in præteritum tantū prodesse Baptisma non in futurū, iustas videbantur habere cunctandi rationes & illud quantum fieri poterat protelandi. Licet autem Calvinus non docuerit solā memoriā & fide suscepti Baptismi peccata remitti, tamen benè & orthodoxè *lib. 4. Inst. c. 15. §. 3.* statuit Baptisma non in præteritū duntaxat tempus conferri, ut, quasi novis lapsibus vis ejus obsolevisset, querenda sint postmodū adversus eos nova remedia in aliis quibusdam Sacramentis, sed etiam in futurum, ita ut posterioribus peccatis vis ejus non aboleatur, sed possit pius ejus recordatione se solari in promissionibus Divinis & in fiducia de remissione omnium peccatorum per sanguinē Christi confirmari. Agnosco quidem Pœnitentiam in novis lapsibus post Baptisma requiri, ad fiduciam concipiendam remissionis ipsorum, sed Pœnitentia hæc non Sacramentum est, ut suo loco videbimus, Baptismo succenturiatum in futurum, sed officium sive virtus ad quam ex ipso Baptismate, quod est revera Sacramentum Pœnitentiæ juxta Scripturam *Luc: 11, 3. Act: 11, 38.* obligamur. Veteres qui aliquando dixerunt Pœnitentiam esse secundam post naufragium tabulam, non hoc dixerunt ut Pœnitentiam tanquam Sacramentum succenturiarent Baptismo in foro poli, sed tantum ut ostenderent in foro fori sive Ecclesiæ, non recuperari aliter quam Pœnitentiā publicā jus communionis & sacræ Synaxeos, quod publico aliquo peccato admisso post Baptisma amissum fuerit: Hinc Veteribus illa publica Pœnitentia non

MIENS

minus erat irreiterabilis quam ipse baptisimus, hocque videtur fuisse discriminis inter Novatianos & Catholicos, quod hi lapsos semel admitterent ad pœnitentiam publicam, illi nunquam; De hac irreitabilitate Pœnitentiæ apud antiquos videatur Marcus Antonius de Dominis *lib. 5. de Rep. Eccl. cap. 7. §. 84. & 85.* & ex veteribus Ambrosius *lib. 2. de pœnit. cap. 10. & 11.* & Augustinus *Epist. 50. & 54.* Jam verò efficaciam Baptismi *in futurum*, ut illo obsignetur omnium peccatorum nostrorum remissio, & in actibus resipiscentiæ ac fidei super novis lapsibus ad eum reflectere possimus & debeamus, multa sunt in sacris litteris quæ evidenter demonstrent. Taceo quod ex mente Pontificiorum id posset multipliciter ostendi: Nonne enim volunt hoc Sacramento inuri animæ baptizati perpetuum & indelebilem characterem, qui cum sit mansurus in futurum irreiterabile ipsum faciat? Nonne statuunt per illud infundi habitus supernaturales fidei spei & charitatis, non sanè in præteritum aut præiens tantum, sed etiam potissimum & maximè in futurum? Et si votum Baptismi, etiam qui non est, ejus tamen defectum potest plenè supplere, ut ante statuebat Tirinus, an omni efficaciâ & fructu destituatur Baptismi ante suscepti recordatio & animi resipiscentis ad illum reflexio? Baptizetur aliquis Hæreticus aut qui obicem alium peccati mortalis posuerit operi operato Baptismi cum illum recipiebat, aut nunquam illi proderit Baptismus etiam cum convertetur ac resipiscet, aut necesse est tum efficaciam tribui Baptismo in futurum; quæ est etiam sententia Dominici à Soto *in 4. dist. 6. q. 1. art. 8.* ex ipsomet Augustino, *lib. 1. de Bapt. cont. Donat. cap. 12.* Sed ut directè agam, an restringeremus ad peccata præterita vim Baptismi, qui juxta Scripturas universaliter & indefinitè suscipitur in remissionem peccatorum Marc: 1, 4. Act: 11, 38. xxii, 16? Nonne gratia illa quâ consignamur & quam consequimur suo sensu in Baptismo, & Christi mors cujus efficacia per illum nobis offertur & applicatur, ut Ianuas bifrons veterum respicit ἀμα πρόσσω καὶ ὀπίσω? Nonne integra salus adscribitur Baptismo Tit: 111, 5. 1 Pet: 111, 21? Nonne in illo Christum induimus ejusque σίμφοτοι efficimur non solum præteriti, sed maximè futuri respectu? Nec putem aliud magis spectasse veterem Ecclesiam, cum tot severos

canones

canones condidit adversus Clinicos & eos qui de die in diem suum differabant Baptisma, quam ut errorem istum mentibus fidelium eximeret, prodesse baptisma in præteritum tantum non etiam in futurum: Hinc Augustinus *Epist. 50.* asserit quod *quicquid ab eis qui post acceptum Baptisma hic vivunt infirmitate humana contrahitur quarumcumque culparum, propter ipsum lavacrum dimittitur; Et lib. 1. de nupt. & concup. cap. 33.* idem Augustinus statuit eodem lavacro regenerationis & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum reparatorum mundari atque sanari, non solum peccata qua omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam qua posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur; non ut Baptisma quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso quod semel datur sit ut non solum antea verum etiam postea quorum libet peccatorum venia fidelibus impetretur.

Nam. 10. BAPTISMUS IOHANNIS non fuit (ut omnes hæretici nostri volunt,) Sacramentum idem cum BAPTISMO CHRISTI; Quia Primò, non erat propriè dictum Sacramentum: neque enim erat immediate institutus à Deo, sed mediante Iohanne. Nam *Ioh. 1, 33.* *Qui misit me baptizare, &c.* solum inspirat vel præceperat Deus Iohanni in genere ut baptizaret, non verò in specie ut tali ritu, tali materiâ, tali formâ: Sed hæc Iohannes proprio arbitrio instituit, unde passim vocatur *Baptismus Iohannis*: *Matth. 11, 7.* *Videns Iohannes multos venientes ad Baptisma sum.* *Matth. 21, 25.* *Baptismus Iohannis de celo erat, an ex hominibus?* Similia habes *Marc. 11, 30.* *Luc. 22, 4.* *Act. 1, 5.* *cap. XVII, 25.* & *cap. XIX, 3.* &c.

Secundò, non fiebat invocatione SS. Trinitatis, (etsi id fingant Magde-

Magdeb. cent. I. l. 2. cap. 6.

burgenses) sed ut summum, nomine Christi venturi *Act. XIX, 4.* Tertiò, neque vi suâ, seu ex opere operato remittebat peccata: neque gratiam sanctificantem dabat; sed solum excitabat & invitabat ad poenitentiam, seu contritionem concipiendam, quâ remitterentur peccata. *Luc. 11, 3.* *Predicans Baptisma poenitentia in remissionem peccatorum.* Et sic Iohannes ipsemet distinguit suum Baptisma à Baptismo Christi. *Marc. 1, 8.* *Ego baptizavi vos in aquâ, ille vos baptizabit in Spiritu Sancto: unde sequitur*

Quartò, baptizatos à Iohanne debuisse etiam baptizari Baptismo Christi, ut iussit Paulus *Act. XIX, 5.*

CENSURA. *Baptismus Iohannis non fuit*) Jam in antecessum hanc questionem tractavimus satis accuratè ad *Controv. super. n. 6.* quo & Lectorem benevolum remittimus: Ibi enim ostendimus, variis argumentis, 1. Paulum *Act. XIX, 5.* non rebaptizasse eos qui jam à Iohanne

Iohanne fuissent baptizati, sed tantum illis ceu jam ritè Christo per Baptisma Iohannis initiatis manus imposuisse. II. Iohannem ipsum Marc: 1, 8. Matth: III, 11. non opponere suum Baptismum externum externo illi Baptismo qui iussu Christi nunc administratur in Ecclesia, sed Baptismum fluminis Baptismo flaminis, sive externam suam & ministerialem operam in Baptismo, internæ operationi quam Christus exerit per Spiritum Sanctum. III. Sic eum baptizasse in nomine Christi Act: XIX, 4. quod & frequenter de Apostolis dicitur, ut etiam baptizarit quoad rem ipsam in nomine Sanctæ Trinitatis. IV. Re & substantiâ idem fuisse Iohannis Baptisma quod nostrum, in quo non magis sit opus operatum quam in illo, ex collatione locorum Luc: III, 3. Act: 11, 38. & in eundem Authorem utrumque esse referendum. Quare id solum restat hîc ut probem falsò negari hæc duo à Tirino, I. Baptismum Iohannis fuisse *proprie dictum Sacramentum. 2. Immediate à Deo fuisse institutum.* Prius negari non potest ulla ratione, cum omnia requisita ad legitimum Sacramentum hîc concurrerint, & Baptismi Sacramentum Christus ipse à Iohanne baptizatus susceperit. Nec posito quod fuerit alterius ordinis à nostro & *minoris* efficaciz, inde tamen sequeretur Sacramentum *proprie dictum* non fuisse; quandoquidem minoris saltem dignitatis statui nequit quam Sacramenta V. T. quæ eo non desierunt esse Sacramenta, quod gratiam non contulerint ex opere operato. Et Lombardus disertis verbis concedit Iohannis Baptismum fuisse *Sacramentum eo sensu, quo Legalia signa dicuntur Sacramenta, lib. 4. dist. 2. litt. E.* Nec posterius potest negari, cum & se Iohannes missum à Deo ad baptizandum profiteatur Ioh: 1, 33. & Baptisma Iohannis è Cælo fuisse affirmetur à Christo Matth: XXI, 25. & dicantur consilium Dei in seipso rejecisse qui illum contempserunt Luc: VII, 30. & nullius unquam Sacramenti, quale hoc fuit, institutio sit humani vel juris vel arbitrij. **Quis** putarit Christum tanti fecisse ritum merè humanum, ut ab illius usurpatione suum curriculum auspicari voluerit? Aut Iohannem in tantum sibi indulxisse, ut dicere non potuerit iis quos baptizaverat, Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis? Infirma vero admodum est *ἱρσῆσις* Tiriniana, quod passim *Baptismus Iohannis* dicatur. Nonne enim

ne enim Lex ipsa quæ Deum Authorem habet sæpè lex Moſis appellatur ? Nonne Paulus. quoque suum vocat Euangelium illud quod ipsi prædicandum Christus commiserat ? Et quis tam rudis ut non intelligat Baptismum dici Johannis , non quod Johannem haberet Authorem , sed quod primarius illius Minister extiterit ? Non equidem inficior Patres plerosque minus cautè hîc esse loquutos , dum sensum loci Act. XIX, 5. non satis assequuntur , & malunt negare Baptismum Johannis nostro similem fuisse quam nostri Baptismi reiterationem concedere ; Interea tamen nec agnoverunt discrimen illud quod maxime urgent Jesuitæ , operis operantis & operati, & constanter statuerunt etiam remissionem peccatorum illum Baptismum habuisse; prout & dictum ab Ambrosio *lib. 1. de Spirit. Sancto, cap. 3.* quod *Iohannes in remissionem peccatorum, in advenientis Iesu, non in suo baptizavit nomine; cui hac in parte malim assentiri quam Lombardo lib. 4. dist. 2. litt. D. statuenti illum sola corpora abluisse, à peccatis non mundasse; ejusque Baptismum fuisse in penitentiam non in remissionem.* Id non sibi persuadebunt cum Jesuitis qui Lombardo prætulerint Juvenum *Carm. Euangel. lib. 1.* sic canentem

*Zacharia soboles desertis vallibus omnes,
Ad deponendas maculas clamore vocabat,
Fluminis ut liquidi caperent miranda Lavacra
Queis anima species abluta sorde niteret.*

Nec amplius ipsum Symbolum Nicænum post Petrum Act. II, 38. tribuit nostro Baptismo, ὁμολογῶ ἐν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, quam tribuitur Baptismo Johannis Luc: III, 3. Sed de his hæcenus.

CONTROVERSIÆ XX.

De

CONFIRMATIONE.

Respondente

CHRISTOPHORO KRÆGELIO,
Archipalatino.

Nam: **H**æc Sacramentum, (contrà omnes nostros hæreticos) patet; quia est signum sensibile, nempe MANUUM IMPOSITIO (AË. VIII, 17. *imponebant manus super eos*) conjuncta ORATIONI, (vers: 15. *oraverunt pro ipsis*), cum unctiōe Chriſmatis & signo crucis, ut habemus ex Apostolicâ traditione. Confert infallibiliter abundantiam gratiæ Spiritus Sancti, baptismali majorem; vers: 16. *Nondum Spiritus Sanctus in quemquam illorum venerat; sed baptizati tantum erant, &c. Tunc imponebant manus super illos, (cum adjunctis ceremonijs consuetis) & accipiebant Spiritum Sanctum.* Et Ioh: XIV, XV, XVI, varios hujus effectus promittit Christus; spondetque c. XIV, 16. quod nobiscum in æternum permanebit. Infallibile autem id fuisse ex eo colligitur, quod cuicumque baptizato Apostoli manus imponebant, acciperent Spiritum Sanctum; AË. VIII, 19. Iam verò institutio & mandatum Christi (verisimiliter in ultimâ coenâ, ut habet traditio,) à posteriori colligitur ex ipso facto Apostolorum: numquam enim Apostoli tam confidenter & ordinariè usi fuissent tali ceremoniâ in ordine ad talem effectum, nisi Christus id ipsis præcepisset. Nam non ignorabatur, non esse hominum instituere ceremonias ad quas consequeretur infallibiliter gratia Spiritus Sancti, quod etiam Kemnitius & Calvinus admittunt.

Kemnit.

sup. p. 13.

Calv. su-

pr. c. 19.

§. 2.

Porro necessariam fuisse hanc ceremoniam, colligitur ex eo quod primarij Apostoli, Petrus & Iohannes, tantum laboris & itineris susceperint, ut Ierosolymis irent Samariam, ad Spiritum Sanctum impertiendum hoc ritu Samaritanis, quos Philippus diaconus baptizarat. Potuissent enim alioqui manentes Hierosolymæ orare pro ipsis, &c. AË. VIII, 14.

CEN:

CENSURA. *Esse Sacramentum*) Cum ipsimet adversarii hac de re inter se disceptent, & inter crimina ab Universitate Parisiensi nuper objecta Jesuitis, id unum sit quod Confirmationem libris editis & ex illa Hierarchiam impugnent, non est quod his multum immoremur: Non esse Sacramentum patet ex ijs quæ de Sacramentis in genere disputavimus *Cont. xviii.* maximè cum ejus institutio nusquam extet in Scripturis: nihilque aliud sit quam frigida cæremonia & quadantenus character bestix in fronte sumendus ab iis qui cum illa volunt negotiari, & in quam tandem abiit laudabile aliàs institutum pueros in infantia baptizatos catechizandi, & eos cum precibus & benedictione solemni admittendi ad sacram Synaxim, de quo ritu videatur noster Calvinus *lib. 4. inst. cap. 19. §. 4.* Eum ritum etiam sub Confirmationis nomine restituerat utcumque Liturgia Anglicana à superstitione Pontificia defæcatum: Sed num post Episcopatum & Ordinem Hierarchicum eversum adhuc ibi permaneat, nec dum scio. Coninck *q. 72. de Sacr. dub. 2. n. 17. & seqq.* agnoscit esse quosdam Catholicos qui negent hoc Sacramentum fuisse institutum immediatè à Christo, à quibus licet dissentiat, tamen nihil habet certi de tempore quo illud Christus instituerit: an quando benedixit puerulis sibi oblati, an in festo Pentecostes, an in ultima cæna, an cum post suam resurrectionem potestatem Clavium contulit suis Apostolis: Et quamvis multis laudibus evehant imaginarium istud Sacramentum, pauci tamen sunt qui illud usurpent, nisi qui anhelant Ordines & per illos Beneficia; Et idem Coninck, *ead. q. art. 8. dub. unico*, pertendit omissionem hujus Sacramenti, modo non procedat ex contemptu, nihil habere peccati, & nullam esse obligationem ad illud suscipiendum, etiam sub peccato veniali.

Nempe manuum impositio) Hæc valde jejuna sunt ad probandum imaginarium hoc Sacramentum: nam 1. Sic conveniret cum extrema unctione & ordinatione, ubi etiam hæc tria reperiuntur Manuum impositio, Unctio, Oratio: 2. Unctionis istius nullam fieri mentionem in Scripturis videbimus n. 3. & plerosque Pontificios etiam eam de ponte dejicere: 3. Orationem Becanus statuit esse formam determinatam hujus Sacramenti; aliam tamen assignat Tirinus n. 4. ut

CCCC 3

planè

planè nesciatur ad quam partem materiam-ne an formam oratio & unctio ac signum crucis pertineant : Et dum hæc duo arcessit Tiri-
 nus *ex Apostolica traditione* , satis ostendit se hac in parte Scripturarum
 sacrarum præsidio destitui. Impositio manuum in omni benedictione
 & appreciatione usurpari solita ab Apostolis , ad imitationem vete-
 rum & ipsius Christi , (qui etiam manus imposuit infantibus sibi obla-
 tis & illis benedixit; licet fatente Coninck *V.S. art. 1. dub. 2. n. 18.* nullâ ra-
 tione hoc Sacramentū tunc intenderet conferre) ritus est latius patens
 quam ut signum sensibile ad hujus Sacramenti administrationem
 determinatum statui possit ; ut pote usurpari quoque solitus olim
 in ægrorum miraculosa sanatione , ministrorum ordinatione , eo-
 rundem jam ordinatorum ad rem aliquam magni momenti dimissione,
 catechumenorum benedictione , pœnitentium receptione , clinico-
 rum & eorum qui Christiani fieri volebant , (etiam absque Baptismo)
 solemnem ad Christianismum admissionem , uti colligunt eruditi *ex Can.*
6. Concilii Arelatensis 1. & Can. 39. Concilii Elibertini. Idem possum ob-
 servare *de signo crucis* : quod ad materiam determinatam hujus Sacra-
 menti spectare nequit , cum sit in Papatu ephippium omnium equo-
 rum. Locus verò Act: VIII, 15. 16. 17. ne utiquam facit ad Confirma-
 tionem Pontificiam : nam I. Hic nullius signi crucis aut inunctionis fit
 mentio : & divinat Tiriinus *ibi* , cum statuit Apostolos super illis ma-
 nus imposuisse, *ungendo simul eos Chrismate, id est balsamo & oleo simul com-*
mixtis & ab Episcopo benedictis : istius enim malagmatis & compositionis ,
 nusquam Scripturæ sacræ N. F. meminerunt : At, inquit Tiriinus *ex*
Hugone & Waldensi, qui inungit etiam manus imponit, & pbrasi Hebræa manus
imponere idem est quod tangere ; Sed non vice versa inungit necessariò qui
 manus imponit ; ne quilibet tactus Hebræis est manuum impositio ,
 sed is demum qui fit in capite. II. Agitur hic de charismatum extra-
 ordinariorum Spiritus Sancti collatione, in omnium sensus incurrente
 quæ ad Apostolicam *ἱερωσύνην* pertinebat , uti patet etiam *ex Act: XIX,*
5. 6. non de imaginario Confirmationis Sacramento , quod S. Phi-
 lippus Euangelista , eoque Episcopis & Presbyteris ordinariis major,
 & tot inclutus miraculis , (imò si *ibi* Tirino credimus *ex Polycarpo*
apud Eusebium lib. 5. cap. 24. Apostolicâ præditus autoritate, quam-
 vis nihil

vis nihil tale legatur eo loci in Eusebio) satis contulisse poterat. Nec Chrysoſtomus *hom. 18. in Acta*, putavit Petrum & Johannem Samaritanam miſſos fuiſſe, ut Confirmationis Sacramentum imaginarium conferrent, ſed tantum ut Samaritanos liberarent à *Magia*, & ita illis *doctrinam quam primum à Chriſto acceperant in memoriam reducerent*: Et paulo ante monet de Samaritanis iſdem, Apoſtolos ad eos miſſos fuiſſe, quia *Spiritum acceperant equidem remiſſionis, Spiritum autem ſignorum non receperant*: Ergo illa manuum impoſitio Apoſtolica duntaxat ad Spiritum ſignorum conferendum ordinabatur. Nec diſſitetur Lintrenſis ad *Act. viii, 17.* de Spiritu Sancti collatione facta per manuum Apoſtolicarum impoſitionem, *tali quodam ſigno extrinſecus ita conſtituiſſe, ut & Simon & ceteri per talem inſolitum effectum*, ſatis eam intelligerent. Atqui talis inſolitus effectus, ex quo certò colligatur revera Spiritum Sanctum collatum eſſe per Confirmationem Episcopalem, nuſquam apparet in Papatu, cum Confirmati nec doctiores, nec meliores quam antea exinde appareant.

Confert infallibiliter) Si Gloſſæ ordinariæ inſiſtamus, Samaritani nihil præter Baptiſmum aquæ acceperant, (quod valde obeſt operi operato Adverſariorum) cum Apoſtoli fuere Hieroſolymis miſſi qui Spiritum Sanctum illis conferrent. Sed illud tam falſò dicitur, uti ſupra ex Chryſoſtomo audivimus, quam falſum eſt in Confirmatione infallibiliter conferri majorem copiam Spiritu Sancti quam in Baptiſmo: quandoquidem nemo confirmatus vel juſtior vel melior per Confirmationem evaſit quam antea fuiſſet; & multi laici non confirmati, probitate & ſpiritualitate multos ſuperant clericos confirmatos; & nihil majus ad ſalutem poteſt concipi habitu fidei, ſpei & charitatis & gratia juſtificante & ſanctificante, quam in Baptiſmo conferri & infundi infallibiliter ſtatuunt adverſarii; Et cum omnes teneantur ſub peccato graviffimo id non omittere per quod *abundantiam gratia Spiritu Sancti baptiſmali majorem* conſequantur, tenerentur omnes ſub graviffimo peccato ad Confirmationis Sacramentum ſuſcipiendum, contra quam ſupra ex Jeſuita Coninck audivimus: Spiritu Sanctus Samaritanis collatus, pertinet, uti jam ante ex Chryſoſtomo probavi, ad Spiritum ſignorum, quem hodierni Epifcopi non conferunt.

Et Job.

Et Ioh. 14. 15. & 16. varios) Agnosco varios ibi Spiritus Sancti effectus commemorari, partim speciales Apostolis, partim communes omnibus fidelibus; sed qui neququam pendent ex Confirmationis imaginario Sacramento, cum nec illud unquam Apostoli susceperint, Adversariis agnoscentibus, & absque illo fidelibus baptizatis isti communes effectus conveniant: negare enim dari illis Spiritum Sanctum, esset eos Christianorum albo dispungere: Nec video quî potius per Confirmationem quam per Baptismum fingatur Spiritus Sanctus nobiscum in æternum permanere, cum & multi baptizati absque confirmatione constanter perseverent in fide, & multi confirmati fidei naufragium faciant, & ex hypothese Pontificiorum Apostasiam Sanctorum propugnantium, Spiritum Sanctum excutiant & illum amittant.

Infalibile autem id fuisse) Longè dispar ratio Apostolorum in hoc facto, & Episcoporum in Papatu: illi enim infalibiliter conferebant Spiritum signorum manuum suarum impositione; at horum omnis efficacia in ritus & cæremonias inanes abit.

Iam verò institutio) Verisimilitudines duntaxat sibi fabricantur isti homines, ubi demonstrationes fuissent adferendæ. Cur enim potius ultimæ Cœnæ institutionem tam exactè retulissent Euangelistæ, quam hujus Sacramenti, eo dignioris sacræ Cœnæ quod characterem imprimat, à solo Episcopo ordinario conferatur, & potestatem conferat passivam aliorum Sacramentorum, maximè Ordinationis, (absque qua Cœna administrari nequit) recipiendorum? Et Coninck V. S. nescit num in Cœna, num post resurrectionem Christus hoc Sacramentum instituerit. Sane si in ultima cœna fuerit institutum, ejus administratio debuerit committi omnibus sacrificulis sive presbyteris, prout tunc, ex Pontificiorum sententia, Apostoli in illum Ordinem adscripti fuerunt. Factum vero Apostolorum in hac manuum impositione, non probat antecedentem ipsius Christi Sacramentalem institutionem, sed tantum ritus in omni benedictione recepti hæctenus apud Judæos & ab ipsomet Christo usurpati, applicationem ad opus extraordinarium & miraculosum, qualis erat hæc collatio Spiritus signorum, ut & ægrorum ad eundem ritum sanatio, juxta ipsiusmet Christi promissionem, Marc: xvi, 18. Nec ullo probabunt ad-

bunt adversarii argumento, id quod factum fuit in Samaritanis à Petro & Johanne Act: viii, 15. & à Paulo in duodecim illis, de quibus Act: xix, 6. ad singularem & extraordinariam comprobationem tum potestatis Apostolicæ, tum veritatis Euangelicæ, usurpatum fuisse ab Apostolis in omnibus omnino credentibus & conversis ad fidem Christianam: Nullæ manus impositæ sunt Cornelio & domesticis ejus, & jam charismata illa extraordinaria Spiritus Sancti illis fuerant collata priusquam baptizarentur; nec ipsi Paulo manus ad confirmationis Sacramentum legimus impositas: Equidem Ananias Act: ix, 17. illi manus imposuisse dicitur, sed Tirinus *ibi* negat id pertinuisse ad hoc Sacramentum. *Saulus enim* (inquit) *nondum erat baptizatus, & Ananias nondum erat Episcopus*, imò nullus Apostolus manus imposuerat Romanis fidelibus, quando ad ipsos scripsit Paulus uti patet ex Rom: xv, 20. Et tamen jam absque Confirmationis Sacramento eorum fides toto orbe celebrabatur Rom: i, 8. Porro Apostoli illum ritum impositionis manuum, ad charismata Spiritus Sancti conferenda usurparunt, non simpliciter privatâ suâ autoritate, sed partim ex consuetudine recepta eum ritum adhibendi in omni benedictione, partim ex imitatione heri sui, partim ex Spiritus Sancti eos deducentis in omnem veritatem impulsu & dictamine, partim denique ex Christi promissione simili Marc: xvi, 18.

Porro necessariam) Cur debuerint Apostoli illud ita suscipere supra monui ex Chrysofomo: Sic Paulus paratus erat ad Romanos proficisci, qui tamen jam ante crediderant. Ecclesiæ intererat ut Samaritani per Apostolos majori potestate præditos & ad quos pertinebat fundamenta jacere Ecclesiarum, in fide confirmarentur, doctrinâ, miraculis majoribus, collatione charismatum Spiritus Sancti, non vero fictitio Pontificiorum Sacramento: nullum tamen legimus missum fuisse Apostolum ad Æthiopem eunuchum Reginae Candacis, quem Philippus idem ad Christum converterat & similiter baptizaverat, qui cæteroquin non minùs eguisset Sacramento Confirmationis, quam univèrsa Samaria, si hæc causa fuisset itineris Apostolici. Interea admittimus quod Johannes Petro jungatur in titulo *primarii Apostoli*, & dum utrumque ab Apostolis missum Samariam Lucas refert,

D d d d

osten-

ostendit Petrum cæteris suis collegis nec jurisdictione nec potestate superiorem fuisse.

Potuisſent enim alioqui) Sed & illinc huic moleſtiæ parcentes potuiſſent Philippo Euangeliftæ delegare poteſtatem Samaritanos confirmandi: Cum juxta Coninck q. 72. de Sacra. art. 11. dub. unico concl. 2. §. 104. certum ſit ſimplicem Sacerdotem ex commiſſione ſummi Sacerdotis poſſe hoc Sacramentum conferre. Quare non opus erat nudæ duntaxat Cæremoniæ gratiâ primarios Apoſtolos tantum laboris & itineris fuſcipere; quandoquidem vicariam in eo operam optimè Philippus præſtare potuiſſet: non ergo Confirmationis vel Orationis tantum gratiâ ſe eò contulerunt, ſed ut Apoſtolicâ poteſtate & Charismatum extraordinariorum Spiritus Sancti collatione credentibus, coram perficerent, quod non niſi inchoatum à Philippo fuerat.

Nam: 2. Ex quo loco etiam colligimus, ordinarium MINISTRUM hujus Sacramenti eſſe Episcopum: neque enim opus alioqui fuiſſet, Apoſtolos eò ſe transferre. Sic Act: XIX, 6. Paulus manus imponit ijs quos alii baptizarant: Et verò proprium eſſe principis, adſcribere militiæ milites, nemo eſt qui dubitet.

CENSURA. *Ex quo loco etiam colligimus*) Hac de re modo diximus; & fuſius *tomo 1. Cont. VIII, n. 8.* Si non validiori argumento propugnat Sorbona authoritatem Episcopalem contra Jeſuitas, quam eo quod deſumitur à confirmationis Miniſtro, illa valde nutabit: nam ipſe Gregorius I. conceſſit *ubi Episcopi deſum, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, lib. 1. Epiſt. 26.* Adde Apoſtolos non eò ſe tranſtuliffe quâ Episcopos, ſed quâ Apoſtolos, ut hinc nihil de Miniſtro ordinario hujus Sacramenti exſculpi poſſit.

Sic Act: XIX, 6. Paulus) Et hoc ipſe fecit non quâ Episcopus, qualis formaliter non erat (quam enim Diœceſim illi aſſignabunt Pontificii?) ſed quâ Apoſtolus: Et miror Tirinum hos dicere ab aliis fuiſſe baptizatos quam à Paulo; cum ipſe in *leinmate cap. 19. Act: sic habeat, Paulus Ephesum reuerſus duodecim diſcipulos Ioannis baptiz. at & confirmat.* Nec habet textus quod Paulus illos juſſerit baptizari, ut falso

Falso statuebat Jesuita *ad finem Cont. preced.* nec si jussisset illos baptizari, debuissent tamen baptizari ab alio quam ab ipso; & suo loco ostendimus nec manu nec jussu Pauli fuisse baptizatos, sed tantum edoctos fuisse ab Apostolo de natura & usu Baptismi quem à Johanne acceperant.

Et vero proprium esse) Hinc æquè probaveris aut solius Papæ quem Monarcham facis Ecclesiæ esse hoc administrare Sacramentum, aut solorum esse Episcoporum baptizare; quandoquidem longè certius per Baptismum milites adscribuntur militiæ Christianæ quam per Confirmationem. Sed præterea licet soli Principi milites conscribantur, tamen eos conscribendi facultas delegatur Tribunis, Centurionibus, Optionibus, Signiferis, Tesserariis, Decurionibus.

NUM: 3. MATERIAM, quam ex traditione constat esse unctionem, oleo (cui balsamum permixtum sit,) in fronte factam in modo crucis, colligit S. Ambrosius, Anselmus, & Theodoretus ex 2 Cor. I. 21. *Qui confirmat nos Deus, & unxit nos, & signavit, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Cyrillus verò & Augustinus ex 1 Ioh. II, 27. *Vnctio quam accepistis ab eo, maneat in vobis.*

Ambr. I. de ijs quæ initiantur mysterijs.

Anselm. & Theodor. in illum locum Cyrill. catechesi 3. mystag. August. tract. 3. in Epist. Iohannis.

CENSURA. *Materiam quam ex traditione*) Si ex traditione, ergo frustra duo loca Scripturæ quæ hic citas: neque etiam id ita constat, ut plerique Jesuitici ordinis etiamnum hodie contra Sorbonistas contrarium non statuunt. Becanus *de Sacr. cap. 1. q. 6. 8. 4.* materiam & formam hujus Sacramenti determinatam esse statuit impositionem manus & orationem: Petrus le Moyne Jesuita, qui scripsit Gallicè *le Manifeste Apologetique pour la doctrine des Jesuites*, libelli sui *sect. 10.* multus est ut Sirmundi sui confirmet sententiam statuentem Chrisma non esse de essentia hujus Sacramenti; citatis pro ipso Melchioro Cano, Aureolo, Joanne Vitriaco & Martino Perezio Ajala qui Concilio Tridentino interfuit. Et quam sit incertum num Apostoli conferendo hoc Sacramentum usi fuerint chrisinate patet ex variis sententiis ea de re allatis à Coninck *q. 72. art. 3. dub. 2.* Et *dub. 1.*

D d d d 2

ostendit

ostendit suos adhuc digladiari, num requiratur necessaria commixtio Olei & Balsami, cum nonnulli alterutrum sufficere statuunt. Disputant itidem num Palæstinum esse debeat Balsamum num Indicum, & an Chrismatis benedictionem ab Episcopo fieri sit etiam de essentia Sacramenti; quæ omnia ad hominum otiosorum vanas speculationes referenda sunt: Nec sibi ipsi constat noster Tirus qui n. 1. *Signum sensibile* hujus Sacramenti faciebat manuum impositionem, hoc vero loco ne quidem illius meminit in illius materia explicanda. Quoniam autem ad traditionem hinc recurrunt, observetur obiter eam niti potissimum, tum Fabiani tum Melchiadis P. P. Epistolis Decretalibus, quas supposititias esse jam diu ab eruditis, & nominatim à Davide Blondello, uti aliàs monui, demonstratum est. Illa de Chrismatis ex oleo & balsamo anniversaria consecratione agit; hæc Confirmationem sic præfert Baptismo ut *quia à majoribus fit, id est à summis Pontificibus, etiam majori veneratione veneranda & tenenda statuatur*: Utrobique insuper ea dicuntur hac de re quæ nec ipsi hodierni Pontificii sunt probaturi: ut quod habet Pseudo-Fabianus, Baptismum *S. Chrismatis unctione perfici*: Item, *S. Chrismatis consecrationem per singulos annos esse agendam, & de anno in annum renovandam & fidelibus tradendam; quia novum Sacramentum est per singulos annos & jam dicto die innovandam & vetus in sanctis Ecclesiis cremandam*: & Melchiades personatus, *Ita conjuncta esse hæc duo Sacramenta, Baptismum & Confirmationem, ut ab invicem (nisi morte præviente) nullatenus possint segregari, & unum sine altero ritè perfici non possit*: Scilicet ex hoc putido fonte tam putidum Sacramentum debuit derivari. Ejusdem sunt furfuris, quæ ex Decretalibus P. P. Clementis, *epist. 4. Urbani, epist. unica, Eusebij, epist. 3. proferuntur in Catechismo Romano p. 2. cap. 3. §. 3. Ut nihil dicam de eo, quod illa omnia possint ad Baptismalem unctionem referri, quam ceu ultimum Baptismi actum solemnem videntur Episcopi veteres sibi reservasse, ut innuerent Presbyteros non nisi suâ autoritate reliqua peregisse*: juxta illud Tertulliani de Baptismo ipso *cap. 17. Dandi habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus: debinc Presbyteri & Diaconi non tamen sine Episcopi autoritate, quâ salvâ, salvâ pax est: quod etiam spectat evidenter Hieronymus contra Luciferianos, cujus verba non*

ba non

ba non pigebit annotare : Quodsi hoc loco *quaris* Quare in Ecclesia baptizatus nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum Sanctum , quem nos asserimus in vero baptisate tribui , disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere , quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus descendit , & multis in locis idem factum reperimus ad honorem potius sacerdotij quam ad legis necessitatem : Alioqui si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus Sanctus defluit , lugendi sunt qui in vinculis , aut in castellis , aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati ante dormierunt , quam ab Episcopis inviserentur : Ecclesia salus in summi sacerdotis dignitate pendet , cui si non exors quaedam & ab hominibus emiuens detur potestas , tot in Ecclesijs effusionur schismata quot sacerdotes. Inde venit ut sine Chrismate & Episcopi jussione neque Presbyter neque Diaconus jus habeat baptizandi.

Colligit S. Ambrosius) Horum authorum nullus est , qui olei & balsami simul mixti meminerit , aut ejus unctionem statuat in modum crucis faciendam , aut colaphum Confirmato à Confirmante infligendum , aut patrimos illi esse adhibendos , aut ejus caput vittâ aliquandiu gestandâ esse obligandum. Agunt illi Patres non de Confirmationis Sacramento , sed de unctione baptismali , quam veteres Baptismo adiecerunt , tum ut ex Chrismate se Christianum intelligeret qui baptizabatur , tum ut sciret etiam se ut novû Christi athletam ad luctam & certamen debere esse paratum , tum ut lotus & unctus ad sacrum Christi epulum in Eucharistia deduceretur , more recepto in solemnioribus conviviis , ad quem etiam respexit Christus Luc: VII, 44. 45. 46. Expendantur loca veterum quæ citat Tiranus , deprehendetur quod dico : Ambrosius ritus in Sacramento Baptismi usurpari solitos exprimit , & postquam cap. 6. egerat de unguento effuso in caput baptizati ex fonte ascendentis , refert cap. 7. quod post hæc accipiat vestimenta candida , qui ritus merè baptismalis erat. Nec aliud ex Cyrillo Catechesi 3. mystag. poterit exculpi : Quicumque , inquit , in Christum baptizati estis & Christum induistis conformes facti estis filio Dei &c. Participes ergo Christi effecti , revera Christi , hoc est , uncti vocamini &c. Christi vero estis facti postea quam S. Spiritus imaginem recepistis : & omnia in imagine facta sunt in vobis quoniam Christi imagines estis : ac ille quidem cum in flumine Jordano lavisset corpus , in quo divinitas habitabat , aquis tradidit ascenditque ex

que ex illis, & Spiritus Sanctus substantialiter super eum descendit, requiescens super sui similem; & nobis postquam ex aquis sacri lavacri ascendimus, datum est Chrisma, quod imaginem gerit illius quo unctus est Christus &c. Unde patet unctionem illam veterum fuisse Baptismi appendicem, ad significandum eum Spiritum, cujus gratia unguimur in Baptismo cum Christo nomen dantes Christi & Christiani in ipso & per ipsum firmus: Quod insuper liquet ex Clemente Rom. *constit. lib. 3. c. 16.* Damasceno *lib. 4. Orth. fidei cap. 10.* Ambrosio, sive quicumque sit ille author *lib. 1. de Sacr. cap. 2.* Theodoretus dicit quidem Deum nos unxisse & Spiritus sanctissimi sigillo dignos duxisse, *veluti quamdam futurorum bonorum arrham hanc nobis gratiam largiens*: sed nullis argumentis possis colligere eum loqui de externa ulla unctione, ne dum de ea quam speciale Sacramentum faciunt adversarii. Ipsi sane Pontificii debent agnoscere quod dico, ut pote apud quos etiam num hodie in Baptismo solemniter receptum est ut Presbyter primò signo crucis signet baptizandum in fronte, deinde ejus capiti manum imponat non semel cum oratione, tum post exorcismos & signa crucis & salivam, eum inungat circa pectus & scapulas oleo Catechumenorum, cum his verbis, *Ego te unio & oleo salutis in Christo Iesu Domino nostro, ut habeas vitam aeternam*: & tandem baptizatum ipsum inungit sancto Chrismate in capite in forma crucis, dicendo *Deus omnipotens Pater Domini nostri Iesu Christi qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, qui dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te uniat Chrismate salutis & in eodem Christo Iesu Domino nostro in vitam aeternam.* Atque hanc Chrismationem sequitur vestis candida & cereus ardens. In quibus ut non negamus subesse vestigia quædam rituum antiquorum, sic videmus necessariò ad illam unctionem baptismalem spectare, quæ de Chrismate post Baptismum suscepto leguntur apud veteres; ut ea non possint trahi ad Sacramentum Confirmationis. Loca verò duo hic allegata Jesuitæ, cum agant de unctione mystica & spirituali minus ad rem faciunt; Quoad primum 2. Cor. 1, 21. Ambrosius quidem ostendit unctionem baptismalem jam suo tempore usurpatam, eò quod antea respexisset. Sed ne per somnium quidem cogitavit, ut nec Theodoretus aut Anselmus, licet recentior, de Confirmationis Sacramento,

mento. Chrysoſtomus, Theophylactus, Haymo, Carthusianus, Thomas Cajetanus, & multi alii hanc Confirmationem in gratia & fide, gratiæ ipsi tribuunt & unctiõni ſpiritali illi & myſticæ quâ in reges & ſacerdotes ſumus conſecrati; Nec diffitetur Cornelius à Lapide Pauli dictum de Baptiſmo intelligi poſſe, ut factum à Theophylacto & Chryſoſtomo ac Gloſſatore ordinario; Imò Tirinus *Cont. xviii, n. 6.* hoc loco utitur ad probandum characterem Baptiſmi, qui ſi eò faciat, de Confirmatione intelligi nequit; videantur quæ ibi dicta ſunt. *p. 507.* Quoad locum attinet 1. Ioh: 11, 27. eum Auguſtinus ibi diſertis verbis de unctiõne inviſibili Spiritus Sancti interpretatur. Ipſe etiam Tirinus *ad 1. Ioh: 11, 20.* dicit unctiõnem illam eſſe gratiam & ſapientiam Spiritus Sancti, quam, inquit, vos etiam in unctiõne Baptiſmi & Confirmationis accepisti: adeo ut non auſus fuerit id ſpeciatiim imaginariæ ſuæ Confirmationi applicare. Nec Lorino *ibidem, dubium quin per ſe Iohannes ſolam ſignificare velit unctiõnem internam, nec gratia quidem juſtificantis, ſed domi intellectus quo vulnus ignorantia curetur,* quod multis probat: Imò *ad com 27.* hîc Tirino citatum, ibi abſtractum poni pro concreto, Chriſma pro Chriſto: ut alibi debeant Jeſuitæ ſuum Confirmationis Chriſma ex oleo & balfamo mixtum quærere.

Num. 4. FORMA, (ut eſt in Concilio Florentino,) *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti,* colligitur ex verbis S. Pauli jam citatis.

Cornelius *Act: x, 44.* Sicut & Apoſtoli *Act. II, 4.* Sacramenti effectum ſine Sacramento acceperunt, ex ſpeciali diſpenſatione Dei.

CENSURA. *Forma ut eſt in Concilio*) Ergo non ex Euangelio Chriſti aut Apoſtolica traditione hæc forma derivatur ſed ex Conciliabulo Florentino, ante ducentos demum annos celebrato, nec alio ſine ab Eugenio quarto convocato primum Ferrariæ, dein quod illic peſtis graſſaretur Florentiæ, quam ut turbaret Baſilienſe Concilium, à quo ſe citatum ſentiebat & poſtea deſiſtus fuit: Et cum Conciliis generalibus, reprobatis tamen, Bellarminus annumeret Concilium Baſilienſe *lib. 1. de Conc. cap. 7.* Oecumenicum & generale cenſeri nequit Concilium Florentinum, illo adhuc darante inchoatum & finitum;

tum: Sed hanc quod attinet Confirmationis formam, illam nullis fidiculis Paulo extorquebit Tirinus, nec in eam consentiet Becanus, qui V. S. materiam & formam determinatam hujus Sacramenti statuerebat esse impositionem manuum & orationem. Quot etiam remaneant scrupuli in Papatu circa hanc ipsam formulam, & num hæc omnia verba sint essentialia, videre est apud Coninck *V. S. art. 4. §. 66. & seqq.* Sunt qui putent illa verba, *signo crucis*, sunt qui hæc, *Chris-mate salutis*, nixi cum Bellarmino *de Confirmatione cap. 10.* antiquo rituali Romano, in quo non extant, citra Sacramenti detrimentum omitti posse statuunt; alii, ut ipsemet Coninck, mordicus omnia retineri volunt; sic tamen ut ipse fateatur Patres satis obscure semper fuisse de forma confirmationis locutos, nec eam unquam expresse tradidisse, adeo ut nec Dei verbo nec expressa traditione nitatur.

Cornelius Aët: x, 44.) Sed primò absurdè & ἀφίλοσοφῶς effectum ponitur sine sua causa. 2. Si res in hoc tantæ molis Sacramento sine Sacramento ipso haberi possit, ex dispensatione divina, cur nolunt pariliter dispensari cum infantibus fidelium, qui decedunt absque Baptismo, ut nihilominus effectum illius sine Sacramento ipso accipiant? 3. Nec effectum Sacramenti Confirmationis potest dici id quod acceperunt Apostoli in Pentecoste, & Cornelius Petro verba adhuc faciente, cum illa effusio Spiritus Sancti in utroque potissimum ad gratias gratis datas spectarit, Sacramenti verò effectum debeat pertinere ad gratiam gratum facientem: & mirum est, ad ordinarii Sacramenti effectum pertinuisse, quod hodie in nemine hoc Sacramentum operatur. Quod enim statuit Becanus *cap. 14. de Sacr. §. 5.* duplex fuisse illius Sacramenti effectum tempore Apostolorum, nempe gratiam sanctificantem invisibiliter & gratias gratis datas visibiliter conferre, sed unicum nunc, postremum scilicet, remanere, est absurdissimum: cum Sacramentorum N. F. maximè quoniam ex hypothese aduersariorum agunt ex opere operato, eadem semper efficacia esse debeat.

C O N.

CONTROVERSIA XXI.

DE

SACRAMENTO
EUCCHARISTIÆ.*Respondente*

MATHIA VECHNERO WIRUMÆO Ombi.

Nam. **I.** OSSE Deum efficere, ut idem numero CORPUS CHRISTI quod IN CÆLO est, sit eodem, tempore verè, realiter ac substantialiter præsens IN EUCHARISTIA, (contra Wiclef, Calvinum, Petrum Martyrem, & Bezam,) patet ex Matth: XIX, 26. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Luc: I, 37. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum,* Controv. I, n. 3. Neque verò implicare (quod isti fingunt) contradictionem ut una eademque numero res pluribus simul locis existat, colligitur

Primò, ex ipsomet Deo, qui cum sit una ac simplicissima res, tamen simul est in infinitis locis: Ier: XXI, 25. *Cælum & terram ego impleo.*

Secundò, ex animâ cujusque hominis, quæ tota est in capite, tota in manibus, tota in pedibus, tota in omnibus reliquis membris.

Tertiò, quia de facto corpus Christi fuit in duobus locis quando apparuit Saulo, Act: IX, 5. nempe in cœlis simul & in terrâ, vel in aere terræ vicino, ut ibid. ostendi.

Non etiam implicare (quod iidem volunt) rem corpoream existere modo spirituali, id est, in indivisibili & penetrativè cum aliis corporibus, colligitur

Primò, ex Luc: XVII, 25 ubi dicit Christus, *camelum per foramen acus transire,* licet impossibile sit apud homines, possibile tamen apud Deum est.

Secundò, quia corpus Christi de facto extitit aliquando tali modo, nempe cum illæso matris utero virginali natus est, Matth: I, 25. cum surrexit clauso sepulchro, Matth: XXVII, 2. cum ad discipulos clausis januis bis ingressus est Ioh: XX, 19. & 26. denique cum ad Patrem Act: I, 13. & Eph: IV, 10. ascendens penetravit omnes cœlos, qui alioqui solidissimi sunt, quasi ære fusi Iob: XXXVII, 18.

Wiclef apud Tho. Waldensè tom. 2. de Sacramētis c. 72. Calv. l. 4. Inst. c. 17 §. 24. & 29. Martyr l. contra Cardinerum. Beza l. de cenâ domini contra Westphalum.

Eccc

CENSU-

CENSURA. *Posse Deum efficere*) Indicium est malæ causæ, quod statim Tirinus se in hoc angiportum omnipotentiae divinæ recipit: cum in rebus fidei non tam quid Deus possit, quam quid statuat & velit sit attendendum. Saltem meminisset Jesuita eodem argumento, quo hic propugnat multipræsentiam corporis Christi, posse defendi ejusdem Ubiquitatem & omnipræsentiam, quam tamen *Cont. 17, n. 8. & 10.* ceu absurdam & impossibilem ipse respuit. Cur enim difficilius erit Deo efficere, ut Christi corpus sit ubique, quam ut sit simul in mille myriadibus locorum distinctorum, intermedio spatio non occupato? Cum adhuc facilius possim concipere rem unam numero ubique esse diffusam, ut Deum (quod enim affirmat Becanus *1. p. Theol. Schol. cap. 6. q. 3.* creaturam potuisse à Deo produci quæ sit ubique, tam absurdum est quam absurdè statueretur posse dari creaturam quæ sit Deus, etsi hoc Becani paradoxum paradoxus author libri qui inscribitur *Syllabus problematum Theologicorum*, tot portentis in Theologia referti, ut horridius monstrum me vidisse unquam non meminerim, stultè in suum adoptarit) quam concipere rem unam numero creatam & finitam, quæ citra sui multiplicationem ullam, multiplicata & distincta numero & spatio loca, eodem temporis momento occupet: Nec medetur huic absurdo novum commentum Replicationis per quam eadem res finita & una numero sit in locis multiplicibus, citra sui multiplicationem; Quid enim illa sit Replicatio, & quid suo conceptu involvat, & in quo differat à Multiplicatione, nec explicant nec explicare possunt isti homines; Bresserus *lib. 6. de Consc. cap. 22. §. 329.* hanc replicationem explicaturus, statuit *id quod pluribus sit præsens non debere reproduci: sed tantum quasi adduci, vel poni etiam alibi per novum ubi, quo ipso potest etiam dici replicari, seu posse super naturaliter idem simul poni diversis locis, quo modo naturaliter idem corpus ponitur successivè diversis locis & temporibus.* Quibus in verbis vides Replicationem hanc nihil aliud esse quam unius ejusdemque rei præsentiam simultaneam in locis diversis & distinctis; quam non posse dari citra rei ipsius multiplicationem, tam notum est, quam notum est loci & locationis simultaneam multiplicationem, locati quoque multiplicationem similem suo conceptu inferre, eo quod relata se mutuo ponere & tollere

& tollere debeant; Et tam ridiculè probatur supernaturaliter posse idem numero corpus esse in duobus aut tribus locis distinctis simul, eo quod naturaliter motu successivo & per vices possit eadem loca occupare, ac si probarem posse supernaturaliter corpus moveri momento & citra ullam partium successione ab extremo ad extremum intacto medio, eo quod naturaliter moveatur successivè & transeat à termino ad terminum per medium. Sed de his paulo post.

Patet ex Matt. xix, 26.) In *Salut. Ref. asserta cap. 3.* ostendi frustra Pontificios nos accusare quasi omnipotentiam Dei revocemus in dubium: Assentimur ultro & locis Scripturæ hîc citatis & dicto Ignatij Antiocheni, *δημιουργῶ ἔ τὸ μὴ ἂν ποιῆσαι ἔ τὸ ὄν μεταβαλεῖν ἐπ' ἰσῆς δυνατὸν: in ep. ad Phil.* Sed cum inter nos & adversarios conveniat, omnipotentiam divinam ad possibilia tantum, hoc est ea quæ non implicant contradictionem, non ad impossibilia se extendere (prout omniscientia Dei est scibilium tantum non nescibilium) non sumus censendi coarctare omnipotentiam divinam, si eam statuamus non extendi ad ea quæ manifestam important repugnantiam in objecto; prout non pugnat cum omnipotentia divina quod Deus mentiri & seipsum abnegare non possit. *Becanus Theol. Sch. 1. p. cap. 17. q. 5.* multus est ut probet Deum non posse efficere ut quod factum est infectum sit, sive ut præterita non fuerint: non impedit in Dei omnipotentiam Augustinus cum dixit *lib. 26. contra Faustum cap. 4. Tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta præterita;* nec Hieronymus cum dixit in *Epist. ad Eustoch. de cust. Virg. Audenter loquar, cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam.*

Neque vero implicare) Imo si res finita fuerit, implicabit contradictionem, eam existere pluribus in locis non partialibus simul; quia 1. Implicat contradictionem rem esse unam & multiplicem simul; at multiplex debet esse, si simul loca distincta & inter se dissita, medio non occupato occupet. 2. Implicat contradictionem rem esse finitam & non finitam: sed res una quæ certo & definito continetur loco, nisi eodem sic finiatur, ut in alio esse nequeat, simul erit & finita & non finita. 3. Ut ubiquè Deo, sic ubi omni substantiæ creatæ competit; at ubi omne vel est circumscriptivum vel definitivum; quam distinctionem

distinctionem ceu ex Damasceno desumptam *lib. 1. de fide cap. 17. & lib. 2. cap. 23.* propugnat Suarez *Metaphys. disp. 51. sect. 6:* Jam autem res quæ simul in distinctis locis esse statuitur neutrum habebit: nec circumscriptivum, quia neutro circumscribetur loco; nec definitivum, quia in neutro sic erit ut interea alibi non sit. 4. Si res finita possit esse simul in variis & distinctis locis, multo facilius poterit simul esse in omnibus locis & ubique: at hoc repugnat naturæ creatæ; cum ubique esse soli Deo per immensitatem suam competat. Noster Blondellus in erudito opere quod inscriptum est *Eclaircissement sur L'Eucharistie cap. 8. n. 2.* varia collegit. Veterum testimonia ex quibus ostendit persuasissimum illis fuisse, quod absolute sit impossibile ut ulla creatura sive spiritualis sive corporea varia simul & distincta loca occupet. Damnavit etiam olim Guillelmus Parisiensis cum Schola Sorbonæ eam sententiam quæ statuebat Angelum posse esse eodem temporis momento in diversis locis, & Johannes Picus Mirandulanus thesibus suis Romæ editis, sustinere paratus erat ne quidem per Dei potentiam fieri posse ut idem corpus simul sit in diversis locis: Imo nullum corpus posse esse in duobus locis simul extensive & circumscriptive, constans est Thomistarum in hunc usque diem sententia, licet illis exprobetur à Scotistis, ut videre est apud Hugonem Magnesium Hibernum Observantium, in *Apologia Apologia pro Iohanne Duns Scoto pag. 32.* Conimbricenses *ad 4. phys. cap. 5. q. 5. art. 1.* agnoscunt eam esse sententiam Thomæ *3. p. q. 73. art. 1. & lib. 4. Contra Genes cap. 64.* Henrici Gandavensis *quodlib. 9. q. 32.* Durandi *in 4. q. 1. dist. 10. Egidij quodlib. 1. q. 1. & quodlib. 2. q. 17.* Heruzi *quodlib. 11. q. 13.* & complurium aliorum. Nec ea tam universim est explosa ab ipsismet Jesuitis, quin illi subscribat ipse Vasquesius, *Disp. 189. cap. 5.* referente & improbante ejusdem fodalitij homine, Petro Hurtado de Mendoza, *Physic. disp. 14. sect. 5. §. 38.* Non noverat Didymus illam rerum creaturarum *πολυτοπίαν*, qui ex multipræsentia Spiritus Sancti, ejus divinitatem colligebat, *lib. 1. de Sp. Sancto*, his verbis; *Ipse Spiritus Sanctus si unus de creaturis esset, saltem circumscriptam haberet substantiam, sicut universa quæ facta sunt; nam etsi non circumscribantur loco & sibus invisibiles creatura, tamen proprietate substantia finiuntur: Spiritus autem*

antem Sanctus cum in pluribus sit, non habet substantiam circumscriptam &c. Audiamus vero quid contra proferat Tirinus.

Primo ex ipsomet Deo) At eadem ratione probaret Jesuita Ubiquitatem corporis Christi; cum æquè facile colligas creaturam finitam posse esse Ubique, eo quod Deus ubique sit, ac creaturam posse esse multis in locis simul, eo quod id Deo eveniat: Deus sic est ubique ut nullo loco excludatur, nullo includatur; unde Damascenus *lib. 2. Orth. fid. cap. 6.* μόνον τὸ θεῖον ἀπερίγραπτον ἔστι, πᾶσι πλεονῶν & πᾶσι περιέχων, & πᾶσι περιεπίπτον: & Chrysostomus *hom. 5. ad Colos.* ἐκ ἔστι ἐδάμασθαι ὁ θεὸς & πᾶσι ἔστι, & Deus nusquam est & ubique: & Augustinus *lib. 83. quæst. 9. 20.* Deus non alicubi est, quod enim alicubi est continetur loco: Ut iterum in sullè contra veterum doctrinam scriptor paradoxus *Syllabi prob. Theol.* statuatur Deum ante creationem mundi alicubi fuisse, cum Deo non ubi vel alicubi conveniat, sed ubique: nec ante creationem mundi ullum erat ubi, quod omne mundo concreatum fuit. Tunc enim sibi Deus erat & locus & mundus & omnia. Uno verbo ipse Suarez *Metaph. disp. 51. sect. 6. §. 7.* negat procedere argumentum ab immensitate & omnipotentia Dei ad ubietatem creaturæ: cum ut in creaturis *ejus immensa presentia non sit accidens, nec modus substantia ejus, sed omnino ipsamet essentia ejus:* Hinc Scholastici dicunt Deum esse in loco repletivè, creaturam vero circumscriptivè vel definitivè. Et uno verbo, ut insanire censeretur qui inde probaret non repugnare creaturam extitisse ab æterno, aut esse infinitam duratione & essentiâ, quia Deo hoc competit, ita similis est insanix creaturæ finitæ multipræsentiam ideo possibilem statuere, quod eam exigat infinita perfectio Creatoris.

Secundo ex anima) Atqui anima sic est ad unum corpus determinata, ut simul duo distincta corpora informare non possit: Unde etiam colligitur argumentum contra Pontificios, quod multo minus poterit corpus unum, duo simul loca intervallis distincta occupare, & formalem locationem ipsis tribuere. Quod verò dicitur anima esse tota in toto corpore & tota in qualibet corporis parte, propter ejus spiritualement adeoque indivisibilem & inextensam naturam, non favet polytopiæ Adversariorum, quia 1. Caput & pedes non se habent ad animam,

ut loca duo distincta ipsius, sed ut distinctæ tantum partes unius ejusdemque corporis, quod totum informat. 2. Non ita anima est tota in capite & tota in pedibus, ut non sit etiam tota in interjecto pectore & ventre, cum ejus præsentia & activitas accidentaliter & impropriè extendi & continuari censeatur ad corporis propriam & naturalem extensionem ac continuationem: Nos vero disputamus de præsentia simultanea ejusdem rei singularis, in locis non partialibus, sed totalibus, iisque à se invicem plane discretis & separatis: Et nunquam hoc argumento conficiunt Jesuitæ illa sua paradoxa, quod idem numero homo possit simul & Romæ esse & Lutetiæ, illuc vivere hinc mori, illuc videre hinc cæcus esse, illuc suspendi hinc epulari, illuc calere hinc frigere, illuc sedere hinc stare, illuc esse in statu gratiæ hinc in peccato mortali, de quibus videantur Conimbricenses V. S. art. 2. Nec Mendoza V. S. §. 49. & seqq. poterit unquam se ex illis extricare, quæ à suis Catholicis doceri agnoscit, quam diu suum retinebit fundamentum.

Tertio quia de facto corpus Christi) Id falsum est, nec probatur ex loco Act: ix, 5. Thomas cui plane absurdum videtur *vel ipsius Christi corpus esse simul circumscriptivè & visibile duobus in locis*, 3. p. q. 57. art. 6. ad 3. statuit Christum per dispensationem specialem tunc è cælo descendisse ut Paulo appareret, prout & similiter è cælo descendet ad judicium universale. Et Cornelius à Lapide ad 1. Cor. xv, 8. colligit Christum ex eo quod Paulo visus fuit in via *tunc è cælo descendisse*, ut statuunt *S. Thomas & alij*: nec sine ingenti secum contradictione statim asserit hinc sequi Christum *tunc fuisse in duobus locis*; Si enim descendit è cælo, utique ad illud tempus in cælo esse desiit. Facilius autem illam apparitionem œconomicam Christi, & ut loquitur Thomas per dispensationem, conciliabis cum loco Act. III, 21. quem urget maxime Tirinus ad Act. ix, 5. quam quæ ibi annotat, illi detentioni Christi in cælo, usque ad diem extremi judicii non repugnare, quod subinde replicetur seu de novo reproducatur etiam in aliis locis; V. G. quando apparuit Saulo, matri sue moribunda, fugitivo Petro, Antonio, Tarsilla & pluribus aliis, & quando quotidie præsens est in Eucharistia; neque enim difficile est Deo rem unam eandemque sapius reproducere, & reproducam in

duam in pluribus simul locis presentem facere. Etenim ut nihil hinc dicam de apparitionum Christi ad matrem suam, ad Petrum fugitivum, ad Antonium & Tarillam fabulis, & quod omnis Christi apparitio cum per *ἕραμα* & extasim possit fieri, non statim corpus ipsius indistincter præsens statuatur, absurdissimè pertendit Jesuita Christum reproduci de novo, ad hoc ut vel sit in Missa vel extra ordinem quibusdam appareat: cum nihil reproducatur nisi quod interiit prius; Unde quæstio apud Philosophos agitata, num idem numero reproduci possit; & Bresserus *de consc. lib. 6. cap. 22. §. 329.* negat replicationem importare reproductionem, aut *debere reproduci*, id quod pluribus locis præsens sit: Et si id fiat per reproductionem, huic rei nihil inservient argumenta præcedentia Tirini desumpta à Deo & ab anima; cum Deus non sit variis in locis simul præsens vel anima simul in capite & corde, per ullam sui reproductionem, quam de Deo in orbe, de anima in corpore imaginari, insanum foret & *ἀφιλόσοφον*. Sed neque Tiriniana reproductio neque Thomæ dispensatio, neque ulla omnino *πολυλογία* ejusdem corporis est admittenda, ut Paulo visus fuerit Christus, prout ipse testatur I. Cor. ix, I. xv, 8. Visionem enim hanc fuisse plane ei similem quæ tribuitur Stephano, Act. vii, 55. in qua vidit cælos apertos & filium hominis à dextris Dei, facile est demonstrare. Nam I. Cornelius à Lapide *ad I. Cor. ix, 1. n. 55.* probaturus Christum à Paulo visum fuisse, id probat ex Act. ix, 5. & xxii, 18. Atqui ultimo hoc loco Christus visus est Paulo per *ἕρασον*. II. Si Christus per loci indistantiam præsens fuisset Paulo in via, etiam à Pauli comitibus æquè videri potuisset; at ut ille solus distinctè percepit verba loquentis, ita etiam solus vidit Dominum nostrum Act. ix, 5. xxii, 9. prout soli Stephano fuit concessum cælos videre apertos & in cælis filium hominis ad dextram Dei confidentem intueri. III. Ibi Paulo visus est Christus unde vox illa ad ipsum facta fuit, *Saule Saule quid me persequeris?* At certum est illam vocem cœlitus auditam fuisse, ut eam quam percepit Johannes Baptista Matt. iii, 17. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui;* nec non aliam illam huic similem de qua Matt. xvii, 5. item illam quæ ad ipsum Christum facta est Joh: xii, 28. *Et clarificavi & iterum clarificabo;*
Hinc

Hinc Pauli comites ut neminem viderunt, ita ipsa verba ad eum facta articulatim non perceperunt Act: 1x, 7. xxii. 9. sed in luce fulgur, in voce tonitru esse putarunt, ut illi de quibus Joh: xii, 39. IV. Non desunt etiam à Veteribus, ut nominatim Haymo in *Apoc: 2.* agnoscen- te id Cornelio à Lapide ad *1. Cor: xv, 8.* qui Christum non per se sed per angelum apparuisse Paulo statuunt. At inquires, dicitur apparuisse Christus Paulo in via Act: 1x, 17. Sed ita notatur non locus ex quo apparuerit Christus, sed locus in quo Paulus erat cum ipsi apparuit; pro- ut & Magis Matt: 11, 2. dicitur visa fuisse Stella Christi in oriente, id est eam ipsam visam esse in cœlo, cum adhuc in Oriente, id est in pa- tria sua essent. At Paulus se citat *inter oculos testes rediivi Christi*, in- quit Tirinus: Optimè: sed oculatus testis esse non desinet, etsi Christum non viderit in itinere sibi proximum per indistantiam loci, sed ut Stephanus per aperturam cœli ad Patris dextram confidentem, ac inde terrificam illam vocem auribus ejus insonantem, *Quare me persequeris?*

Non etiam implicare, quod iidem volunt) Imo sane hæc duo implicant evidentem contradictionem; scilicet & penetratio dimensionum, sive collocatio duorum corporum in eodem spatio adæquato, & spiritualis modus Ubietatis rei corporeæ: licet utrumque conentur cum Pontifi- cliis propugnare Ubiquitatis patroni. Prius implicare contradictionem ipse Durandus ejusque sectatores in communionem Pontificiam, agnos- cunt eo justius, quod propriæ dimensiones unius corporis, alterius fieri non possunt, quandoquidem omne proprium est incommunica- bile: & cum natura corporis consistat in sola extensione in longum latum & profundum, à qua extensione ipsummet spatium realiter non differat, sed tantum in modo nostro concipiendi, (ut scitè docet *Princip. Phil. part. 2. §. 4. 10. 11.* Nobilis Cartesius, Philosophorum hoc ævo coryphæus, & tam indignus omnibus illis conuiciis & con- tumeliis, quas non zelus sed furor & invidia in illum jactarunt, quam omni laude dignus propter acumen & solertiam & heroicis conatus in promovendo philosophico studio) tam impossibile est duo corpora in uno spatio existere per penetrationem dimensionum, quam sine di- stinctis spatiis, distinctas tamen extensiones concipere. Huc spectat quod

quod habet Damascenus *lib. 1. de fide cap. 4.* probaturus Deum non esse corpus eo quod omnia penetret: ἀδυνατόν σώμα διὰ σωμάτων διήκει μὴ τέμνον & τεμνόμενον, ἢ πλεκόμενον & ἀπὸ πλεξιθέμενον: ὡς περὶ ὅσα τῶν ὑγρῶν μίχονται, & συγκιρνάται. Et Guilmundus tam vehemens assertor transsubstantiationis contra Berengarium, *lib. 3. de. sac. fol. 79.* disputans adversus impanatores, sic loquitur; *Quo modo in solido corpore panis alterum corpus latere possit, videri non potest.* Posterius eadem ratione contradictorium esse demonstratur: Nam corpus existere alicubi modo spirituali, id est inextensivè & indivisibiliter, tam impossibile est, quam corpus esse inextensum; quandoquidem ipso Bellarmino teste *lib. 3. de Euch. cap. 5.* corpus nihil aliud sit quam *extensio in longitudinem latitudinem & profunditatem*: Ubi sanè talis est extensio & situs partium extra partes, impossibile est non esse spatium illi extensioni commensuratum & in quo fiat: Et cum rei cujuslibet Ubiatio vel Ubietas sequatur semper modum essendi ipsius absolutum, tam absurdum est posse corpus esse alicubi modo spirituali, inextensivè scilicet & definitivè tantum, quam vel corpus esse spiritum, vel spiritum vice versa esse alicubi extensivè & circumscriptivè. Huc facit quod observat Suarez *disp. 51. Metaph. sect. 6. §. 2.* nempe *Ubi corporeum & spirituale specie esse diversa; Quare ut quod uni speciei convenit, alteri ei contra distinctæ tribui non potest, ita nec spiritui corporeitas vel ubi corporeum, nec corpori spiritualitas, vel ubi spirituale potest convenire.* Huic veritati ad stipulatur Antiquitas: Nam in universum exigit locationem & certum spatium pro quolibet corpore, & speciatim de ipsius Christi corpore statuit quod non nisi in uno loco possit esse: Ad prius pertinet inter cætera quod extat apud Augustinum *Epist. 57. qua ad Dardanum; Spatia locorum tolle corporibus nusquam erunt; & quia nusquam erunt nec erunt. Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi sint & ideo necesse est ut non sint.* Ita Fulgentius contra *Serm. Fastidiosi* disertè asserit quod *corpora sine loco esse non possunt.* Ad posterius pertinet quod extat apud Augustinum *tract. 30. in Iohannem; Sursum est Dominus, sed etiam hic est veritas Dominus. Corpus enim Domini in quo resurrexit uno loco esse debet,* (sic enim legendum constat ex Algero, Yvone Carnotensi, Gratiano, Lombardo, Thoma & aliis ita hunc locum proferentibus, non

potest ut habent perperam editi codices) *veritas ejus ubique diffusa est.* Similia habentur *tract. 31. & in Epistola sup. citata ad Dard.* Ita putant docti legendum apud Fulgentium *lib. 2. ad Trasimundum cap. 18.* cum ibi studeat demonstrare *localem* esse humanitatem Christi, & *localiter* certo spatio contineri; *Quod si verum est corpus Christi, loco utique debet (non potest tantum) contineri.* Idem Augustinus *lib. 20. contra Faustum cap. 11.* de præsentia carnis Christi sic ait, *Simul & in sole & in luna & in cruce esse non posset.* Et quotquot contra Eutychetem disputarunt, ut Theodoretus, Gelasius, Vigilus Tridentinus, constanter statuerunt, divinitatem Christi esse ubique præsentem, sed ipsius corpus uno loco sibi commensurato contineri: Horum hic ultimus sic loquitur; *Vnicus filius Dei qui etiam factus est homo uno loco coninetur quod ad carnis naturam.* Videamus vero quibus argutiis conetur Tirinus fidem facere suo asserto.

Primo ex Luc: xviii, 25.) Fateor ea quæ impossibilia sunt nobis per defectum potentiae & virium ad agendum, possibilia esse Deo: Sed si possibilia Deo faciamus omnia quæ nobis impossibilia videntur, etiam illa poterunt fieri, contra quam agnoscunt ipsimet advesarij, quæ implicant contradictionem: quoniam hæc sola aut quæ pro talibus habentur, hominibus videntur absolute impossibilia esse. Deinde hoc loco Christus adagio familiari usus est, quo res absolute impossibilis solebat significari apud Judæos, sive camelus animal intelligatur, sive, ut quidam voluerunt apud Theophylactum, rudens nauticus, ad denotandum æquè absolute impossibile esse ingredi in regnum cælorum eos qui opibus suis confidunt, ut est apud Marcum x, 24. Sic adagialiter dicunt Latini, *Citius locusta pepererit Lucam bovem.* Igitur mens Christi non est alia in hac hyperbole, quam ostendere hæc duo; Primum absolute impossibile esse hominem turgentem opum suarum fiducia, ingredi, quam diu talis manet & ut loquuntur in sensu composito, in regnum cælorum: quod Ambrosius ita expressit *serm. 4.* *Sicut camelum quod est animal tortuosum & deforme perversitas ipsa corporis per angustissimam acus cavernam praterire non patitur, ita & divites oneratos avaritia & cupiditate sedatos, ipsa visa deformitas per arctam viam regni, praterire minime concedit.* Secundò quod licet sit adinodum difficile

difficile reperire divites qui non confidunt in suis opibus, tamen non debere Apostolos existimare nullum divitem posse servari; quia posset Deus, quod nequeunt homines, ipsos divites ita subigere, ut hac sarcinâ perverfâ depositâ, ad salutem per portam angustam admittantur. Quare non debemus ulterius mentem Christi protendere, quasi voluerit penetrationem dimensionum hîc possibilem Deo facere, licet nobis impossibilis videatur. Id viderunt etiam Veterum nonnulli, qui totum hoc Christi dictum allegoricè sunt interpretati, per camelum Gentilem populum, per divitem Judaicum intelligentes, ut apud Origenem & Hilarium, citatos etiam Bredembachio *ad 19. Matt.* videre est. Hinc ergo nihil haberi potest pro penetratione dimensionum: quia ut camelus transeat per foramen acus potest Deus vel sic foramen dilatare, vel sic extenuare camelum, omni ejus mole & quantitate in longum protensa, & ejus formâ tantisper abolitâ, ut id non fiat quidem sine miraculo, sed fiat tamen sine dimensionum penetratione: prout divites qui antea confidebant superciliosè & turgidè in suis divitiis, debent deprimi, humiliari, contundi, gibbum illum avaritiæ & grallas superbiæ deponere, ut per angustam portam regni cœlorum transire possint. Nec alienus est ab hac nostra sententia ipse Tirinus, quamvis non satis appositè loquatur *ad Matt. xix, 24.* *Apud Deum, id est divinâ virtute seu viribus supernaturalibus utrumque non modo possibile sed & facillimum est, & divitem avelli ab affectu divitiarum & sic salvari, & camelum per foramen acus transire, contrahendo totam cameli substantiam in punctum, ut contrahitur corpus Christi in S. S. Eucharistia.* Sane non opus esset cameli totam substantiam contrahi in punctum, sed tantum in longum extendi; quod illi è veteribus putarunt qui funem nauticum hîc intellexerunt; Deinde neque ex modo hoc Tiriniano ulla fieret penetratio dimensionum, sed tantum earum coarctatio; Ad hæc cum hic modus quem fingit, deberet fieri per transsubstantiationem, prout etiam usus est eâ voce *ad eundem locum* Dionysius Carthusianus, quando quidem nullum corpus justæ magnitudinis & molis potest sub puncto latere nisi tectum alienæ alicujus substantiæ accidentibus, non video quæ substantia posset concipi transsubstantiabilis in camelum, & quibus verbis, ut in *Missâ*, hæc transsubstantiatio deberet fieri. Viderit

Ffff 2

quoque

quoque Tirinus quomodo possit Christi corpus in punctum contrahi, si debeat retinere, ut volunt adversarij, partes extra partes: tunc enim debet distingui ubi partiale capitis & pedum; quæ distinctio in puncto indivisibili locum non habet; monente Augustino *Epist. 3.* quod corporum *nullum potest esse ubique totum, & quantumcunque sit corpus, seu quantumcunque sit corpusculum, loci occupet spatium, eundemque locum sic implet ut in nulla ejus parte sit totum.* Viderit itidem an camelus sit & dici possit id cujus substantia tota in punctum contracta fuerit: cum ea substantia in puncto nec materiam habeat sufficientem ad camelum constituendum, nec cameli figuram, partes & formam: Reperiuntur qui ex elephanto muscam faciant, sed Jesuitæ ex camelo acarum facere possunt.

Secundo quia corpus) Primùm nullum hîc profertur argumentum multipræsentia corporis Christi, sed tantum adferuntur exempla ex quibus colligatur penetratio dimensionum: quæ exempla magis faverent Consubstantiationi, quam Transsubstantiationi. Deinde ut nullum horum exemplorum probat Christum vel nascendo, vel resurgendo, vel veniendo ad suos discipulos, vel ascendendo ad Patrem, ullam substantiam in suum corpus transsubstantiasse, aut corporis sui substantiam in punctum contraxisse, aut illud abdidisse sub accidentibus externis alicujus alterius substantiæ, ita nullum est quod faciat revera ad causam Pontificiam. Videamus tamen num vel Jesuitæ vel Lutherani quicquam hîc habeant quod obtorto collo possit trahi in causâ utrobique deploratissimæ subsidium. Si Christus utero matris clauso manente natus fuerit, æque prodierit per matris femora ac per illius uterum, nec ipsa Regem enixa censebitur, & frustra debuerit ipsum recens natum præsentare, ut loquuntur, in templo, juxta Legem qua omnis mas uterum matris aperiens sanctus est Domino Luc. 11, 23. Quin tantum abest ut omnes Patres doceant prout mentitur *ibi* Tirinus Christum, vulvam matris non reserasse, sed clausam penetrasse, ut è contrario Ambrosius *ad eum Luca locum*, Origenes *hom. 14. in Lucam*, Epiphanius *heresi 78.* Tertullianus *de carne Christ. in fine*, statuunt Christum propriè solum esse qui matris vulvam nascendo aperuerit, cum eam in omnibus alijs nuptiæ patefaciant, ut Ter-

ut Tertullianus loquitur: Adeo nescivit Antiquitas quod statuit impudentiori ore Martinus Delrio *Disq. Mag. lib. 2. q. 15.* in eo demum fuisse miraculum, quod septo virginali clauso manente Christus prodierit, non in eo quod virgo & intacta viro Mater ejus conceperit, cum operâ Dæmonis ipso iudice possit fieri, *ut virgo mente & corpore permanens, non tamen sine virili semine concipiat; quia potest virgini dormienti & ignara aliunde sumptum verum & fœcundum semen sine congressu carnali, hymene aliisque claustris virginitatis incorruptis, infundere;* quo prodigioso dogmate anam præbet hostibus Christiani nominis natales Servatoris nostri traducendi, & ipsius conceptionem, quam fides Catholica Spiritui Sancto tribuit, dæmoni adscribendi. Christum surrexisse clauso sepulchrò, non dicitur *Matt. xxviii, 2.* sed potius insinuatur apertè Angelum tanquam apparitorem cœlestem lapidem sepulchro impositum revolvisse, & quasi januam Christo prodeunti aperuisse: non quod lapis ille nequiverit jussu Christi cedere Creatori suo & ultro de via decedere, sed quod ad ejus Majestatem spectaret, ut hac in parte Angelorum ministerium experiretur: Sane *Leo epist. 83.* citatus etiam *Tirino ad Matt. xxviii, 2.* disertè asserit eum surrexisse *revoluto lapide.* Sic *Joh: xi, 39. 41.* Christus qui potuisset sua virtute divina efficere ut lapis impositus sepulchro Lazari recederet ab ostio & cederet Lazaro prodituro, voluit eum ope hominum præsentium removeri. Grotius, licet nostris parum æquus, putat refelli non posse eorum sententiam qui statuunt revolutum lapidem ab Angelo *ut janitoris officio, non necessario quidem sed honorifico fungeretur: certe, inquit, Veterum quosdam ita existimasse negari non potest, & torquent eorum verba qui id præfractè negant.* Et Georgius Calixtus Augustanæ Confessionis Theologus Doctiss. qui tamen penetrationem corporum nihil absurdi implicare putat, agnoscit *Harm. Evang. p. 521.* sacras Scripturas disertum indicium non facere *an cum resurgeret Servator* talis penetratio facta fuerit. Par autem ratio ingressus Christi ad discipulos *Joh. xx, 19. 26.* quæ egressus ex sepulchro, si revolutionem lapidis præcesserit: Fateor non factum absque miraculo; sed nulla ratio suadet, vel Durando iudice, factum fuisse cum penetratione dimensionum; cum credibilis sit, Vel Creaturam cessisse

Ffff 3

Creatori.

Creatori & ipsas valvas ultrò se pandisse Christo ingressuro, ut cum porta ferrea carceris in quem Petrus detrusus fuerat ultrò se ipsi aperuit Act: xii, 20. & Philippis illicò apertæ fuerunt omnes fores carceris in quo Paulus & Silas erant coniecti & laxata captivorum vincula Act: xvi, 26. Vel ope Angelorum hoc officio defungentium in honorem Christi fuisse miraculosè referatas, prout Angelus Domini primo reclusit fores carceris ut egrederentur Apostoli, deinde eandem obseravit solito more ut clausæ reperirentur Act: v, 19. 23. Sane idem Cl. Calixtus quem modo citabam, agnoscit miraculoso ingressu Christi ad discipulos non *evinci*, sed tantum *probabiliter* argui illam penetrationem cui patrocinium suum contra nostros addixit; Quam parum tamen sit in eo probabilitatis res ipsa loquitur; Nec enim dicitur Christus ingressus per portas clausas, sed tantum *januis jam clausis*, & cum fores clausæ fuissent præ metu Judæorum. Ut ut vero improvisus fuerit & repentinus ac miraculosus Christi ingressus, non tamen probatur ex textu quod *ibi* asseruit Tirinus, clausas mansisse illas fores, ut eas penetrare sacrosancto suo corpore Dominus debuerit: Nolim inficiari Veteres quoque hæc tria inter se conferre, ut *nominatim* authorem *sermonis 138. de tempore apud Augustinum*, quod Christus natus sit illæsa matris Virginitate, quod è sepulchro clauso exiverit, quod januis clausis Apostolis apparuerit. Sed cum nemo eorum statuatur in nativitate Christi penetrationem dimensionum, imo dicat Hieronymus *ad Eustochium*, *Novem mensibus in utero ut nascatur expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur*, etiam non censendi sunt cogitasse de penetratione dimensionum in illius resurrectione, aut ingressu ad discipulos. Justinus Martyr, vel quisquis est Author *Respons. ad Orthod. quest. 17.* tria conjungit miranda, facta Christi corpore salvo manente; quod aquis inambularit, quod ante lapidem ab Angelo revolutum resurrexerit (quæ est plerorumque veterum sententia) quod foribus clausis ad discipulos venerit: Sed tantum abest ut in his penetrationem dimensionum statuatur, ut è contrario asserat mutationem omnem factam non in corpore suo, quod mansit *ααχουμης* et loquitur, sed in mari quod consolidavit sub suis pedibus instar pavimenti, in lapide quem resolvit, in foribus clausis quas rarefecit. Et qui Hieronymum

ad Panm.

ad *Primum. contra errores Joh. Hierosol. legerit*, videbit Marcionis reliquias ab isto Johanne iisdem argumentis defensas fuisse quibus Jesuita propugnat corpus Christi solida corpora penetrasse. Eo multo minus spectat gloriosa Christi Ascensio in cœlos; Nam 1°. Sintne cœli, saltem stelliferi, naturæ solidæ aut fluidæ merito quis dubitet: Magni in Philosophia viri, Patrum quoque non pauci, statuunt stellas in æthere vagari ut pisces in mari, quo dogmate soliditas illa cœlorum satis evidenter rejicitur: Nec eam adstruit locus Jobi: xxxvii, 38. hic Tirino citatus; Nam doctis interpretibus idem est apud Jobum *πῦρ* quod *πῦρ* Mosi, quo nomine statuunt intelligi totum illud spatium quod extenditur à superficie terræ ad cœlum usque Empyræum vel Beatorum: illud vero expansum, (quod sedes est meteororum & nubium) fluidum esse non solidum, res ipsa loquitur: Ad hæc cœli dicuntur apud Jobum *οἶπρον*, *fortes*, *robusti*, non à soliditate & duritie, sed tum à virtute tum etiam à firmitate, sive constantia & permanentia in suo esse: nec speculo ex ære fuso conferuntur ob duritiem aut soliditatem, sed tantum ob splendorem & pelluciditatem, quo etiam respectu *χαλκῆος ὑράνος* cœlum Ethnicis Poëtis quandoque appellatur. Philosophorum rationes pro cœli fluiditate desumptas à refractionibus & cometarum generatione in regione ætherea videat Lector apud Sennertum *lib. 2. phys. cap. 2.* Deinde etsi cœlorum durissima & solidissima foret substantia, imo lapidea juxta Anaxagoram, non debuerit Christus eos penetrasse in sua Ascensione; cum ipsimet ultro se Domino suo adventanti aperire debuerint, non minus quam sese aperuerunt Stephano eundem Dominum suum illi ostensuri Act: vii, 55. & in ipsius Baptismate, ut Johannes videret Spiritum Sanctum formâ columbæ in illum descendentem, Matt: iii, 16. Etenim ipse Tirinus post alios ad Christi Ascensionem refert Psal: xxiv. *cujus com: 7. monentur Angeli juxta V. V. ut cœlorum portas referant & aperiant Christo venienti; quem locum Emanuel Sâ sic reddit, Attollite id est referate, principes id est angeli, portas aternales id est cœlestes, qua perpetuo duratura, vel per quas intratur ad vitam aternam, & intrabit Rex gloria sive Christus. Quod enim dicit Tirinus ibi, hæc dici humano & dialogistico more, nec enim Christum aperuisse sed penetrasse cœlos, non persuadebit facile Bellarmino ad*

mino ad eundem psalmum, qui in eo quidem profopopœjam agnoscit, quod alloquitur tunc principes cœli id est Angelos, tum ipsas portas, sed tamen statuit prædici eo loco Christum *re ipsa ascensurum & portas cœli æternas illi aperiendas*; & monet dici *Attollite, Elevamini, quia porta cœli non sunt quasi in pariete ut ad latera moveri debeant, sed quasi in tecto vel laqueari ut sursum versus aperienda sint.* Act. 1, 10. Ascensio Christi in cœlos describitur, ipsum corpora solida cœlorum suo corpore penetrasse non dicitur. Similiter Eph. 1v, 10. Ascensionis quidem supra omnes cœlos fit mentio, penetrationis nullius: Sed quanquam diceretur Christum penetrasse in cœlum usque supremum, id non magis evinceret penetrationem dimensionum, quam cum dicitur Alexander penetrasse in Indiam, aut apud Hieronymum *Epist. ad Paulum de omnibus hist. div. libr.* Apollonius intravisse Persas, pertransivisse Caucasum, Albanos, Schythas Massagetas opulentissima India regna penetrasse.

Num: 2. Quod potuit Deus facere, etiam VOLUISSE, & de facto FECISSE, ut corpus Christi ita PRÆSENS sit in EUCHARISTIA, (contrà eisdem & reliquos omnes Sacramentarios atque Anabaptistas) pareret Primò, ex promissis Christi Ioh: VI, 25. *Panis quem ego dabo, caro mea est: vers: 56. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: vers: 54. Nisi manducaveritis carnem filij hominis, &c.*

Secundò, ex verbis quibus hoc Sacramentum instituit Matth: XXVI, 26. Marc: XIV, 22. Luc: XXI, 19. & 1. Cor: XI, 24. *Accepit Iesus panem & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, dicens, Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis traditur; Hic est Calix sanguinis mei qui quid pro vobis effundetur.* Luc: XXI, 20. in Græco est, *Hoc est poculum sanguinis mei pro vobis effusum, vel quod effunditur.*

Tertiò, ex verbis Pauli quibus hanc veritatem explicat & inculcat 1 Cor: X, 16. *Panis quem frangimus, nonnè participatio Corporis Domini est? Calix benedictionis cui benedicimus, nonnè communicatio sanguinis Christi est?* &c: XI, 27. *Quicquid que manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, &c: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.*

Quartò, ex figuris Eucharistiæ: nam si in hâc (ut volunt prædicti omnes) non est nisi naturalis panis & vinum repræsentans mortem Christi, jam veteres figuræ Eucharistiæ, v. g. manna, Exod: xv, 13. *agnus Paschalis*, cap: XII, 3. *sanguis viuli* asperlus Exod: xxiv, 6. longè nobiliores tam in essendo, quam in repræsentando, fuerint ipso Sacramento Eucharistiæ, cuius (ex omnium Patrum sententiâ) figuræ fuerunt. Atque ita falsum erit quod

S. Paulus

S. Paulus ad Coloff: II. 17. & ad Heb: IX. ac X. & alibi toties inculcat, veru^s Testamentum continuisse nudas umbras, novum autem veritatem: nam in præcipuo novæ legis Sacramento id falsum deprehendetur.

Objectiones plerasque solvi locis jam citatis: alias verò Ioh: VI, § 2. de manducatione per fidem & vers: 64. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam: verba que ego locutus sum vobis, Spiritus sunt & vita: I Cor: X, 3. Patres nostri eandem escam Spiritualem manducaverunt, &c.*

CENSURA. *Quod potuit Deus facere*) Deum posse quicquid velit tantum abest ut negemus, ut etiam pertendamus eum posse multò plura quam velit aut faciat. Sed pertendimus Primò inepte agere adversarios, qui ubi multa sibi finxere monstra evidentem contradictionem, quod magis est, involventia, ad Dei omnipotentiam ea propugnaturi, tanquam ad sacram anchoram, solent recurrere: cum tamen in mysterijs fidei (uti suo loco observatum) primum debeamus esse certi de voluntate Dei, priusquam ad ejus potentiam nos recipiamus. Aliàs nullum portentum poterit excogitari tam portentosū, cui patrocinium inde non petatur, eo quod apud Deum omnipotentem non sit futurum impossibile omne verbum. Secundò negamus Deum voluisse ut corpus Christi sit præsens in Eucharistiâ per indistantiam loci; Etenim præterquam quod non censendus est Deus velle quæ contradictionem implicant, cujusmodi plurima hîc possent annotari, ut nempe idem numero corpus sit unum & multiplex, extensum & non extensum, visibile & invisibile; ut partes habeat extra partes & tamen lateat sub puncto; ut loci simultanea multiplicatio, locati multiplicationem non importet; ut sint accidentia nulli inhærentia subjecto, licet accidentis esse sit inesse; ut detur aliquid ubi indivisibile & in puncto, cum tamen ubietas omnis, spatium sive locum, adeoque extensionem, saltem ex parte locantis præsupponat; & sexcenta istius generis absurda, quæ præsentiam hanc corporis Christi per loci indistantiam in Cœnâ consequuntur; Et ut nihil dicam de eo quod Tiranus hîc loci videtur potius Consustantiationi velle patrocinaci quam suæ Transsubstantiationi, licet illam tantoperè & meritò inferius rejiciat, dum scilicet corpus Christi ita præsens facit Eucharistiæ, ut dixerat N^o. præcedenti, nempe *modo spirituali, id est in indivisibili & penetrabili cum aliis corporibus*; Ut quoque non addam hîc omnia illa argumenta quibus

quibus ipse Tirinus *cont. 4. n. 10.* impugnat Ubiquitatem corporis Christi, non minùs πολυτοπίαν ejus quam παύλαχυσίαν evertere, sequentia ad hanc causam breviter observasse sufficiat. I. Quæ manu sumuntur & ore recipiuntur in Eucharistia, naturâ & substantiâ suâ nihil aliud esse quam panem & vinum, & Scriptura testatur 1. Cor: x, 16. xi, 28. & confirmant omnes sensus, quorum relationi & judicio velle reluctari hominum esse non sanorum vel ipse dixerit Aristoteles *Phys. lib. 8. cap. 22.* Quamvis enim hæc αἰθρία nos deducant ad τὰ νοητά, prout in signis omnibus non tam debet attendi quid sint quam quid significant, ipsa tamen αἰθρία etsi aliud significant quam quod sunt, manent quod erant; nec τὰ νοητά in eorum locum succedere nec illis localiter adjuncta esse, satis sensit Theodoretus cum *dial. 1.* ita loquebatur; τὰ ὁρωμένα σύμβολα τῆ τῆ σώματος & αἱματος προσηγορία τέλειμκεν, ἔ τὴν φύσιν μεταβάλων, ἀλλὰ τὴν χάριν τῆ φύσει προσειθετικῶς. II. Nollet Deus Filij sui corpus gloriosum, injuriis illis patere quibus obnoxium fieret per illam præsentiam, juxta quam posset à muribus & canibus devorari, ab impiis sumi & comedi, & ejici in secessum, ex regula ab ipso Christo posita Matt: xv, 11. quam etiam Origenes ipsi Eucharistiæ applicat *ad eum locum.* III. Tantum abest ut velit Christus corpus suum præsens sistere in Eucharistia, ut è contrario corporis sui præsentiam sua Ascensione in cælum nobis subtraxerit, illudque intulerit cælo, quo debet contineri usque ad diem judicij, id agnoscente Tirino *ad Ath: 1x, 5.* ex dicto Petri Act: 111, 21. Quod verò nugatur *ad hunc locum,* non repugnare quod *subinde replicetur seu de novo reproducatur etiam in aliis locis,* mera est petitio principij; nec Jesuitæ inter se hîc conveniunt; Supra enim audivimus Bresserum negantem replicationem fieri per reproductionem; & illius rei quæ jam est, replicatio vel reproductio, ejus multiplicationem importat. IV. Ipse Christus Matt: xxiv, 26. 27. nos præmonuit non esse audiendos qui dicerent se hîc esse aut illic, in deserto vel in ταμείois (quam vocem proprie Ciboria significare olim ostendimus adversus Grotium *Ant. revel. p. 2. cap. 5.*) ratione redditâ quod è cælo non sit rediturus nisi valde manifestò. V. Indistans illa præsentia corporis Christi in Cœna nulli usui foret, cum oralis manducatio communis bonis & impiis nihil

p̄iis nihil faciat ad salutem, nec qui premit dente sed qui credit corde vescatur salutariter carne Christi. VI. Deberet Christus corpus suum præfens stiturus altari, Cœlum in quo est deferere, & illinc visibiliter in terram descendere, prout corpus suum in Cœlum illaturus, debuit terram in qua antea versabatur deferere, & eò visibiliter ascendere; aliàs si per replicationem, vel reproductionem, vel ubiquitatem poterat in terris existens suam humanitatem Cœlo inferre, Ascensione locali opus non fuisset. VII. Et tantum abest ut Eucharistia hanc Christi, quoad humanitatem, præsentiam localem in terris exigat, ut è contrario instituta in ipsius memoriam *donec veniat* Luc: xxii, 29. 1. Cor: x i, 25. 26. eum carne absentem satis testetur, juxta id quod suis dixerat Joh: xi i, 7. Atque eò spectabat quod Diaconus olim accessurus ad sacram Domini mensam, altâ voce clamabat, *Sursum corda*, & illi respondebant, *Ecce habemus ad Dominum*. Et ideo Hieronymus, aut quisquis apud ipsum author est *Commens. in ep. Pauli ad 1. Cor. 11.* sic loquitur; *Benedicens etiam passurus ultimam nobis commemorationem sive memoriam dereliquit; quemadmodum si quis peregrè proficiscens aliquod pignus ei quem diligit derelinquat, ut quotiescumque illud viderit possit ejus beneficia & amicitiam memorari, quod ille si perfecte dilexit sine desiderio videre non potest vel fletu*; Ideo quoque Chrysostrmus *hom. 24. in 1. Cor.* hanc mensam dicit esse *non graculorum sed aquilarum*, et hoc ipsum sacramentum jubere *ut aquila in hac vita facti ad ipsum cœlum evolemus, vel potius supra cœlum*; Vbi enim cadaver, inquit, illic & aquila: *Cadaver, Domini corpus propter mortem, nisi enim ille cecidisset nos non resurrexissimus*; *Aquilas autem appellat ut ostendat ad alta eum oportere contendere qui ad hoc corpus accedit & nihil cum terra debere ei commune esse, neque ad inferiora trahi & reperi, sed ad superiora semper volare, & in solem justitia intueri & mentis oculum acutissimum habere*. Pariter Hieronymus *in epist. ad Hebr. quest. 2.* *Judaicas fabulas repellamus & ascendamus cum Domino in cœnaculum magnum stratum atque mandatum, & accipiamus ab eo sursum calicem novi testamenti, ibique cum eo Pascha celebrantes inebriemur ab eo vino sobrietatis*; *Non enim est regnum Dei cibus & potus, sed justitia & gaudium & pax in Spiritu Sancto*. His rationibus, præter eas quæ fluunt ex natura Sacramenti & quæ ex visceribus institutionis ip-

nis ipsius Eucharistiæ postea eruentur, illam præsentiam corporis Christi localem & indistantiam à sacrâ cœnâ removemus, multiplici tamen admittâ ejusdem præsentîæ, Mysticâ, Sacramentali, Spirituali, Reali, prout nuper explicavit R. Goth. Hottonus, *tract. sui de Christiana tolerantia sect. 2. cap. 5.* Adeo detestamur hîc jejunas Anabaptistarum & Socinianorum de hoc Sacramento cogitationes, & quod hi eousque vesaniæ procedunt, ut asserant superfluum esse quæstionem de corporis & sanguinis Christi præsentia in sacra Cœna, eo quod Christus nunc in cœlo nec carnem amplius habeat nec sanguinem, ut statuit author Socinianus scripti quod inscribitur *Brevis disquisitio &c. cap. 9.* Etenim Christus carni suæ *immortalitatem dedit, naturam non abstulit*, ut scitè Augustinus *Epist. 57.* & in illa eadem carne quam retulit ex sepulchro & intulit in Sanctuarium cœleste, apparebit die ultimo ad iudicium universale. Sed hæc obiter: premamus modo nostri Tirini vestigia.

Primo ex promissis Christi) Christum toto hoc capite agere de sui manducatione spirituali & mystica quæ fiat credendo corde non pre-mendo dente, plurima sunt quæ evidentè evincant: Nam cum illi moris sit à rebus corporeis ad spirituales transire, ut exemplo Samaritanæ constat, cui aquam mysticam proponit occasione illius aquæ sensibilis quam haustum prodierat, convenientissimè ad cibum spiritualem traducit sequaces suos hoc loco, occasione cibi corporei cui inhiabant, quod vel ex com. 27. palam colligitur. Quare ipsi æquipollent credere in se, venire ad se, & manducare carnem suam ac suum sanguinem bibere, com. 35. Non inficior etiam in Eucharistiæ sacramento, nobis proponi carnem & sanguinem Christi in alimentum animarum nostrarum; sed & hæc in Eucharistia nobis proponuntur non ore deglutienda, sed salvificâ percipienda fide, juxta Canonem *Vt quid, dist. 2. de Consec.* ex Augustino desumptum. *Vt quid paras dentem & ventrem? Crede & manducasti: Credere enim in eum, hoc est panem vivum manducare; qui credit in eum manducat eum, invisibiliter saginatur, quia invisibiliter renascitur: Nec potuit Christus respexisse ad usum hujus Sacramenti, tum quia nondum erat institutum, tum quia loquitur de ea manducatione carnis suæ & quæ sit absolutè necessaria ad*

ria ad salutem com. 53. & quam salus æterna necessariò & infallibiliter consequatur com. 50. 51. 54. 56. 57. quorum neutrum convenit usui hujus Sacramenti; nam & absque illo plurimos servari nemo sanus ibit inficias, quandoquidem ex hypothesi Pontificiorum, Baptismus Eucharistiz in eo præfertur quod necessarius sit ad salutem, illa non; & plurimi participes fiunt sacramenti Eucharistici, qui tamen in Christo non manent, nec vità æternà unquam donabuntur; utpote qui cum Juda panem Domini contra Dominum manducant, non vero panem Dominum, ut loquitur Augustinus tract. 59. in Ioh. Quò spectant ejusdem Doctoris verba tract. 26. in Ioh. Qui non manet in Christo & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritaliter carnem ejus nec bibit sanguinem ejus, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi, sed magis tanta rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat: Et ut toto hoc capite sexto Iohannis sermonem Christi de manducatione mystica & spiritali, non sacramentali vel orali intelligamus, cogit nos regula constans ab eodem Patre proposita lib. 3. de Doct. Christi cap. 16. Si Scriptura flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem vel beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis inquit carnem filij hominis & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis; Facinus vel flagitium videtur jubere; Figura est ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum & suaviter atque utiliter esse recondendum in memoria quod pro vobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit. Nec sane aliter totam antiquitatem id intellexisse haud difficile esset probare, si rem à nostris sæpiùs actam, iterum agere luberet; Videfis Mestrezatium, Molinæum, Aubertinum, Le Faucheur & similes Heroas, qui Perronij conatus hac in parte non infregerunt modo, sed plane debellarunt. Ea quoque est evidentia veritatis, ut fatente Toletò in 6. Ioh. annot. 26. nonnulli Catholici totum Iohannis hunc contextum de manducatione spiritali qua per fidem fit exponant; Hos inter nominantur Bellarmino ipsi lib. 1. de Euchar. cap. 5. Gabriel lect. 84. sup. can. Missæ, Nicolaus Cusanus Epist. 7. ad Bohem. Thomas Cajetanus in 3. Thoma q. 80. art. ult. Ruardus Tapperus in expl. art. 15. Levant. Iohannes Hesselius in lib. de Comm. sub una specie, Cornelius Jansenius cap. 59. Concord. qui omnes magni sunt nominis inter adversarios.

Quid quod Pius II. Pontifex Romanus, prius dictus Æneas Sylvius, eadem fuit in sententia; Ut enim se expediret ab objectione Tabularum urgentium ad hominem pro restitutione Calicis & communione sub utraque specie illud Christi dictum nisi manducaveritis carnem meam & sanguinem meum biberitis non habebitis vitam in vobis, ita illis respondebat Epistola sua 129. *Non est in Evangelio Iohannis quem sibi sensus adscribitis: Non bibitio Sacramentalis illic precipitur sed spiritualis insinuatur. Nam sanguinis Christi triplicem potum Alberti magni sententia tradidit in eo sermone quem de Christi corpore non minus subtiliter quam veraciter edidit. Est enim potus sacramentalis quem soli sacerdotes accipiunt; est intellectualis qui plebibus Christianis sub specie panis ministratur; & est spiritualis quo salvandi omnes utuntur, incarnationem passionemque Domini piâ & assiduâ meditatione revolventes; Et hanc bibitionem Dominus apud Iohannem precipit sicut verborum Evangelista series luculenter ostendit; Nam cum dixisset Dominus, Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus, qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo; multi audientes ex discipulis ejus dixerunt, Durus est hic sermo quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud semet ipsum quia murmuraverant de hoc discipuli ejus, dixit eis, Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quicquam; Verba quæ ego locutus sum vobis Spiritus & vita sunt; Sed sunt ex vobis qui non credunt. Declarat Dominus his verbis non carnalis esus aut potus illic, sed spiritualis arcana mysteria contineri dum ait, Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam. Et iterum, Verba quæ loquutus sum Spiritus & vita sunt. Vis apertè cognoscere quoniam de spirituali manducatione qua fit per fidem loquitur Evangelista, advertite quæ dicit Dominus, Qui manducat & bibit; instantis, non futuri temporis sunt verba; erant igitur dum sic loqueretur Dominus qui manducabant & qui bibeabant eum: nondum tamen passus Dominus erat, nec adhuc institutum fuit Sacramentum. Quomodo ergo manducabant bibeabantque Christum nisi spiritualiter per fidem & charitatem, credentes in eum & facientes opera ejus? Nam & prius dixerat, Ego sum panis vitæ; qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet unquam: Qui credebant in eum & opera sequebantur ejus, hi carnem edebant ejus, hi potabant sanguinem.*

sanguinem. Atque hic verior est Euangelij sensus, quia aliter edi caro aut bibi sanguis Christi non poterat. Fuit enim figurata locutio Domini, sicut & Samaritana & in cruce sitire se dixit, quia fidem illius & nostram salutem sitiebat. Sic Glossator intelligit hoc Euangelium, sic magnus Augustinus doctrinam & verecundiam juxta nobilis, cujus tanta gloria est ut nullius laudibus crescat aut vituperatione minuatur; quo postposito si quis VVicleff, Rohezanamque sequitur, luci tenebras, veritati mendacium præsert: Quid plura? Nonne Dominus in textu Euangelico dicit, Ego sum panis vitæ, qui veniet ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet unquam? Ecce tibi panem, cibus & potus est, qui esuriem tollit & sitim. Cui tollit & quomodo? Credenti tollit, per charitatem tollit. Nam qui fidem rectam habet & opera facit digna fide, hic est qui carnem Domini manducat & bibit sanguinem & acquirit vitam æternam, mundo mortuus Christo vivens. Hæc Sylvius, Papa Romanus, quæ radio solis descripta hodiernos Pontificios, oralem hoc loco manducationem cum Capernatis somniantes, in ruborem dare deberent, nisi ipsis decretum foret sacras Scripturas obtorto collo in rem suam trahere, & juxta sensum currentem Matris suæ Ecclesiæ, ut quondam Cusanus loquebatur, non tam interpretari quam corrumpere. Ex his autem, satis superque liquet, non promittere Christum Joh. 6. corporis sui præsentiam localem in Eucharistia, cum agat ibi de manducatione sui spirituali, quæ sive in Sacramento sive extra Sacramentum non nisi fide peragi potest. Nec audiendus Peronius cum ait spiritualement manducationem corporis Christi, oralem non tollere, sicut resurrectio spiritualis, non tollit sed supponit potius corpoream *lib. 1. de Euch. cap. 32. & expl. lib. 4. cap. 8.* Nam I. Ut loca quæ agunt de resurrectione spirituali ad corpoream non debent trahi, sic caput 6. Johannis quod de manducatione spirituali carnis Christi debet intelligi, non potest rapi ad oralem quam Pontificij sibi fingunt in Cœna Domini. II. Si hæc ratio valeat debere dari oralem & propriè dictam manducationem carnis Christi, eo quod detur spiritualis & mystica per fidem, pari ratione dabitur oralis & propriè dictus potus sanguinis ejus, eo quod mysticus & spiritualis nobis commendetur in sacris litteris. III. Ex eo quod detur spiritualis & mystica carnis Christi manducatio, bene quidem colligas ergo dari aliquam manducationem.

tionem externam & otalem panis ordinarij ad quem alludat Christus; non tamen inde sequetur magis dari manducationem oralem carnis suæ quam dari externum & realem Christi vestitum, ut ipso nostra corpora obvolvantur, eo quod spiritualiter & mysticè ipsum induere dicamur etiam in baptismo Gal: 111, 27.

Sed videamus quid ad rem suam Tirinus habeat ex 6. Johannis. Profert com. 52. Panis quem ego dabo caro mea est. At panis ille non est ore manducandus, sed corde & fide. Non negamus carnem Christi, id est totum Christum, panem esse vivum & vivificum; sed pertendimus talem esse quomodo nutrit & vivificat; at ille panis mysticus vivificat & nutrit in vitam æternam non ore sumptus sed fide apprehensus; ergo panis est fide apprehendendus, non ore deglutendus: At inquit Tirinus, panem eum promittit quem *brevi in ultima cæna* erat daturus *in epulum*. Imo suam intelligit carnem, non carnis suæ sacramentum, quam daturus erat *in victimam in cruce* pro redemptione generis humani: ut Emanuel Sà benè monet illud *Dabo, jungendam cum Pro mundi vita*, quod pani Eucharistico tribuere nefas: is enim pro mundi vita datus non est. Stapletonus ipse *in Antid. Euang. ad hunc locum*, illud *Dabo pro mundi vita*, sic interpretatur, *Ad mortem videlicet in cruce subeundam pro salute totius mundi*. Theophylactus pariliter, *Potestatem suam indicans quod non ut servus & minor Patre cruci figendus sit, sed voluntariè, inquit Ego dabo carnem pro mundi vita; Jtem, Pro mundi autem vita carnem suam in mortem dedit; moriens enim mortem solvit*. Nequicquam ergo dixeris cum Tirino daturum fuisse Christum suam carnem, primo *in epulum* Eucharisticum, *dein & in victimam in cruce*; Nam Christus cum ait se daturum suam carnem pro vita mundi Eucharistiam non spectavit, sed solam crucem, in qua mortem obeundo pro vita mundi, factus est ille vivificus panis, ex quo qui manducat non morietur; nempe Augustino interprete *tract. 26. in Ioh. qui manducat intus non foris, qui manducat in corde non qui premit dente*; cum hæc manducatio etiam in Cæna spectet id quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum, eodem Augustino iudice. Audiamus tamen quibus argumentis Tirinus ad illud comma 52. propugnet oralem carnis Christi manducationem,

nem, ceu ab ipso hinc commendatam: Primùm introducit Christum sic loquentem; *Hanc (nempe carnem meam quam sum daturus pro vita mundi) debetis non sola fide & ore anima accipere sed & ore corporis sumere ac manducare quicumque vivere vultis in aeternum; Corporis enim mei manducatio erit vobis instar tessera immortalitatis cuius intuitu etiam corpora vestra resuscitabo in novissimo die.* Sed in his multa veniunt observanda; I. Christus carnis suæ manducationem non proponit tantum in tesseram sacramentalem resurrectionis nostræ futuræ, sed in causam formalem vivificationis & immortalitatis nostræ. II. Si oralis & Eucharistica manducatio corporis Christi hinc intelligeretur, immortalitatis & resurrectionis suæ sacramentalem tesseram & causam non haberent illi, qui ut patres V. T. & tot alij sub Novo, non fuerint participes istius Sacramenti; quod à vero est longè alienum. III. Non orali manducationi corpus Christi, sed spiritali & quæ fit per fidem, debet ininiti resurrectio & immortalitas nostra; Quæ enim de corporibus nostris immortalitate donandis per contactum corporis Christi oraliter percepti nugantur aliquando Adversarij, dilutiora sunt quam quæ propugnari possint: cum nec detur propriè contactus talis, etiam ex hypothese Pontificiorum; quandoquidem corpus Christi sub accidentium panis involucris nec tangi potest nec tangere; & Paulus Rom: vii 11, 11. ostendit vivificam vim corporibus nostris inesse non ex carnis Christi præsentia & orali manducatione, sed ex inhabitatione Spiritus Sancti cuius etiam templa sumus. IV. Eam hic carnis suæ manducationem commendat Dominus per quam ipse maneat in nobis & nos in illo. *comm. 57.* Atqui id non competit orali manducationi: nam fatente Tirino *ad illud comma 57. Species absumuntur paulatim (vel egeruntur) & ita desinit substantia corporis Christi nobis inesse: Quare id totum referri debet ad spirituales manducationem, quatenus per gratiam suam, quam specialem infundit anima communicantis, (imo etiam piorum & fidelium non communicantium) manet Christus in anima; vivificans, pascens, nutriens, recreans & oblectans illas, (inquit *ibid.* Jesuita) *ut supra in simili casu Ioh: xv, 13. 14. dicebas Samaritana.* V. Si ad vitam æternam debet non sola fide & ore anima sed & ore corporis sumi ac manducari caro Christi, erit Eucharistiæ sacramentum*

mentum non tantum necessarium necessitate *præcepti in adultis*, ut videtur Tirinus insinuare *ad comma 54.* (licet necessitas communicandi, saltem semel in anno, juxta suos, nequidem sit *præcepti divini* sed tantum Ecclesiastici, & referente Becano *cap23. de Sacram. q. 4. §.1. multi putent communionem Laicorum non esse divino jure præceptam, ut Aletis, Bonaventura, Gabriel, Sylvester, Ferrariensis & Cajetanus apud Suarez, disp. 69. sect. 1.*) sed absolutæ necessitatis ad salutem, eo ipso quod nisi manducaverimus carnem Filij hominis & sanguinem ejus biberimus non habebimus vitam in nobis; quod tum *de spirituali vita & gratiæ, tum de cœlesti & gloriæ* ipse Tirinus interpretatur: Nec potest id restringi cum Tirino ad contemptum Sacramenti, ut à cœlesti vita & futuro sæculo sit excludendus, *qui sua culpa neglexerit uti hoc Sacramento, neque de hoc neglectu penituerit;* Nam eam urget Christus manducationem, cujus non nudus contemptus, sed simplex privatio importet vitæ privationem, quæque adeo habeat necessitatem non *præcepti modo* sed etiam *medij.*

Tirinus hac præmissâ præfatiunculâ, ad quam hæc annotare operæ pretium fuit, accingit se deinde ad probandum hîc agere Christum de orali manducatione carnis suæ; quod ait patere quinque argumentis: Primum desumit *ex verbis Manducare & Bibere, quibus utraque species clarissime distinguitur, cum in spirituali manducatione per fidem idem sit bibere quod manducare.* Resp. Tirinum hîc suæ causæ valdè obesse; Si enim duo illa verba *manducandi & bibendi* utramque speciem Sacramenti designant, sanè utriusque speciei usus commendabitur dicto Christi, *Nisi quis manducaverit &c.* quo jure divino *præceptam esse Laicorum communionem* statuit: Becanus cum suis *V. S. §. 2.* Nec est quod dicant propter concomitantiam satisfieri illi mandato, solo manducationis actu; Tunc namque non minus in Sacramentali manducatione quam in Spirituali per fidem, idem quoque erit bibere quod manducare: Verum quando duplici illo verbo utitur Christus *manducandi & bibendi*, non ideo facit quod alter debeat esse actus manducationis spiritualis, alter spiritualis bibitionis; cum nequidem juxta Pontificios in Sacramentali manducatione & bibitione duplicitas aut distinctio actus requiratur; sed quo significet plenam nutritionem spirituales nos in sua morte & communionem consequi, prout plena corporis nutritio manducatione

tione & potu peragitur: Inde fit quod *Christus subinde*, ut Tirinus bene notat, sed malo sine *infra n. 12. soli manducationi tribuit quod alibi utriusque*, scil. esui & potui, *tribuere solet* ut Joh: vi, 50. 52. 56. 59. quia videlicet panis ille vivificus & cœlestis spiritualiter sumendus, *cibus & potus est*, ut supra dicebat Pius II. *qui esuriam tollit & sitim*. Secundum Tirini argumentum desumitur *ex vocula Dabo; Nam fidem in Christum, ut spiritualem animæ cibum, jam pridem illis dederat & nominatim hoc cap. versu 29.* Resp. in illa vocula parum esse præsidij: Nam præterea quod jam nonnulli, uti supra urgebat Pius II. in præsentibus consortes erant manducationis & bibitionis istius spiritualis, quam aliis in futurum promitti nihil repugnat; 1. Verbum dandi in futuro, potissimum crucem & mortem Christi respicit, ut suo loco visum. 2. Perperam fides in Christum statuitur spiritualis animæ cibus, cum ipse Christus sit ille cibus animæ, fides in ipsum, os quo recipitur. 3. Fide jam donatos fuisse illos quos Christus compellabat ex versu 29. non colligitur: ibi enim significat quid sit ipsorum officij, non quid hæcenus sui fuerit in ipsos beneficii. 4. Ut vero promittatur fidei jam initiatis manducatio spiritualis carnis Christi, illâ ipsâ fide deinceps continuanda & distinctius peragenda, nihil absurdum in se continet: Apoc: II, 7. & 17. Christus promittit victori se daturum edere de ligno vitæ, & manna absconditum; quod utrumque Tirinus *ibi de gratia divina & spiritualibus consolationibus & gaudiis interpretatur: Quis vero sanæ mentis colligat victorem illum fuisse antea expertem omnis gratiæ & consolationum Spiritualium, eo quod Christus utatur illa vocula Dabo, in futuro? Tertium desumit Tirinus argumentum, ex nominibus carnis & sanguinis; Hac enim, inquit, non debuissent inculcari pro objectis fidei (quia *Indei hæc ultra admittebant in ipso & videbant oculis suis*) sed divinitas inculcanda erat, si de sola fide ageretur: Resp. inde sequuturum, carnem & sanguinem Christi, illam ut cruci suffixam hunc ut effusum pro nobis, non haberi à Jesuitis inter objecta fidei suæ; aut nullo modo carnem Christi manducari ejusve sanguinem bibi spiritualiter posse: Quod si verò sit locus inter fideles manducationi & potui spirituali carnis & sanguinis Christi, imo si hæc manducatio & bibitio spiritualis sit simpliciter & absolute*

lutè necessaria ad salutem, uti Jesuitas confiteri utrumque oportet si velint esse Christiani, quis mirabitur Christum apud Judæos carnis & sanguinis sui tam sæpè fecisse mentionem, ut instantis suæ mortis efficaciam demonstraret, vel scandalum crucis suo tempore subeundæ prudenter amoveret? Videbant quidem Judæi carnem & sanguinem in Christo, sed de eorum virtute vivifica, solâ fide percipienda erant erudiendi: **Quin** etiam eo ipso suam divinitatem ipsis palam commendabat, quod se panem è cœlo descendisse profiteretur, ac ipsos in carne & sanguine suo spiritualiter sumpto per veram fidem necare & ambrosiâ saturandos assereret. **Quartum** Jesuitæ argumentum inde desumitur quod *Judæi versu 53. intellexerunt Christum loqui de reali manducatione vera carnis suæ: hoc enim durum imo impossibile esse arbitrabantur, & tamen in eo intellectu non reprehenduntur à Christo imo magis confirmantur, sed tantum de modo realiter manducandi quem non capiebant instruantur versu 63. & 64.* Resp. Gratias esse agendas Tirino quod ingenuè fateatur Pontificios hætenus sentire cum Capernaitis, ut de orali manducatione dicta Christi sumant, quæ de spirituali & mystica erat eloquutus: Sed fallit & fallitur dum statuit hunc Capernaitarum intellectum non reprehendi à Christo, imò magis confirmari: Nam *Christus illam à cibo & potu desumptam metaphoram sic continuat, ut se loqui figuratè & allegoricè, ac spiritualiter esse intelligendum evidenter insinuet, ijs rationibus quas ante retulimus. Eodem modo egit cum muliere Samaritana, cujus intellectum fuisse vitiosum satis patet ex Ioh: IV, 11. Continuat nihilominus inceptam metaphoram, licet ex tarditatis humanæ vitio non ex Domini intentione priscum suum errorem & crassum intellectum mulier illa adhuc retineret com. 15. Extatque expressa Capernaitarum reprehensio Ioh. vi, 62. Increpantur enim à Domino quod ex sermonibus suis perperam intellectis scandalizarentur; ad oralem, Cyclopicam & corpoream manducationem traducentes quæ de morali ac spirituali dixerat; atque ut eos abducatur à crassa hac imaginatione, & scrupulum ex sua loquutione injectum tollat, proponit ipsis futuram suam Ascensionem in cœlum, ex qua amplius intelligerent carnem suam non oraliter sed spiritualiter demum manducari posse; Id dicat pro me Augustinus *tract. 27. in Iohannem**

Iohannem

hannem; Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius; Quid est hoc? Hinc solvit illud quod ipsis moverat, (sic commodius legas) hinc aperuit unde fuerant scandalizati; hinc plane si intelligerent: illi enim putabant eum erogaturum corpus suum; ille autem dixit, se ascensurum in celum, utique integrum; Cum videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius; certe vel tunc videbitis quia non eo quo putatis modo erogat corpus suum; certe vel tunc intelligetis quia gratia ejus non consumitur morsibus. Non ergo hic confirmantur in malo suo intellectu de orali manducatione, juxta quam deberet Christi corpus nobis adesse præsens per indistantiam loci, sed eos revocat ab illo errore, propositâ futurâ suâ Ascensione per quam subductâ terris carnis suæ præsentîâ, nulla ejus manducandæ poterat alia restare ratio quam moralis & per fidem: Tunc autem non hoc erant acclamaturi Capernaitæ, ut asserit Tirinus, *Non posse carnem qua in cælis est & impassibilis revera manducari in terris*, sed revera tunc constare, debebat talem carnem quæ in cælis est & impassibilis, non nisi spiritualiter & per fidem manducari posse; quò etiam apertius Christus suos ducit auditores, adjiciendo, Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quicquam; verba quæ dixi vobis Spiritus & vita sunt: His etenim verbis non vult docere modum quo oraliter sua caro (juxta intellectum Capernaitarum) debeat sumi, cessi absens in cælis & impassibilis facta per Ascensionem futuram, sed è contrario se de orali illa manducatione neutiquam esse loquutum; Sive enim per Spiritum vivificantem intelligamus sensum spiritualem & mysticum, per carnem quæ nihil prodest sensum carnalem & crassum qualis erat Capernaitarum; sive statuamus carnem non prodesse quicquam; eo quod nihil ad vitam, nihil ad salutem conferat ipsa Christi caro oraliter sumpta sed solius Spiritus Sancti sit nos vivificare, id est vim vivificam & nutritivam carnis Christi applicare animabus nostris ad salutem; prout sanguis Christi externè effusus super corporibus nostris nihil prodesset, sed vis ejus mundificans debet cordibus nostris per Spiritum Sanctum applicari; res sane eodem redibit, & oralem manducationem Capernaitarum & Pontificiorum funditus evertet; quandoquidem verba ipsa Christi, cum sint Spiritus & vita, spiritualiter intelligenda sunt: juxta illud Augustini *cod. tract.*

27. *Intellexisti spiritualiter? Spiritus & vita sunt: Intellexisti carnaliter? etiam sic illa Spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt.* Sed Tirinus totam hanc pericopam mirum in modum interpretatur; Primò enim statuit carnem Christi nihil prodesse, nempe solam & separatam à divinitate quæ vivificat; at Capernaitas intellexisse carnem Christi manducandam solam & à divinitate separatam. Verùm nihil minus venisse in mentem Capernaitis, quam illam distinctionem naturarum in Christo, res ipsa loquitur; cum nequidem fortè plures ex illis, duas in Christo naturas adhuc vel crederent vel agnoscerent. Adhæc, si caro Christi sola nihil prodest, sed ut divinitati conjuncta, ergo non aliter sumi potest ad salutem quam ipsemet vivificus Spiritus, qui non ore est deglutendus, sed corde fulciendus per veram fidem. Secundò agnoscit Christum cum ait *Verba quæ locutus sum &c.* hoc sibi velle, non debere verba sua intelligi *de comestione instituenda modo merè carnali*, prout apprehendebant Capernaitæ, sed *de comestione instituenda modo Spirituali seu Spiritui accommodato*, nempe quo totum vivum & illatum corpus suum sub speciebus panis & vini invisibiliter, sed tamen realiter ac substantialiter præsens, sumatur per modum Sacramenti quo res invisibilis signis visibilibus recta reperitur. At in his optimè quidem statuit comestionem quæ fit modo merè carnali, qualem imaginabantur Capernaitæ, non commendatam fuisse à Christo, sed Spiritualem, & quæ fit modo accommodato Spiritui; verùm spiritualem fingere comestionem carnis Christi, quæ fiat ore corporis, est oppositum in appposito statuere: Nam ea est spiritualis comestio accommodata Spiritui, quæ fit per organa spiritualia non corporalia, uti fuscè à nostro Sadeele fuit jam olim demonstratum eximio suo opusculo *de Spirituali manducatione corporis Christi*. Nec potest inulsior ratio excogitari manducationis Spiritualis quam quæ hîc à Jesuita proponitur; quasi vero non semper modo carnali comedatur illud corpus quod ore corporis sumitur, sive illud in frustra discerpatur, sive illud vivum sumatur & integrum deglutatur. Ut taceam aliam esse Sacramentalem aliam esse Spiritualem carnis Christi comestionem; cum hæc tum in usu legitimo Sacramenti, tum extra illum locum habeat, ut agnoscunt saniores ex Adversariis; Unde patet quam absurdè spiritualis esse statuatur comestio

comestio carnis Christi quæ sit in Sacramento, cujus cum sint participes æquè impij & hypocritæ ac pij & verè fideles, deberent illi æquè spiritualiter vesci carne Christi ac isti; cum tamen, eo ipso quod Spiritus vivificat, vivificari necesse sit quotquot spiritualiter carnem Christi comedunt, quoniam tali manducatione carnis suæ inanemus in ipso & ipse in nobis. Quod si id sumi spiritualiter præsumitur, quod aliis speciebus tegitur & involvitur, etiam pilulæ deauratæ vel saccharo involutæ, spiritualiter sumentur. Ad hæc perabsurdè dicas carnem Christi sumi in Eucharistia per modum Sacramenti; cum res Sacramenti sæpissimè apud ipsosmet Scholasticos, ab ipso Sacramento soleat distingui. Denique in his omnibus supponit Jesuita quod est falsissimum & in quæstione versatur, scilicet corpus Christi esse substantialiter præsens sub speciebus panis & vini, atque totum, vivum & illæsum sub illis invisibiliter sumi ore corporis, & in Sacramento omni rem esse quandam invisibilem tectam visibilibus signis quæ corporis organis sit recipienda; Hæc enim monstra non venerunt Christo in mentem cum alloquebatur Capernaitas, quandoquidem, uti sui loco probatum, ad Eucharistiæ Sacramentum nullatenus respiciebat. Quintum argumentum Tirini inde petitur, quod Christus *permisit apostatate potius tot à se discipulos, quam negaret realem manducationem vera fide carnis necessariam esse; cum si de sola spirituali per fidem manducatione intellexisset, uno verbo apostasiam omnem & scandalum avertere potuisset, imo debuisset, dicendo se solam fidem urgere, qua facilius esset in re quam oculis suis coram spectarent.* Resp. plus esse in hoc argumento blasphemix quam rationis; Debuisset Christus loqui ut statuit Tirinus, si fuisset Jesuita, quoniam si Jesuita fuisset loco Christi, ferè sic loquutus fuisset, prout Alexander debuisset admisisse condiciones oblatas à Dario si fuisset Parmenio, quia Parmenio eas erat admissurus si fuisset Alexander. Etsi adhuc minùs distinctè & clarè loquutus fuisset Christus, reprehendendus tamen non venisset; cum hæc illius esset œconomia ut sine parabolis non loqueretur ad populum, ea de causa quam ipse enarrat Matt: xiiii, 13. 14. 15. Nec debuit adhibitis aliis loquutionibus scandalum avertere, cum datum non esset sed acceptum, nec suà fieret culpâ, sed stupore & vitio istorum hominum, ut quod dextrâ daberetur

tur sinistra manu arriperent, & in sequiorem sensum res commodissime dictas interpretarentur. Non permisit Christus hos deficere, quod nollent admittere necessariam esse oralem manducationem suæ carnis; cum neque hæc si daretur sit ejus necessitatis (ex ipsorum Adversariorum hypothesibus) quam Christus urgebat, neque possint de illa sententiæ ipsius intelligi, uti suo loco visum; sed eos deficere permisit, quod carnales & addicti ventri, de physica & orali manducatione perperam interpretabantur Christi dicta, quæ de Spirituali & morali fuissent intelligenda; cum præsertim tam multa dixisset Servator quæ ipsos à crasso isto errore debuissent abducere; qualia maximè illa quæ extant com. 62. & 63. Et sanè qui cogitarit apud Aristophanem in *mabibus*, Strepsidem rusticum senem ejectum fuisse è Schola Socratis, quod ridiculè & ineptè quæcunque dicebantur intelligeret, minus mirabitur fuisse Christum hos à se discedere, quos melioris eruditionis incapaces illo suo stupore deprehenderat, & dignos censurâ graviore eâ quâ stringebat in Nicodemum pariliter de generatione physicâ, quæ dicebantur de regeneratione morali interpretantem Joh: III, 12. Si terrena dixi vobis & non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia credetis? Sextum denique argumentum suum Tirinus desumit ab *authoritate humana*, quod *de reali manducatione vera carnis Christi* (malim diceret oralem, ad omnem amphibologiam vitandam, nam etiam *realiter* nos fieri participes carnis Christi licet *spiritualiter* ultrò concedimus) *hunc locum exponant Concilia Ephesinum, Cabilonense, Tridentinum & passim S. S. Patres Græci & Latini à Bellarmino citati*: Resp. Posset hoc argumentum sicco pede præteriri, cum Tridentini Conciliabuli *Sess. 21. cap. 1.* autoritate non moveamur, & ibi tantum negetur eo capite *utriusque speciei* communionem à Domino esse præceptam; & Bellarminus ipse *lib. 1. de Euch. cap. 5.* agnoscat Ruardum & Jansenium, Pontificiæ communionis Doctores, ad testimonium Patrum de hoc capite respondere, non nisi per accommodationem duntaxat, præsertim in homiliis ad populum, illius verba ad Sacramentum Eucharistiæ pertraxisse. Sed supra vidimus ex testimonio Pij II. Pontificis Romani, Augustinum & Glossatorem, non nisi de *spirituali manducatione Christi dicta* toto hoc capite interpretari:

Et quam-

Et quamvis ad Sacramentum Eucharistiæ suo tempore instituendum respexisset, non tamen sequeretur carnem suam oraliter sumendam esse in Sacramento, sed tantum oralem perceptionem signorum sacramentalium, communicantium fidem & mentem debere erigere ad spirituales rei significatæ, per quam ipse maneat in nobis & nos in ipso. Concilij Ephesini quod citat Tirinus canonem non annotavit; Et sane in decretis illius Concilij contra Nestorium celebrati nihil reperient Jesuitæ quod huc trahi possit. *Canon 46.* Concilij 2. Cabilonensis habiti 800. annis post Christum, quem Jesuita profert, plus ipsi obest, urgendo utriusque speciei perceptionem, quam prodest accommodando ad Eucharistiæ Sacramentum (quod damus fieri à multis Patribus) ea verba Christi, Nisi manducaveritis carnem Filij hominis & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis. Hæc fusiùs paululum debui annotare ad citatum à Tirino com. 52.

In com. 56. vel potius 55. dicitur caro Christi verè cibus, & sanguis ipsius verè potus, sed mentis non ventris, non oris sed cordis & fidei. Verè cibus est, verè potus, non quod oraliter sit sumendus, sed quod, interprete Augustino *tract. 26. in Joh. cū cibo & potu id appetant homines ut neque esuriant neque sitiant, hoc veraciter nō præstat nisi iste cibus & potus, qui eos à quibus sumitur immortales & incorruptibiles facit.* Sic verè potus erat ea aqua de qua Christus ad Samaritana nam Joh: IV, 14. Quisquis biberit de illa aqua quâ eidabo non sitiet in æternū, & ad turbas Joh: VII, 37. Si quis sitit veniat ad me & bibat. Certè caro & sanguis Christi, nō præstant homines immortales & incorruptibiles orali illa sumptione quam fingunt Adversarij; cū probis & improbis sit communis; ergo illius oralis perceptionis respectu verè cibus & potus dici nequeant.

Denique in com. 53. quod tanquam 54. citatur Tirino, si ageretur de Eucharistiæ & orali perceptione carnis & sanguinis Christi, utriusque symboli usus evidenter præciperetur; tum absoluta necessitas Eucharistiæ percipiendæ omnibus incumberet; quorum neutrum placet Adversariis: Et quod Christus tantopere sui necessariam statuit manducationem carnis suæ & bibitionem sanguinis ut absque illa haberi vita æterna nequeat, usus etiam eodem Nisi, quod extat Joh: III, 5. & juxta ipsosmet Pontificios necessitatem im-

portat absolutam & medijs, non secundum quid & præcepti tantum; argumento est invictissimo, Christum urgere communionem sui spirituales, quæ simpliciter & absolutè est necessaria ad salutem & quæ etiam necessariò & infallibiliter ipsam salutem importat, non verò Eucharistiæ usum sacramentalem, qui ad summum habet tantum necessitatem præcepti, nec in omnibus sed in adultis, neque confert infallibiliter vitam æternam; Itaque res istius Sacramenti intelligitur à Christo, non Sacramentum illius Rei: Nam *hujus rei sacramentum*, ut loquar cum Augustino *tract. 26. in Job. de mensa Dominica* sumitur quibusdam ad vitam quibusdam ad exitium; Res vero ipsa cujus & Sacramentum est, omni homini ad vitam nulli ad exitium, quicumque ejus particeps fuerit.

Secundo ex verbis quibus) Quam non faveant verba institutionis Adversariorum sententiæ, in genere possum ostendere ipsorummet confessione; Nam Bellarminus *lib. 3. de Sacr. Euchar. cap. 19.* agnoscit hæc verba (institutoria) necessariò inferre aut veram mutationem panis ut volunt Catholici, aut mutationem metaphoricam ut volunt Calvinista, nullo modo autem sententiam Lutheranorum admittere. Sic & Becanus *cap. 18. de Sacram. q. 2. §. 18.* Hæc verba, *Hic panis est corpus meum*, possunt tripliciter explicari; Primo sic, *Hic panis significat corpus meum, secundum Calvinistas*; Secundo *Hic panis mutatus est corpus meum* (licet cum Hoc nominatur nondum sit mutatus) Tertio *Hic panis non mutatus est corpus meum.* Prima explicatio est Calvinistica; Secunda Catholica; Tertia aperte falsa. Quod si nostrorum sententiæ verba institutionis æquè convenire possunt ac sententiæ Pontificiorum, jam sumus ergo pares, & nullum ex institutione Christi causæ suæ præsidium comparare queunt. Roffensis *contra Captivit. Babyl. cap. 10.* agens de loco Matth: *xxvi, 26.* Neque ullum, inquit, *verbum hic positum est quo probetur in nostra Missa veram fieri carnis & sanguinis Christi præsentiam*: Biel *lect. 49. in Can. Missæ* statuit non inveniri in Canone Bibliæ quomodo corpus Christi sit in Sacramento; & Petrus de Alliaco *in 4. sent. q. 6. art. 1.* censet modum eum qui supponit manere substantiam panis, possibilem esse, nec repugnare rationi, nec authoritati Bibliæ, imo faciliorem esse & rationabiliorem. Cardinalis Cajetanus, observante etiam Suarezio *tom. 3. in Th. disp. 46.* docuit seclusâ Ecclesiæ authoritate verba illa, *Hoc est corpus meum*,

ad

ad veritatem hanc confirmandam non sufficere. Verba Cajetani ad 3. p. Thom. q. 75. art. 1. non pigebit hic apponere. Non apparet in Euangelio roactivum aliquod ad intelligendum hæc verba proprie; Ex subjunctis siquidem verbis scilicet, Quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum, non potest concludi evidenter præmissa verba esse intelligenda proprie, quoniam ly, Quod, non refert conjunctionem prædicati cum subjecto, sed refert prædicatum, scilicet, Corpus meum, cum cujus relationis veritate stat præjacentem esse veram solum in sensu metaphorico, ut patet in exemplo, Petra autem erat Christus. Si enim adjunxisset Apostolus, Qui crucifixus est, resurrexit & ascendit ad celos, dicendo Petra autem erat Christus qui crucifixus est &c. nihilominus præjacentis illa propositio, Petra autem erat Christus non proprie sed metaphorice intelligenda esset: Et similiter in proposito, Verba Domini, Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur; Ex illa additione Quod pro vobis tradetur, non arctatur prima propositio ad sensum proprium, sed esset etiam vera si in solo sensu metaphorico esset prolata: Et propterea dixi, ex verbis Domini proprie intellectis ab Ecclesia excludi errorem dicentium Corpus Christi metaphoricè seu significativè tantum esse in Eucharistiâ. Hæc autem Ecclesia est Concilij Lateranensis sub Innocentio III. à quo ita fuit definitum ante annos quadringentos aut circiter. Sed si pressius ipsa institutio expendatur, nihil in illa reperietur quod faveat vel Cõsubstantiationi vel Transsubstantiationi, aut præsentiam illam corporis Christi in Cœna adstruat quam fovent patroni utriusque sententiæ. Taceo quæ observari possent de origine illius instituti, & quomodo Christus ritum antea usurpatû Judæis in esu agni Paschalis, voluit sanctificare in Sacramentum solemne N. T. qua de re post alios videatur doctissimus Tractatus Cl. Buxtorfij De prima Cœna ritibus & forma. Sufficiat paucis monuisse Christum panem accepisse, panem benedixisse, & panem cui benedixerat fregisse, dedisse discipulis, & de eo dixisse, Accipite manducate, hoc est corpus meum: At panis non potest esse vel dici corpus Christi, aliter quàm per significationem; Ideo hoc ipsum vult Dominus in sui commemorationem fieri, idque, Paulo interprete, donec veniat; Quod sane absentiam Domini luculenter demonstrat: quod enim fit in alicujus memoriã donec veniat, id eum abesse palam evincit. Nec de pane dixerit Christus esse corpus suum alio sensu, quàm postea subjungit de calice esse No-

vum Testamentum in sanguine suo; quam locutionem tropicam esse, nemo sanus ibit inficias; Ad hæc panis qui nobis datur in Eucharistia est corpus Christi fractum, Sanguis qui exhibetur in calice est sanguis effusus, & tota hæc actio instituitur ad annunciandam mortem Domini usquedum veniat: At Corpus Christi ut fractum & mortuum, sanguis ejus ut fusus extra venas, non potest præsens sibi Eucharistiæ per indistantiam loci. Si etiã indistanter sit præsens corpus Christi in Eucharistia, tale erit præsens quale in Eucharistia repræsentatur; At Tirino nostro teste ad Luc. xxii, 20. *Christus per species panis voluit repræsentare corpus suum ex sanguine, per species vini sanguinem suum a corpore separatum & quasi effusum.* Unde sequeretur corpus Christi debere esse in Eucharistia ex sanguine, & sanguinem ejus effusum extra venas. Quid quod disertè panis est & dicitur non semel à Paulo, id quod in Cœna ore manducatur, & genimen vitis appellatur à Christo id ipsum quod in sacro calice propinaverat suis discipulis: agnoscente Tirino ad Matt: xxvi, 29. illud Christi dictum, Non bibam à modo de hoc genimine vitis, non minus species vini consecrati adhuc reliquas complecti, quam vinum omne profanum quod in mensa vel hydrijs supererat: Unde patet ejusdem naturæ & substantiæ fuisse vinum calicis consecrati, cum residuo vino, sed usu tantum & significatione discrepasse: Quid vero factum fuerit, postquam omnes discipuli communicassent, de reliquis illis speciebus vini consecrati, quæ non minus erant genimen vitis quam quod supererat vini profani in mensa vel hydrijs, id Jesuitis ariolandum relinquimus.

Videamus modo paucis, quid Tirinus ex institutione Eucharistiæ colligat locis hîc sibi citatis pro sua sententia. Is igitur ad Matt: xxvi, 26. I. Thomæ suo se opponit, consecrationem in Benedictione divina constituenti. Sed Christophorus de Capitefontium Archiepiscopus Cæsariensis lib. de corr. Theol. Schol. vehementer reclamât, asseritque Scripturam, Concilia & totam Antiquitatem sibi adstipulari, statuenti hæc verba, *Hoc est corpus meum*, non esse consecratoria, imo nec vera fore nisi jam corpus Christi per benedictionem illuc extet. Et Durandus Mimatenſis Rat. lib. 4. cap. 41. §. 51. statuit Christum tunc confecisse cum benedixit; Odo Cameracensis apertius in exposit. Can. dist. 3. *Patet quod panis acceptus benedictione factus sit corpus Christi; non enim post*

post benedictionem dixisset, *Hoc est corpus meum, nisi in benedictione feret corpus suum.* Eam esse adhuc hodie sententiam Ecclesiarum Græcarum, Moscovitarum, Æthiopicarum, docet ex Marco Ephesino, Scarga & alijs, Author anonymus libri qui inscribitur *Traditio Catholica*, q. 23. Nec dubium quin idem senserit tota Antiquitas, ut à multis passim, nominatim à Molinæo demonstratum *Apol. pro cœna Domini cap. 7.* Unus Augustinus esto instar omnium qui *lib. 3. de Trinit. cap. 4.* statuit id dici à nobis *corpus & sanguinem Christi, quod ex fructibus terræ acceptum & prece mysticâ consecratum, ritè sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominica passionis.* II. Statuit Christum fregisse panem jam benedictum præviâ oratione, nondum tamen consecratum; Sed in eo agnoscit tacitè Sacrificulos *Missificantes & Missas lorantes* (ita nos loqui non debet ullus Jesuita ferre indignè, cum sic loquutum fuisse de omnibus presbyteris Cellotium Jesuitam in suis libris *de Hierarchia*, notet Sorbonista anonymus in *Theol. Mor. Jesuit. Cap. de ijs qua docent Jesuita contra Eccl. & Hierar. §. 8.*) ab exemplo & instituto Christi recedere; nam fractio Missatica fit demum post consecrationem; Christus fregit ante eam, saltem quam consecrationem volunt esse Adversarij: Tum Christus panem fregit; at hi mera se accidentia panis, eo jam destructo, frangere nugantur. III. Pertendit postremis demum quatuor illis verbis, *Hoc est corpus meum*, factam tum fuisse à Christo, & etiamnum fieri ore sacerdotum eadem in persona Christi proferentium, Transubstantiationem, seu substantialem conversionem panis in corpus Christi: Sed in eo multipliciter peccat; Nam I°. Supponit falso mutationem fieri in Eucharistia substantialem panis, ejus substantiâ destructâ, in corpus Christi: Cum nulla sit hîc admittenda mutatio physica & substantiæ, sed tantum moralis & usus, qua panis & vinum *sunt quod erant, & tamen in aliud commutentur*, ut etiam loquitur Author operis *de Sacramentis* apud Ambrosium *lib. 4. cap. 4.* ut cum cera manente id quod erat antea substantialiter, incipit esse quod non erat & commutatur in aliud, dum Diplomati Regio in sigillum appenditur. Deinde his verbis non potest censeri facta hæc conversio per quam corpus Christi præfens sistatur sub speciebus panis, quia illa verba sunt historicè narrativa & declaratiua rei quæ jam erat, quare particula *enim*

illis inseritur in Canone Missæ, quo constat hic reddi rationem eorum panis ille sumendus & manducandus sit, quia videlicet est corpus Christi, non vero practicè effectiva rei quæ nondum esset; unde non enunciantur in imperativo, ut cum Deus dixit *Fiat lux*, sed in iudicativo, ut cum dicitur *In principio erat verbum*. Adhæc, etsi in mille formas se convertant Pontificij, ut statuunt quid pronomine *Hoc* sit intelligendum, (an substantivè accipiatur an adjectivè; an vagè an determinativè; an pronuntietur recitativè an significativè; an veritatem speculativam vel practicam habeat &c. totque sint de eo sententiæ quot capita; à quo ulcere tractando prudenter noster Tirinus abstinuit) res ipsa tamen per se loquitur nihil aliud eo denotari quam ipsum panem quem Dominus acceperat, cui benedixerat, quem jam fregerat illum per hæc verba traditurus discipulis, Accipite manducate, Hoc est corpus meum: Eaque est veritatis evidentia ut & Cuffetellus Episcopus Massiliensis in *Def. sua pro Euch.* scripserit quod Paulo iudice Servator dixerit de pane Hoc est corpus meum, & Bellarminus *lib. 3. de Euch. cap. 19.* disertè sic loquatur; *Dominus accepit in manibus panem eumque benedixit & dedit Discipulis, & de eo ait Hoc est corpus meum: Itaque panem accepit, panem benedixit, panem dedit, & de pane dixit Hoc est corpus meum.* Jam vero non potuerit Christus hoc de pane quem dabat dixisse, quin illa verba, *hoc est corpus meum*, his æquipolleant, *hic panis* quem vobis do est corpus meum. Ut vero panis sit & dicatur corpus Christi, aliter quam sacramentaliter & significativè, & prout Petra erat Christus, cum disparatum de disparato alio modo prædicari nequeat, nullo modo concipi potest. Ea quoque phrasim est Scripturis sacris, præsertim in materia sacramentali, usitatissima; Sic Circumcisio dicitur fœdus Gen: XVI 1, 10. Agnus Pascha Exod: XII, 11. Baptisma lavacrum regenerationis Tit: III, 5. Calix ipse Eucharisticum Novum Testamentum in sanguine Christi Luc: XXII, 20. Nec potuerit aliter dixisse Christus vernaculâ suâ linguâ quam *Hoc corpus meum*, cum neque Syris neque Hebræis, ullum sit verbum quod respondeat nostro *significat*; pro quo solent si præfens sit exprimentum jungere tantum signum rei significatæ, ut videre est Gen: XXI, 26, 27. ubi textus originalis habet; Septem vaccæ septem anni;

anni, septem spicæ septem anni; aut adhibet verbum substantivum si in futurum sit loquendum; ut cum ibidem dicitur, Et septem spicæ inanes, erunt septem anni famis: Evangelistæ vero, linguâ Græcâ scribentes, verbum substantivum *Est* posuerunt potius quàm verbum *significat*, tribus maxime de causis; 1. Ut expressiùs referrent formulam quæ patri familias erat in usu in esu paschatis, & quam Christus ad hoc Sacramentum voluit sanctificare; Dicebat enim suis *hoc est pascha, hic est panis miseria quem patres vestri manducarunt in Ægypto*, reference ex Thalmudistis Scaligero *lib. 6. de Emend. Temp.* licet non sibi aliud vellet, quam hunc panem memoriale esse illius quem in Ægypto captivi comederant. Imo Buxtorfius, *Exerc. de Cæna, §. 250.* observat & ostendit ipsum agnum assum, vocatum fuisse *חם של פסחא*, corpus paschatis, atque eo Christum alluisse, cum panem corpus suum indigitavit. 2. Ut inhzrent stylo Scripturæ in V. T. Græcæ versionis, ubi verbum *ἔστι* interpretes semper supplerunt quoties signû aliquod habet rei significatæ nomen adjunctum; ut exempla prostant Gen: xvii, 10. xl, 12. 18. xli, 26. 27. Exod: xii, 11. & passim. 3. Ut magis energeticè, adhibito verbo substantivo, analogiam signi & rei significatæ exprimerent; quod & in N. T. tralatitium est, I. Cor: x, 4. Gal: iv, 24. Apoc: i, 20. xvi, 9. xix, 8. Unde patet obiter non satis accuratè eos loqui qui tropum non in copula quærunt sed in prædicato; cum certum sit verbum quod logicè habet rationem copulæ, grammaticè tamen vel rethoricè poni pro *significat*; uti sensit tota Antiquitas; *Ante benedictionem verborum cælestium* (inquit Ambrosius *ad eos qui init. Myst. cap. 10.*) *alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur.* Et Tertulianus *lib. 4. contra Marcionem, Acceptum panem & distributam discipulis corpus suum fecit; Hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei.* Et Augustinus *contra Adimantum cap. 12. Non enim dubitavit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui.* Facundus item Episcopus Hermianensis *lib. 9. Sacramentum corporis & sanguinis ejus quod est in pane & poculo consecrato, corpus & sanguinem dicimus, non quod propriè corpus ejus sit panis & poculum sit sanguis, sed quod in se mysterium corporis ejus sanguinisque contineant.* Hinc tam sæpè panis & vinum Veteribus dicuntur typi. *Symbole, figuræ, imagines, antitypa, signa, similitudines corporis*

poris & sanguinis Christi, quod pluribus demonstravit noster Blondellus de Eucharistia cap. 4. sect. 8. & nuperrimè ô *παρὸ* Salmasius in aureo suo opusculo de Transsubstantiatione sub Simplicii Verini nomine edito : **Quin** ut id ita intelligamus exigit regula illa generalis de Sacramentorum naturâ & indole quam proponit Augustinus *Epist. 23. qua est ad Bonif.* *Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum sunt Sacramenta non haberent, omnino Sacramenta non essent; Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt; Sicut ergo secundum quandam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei fides est: & juxta glossam can. Hoc, dist. 2. de Consecr. panis dicitur corpus Christi sed improprie: unde dicitur suo modo, sed non rei veritate sed significante mysterio, ut sit sensus, vocatur Christi corpus, id est significat.* Quare gerræ sunt Siculæ & merè nugæ quæ adjiciuntur postea à Tirino; illam Domini orationem, Hoc est corpus meum, non esse enuntiativam ejus quod ante fuit, sed practicam seu factivam ejus quod non fuit; Id enim probandum erat, non ita pro vero assumendum: Imo inde sequetur, quod nollent tamen Adversarij, pronomen *Hoc* necessariò pro ipso pane suppositurum, qui per hæc verba corpus Christi fieri debeat: Et si operativa esse deberet oratio Christi, eam non concepisset indicativè, dicendo Hoc est corpus meum, sed expressisset imperativè, Hoc esto vel hoc fiat corpus meum: *Facit quidem Christus, ô Tirine, quod dicit & eo ipso quo dicit, nempe dum imperativè loquitur, ut efficiat quod non est, sed non cum enuntiat indicativè quod jam est & jam esse hoc quod ait vult intelligi: panem autem jam suum corpus fecerat benedictione & consecratione ut supra demonstratum.* At inquit perinde est ac *si simili modo dicerem, Hic annulus est tuus, aut hic est annulus tuus, dicendo donarem tibi & hoc dicto vere esset tuus, qui ante erat meus; Sed ne huic simili, quod multum claudicat, diu insistam, respondeo uno verbo, non sic fieri istum annulum meum ex tuo, sed tantum declarari & enuntiar aut jam ante meum fuisse, aut si tam ineptè velles loqui, antecedentem tuam voluntatem de me illo donando; qui meus non fit his verbis, qualia nec usus communis admittit (cum apud Jctos pro donationis aut promissionis formula censeriqueant,)*

queant, sed ipsâ traditione absque qua meus dici non posset : ut hîc possit obtinere quod scitè dixit Martialis,

*Si donare vocas promittere, nec dare Cai,
Vincam te donis muneribusque meis.*

Corruit itaque quod putri huic fundamento inædificat Tirinus, Consecrationis verba cum à Sacerdote proferuntur, non historicè tantum aut narrative proferri, sed etiam personaliter & practicè, perinde ac si sacerdos ipse esset Christus, quia in eo supplet ipse locum Christi. Blasphemum enim est tribuere sacrificulo eum sic agere ac si ipse esset Christus, & locum Christi ipsius supplere: Si enim Christus debeat isthic esse præsens, non opus habet vicariâ alterius operâ, qui suum suppleat locum: Et cum iudice ipso Innocentio III. P. R. lib. 4. de Myst. Missæ cap. 6. Christus non consecravit illis verbis, Hoc est corpus meum, sed virtute divinâ priusquam ea protulisset, non video quî possit sacrificulus loco Christi hæc verba proferre ad consecrationem: nihil enim potest facere loco Christi, quam quod fecit ipse Christus cum sacram cœnam instituit: atqui tunc non pronuntiavit illa verba ut consecraret; ergo neque nunc ad consecrationem faciendam pronuciari loco ejus possunt. Nec si attendatur ipsius Canonis Missatici tota series aliud inde colligi poterit, quam narrative & historicè illic institutionem totam hujus Sacramenti, ad quam hæc verba pertinent, à sacerdote recitari, ad instructionem populi: Hinc Durandus Mimatenensis *Ration. l. 4. c. 41. §. 44.* discretè asserit quod sacerdos illis verbis non utitur enuntiative, sed recitative, quæ admodum & cum ait *Ego sum viuis vera, Ego sum lux mundi & innumera talia.*

Non saniora sunt quæ Tirinus habet ad Marc. xiv, 23. Monet panem esse corpus Christi, & vinum ejus sanguinem, non figuratum sed verum & propriè dictum: Resp. panem quidem dici & vocari corpus Christi, quod verè corpus est, & proprium non figuratum vel umbratile, sed inde non sequi propriè non figuratè hujus veri corporis nomen pani tribui. II. Statuit hoc corpus verum & propriè dictum, esse verè realiter ac substantialiter præsens in Eucharistia, sed sacramentaliter, id est modo Sacramentis proprio, quæ res significata invisibilis occultatur sub signis visibilibus. Resp. Sacramentalem præsentiam corporis Christi in Cœna nos admittere, prout Sa-

kkk

cramen-

cramentorum natura est significativa, cum ad Signorum genus pertinent, sed Sacramentalis hæc præsentia moralis est non physica; neque debet physicè occultari res significata, quæ invisibilis est, sub signis visibilibus, aliàs sanguis Christi in Baptismo lateret quoque sub specie & signo aquæ; satis est quod per signa visibilia, ea intelligantur quibus significantis fuere destinata. III. Afferit, quod si panis fuerit tantum *figura corporis Christi, ergo figuris V. T. non successerit veritas in N. T. sed figuris nobilioribus simplicior figura & vilior. Clarius enim & aptius indicabat agnus paschalis occisus & tot alia victima jugulata mortem Christi, quam frustum panis vel cochlear vini.* Resp. nec Sacramenta V. T. fuisse figuras Sacramentorum Novi, sed hæc cum illis convenire in genere signi, ut & in re significata, quæ utrobique est Christus; & longè nobiliora & claria quoad significationem & modum significandi esse nostra Sacramenta quam illa omnia vetera; cum agnus Paschalis non rectè & disertis verbis, ut nostra Eucharistia, duceret ad Christum crucifixum, sed sub variarum umbrarum involucris, & non nisi obscure Christum passurum significaret: *Quare meritò dixit Augustinus lib. 3. de Doct. Christ. cap. 9. Hoc vero tempore posteaquam resurrectione Domini nostri Iesu Christi manifestissimum indicium libertatis nostræ illuxit, nec eorum quidem signorum qua jam intelligimus operatione gravi onerati sumus, sed quedam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina; sicuti est Baptismi sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Domini.* IV. Pertendit Christum talem esse in Eucharistia *qualis est in esse suo naturali, nisi quod in esse suo naturali coextendatur suo loco, in Sacramento verò non; sed modo spiritualium substantiarum invisibiliter & indivisibiliter existat, tam in indivisibili quolibet puncto hostia quam in tota hostia & quidem totum in qualibet particula & puncto hostia.* Resp. has esse teratologias ex asserto Adversariorum enascentes quas retulisse refutasse est; Fingere enim corpus humanum, partibus suis distinctum, quod sit in extensum & indivisibile, & totum lateat sub puncto, quid aliud est quam corpus fingere quod corpus non est, & illi suum esse naturale corporis auferre, dum ei tribuis substantiæ spiritualis ubiætatem, inextensionem & indivisibilitatem?

Nec vali-

Nec validiora sunt quæ annotat Tirinus huc facientia ad *Luc: xxii, 19.* Non esse Sacerdotes qui de novo producunt corpus Christi, sed Christum ipsum, ad prolationem verborum ore sacerdotum producere illud divina sua virtute; sicut ad prolationem verborum B. Virginis, *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum, Deus ipsum illud idem corpus Christi divina sua virtute in utero ejusdem Virginis primum efformavit;* Quibus addit locum ex Chrysofomo *hom. de Iud. Prod.* quo dicitur virtute ac gratiâ Dei res propositas in mensa consecrari, etsi sacerdotis ore verba eo facientia proferantur; comparatione institutâ inter verba tunc à Domino prolata, & dictum Dei ab initio, *Crescite & multiplicamini.* Resp. nec satis accuratè Tirinum loqui, cum juxta suum Bellarminum non *produci* sed *adduci* demum in Eucharistia dicendum sit corpus Domini; nec eo facere exemplum B. Virginis, cujus verba non fuerunt practica & effectiva, sed tantum suæ submissionis & obedientiæ & acquiescentiæ in Dei voluntate declarativa; Illud, inquit ad *Luc: i, 38.* ipse Tirinus, *partim consentiens est, partim optantis, & in omnem Dei nutum se resignantis.* Unde patet ineptam admodum esse hanc comparisonem, ad quam Tirino præluxit jam olim Gabriel *super Can. Misse;* Nec locus Chrysofomi favet huic Jesuitico paradoxo, cum nihil sibi aliud velit Chrysofomus quam hujus Sacramenti subsistentiam & efficaciam, esse ab institutione Christi semel facta arcessendam: Quam enim Chrysofomus fuerit procul à sententia Pontificiorum statuentium consecrationem fieri per hæc verba, *Hoc est corpus meum,* demonstrant ipsi Græci ex illius Liturgia: Imo si urgeatur ad vivum comparatio quam instituit Chrysofomus inter verba Christi quorum efficacia perserverat in Ecclesiis & Dei dictum, *Crescite & multiplicamini,* ex illa sequetur juxta mentem Chrysofomi non debere necessariò recitari de novo verba consecratoria Christi, (quæcunque illa fuerint) ad Sacramenti constitutionem; prout non debent necessariò recitari illa verba, *Crescite & multiplicamini,* ad quamlibet animantium propagationem consequendam: cum citra talem recitationem novam, suam vim semper obtineant. Urget potissimum Tirinus quod *Luc: xxii, 20.* videatur dici poculum ipsum sanguinis esse effusum in remissionem peccatorum, unde tale ibi necit argumentum:

K kkk 2

Si pocu-

Si poculum quod Christus suis in Cœna propinavit effusum id est oblatam fuit pro hominibus, clarissimè sequitur poculum istud non nisi ipsissimum Christi reale sanguinem continuisse; nam vinam, ut figura tantum est sanguinis, effundi id est offerri non posset pro hominum salute. Hic vero varia sunt quæ respondeam.

I. Necesse est Pontificios hic tropum agnoscere, continentis pro re contenta, si poculum ipsum dicatur effusum in remissionem peccatorum; cum tamen aliàs omnem tropum, omnemque figuram in hujus Sacramenti institutione respuere pertinacissimè soleant.

II. Non magis hinc conficiunt Jesuitæ realem præsentiam sanguinis Christi in hoc poculo, quam realem ejusdem sanguinis effusionem in Eucharistia; hanc tamen ipsimet negant, quibus Missa est sacrificium incruentum.

III. Hoc poculum est sanguinis non effusi in Cœna, sed mox effundendi in cruce, pro peccatis nostris; Unde ipsemet Canon Missæ, & V.V. quæ Pontificiis est authentica, ne quis putaret ipsum calicem effundi in remissionē peccatorū, aut aliā effusionē imaginaretur quā quæ facta fuit in cruce, usi sunt verbo futuro, *effundetur*; licet Græcus textus præfens habeat; cū Scriptura soleat ea ut præsentia enunciare quæ proximè futura sunt, & prout cingendus pro cincto habetur.

IV. Si Calix ibi fumeretur pro sanguine ipso effuso, deberet hic esse sensus verborum Christi, Hic Calix, id est hic sanguis meus qui est in hoc calice, est novū Testamentū in sanguine meo, qui pro vobis effunditur: Quanto satius igitur est statuere Calicē hunc vocari Novū testamentū, quia erat Sacramentū & sigillū novi testamenti pacti nobiscū in sanguine illo Fœderis qui mox erat effundendus in cruce pro redemptione nostra. Nec aliter Græca sunt reddenda, τὸ τὸ πῶλον, ἢ καὶ τὴν διαδοχὴν ἐν τῷ αἵματι μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυρόμενον; ut τὸ ἐκχυρόμενον nō de calice sed de sanguine dicatur: Benedictus Turretinus quondam meus Præceptor p.m. Vir longioris vitæ dignus, in aureo suo opere quo versiones Genevenses contra Genevā Plagiariā Jesuitæ Cottoni propugnavit, *Veriff. xi.* fusè agit de hoc loco, atque demonstrat plerosque in Papatu, ut Thomam, Cajetanum, Gorranum, Vasquesium, Barradium, Jansenium, Ferum, Sà & alios, ac omnes veteres hunc locum interpretari de reali effusione facta in cruce; ipsumque Basilium *Moral. 21.* τὸ ἐκχυρόμενον expressè cum αἷμα coniungere. At inquit erit solæcismus evidens, cum illud τῷ

αἵματι

αἷμα, sit Dativi casus, ἐκχυρόμενον Nominativi: Sed I. non potest esse alia mens Lucæ quam Matthæi & Marci, qui disertè referunt τὸ ἐκχυρόμενον αἷμα & hæc duo simul conjungunt, his verbis τὰ τὸ ἴσι τὸ αἷμα μὲν, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυρόμενον. II. Potest esse Hebraïsmus, ut τὸ ἐκχυρόμενον, dicatur pro ὅπερ ἐκχύνεται. III. Præterea quod potest illud τὸ, venire pro ὄ vel ὅπερ, Scriptura N. T. est plena ejusmodi enallagibus, tum casus tum generis, in quibus velle solæcismum quærere, esset hominis supra modum scrupulosi, cum similia apud probatissimos extant authores; Ita legitur Matt: xxviii, 19. μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς, pro αὐτά; Et Luc: xi, 53. Πρόσωπον αὐτῆ ἦν πορευόμενον, pro πορευόμενα. Et Luc: v, 9. ἐπὶ τῇ ἀγρῇ τῶν ἰχθύων ἦ συνέλαβον, pro ἔσυνέλαβον. Et Apoc: i, 4. ἀπὸ ὧν ἐὶ ὁ ἦν ἐὶ ἰρχόμενος, pro ἀπὸ τῶν; & viii, 9. ἐὰν πίνῃ τὸ τρίτον τῶν κλισμάτων ἐν τῇ θαλάσῃ, τὰ ἔχοντα ψυχὰς, pro τῶν ἔχοντων. Similia sunt apud Terentium, *Vbi est Scelus qui me perdidit*: item *Curetus aequè uterque partem*, *tu alterum ego vero alterum*, uti etiam *ad hunc locum* Grotius annotavit. Videatur insuper Ludovicus de Dieu in *Animad. suis ad hunc locum*, ubi ostendit hæc eleganter dici & citra ullum solæcismum.

Ad 1. Cor: xi, 24. nihil annotavit Tirinus quod huc faciat, sed nos amandat ad ea quæ dixit *ad Matt. 26.* & *Luc 22.* quæ satis superque excussa sunt, ut probetur nihil ex institutione Christi habere adversarios quod pro se faciat, imo nihil quod eorū sententiæ non palam adversetur.

Tertio ex verbis Pauli) Videtur Tirinus potius ea conquirere quæ enervant suam causam, quam quæ illam sustineant: Nam I°. Paulus vocat panem id quod frangitur in Eucharistia & frangi panem asserit: Unde liquet panem esse & remanere post consecrationem, quam ipsa fractio sequitur. II°. Cum dicit eum panem quem frangimus esse *κοινωνίαν* corporis Christi, explicat quo sensu panis ille Eucharisticus sit Christi corpus, quatenus nempe est Sacramentum nostræ communionis cum Christo. III°. Dum calicem vocat calicem benedictionis, ostendit benedictione consecrari Sacramentum, & *εὐλογίαν* in hoc Sacramento idem esse quod *εὐχαριστίαν*, à qua & illi nomen; Unde Evangelistæ promiscuè utuntur verbis *εὐλογεῖν* & *εὐχαριστεῖν*, ut etiam post alios observat Becanus *cap. 21.*

de Sacry, q. 3. §. 2. cujus hæc est conclusio, *Benedictio & Gratiarum actio pro eodem sumuntur apud Evangelistas*; ut valde ineptè postea disputet utrum pro altero sumatur. IV°. Cum non aliter in Cœna Domini fiamus κοινωνοὶ corporis & sanguinis Christi, quam illi fiunt κοινωνοὶ δαιμονίων qui ἐιδωλοθύτοις vescuntur 1. Cor: x, 20. illa corporis Christi κοινωνία in Cœna non magis infert oralem carnis Christi manducationem, quàm κοινωνία πᾶν δαιμονίων oralem manducationem Dæmoniorum, aut Idolothutorum transsubstantiationem in Dæmoniorum naturam; Taceo cætera quæ hinc pro veritate efflorescunt argumenta. Quid vero inde velit exculpere Tirinus ex iis colligas quæ annotat ad 1. Cor: x, 16. I°. Monet Calicem benedictionis dici, id est benedictum seu consecratum. Atqui ad Matt: xxvi, 26. negabat benedictionem ibi commemoratam esse consecratoriam; & Cornelius à Lapide ad 1. Cor: x, n. 42. statuit calicem benedictionis dici Paulo, quia Christus ante consecrationem benedixit. Becanus V. S. vult gratiarum actionem sumi pro benedictione & hanc esse suam consecrationem: Ast Cajetanus ad hunc Pauli locum, è contrario statuit, hanc benedictionem poni pro gratiarum actione; Calix benedictionis, inquit, hoc est gratiarum actionis, qui offertur pro gratiarum actione Deo. Becanus idem §. 3. ex eo quod dicat Apostolus Calix benedictionis cui benedicimus, colligit benedictionem referri ad calicem, non ad Deum; At præterea quod Cajetanus eam benedictionem facit communem tum sacerdotibus consecrando, tum omnibus laudando, non potest facta fuisse illa panis & calicis benedictio, verbis ad panem & calicem prolatis, quod Magicum potius quam mysticum foret; sed debuit peragi nominis Divini invocatione, prout Christus Marc: viii, 6. 7. dicitur acceptis septem panibus gratias egisse; & similiter pisciculos paucos quos habebat εὐλογήσας apponi curasse: Hanc enim εὐχαριστίαν & εὐλογίαν factam fuisse sublatis ad Deum & cœlum oculis constat ex simili historia Matt: xiv, 19. Id agnoscit Cornelius à Lapide V. S. n. 45. cui benedictio hæc non est consecratio in Cœna, sed prævia oratio: Unde, inquit in liturgia S. Iacobi, Basilij, & nostræ, Christi exemplo petimus ut Deus benedicat hæc dona, ut divina virtus in panem & calicem descendat, ad perficiendam consecrationem; & hinc dicitur Calix benedictionis, id est à Christo

Christo benedictus. Ita nempe consentiunt inter se Jesuitæ: nam Benedictio hæc Tirino & Becano consecratio est, idest demurmuratio quinque illarum vocularum quas consecratorias esse sibi persuadent; aliàs enim non inficiamur benedictionem quæ fit mysticâ prece ad Deum consecratoriam esse, ut benè dixerit Ambrosius *lib. de iis qui init. cap. 9. Hic est panis quem benedictio consecravit.* Deinde Tirinus vult calicem & panem dici communicationem sanguinis & corporis Christi, eo quod communigent & distribuunt sumentibus sanguinem & corpus Christi. Sed si calix distribuit sanguinem, panis corpus, Sanguis & corpus debent seorsim sumi, ut calix & panis separatim distribuuntur. At si seorsim sanguis & corpus distribuuntur, sanè Concomitantia corrui & tollitur realis corporis Christi præsentia per indistantiam loci. Adhæc Glossa Tiriniana non satis apta est, panem & calicem respectivè dici *κοινωνίαν* corporis & sanguinis Christi, eo quod panis & calix hæc verè communigent & distribuunt sumentibus. Nam illa *κοινωνία* non convenit activè pani & calici, quasi debeant esse vehicula corporis & sanguinis Christi, sed passivè, quatenus nobis sunt Sacramenta illius communionis quam arctissimam cum Christo habere debemus ut fiamus unus panis & unum corpus, tum cum ipso tum inter nos mutuò: Sed esto, nobis communicetur in pane & calice corpus & sanguis Christi, & ejus ideo utriusque *κοινωνία* dicantur, manebit tamen explicatio Cajetani *ad eum locum*, quod Calix sumentibus sacramentaliter tantum, est sanguinis Christi communicatio sacramentaliter tantum (quâ videlicet illius rei Sacramentum, non res Sacramenti, juxta distinctionem Augustini, percipiatur) & sumentibus sacramentaliter & spiritualiter simul, est sanguinis Christi communicatio sacramentalis & spiritualis. Id insuper velim nobis explicari à Tirino quid per Calicem benedictionis sit intelligendum; an poculum ipsum, an vinum quod est in poculo, an sanguis Christi sub vini speciebus: Prius non dixerit meritò, cum Calix hic per metonymiam ponatur pro re contenta, ut benè monet Cajetanus: Secundum nollet, quia vinum super esse negat: Tertium non potest: nam sanguis ipse Christi diceretur communicatio sanguinis Christi, & se ipsum distribuere sumentibus: Ut
vero

vero species vini remanentes, vocentur calix benedictionis cui benedicimus, ratio non patitur, cum non benedicatur illis speciebus nec illæ consecrentur. Addo id demum esse & dici *κοινωνίαν* sanguinis Christi quod *cum benedictione consecramus*, uti habet hic Emanuel Sà: atqui non consecramus cum benedictione sanguinem & corpus Christi, cum omnis benedicens sit potior & major eo cui benedicit; nec in Eucharistia adsit corpus & sanguis Christi nisi post benedictionem & consecrationem, ex hypothesi adversariorum: Multo minus cum benedictione consecrantur species & accidentia panis & vini, quæ illic restare demum post benedictionem finguntur: Quare superest ipsummet panem & vinum, vocari à Paulo *κοινωνίας* corporis & sanguinis Christi: ut sic ejusdem veritatis & significationis debeant esse hæ tres propositiones; Hoc est corpus Christi, Hic panis est corpus Christi, & Hic panis cui benedicimus est communicatio corporis Christi, Ut autem hæc propositio vera sit, debet tropicè intelligi. Non morabor aliam isthic Glossam Tirini, qui *τὸ Frangimus* explicat per *offerimus Deo & oblatum distribuimus populo*; id pertinet ad quæstionem de Missæ sacrificio, de qua in seq. Controversia: Tantum moneo nullis fidiculis id unquam Jesuitas à textu sacro expressuros 1. Ut uno eodemque verbo significetur oblatio quæ fit Deo & distributio quæ fit populo; 2. Ut verbum frangendi cum de pane dicitur denotet oblationem quæ fit Deo: Longè sanior ibi Cajetanus, qui agnoscit *primavo illo tempore Ecclesiam fractione usam fuisse communicando populum* (quod confirmari ait ex Actis Apostolorum) *postea autem Ecclesias usas esse hostijs sigillatim quas non oportet frangere*: Unde constat non sic fuisse ab initio: Porro, id quod frangitur juxta Paulum est communio corporis Christi: sed nec corpus Christi frangitur, nec aliud quam ipse panis jam consecratus: restantes enim panis species frangi nequeunt, cum abolita panis materia omni, nullæ superesse possint in residuis speciebus partes quantitativæ quæ frangerentur & à se invicem divellerentur. Illa porro fractio panis ordinatur ad significandam & commemorandam nobis fractionem corporis Christi; unde 1. Cor. xi, 24. panis ipse dicitur corpus Christi quod pro nobis fractum est, ut etiam cum Græco textu legit Syrus interpres.

Cum

Cum autem vel inde constet panis substantiam & naturam, quæ sola in Eucharistia frangi potest, remanere post consecrationem, unde *Panis* expressè dicitur Paulo id quod frangimus & comedimus, tum hic tum sæpius capite sequenti, frustra est Tirinus dum ex suo Cornelio à Lapide asserit, Eucharistiam etiam post consecrationem vocari adhuc panem, more Hebræo quo quivis cibus vocatur panis; & quia in Eucharistia propter remanentes species panis, videtur adhuc esse panis licet revera non sit amplius. Quo in *κρησφύρετω* duo dicit *ἀόυσαι*: Si enim panis dicitur quia cibus est, tanè id nominis consequi non potest propter solas panis remanentes species, quæ cibus dici vel esse nequeunt; cum homo non possit cibari speciebus externis & inanibus accidentibus, ut si quis esurienti pictum panem offerret. Deinde etsi aliquando quilibet cibus panis nomine veniat in Scripturis, tamen debet hîc intelligi determinatè ille panis triticeus qui adhibetur ad Eucharistiam, cum is solus dici queat *κοινωνία* Corporis Christi, nec velint Pontificij in quolibet cibo posse consecrari. Et semper definiendum erit Jesuitis quis sit ille in Eucharistia cibus qui *panis* dicitur: Certè id nominis non potest convenire vel speciebus remanentibus panis, quæ neque cibus sunt neque communicatio corporis Christi: nec etiam potest ipsi corpori Christi tribui, quod sui ipsius *κοινωνία* esse nequit; Quare superest ut illa vox propriam & nativam suam retineat significationem, & panem eum naturalem denotet qui ad hoc Sacramentum solet & debet adhiberi, quique remaneat adhuc revera panis qualis apparet post consecrationem, licet id negent Jesuitæ. Cornelius à Lapide n. 51. ad hoc caput, monet non dici nudè panem, sed panem quem frangimus, id est Eucharisticum sive transubstantiatum, qui est corpus Christi: Sed præterea quod ita corpus Christi statuatur *κοινωνία* sui ipsius, inde sequetur evidenter ipsum Christi corpus frangi in Cœna; quod validius adhuc telum contra adversarios nobis subministrat; Nam non aliter præsens erit Christi corpus in Cœna quam eo modo quo in illa frangitur: atqui nemo sanus dicet illud aliter frangi in Eucharistia, quam per significationem & commemorationem; ergo nec aliter in Eucharistia præsen-
centeri debet. Laudat equidem Tirinus noster, Theodoretum & Theophylactum ceu conspirantes cum suis Scholasticis id nomen pa-
nis,

nis, ad remanentes species contrahentibus, licet neuter Commentario *ad hunc locum* quicquam habeat quod vel obtorto collo huc trahi possit; & prior, scilicet Theodoretus, disertè asserat Christum symbolis nomen corporis sui indidisse, *non mutando naturam sed gratiam adjiciendo natura*. Unde etiam magister Sacri Palatij qui Romæ procuravit editionem operum Theodreti, in *prefatione* monuit eum à Transsubstantiatione alienum fuisse.

Totum caput XI. ejusdem Epistolæ posset hic iterum urgeri, quandoquidem institutionem hujus Sacramenti accuraté refert; Sed illa jam ex superioribus satis innotuit; nec aliud volumus in materia tam diffusa, & quæ tot occupat volumina ab utraque parte, quam nostri Tirini premere vestigia: Citat hic nobis ejus capituli com. 27. & 29. ubi dicitur *indignè* manducans & bibens ex hoc pane & calice reus futurus corporis & sanguinis Domini, & suum sibi manducaturus judicium, quod Domini corpus non discreverit. Sed ad ista facilis est responsio; Nam 1. ex eo quod dentur indignè manducantes & bibentes, sequitur non omnes qui accedunt ad sacram mensam participes fieri corporis & sanguinis Christi: his enim velci indignè nemo potest, cum ex istius cibi spiritualis perceptione, omnis nostra dignitas & sanctitas pendeat; quò spectat illud Augustini tract. 27. in Ioh. *Ipsa vita aterna tu es, & non das in carne & sanguine tuo nisi quod es*. Hinc juxta authorem tract. de Cœna Domini apud Cyprianum, *inter Dominica mensa convivas animalis homo non admittitur*: Et ipse Augustinus tract. 26. in Ioh. *Qui non manet in Christo & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter carnem ejus nec bibit sanguinem ejus, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi, sed magis tanta rei Sacramentum ad judicium sibi manducat & bibit*. 2. Ipse Apostolus disertè distinguit panem Eucharisticum quo quis indignè vescitur à Christi corpore cujus ita fit reus, & satis insinuat illum posse comedi indignè, hoc vero non. 3. Indignè communicantes fiunt rei corporis & sanguinis Christi, ut reus fit læsæ Majestatis qui statuum Principis aut ejus diploma violaverit, & prout qui contumeliosus fuerit in suum Baptisma dicitur Heb. x, 29. sanguinem fœderis per quem sanctificatus fuerat profanum ducere & Spiritum gratiæ contumeliâ afficere

cere, licet nemo huc usque sibi finxerit aquæ baptismalis transsubstantiationem in sanguinem Christi. Hinc Theophylactus *ad eum locum*, indignè communicantes confert cum Judæis qui *chlamydem* Christi lacerarunt, & hos ait eandem chlamydem *in cænum & lutum* injicere: 4. Dicuntur isti non discernere vel dijudicare corpus Domini, non quod panis sacer, quem indignè comedunt, sit naturâ & substantiâ Domini corpus, sed quod illud sit suâ significatione; unde veniat cum sobrietate, reverentia & devotione sumendus. Atque eò spectant verba Justini Martyris ad Antonium *apol. 2.* citata Tirino *ad hunc locum*, sed mala fide; quæ ex quo transcripserit plane nesciam; cum ab ipso Bellarmino *lib. 2. de Euch. cap. 4.* ita efferantur; *Non enim ut communem panem neque ut communem potum hæc sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei incarnatus Iesus Christus servator noster & carnem & sanguinem pro nobis habuit, sic etiam per preces verbi Dei, ab ipso Eucharistiam factum cibum* (neque hoc benè, cum *ευχαριστησῶσα τροφή*, non sit *cibus Eucharistia factus*, sed *cibus super quo gratia acta sunt*, quod neque ipse postea Bellarminus diffitetur) *ex quo sanguis & carnes nostra per mutationem aluntur, illius Incarnati Iesu & carnem & sanguinem esse edocti sumus.* Illa sunt verba Iustini; quæ Punicâ fide sic enuntiavit Tirinus; *Neque enim Eucharistiam ut communem cibum sumimus, sed credimus quod sicut per verbum Dei, Dei filius factus est homo, ita per verba consecrationis in Eucharistia fiat & sit caro & sanguis Christi.* Quæ sanè verborum Justini corruptio impudentissima & nequissima, apertior est quam ut negari possit. Interim in vero Iustino omnia nobis favent, ita ut non alio sensu quam sacramentali & significativo statuatur panem & vinum Eucharistiæ, esse carnem & sanguinem Jesu incarnati pro nobis; eo quod hæc negat sumi à Christianis ut panem & potum communem, licet revera ex parte rei talia sint, quoniam in sacris signis attendi debet non quid sint sed quid significant; & asserit illis ipsis cibus quos in Eucharistia sumimus instar carnis & sanguinis Christi, & ad nos confirmandos in fide incarnationis suæ, ali & sustentari carnem & sanguinem nostrum, per eorum in nostram substantiam transmutationem, quod corporis & sanguinis Christi substantiæ convenire non potest.

Quare ex figuris Eucharistia) Adhoc argumentum jam supra responsum: Nec manna, nec agnus paschalis, nec sanguis vituli aspersus figuræ Eucharistiæ fuerunt, sed cum Eucharistia nostra in re significata convenerunt: Nam Christus est Pascha nostrum quod pro nobis immolatum est 1. Cor: v, 7. Et sanguis ille vituli aspersus, significabat sanguinem Christi in cruce fustum ejusque asperionem, de qua 1. Pet: 1, 2. Et manna, quo vescendo patres eundem cibum spirituales nobiscum comederunt 1. Cor: x, 3. Christum ipsum non Eucharistiam significasse colligitur ex Apoc: 11, 17. ubi manna absconditum Christum denotat & spirituales consolationes quas ex ipsius gratiâ consequimur. Quod si aliquando Veteres legalia illa contulerunt cum Eucharistia Evangelica, id non fecerunt alio animo quam umbras V. T. quæ non nisi *αἵς ἐν τύπῳ* & crassiori minerva Christum venturum exprimebant, confereendi cum expressiori & ad vivum facta illa imagine quam in Novo Fœdere sumus consecuti Heb: x, 1. Deinde si ideo censerentur fuisse clariora Legalia Eucharistiâ N. F. eo quod ibi agnus mactaretur & sanguis aspergeretur, idem remanebit incommodum etiam positâ transsubstantiatione vel reali præsentia corporis Christi in Cœna: Nam specierum fractio, & vini in calicem effusio, & sacrificium incruentum uti Cœna est Pontificijs, non tam graphicè videntur ob oculos ponere Christi dolores & mortem quam agni mactatio & sanguinis aspersio sensibilis. Et ita saltem quantum ad ea quæ in sensu incurrunt nobiliora fuerint Legalia *tam in essendo quam in representando* Sacramento Eucharistiæ. Quare evidenter, clarior & augmentior nostrorum Sacramentorum significatio, & eorum præcellentia super veteribus, non simpliciter in ritibus est collocanda, cum è contrario crassiora debuerint esse elementa Ecclesiæ Judaicæ adhuc Abecedariæ; sed in eo potissimum quod nostrorum institutio per Verbum ipsis adjectum, missis involucris & ambagibus quæ vetera comitabantur, & quasi multiplici illo velo remoto, nos recta ad Christum crucifixum ducat & ista rotundè nobis proponat facienda ad annunciandam mortem ipsius usque dum veniat. Quæ loca hic adfert Tirinus ex Col: 11, 17. alijsque locis in quibus dicitur Vetus Testamentum habuisse umbras, Novum veritatem, ad hanc

hanc rem non faciunt. Nam ibi fit oppositio non inter Sacramenta vetera & nova, quasi hæc ad signorum ordinem non debeant pertinere : cum ipsamet symbola Eucharistica non rarè dicantur veteribus antitypa, imagines, ænigmata, figuræ corporis & sanguinis Christi; sed inter instituta legalia in se considerata, & rem significatam quæ exhibita est & plenè revelata in Evangelio : Unde Paulus loco hîc citato illas umbras fuisse dicit quarum corpus est Christus : lex enim data est per Mosem, Gratia & Veritas per Jesum Christum Joh: 1, 17. Quod si ad hoc ut veritas sit in N. F. debet corpus Christi fîsti præsens in Eucharistia, quod in paschali agno non erat, debet quoque in Baptismate & sub illius aqua latere ipse Christi sanguis, qui non aderat asperisionibus legalibus : sed hæc plenè excussimus ad *Cont. xviii, n. 7.* quo benignum lectorem amandamus.

Objectiones plerasque) Et nos jam supra argumenta nostrorum, occasione locorum quæ hîc citaverat Tirinus, ab ipsius strophis & cavillis sufficienter vindicavimus, uno illo excepto quod ex 1. Cor: x, 3. & 4. desumitur ; Hoc vero quam & Pontificios urat & Lutheranos, haud facilè dici potest : Si enim Patres eundem cibum spiritualem nobiscum comederunt, necesse est illum non ore sumi sed mente & fide; cum nequidem tum temporis extaret in rerum naturâ caro & sanguis Christi, quæ nobis in cibum spiritualem hodie proponuntur : Ad hæc cum Petra quæ Israëlitas sequebatur Christus fuerit, non transubstantiatione petreæ in Christum aut coexistentiâ ipsius Christi in, cum, & sub petra, sed significatione, non est cur aliud significari dicatur in hac propositione, *Hic panis est corpus Christi*, quam in illa *Petra erat Christus*. Audiamus tamen quomodo Tirinus se *ad eum locum* hinc conetur extricare. Primò, quæ est communis cantilena, dicit Israëlitas non eandem escam nobiscum manducasse, sed tantum *eandem inter se mutuo*, nempe manna. Sed illud subsistere nequit : Nam ut eodem baptismate nobiscum quoad rem significatam, licet diverso quoad signum, fuerunt baptizati in nube & in mari, sic eundem censendi sunt nobiscum cibum spiritualem, rei significatæ respectu percepisse; quatenus eadem erat manna quo vescabantur significatio

spiritualis & mystica quæ est hodie sacræ Cœnæ; nec aliter procederet Pauli argumentum; vult enim ostendere Corinthijs usum externum Sacramentorum Baptismi & Cœnæ non sufficere ad salutem, nisi adsint Pietas serua & sincerus Dei cultus; cum non profuerint Israëlitis res his planè similes quandoquidem ob pietatis defectum plerosque illorum Deusgratos non habuit, sed prostrati sunt in deserto: Hunc esse Pauli scopum inter alios agnovit Titelmannus Lovanien- sis in suâ *elucid. Epist. Pauli, ad hunc locum*: Ita enim incipit paraphrasim hujus capituli; *Ne vero sibi quis securitatem putet quod Christi sit mysterijs imitatus, exemplis priorum Patrum ostendendum est nobis, non omnes qui divinis beneficijs digni sunt habiti salutem fuisse consecutos.* Et sane parum fecisset horum exemplum ad mentem Pauli, nisi illis eundem nobiscum cibum spiritualement tribuisset; Nam Corinthijs profanioribus & securitatem sibi in peccatis ex Sacramentorum usu pollicentibus, facilis suppetij- flet exceptio; Quid ad nos hoc exemplum? Cum illi inter se quidem eundem cibum mysticæ significationis sortiti sint, sed nihil commune nobiscum habuerint, nosterque cibus spiritualis sit longè augustior & efficacior & nos multis parasangis supra ipsos extollat; eo quod illi umbram tantum & inanein picturam alimenti spiritu- alis consecuti sunt, nos vero nectare & ambrosiâ satiamur & ci- bum permanentem in vitam æternam de mensa Dominica quoti- die recipimus. Adhæc & Augustinus *tract. 26. in Ioh.* & ex illo Thomas *ad hunc locum*, Paulum interpretantur de eodem cibo spiri- tuali quem illi nobiscum obtinuerunt. Augustini verba non pigebit adscribere: *Hunc panem (nempe qui descendit de coelo) significavit manna, hunc panem significavit altare Dei; Sacramenta illa fuerunt; in si- gnis diversa sunt, sed in re qua significatur paria sunt; Audi Apostolum, Nolo enim vos inquit &c. Spiritualement utique eandem, nam corporalement alteram, quia illi manna, nos aliud; item Et adjungit, Et omnes eundem potum spiritualement biberunt; aliud illi aliud nos, sed specie visibili quidem, tamen hoc idem signifi- cante virtute spirituali.* Eadem habent Anselmus *in hunc locum*, & Ber- tramus *lib. de corp. & sang. Christi*: quorum hic, *Eandem escam spiritualement & eundem potum spiritualement bibisse patres Paulus asseverat. Queris for- tasse quam eandem? Nimirum ipsam quam hodie populus credentium in Eccle- sia man-*

sia manducat & bibit; Non enim diversa licet intelligi, cum unus idemque Christus sit qui & populum in deserto in nube & in mari baptizatum suâ carne pavit suo sanguine tunc potavit, & in Ecclesia nunc credentium populum sui corporis pane, sanguinis undâ pascit & potat. Paræus in 1. Cor: x, 4. ostendit eandem fuisse Lutheri sententiam in primis suis scriptis, citatis ad id duobus testimonijs satis expressis.

Secundò Tirinus ad illud, *Petra erat Christus*, duo excipit. Unum est petram hanc propriè non typicè fuisse ipsum Christum, qui spiritualis erat Petra, quæ virtute divinitatis sua Hebræos per omnia deserti loca ceu comes consequebatur, quod rupi corporeæ, utpote immobili, non conveniebat. Sed miserrimum est hoc effugium: Nam 1. Si Christus ipse ceu spiritualis petra Israëlitas potabat in deserto, cur negabat Tirinus eodem potu spirituali nobiscum illos potatos fuisse? 2. Cur non illa petra ex qua aquæ manarunt in deserto æquè dicitur spiritualis petra, suæ significationis respectu, ac manna dicitur cibus spiritualis, & illius petræ aqua spiritualis potus? 3. Quis non videt petram hanc fuisse Israëlitas consequutam in deserto, non quod eos pone sequeretur, ut nonnulli finxêre Rabbini, & videtur innuere Chaldæus Paraphrastes Num: xx1, 16. aut portatilis esset in sinu Mariæ, sed quod aquæ illæ quas fundebat castra illorum comitarentur, & sic haberent *Petra aquatilem sequelam*, uti dicitur Tertulliano de patientia. Consentiant huic sententiæ saniores interpretes: Augustinus sæpissimè monet petram hanc Christum fuisse non substantiâ sed significatione; quæst. 57. super Levit. Epist. 102. De Civit. D. lib. 18. cap. 48. & alibi: Lyranus & Carthusianus consentiunt; quorum hic, *Petra erat Christus non essentialiter sed figurativè*; ille, *Petra erat Christus scilicet figurativè, eo modo loquendi, quo imago Herculis, Hercules nominatur*; Ita Johannes à Gorcum qui ex Cornelio à Lapide & Eskio collegit Epitomen Comment. in Epist. Pauli; *Petra enim qua dedit aquam Hebræis erat typus Christi qui est vera petra, è qua fluxit sanguis sitim concupiscentia nostra restinguens*; *Hæc autem petra comitata dicitur Israëlitas, eo quod aqua quas petra copiosissimè fundebat, pro commoditate populi in rivis divisa longo spatio profluere, donec veniretur ad locum ubi esset aquarum copia*; unde Psal. 77. de illis aquis dicitur, *Et deduxit tanquam flumina aquas, & torrentes inundaverunt*; & Psal. 104. Dirupit

Dirruit petram & fluxerunt aqua, abierunt in sicco flumina. Item *Petra autem erat Christus, illius Petra significatum erat Christus, sive quod per petram significabatur est Christus; Christus enim petra firmissima totam sustinet Ecclesiam.* Ita Glossa Interlinearis, spiritualem petram interpretatur qua Christum significat, & fidei idem fuit, quia petra erat Christus in signo: & Marginalis; Petra autem; solet res qua significat nomine rei quam significat nominari; Erat Christus; non per substantiam sed per significationem: Petra Christus: Aug: In signis diversis eadem fides; ibi petra Christus; nobis quod in altari ponitur est Christus: si speciem visibilem attendas aliud est; si intelligibilem significationem eundem potum spiritualem biberunt: Contra hanc testium nubem nefas est nobis objicere Ambrosium & Chrysostomum, de ipso Christo istud per allegoriam intelligentes, cum sensus literalis sit planus & pro nobis. Id cum videat Tirinus ad secundam confugit Anchorani, quam ei suppeditat suus Cornelius à Lapide; Negat itaque sequi panem esse corpus Christi significativè, eo quod petra fuerit Christus per significationem, quia cum Petra & Christus disparata sint, illa nequit dici Christus aliter quam typicè & significativè; at pronomen Hoc, in his verbis, Hoc est corpus meum, non est quid repugnans aut disparatum à corpore Christi, cum designet indeterminatè id quod sub speciebus panis latet, quod potest esse divinâ virtute tam corpus Christi quam substantia panis; Unde potest imo debet corpus Christi propriè accipi, quando affirmante Christo de hoc prædicatur; quod fusè pertendit ostensum à Bellarmino, Suaresio & alijs Scholasticis. Sed revera laterem lavat Tirinus, & causam suam manifestè prodit. Id quidem verè & ingenuè ponit, non posse disparatum de disparato aliter quam figuratè prædicari, ut cum Herodes dicitur esse vulpes, aut Jesus se vitem, panem, agnum, januam appellat; unde Lutherus ipse ad VValdenses; Hic fides me cogit ut verbum EST interpreter, significat, hoc modo, Christus est significatus per corpoream petram Moysi. Meisnerus sane p. 1. philosoph. sob. sect. 1. cap. 5. q. 3. multus est ut probet, disparatorum aliquando unum de altero verè prædicari, non quod unum sit alterum, sed quod unum sit alteri præsentissimum: Sed optassemus exempla potuisse eum proferre talis prædicationis; Nam quoad enunciationes personales de Christo

Christo, in quibus *Homo Deus & Deus homo* esse dicitur, res ipsa evincit disparata hæc non esse, cum non sint nomina naturarum quæ duæ sunt & disparatæ, sed personæ quæ una, & cui convenit propter participium utriusque naturæ esse simul homini & Deo: Ut vero propter unionem hypostaticam non possis dicere, Humanitas est verè Divinitas, sic multo minus propter unionem mysticam, sive sacramentalem signi & signati, poteris dicere panem esse verè & propriè corpus Christi. Imo cum non aliam *ένωσην* quam *μυστικὴν* hic statuatur Meisnerus, ergo non aliter panis erit corpus Christi quam mysticè, sacramentaliter & significativè: Ita columba erat Spiritus Sanctus, non substantiâ & naturâ, sed repræsentatione & significatione: unde etiam formâ columbæ Spiritus Sanctus descendisse dicitur: Nec potuit Meisnerus se aliter expedire ex loco qui est præ manibus, quam intelligendo petræ nomen non de rupe significante sed de Christo significato: cuius sententiæ absurditatem jam ante ostendimus. Sed quam verè statuunt adversarij, non posse corpus Christi aliter de pane prædicari ut disparato quam impropriè & figuratè, tam apertè nostram confirmant sententiam: Licet enim summopere refugiant instar scopuli hanc propositionem; *Hic panis est corpus Christi*, quod non aliter ejus veritas possit consistere quam sensu nostro; tamen ita scriptissimè loquutos esse veteres est certissimum, & læpè ipsimet Pontificij, uti supra annotavi, eò redeunt: Nec potest aliter: Nam τὸ *Hoc*, est id quod cœperat Christus in suas manus, cui fulsis ad Deum precibus benedixerat; quod fregerat & quod tradebat suis discipulis: at id panis erat; unde Paulus, *Panis* quem frangimus nonne est communicatio corporis Christi? Et in sequenti capite exprimit quæ animi dispositione hunc *panem* debeamus comedere, & quæ pœna maneat illos qui istum *panem* indignè comederint. Nec erit determinata veritas istius effati, *Hoc* est corpus meum, nisi *Hoc* determinatè significet id quod Christus fregerat & porrigebat, quod nec dum fuisse suum corpus, ante horum verborum integram prolationem ipsimet adversarij statuunt. Non valet igitur *ὄρθρον φαριμαχὸν* Tironi, quod pronomen *Hoc* non sit *quid repugnans aut disparatum à corpore Christi*: Nam designat vel panem, vel panis species, vel cor-

M m m

pus

pus Christi; Si primum aut secundum, sanè erit disparatum à Christi corpore; si tertium, præterea quod debet concipi corpus Christi jam ante absolutam prolationem sententiæ consecratoriæ latere sub speciebus panis, hic erit sensus illius enunciati, Hoc, id est corpus meum, est corpus meum. At inquit Tirinus *designat indeterminatè id quod sub speciebus panis latet, quod potest esse divina virtute, tam corpus Christi quam substantia panis.* Sed 1. ut in enuntiatione vera, attributum determinatè conveniat subjecto, ipsum subjectum debet determinatè vel exprimi vel designari. 2. Si Hoc significet id quod sub speciebus panis latet, quodcumque verum sit, tum non erit *adjectivè* sumendum, ut falso pertendit Becanus *cap. 17. de Sacr. q. 5. §. 8.* sed *substantivè*; ut idem sit ac id quod teneo in manibus corpus est meum: 3. Si potest indeterminatè significare id quod sub speciebus panis latet, quod æquè potest esse corpus Christi ac substantia panis, necesse est alterutrum tunc sub speciebus illis latere: at neutrum dixerint adversarij: Si corpus Christi, ut latens sub speciebus panis *indeterminatè* per Hoc designetur, ergo jam fuerit transsubstantiatio facta ante formulæ prolationem absolutam; si substantia panis; ergo de pane & substantia panis, quod censemus, dixerit Christus esse corpus suum. 4. Becanus V. S. dicit *quòd Hoc ut est subjectum propositionis, designare corpus Christi, quia ad illud designandum determinatur prædicatum:* Sed absurdissimè. Nam si ut est subjectum propositionis hujus, *Hoc est corpus meum,* designat corpus Christi, illa propositio erit identica & absurda, utpote quæ idem habeat subjectum & prædicatum: Nec ideo debet subjectum designare corpus Christi, quod prædicatum ad corpus Christi designandum determinetur, nisi fingamus hanc regulam in omni enuntiatione, Omne subjectum debet id designare ad quod designandum attributum determinatur: Ea ratione in illo dicto, Petra erat Christus, quoniam attributum determinatè Christum designat, petra quoque non designabit petram deserti, contra quam probavimus, sed ipsum Christum. Ex quo patet quam malè Tirinus ex ijs quæ absurdè proposuerat concludit in hæc verba, *Vnde potest, imo debet, corpus Christi propriè accipi, quando affirmante Christo, de hoc prædicatur.* Etenim non quaeritur an verum & proprium corpus

corpus suum Christus hic intelligat, sed an veré & proprié non figuraté & significativé, hoc quod dabat, nempe panis, suum corpus esset: Prius dici nequit quod hoc sit disparatum ad corpus Christi, non idem cum ipso; Ergo posterius est statuendum: Quod & alij è nostris contra Bellarminum, Suarezium & cœteros Scholæ tenebriones qui ex crusto Christum faciunt, fusé declararunt.

NUM. 3. CORPUS CHRISTI in Eucharistiâ NON COEXISTERE PANI (ut volunt Lutherani) sed omnem panis substantiam (etiam materiam primam, contra Durandum) per consecrationem prorsus tolli, patet ex verbis Christi Ioh: VI, 52. *Panis quem ego dabo caro mea est;* & Matth: XXVI, 26. *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur:* quæ prædicata non possunt ullo sano sensu tribui pani naturali, (ut ibidem demonstravi:) & tamen tribuerentur si panis substantia istic adesset: nam esset connaturale subjectum accidentium, & principalius per illa designaretur; unde et si concomitanter corpus Christi ibidem adesset, non de ipso, sed de pane naturali prædicarentur jam dicta. Definit autem hæc substantia panis & vini per solam subtractionem concursus positivi Dei, quo substantia illa antè conservabatur in suo esse. Sap: XI, 26. *Quomodo possit aliquid permanere nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non est conservaretur?* quo sensu I. Cor: X, 6. vocetur panis, & Matth: XXVI, 29. *genimen vitis,* ibidem exposui.

Durand.

in 4. dist.

11. q. 3.

CENSURA. *Corpus Christi in Eucharistiâ*) Id quidem verum non debere credi corpus Christi præsens indistanter in, cum & sub pane; cum illa præsentia corporis Christi per indistantiam in Cœna, & repugnet Ascensioni ipsius in cœlos; & corporis sui veritatem evertat, dum illi tribuit vel multipræsentiam vel ubiquitatem; & nihil conferat ad fructum Sacramenti, qui non ex orali sed spirituali manducatione pendet; & naturam istius Sacramenti destruat, juxta quam conjunctio signi & signati non debet esse localis & physica, sed moralis & mystica; maximè cum in Eucharistiâ velit Christus nobis dare suum corpus, ut fractum doloribus & morte, & suum sanguinem bibendum ut extra venas effusum in cruce; quorum neutrum aliter nunc potest haberi in Cœna quam per commemorationem & significationem: Et hæctenus dolemus eos qui Æ Lutheranos vocant, ita pertinaciter τῶ ρητῶ adhærere, ut illud

M m m 2

propu-

propugnaturi ad ubiuitatem confugiant, & illius artolatriæ, quam in Pontificijs merito detestantur, fundamenta quantum in se est retineant. Nec poterunt unquam solidé Transsubstantiationem Romanensium impugnare, quin suam Consubstantiationem ceu gemellum errorem eadem manu subruant. Interim tamen nullo argumento legitimo probari potest *omnem panis substantiam, etiam materiam primam, per consecrationem prorsus tolli*; Nam Adversarij ipsi fatentur posse Sacramentaliter corpus Christi adesse Eucharistię incolumi manente substantiâ panis: Sic Becanus *c. 18. de Sacram. q. 1. § 2.* hanc proponit conclusionem; *Absoluté loquendo fieri posset ut Christus salvâ manente substantiâ panis haberet præsentiam sacramentalem ejusdem rationis cum illa quam nunc habet & cum omnibus intrinsicis conditionibus.* Si hoc æquè potest fieri, ut Christus in Eucharistia coexistat pani, & præsens sit in, cum & sub illo sacramentaliter, quid est quod in eo non acquiescunt Pontificij, sed malunt ad multiplicationem miraculorum etiam hîc comminisci accidentia sine subjecto? Aut quæ ratio movit quosdam Jesuitas ut tantopore excanduerint adversus Cartesium quod accidentium realitatem omnem negans, videretur impingere in doctrinam suam de Eucharistia, in qua volunt accidentia realiter existere extra omne subjectum, cum tamen præsentia Sacramentalis Christi in hoc Sacramento possit concipi salvâ manente panis substantiâ? Et constat non defuisse jam olim qui sentirent Christum præsentem esse in Eucharistia aut totâ panis substantiâ manente, ut Impanatores contra quos Guitmundus disputat, & Rupertus Tuitiensis qui *l. 6. in Ioh.* unionem fingit hypostaticam Verbi cum pane, & Joannes Parisiensis, qui, ut ex Waldensi refert Becanus, unionem hypostaticam statuebat non immediatam Verbi cum pane sed mediatam per corpus ipsum; aut nonnisi parte panis abolitâ, eâ videlicet quæ sumenda foret à pijs, reliquâ manente ab impijs usurpandâ, ut Becanus idem *c. 18. de Sacram. q. 2.* refert sensitisse ipsosmet Berengarij hostes, laudato in testem Guitmundo; Sic apud eundem Becanum, ut Durandus materiam panis restare asseverabat solâ formâ abolitâ, ita alij materiam censent solam aboleri non formam, quæ Becano est, licet diversum sentienti, *per se perspicua sententia & in se non mala*; Alij cum Godfrido saltem panis subsistentiam, alij cum recentioribus Thomistis substantialem ejus existen-

existentiam remanere statuunt; Milleterius qui ex Syncretista factus est Apostata, nondum tamen potest concoquere accidentia sine subiecto, & quantum potui colligere ex obscuris & intricatis ipsius loquutionibus in Collatione quam habuit in scriptis cum R. D. Drelincurtio Ecclesiæ Parisiensis Ministro, amico nostro summo, videtur ad Impanationis dogma propiùs accedere, aut eorum sectari sententiam quam non improbat Author *Traditionis Catholicae quæst. 22.* videlicet Corpus Domini quoad suam materiam suaque accidentia in cælo tantum esse, nihilominus panem & vinum mutari in corpus & sanguinem Domini, eo quod formam & *εἰσέρχεται* eorum in se recipiant fidelibus applicandam; allato in similitudinem dogmate Gilberti de magnete, cujus forma extra limites materiæ suæ prodiens, in subiecto magnetico deprehendatur, non occupato aëre qui medius interjacet. Et sane Milleterius in sua professione *sincera fidei Cath. art. 8. §. 4.* pertendit remanere ad esse accidentale Sacramenti quicquid naturale est & sensibile in speciebus panis & vini, aptum alenda nostra carni, dum eorum invisibilis substantia mutatur in substantiam invisibilem corporis & sanguinis Christi, in qua consistit essenziale Sacramenti: quibus verbis videtur hoc sibi velle formam panis aboleri remanente materiâ, & formam carnis Christi in illius locum succedere. Utut sit illa sententia quæ statuit omnem substantiam panis tolli, licet confirmetur à Concilio Tridentino *sess. 13. cap. 8. can. 2.* & recens est & incerta inter ipsosmet patronos Transsubstantiationis; & si obtineat etiam quoad materiam primam, contra quam Durandus sensit, falsum erit axioma Scholarum Peripatheticarum materiam esse incorruptibilem & æternam; poteruntque sacrificuli per Transsubstantiationem maximam Universi partem annihilare, tantum quotidie absumendo illius materiæ, quæ est generationis & corruptionis subiectum ordinarium, quantum ipsis libuerit panum consecrare. Ut nihil dicam quam absurdum sit omnem panis substantiam tolli per consecrationem, & nihilominus omnia ejus accidentia remanere. Non putavit Apostolus tolli substantiam panis, qui toties panem esse dicit id quod frangimus & manducamus in Cœna; Non hoc voluit Christus persuadere discipulis cum genimen vitis appellat, id quod

M m m w 3

ipfis

ipsis in calice bibendum exhibuerat. Sed audiamus quibus rationibus hoc suum dogma propugnet hinc Tirinus.

Pates ex verbis Christi) Joh: VI, 52. panem quem pollicebatur dicit esse carnem suam, ut scirent ipsius auditores se non de pane externo & sensibili, sed mystico & spiritali loquutum esse: quare hic locus est ἀπὸρροδιόνος, nec facit ad hanc rem: Quamvis etiam potuisset Dominus panem Eucharisticum, carnem suam dicere, quod ejus sit symbolum & Sacramentum, citra illius panis destructionem, prout non tollebatur omnis substantia petrae eo quod petra diceretur esse Christus. Quoad alterum locum ex Matt: xxv, 26. Cajetanus supra citatus evertit omne hoc Tirini argumentum; Nam hoc praedicatum, corpus Christi pro nobis paulo post tradendum in cruce, potest optimè & sano sensu tribui *pani naturali*, ut id dicatur esse panis naturalis, per significationem & commemorationem; Nec debet esse ideo panis cum corpore Christi connaturale subjectum recipiens & inhaesionis accidentium quae tribuuntur corpori Christi, cum sufficiat illud esse corporis Christi cum suis omnibus attributis considerati, subjectum attributionis vel praedicationis, non propria praedicatione, sed tropicâ & figuratâ.

Desinit autem hac substantia) Id quidem verum omnem substantiam facile desituram per solam subtractionem concursus positivi Dei, quo ante conservabatur in suo esse; Sed I. Talis desitio tunc debet esse totalis annihilatio ejus rei; unde Becano simplex *desitio & annihilatio* idem sunt, cap. 18. de Sac. q. 3. §. 3. At nec annihilatio substantiae panis est totalis in Eucharistia, remanentibus omnibus illius accidentibus: neque annihilatur panis ex sententia Pontificiorum, eodem Becano iudice *ibidem & quaest. 5.* unde colligam quod non desinat esse; quia desitio essendi per subtractionem concursus divini est mera annihilatio. II. Affirmat hinc Tirinus quod sui gregales non admittunt, illam desitionem fieri per solam subtractionem concursus divini; etenim eos hinc abire in diversas sententias ex Becano liquet V. S. q. 5. & pertendit ipse Becanus cum Suarezio, Capreolo & alijs, panis substantiam desinere, non per solam subtractionem concursus divini, ut vult noster Tirinus, neque per eandem actionem qua corpus

Christi

Christi introducitur (quamvis forte deberet positio & generatio unius esse remotio & corruptio alterius; *Cedant arma toga:*) sed *vi illius actionis realis quâ accidentia separantur à subjecto & per se constituuntur ut existant sine subjecto*; quanquam, ô Becane, separatio ipsa accidentium à suo subjecto ut seorsim existant, non debeat formaliter habere vim destructivam subjecti; cum Deus, qui potest, uti vis, concursu suo conservare accidentia sine subjecto, possit similiter subjectum sine accidentibus conservare: nisi annumeres accidentibus illius subjecti, ejus existentiam, quâ separatâ, necesse est desinat existere; at si separaretur existentia panis cum reliquis ejus accidentibus seorsim conservandis, necesse erit ipsum panem quoque conservari, cum non possit non existere ipsius existentia conservatâ & remanente. Quid quod datâ ejusmodi Dei actione reali & positivâ ad separanda à subjecto omnia ipsius accidentia, posset ipsum subjectum non penitus interire, sed amissâ priori formâ suâ substantiali, resolvi in aliam materiam, & in tenues auras abire. Sed nostrum non est tantas inter istos componere lites. III. Non desinere substantiam panis, supra sufficienter est demonstratum, & indicio sunt perseverantia omnia accidentia qualia ei inerat ante consecrationem: Si enim tota panis substantia desinat, abolitis materia & forma, quæ ab illis fluunt proprietates omnes una aboleri oporteret.

Quo sensu 1. Cor. x, 16.) Et nos supra *ad n. 3.* hæc loca expedivimus & quam malè hîc conetur se expedire Tirinus, sufficienter demonstravimus.

Num: 4. ACCIDENTIA ergò panis & vini, quæ reliqua manent in Eucharistiâ, existunt ibidem **SINE SUBJECTO**, (ut Concilia Constantiense, Lateranense, & Tridentinum contra hæreticos definiunt) solo concursu Dei conservativo detinente ipsa in suo Esse: nam accidentia realia habent in se & per se sufficientem entitatem. Et licet naturaliter inclinent ad inhærendum substantiæ, ad quam ornamandam ex se ordinantur, (accidentis enim esse est inesse:) tamen actualis unio cum substantiâ, non est illis essentialiter necessaria; Sicut anima nostra licet ex se appetat informare corpus, potest tamen sine actuali informatione per se separata existere; Apoc: vi, 9. *Vidi animas intersectorum*, &c. Et hæc accidentia in hoc Sacramento signum sunt visibile, quo tegitur invisibile corpus

pus Christi, Deo utrumque modo prorsus mirabili in unum nobilissimum Sacramentum connectente. Vnde & primo instanti quo accidentia illa ita alterata sunt ut in aliud transmutentur, definit illis subesse corpus Christi; desinente Deo illud ibidem conservare. Cùm enim tunc non amplius possit per species illas seu accidentia demonstrari, in propositione, *hoc est corpus meum*, non debet etiam diutius ibi adesse.

CENSURA. *Accidentia ergo panis & vini*) Faciliùs hæc sibi fingunt adversarij; quam probant vel ex ratione vel ex Scriptura. Etenim cum accidentis esse sit inesse, tam absurdè constituitur accidens sine subjecto, quam fingeretur accidens quod accidens non esset: Ita se habet *Ineitas*, ut barbarè loquuntur, sive inhærentia ad accidens, ut *perfeitas* ad substantiam, quæ definitur Ens per se existens: maximè cum *ad per se* in illa definitione ponatur pro *non in alio*, quod est accidentis; quare ut nequit esse substantia quæ *per se* non existat, sic non potest esse accidens quod alicui non *insit*. Remanet sane in hostia consecrata quantitas & extensio solita panis; at cum ipsa extensio sit modus substantialis naturæ corporeæ, ipsam naturam corpoream remanere oportet; non solum juxta Doctiss. Cartesij axioma verissimum, *Vel tantillum de substantia corporea detrahi non posse, quin tantundem de quantitate & extensione tollatur, princ. phil. p. 2. §. 8.* sed etiam juxta Becani Jesuitæ *cap. 19. de sacram. q. 2. §. 1.* placitum, quod *modi substantiales sine substantia existere nequeunt*; quo argumento pertendit localem præsentiam panis absque panis substantia remanere non posse. Si quantitatem ipsam spectemus, cum tot sint etiam inter Pontificios qui quantitatem molis negant rem esse distinctam à substantia materiali, quos inter Suarez omnes Nominales refert *Disp. 40. sect. 2. §. 2. Metaph.* ad quos monet *ibi* Revius & Arriagam Jesuitam accedere *disp. 5. Metaph. subsect. 1.* non video qua fiducia audeant Adversarij pertendere quantitatem panis & vini sine subjecto remanere, quandoquidem seorsim à subjecto nequeunt existere quæ realiter à subjecto non distinguuntur. Addo id quod remanet in pane Eucharistico, cibum esse propriè dictum qui vim nutritivam habeat, adeo ut æquè nutriretur qui ex pane & vino tantum consecrato viveret, ac qui ex pane & vino ordinario vesceretur.

Scio

Scio quidem ea de re disputari apud Adversarios, ut videre est apud Becanum *cap. 20. quest. 4. de sacr.* sed ad experientiam provocamus, cui innixus ipse Becanus ibi §. 2. statuit *certum esse ex accidentibus consecratis fieri nutritionem substantialem ut experientia docet, quia constat homines posse satiari & sustentari pane & vino consecrato, si in magna copia consecratur.* At nutrire mera accidentia non possunt: Nam quando alimentum convertitur in aliam substantiam est *conversio substantialis* eodem Jesuita teste *cap. 18. q. 3. §. 2.* Quare ex vi illa nutritiva quæ speciebus inest consecratis, eas meris accidentibus non constare merito colligimus; cum Becanus idem statuatur *q. 4. cap. 20. §. 3.* non sufficere quantitatem, sed necessariam esse aliquam materiam *ut species consecrata serviant nutritioni & generationi substantiali; maxime quia sola accidentia non possunt nutrire cum ad nutritionem requiratur alimentum substantiale.* Hic vero cum eodem Jesuita comminisci novam materiam productionem & creationem *in eo instanti quo species sacramentales sufficienter disposita sunt ad nutritionem vel generationem substantialem,* quid aliud est quam suaviter delirare? Deus enim non est censendus annihilasse primam materiam ut eam reproducat: nec possunt esse in meris accidentibus præviæ dispositiones ad nutritionem & generationem substantialem, cum tales dispositiones non sint accidentium sed subiecti & materiam; ac sicut per Transsubstantiationem exclusa fuit substantia panis ut corpus Christi introduceretur, ita aliâ transsubstantiatione deberet excludi corpus Christi, ut materia panis ad nutritionem reponeretur. Etenim non video quæ propior possit esse dispositio in accidentibus panis & vini ad nutritionem, quam cum retinent colorem, odorem, saporem, panis & vini: at quamdiu species sic integræ remanent censetur Christus sub illis totus latere, ut non possint novam suscipere materiam, nisi ipso Christo exturbato; *Veteres migrate coloni.* Denique quod est corruptionis & generationis capax non est immateriale; at *constat,* inquit Bucanus V. S. *vermes generari ex speciebus panis & vini corruptis:* Sunt ergo materiales illæ species, utpote corruptionis & generationis capaces. Hunc scrupulum cum olim injecissem cuidam cucullato Mosæ-Trajecti ex Dominicanorum ordine cui nomen P. Nicolao, viro aliàs non malo, respon-

N n n n

debat

debat in scriptis, 1°. deficientibus speciebus non amplius adesse corpus Christi; 2°. corruptionem accidentium ac præcipuè quantitatis, quæ miraculosè acquirerat fieri subjectum formarum subsequen-
 tum, adeoque virtutem & proprietatem substantiæ, esse generationem
 vermis aut alterius rei, imo posse nutrire; Sed paucis illis in verbis
 multa absurda suberant: nam non erat quæstio de deficientibus acci-
 dentibus, sed de illis producentibus: Deinde ut accidentium corru-
 ptio sit nutritiva, dici nequit, cum ad nutritionem, alimentum sub-
 stantiale requiratur: & concipi non potest quomodo quantitas omni
 destituta subjecto acquirat *miraculosè* fieri subjectum formarum sub-
 sequentium, aut ei competat virtus & proprietas substantiæ, id est
 quomodo revera ex mero accidenti fiat substantia; negante Boëtio
in Categ. Aristotelis, posse fieri ut accidens transeat in naturam substantiæ.
 Bonus quidem ille Nicolaus, hoc volebat *miraculosè* fieri; Sed Becanus
 V. S. statuit quod accidentia jam separata, suscipiant ubi ad id dispo-
 sita sufficienter fuerint, materiam ad nutritionem vel generationem
 substantialem *sine miraculo*. Si vero Antiquitatem hîc consulamus ea
 funditus evertet hanc Pontificiorum doctrinam de accidentibus *sine*
subjecto. Nam illa tractari, moveri, gustari & tangi, non inciantur:
 At *Tangere & tangi nisi corpus nulla potest res*, inquit ex Lucretio
 Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem*, cui istud axioma, *secularis sapien-*
tia digna sententia est. Et Ambrosius *ad 24. Luc. circa finem*, *Quod tangitur*
corpus est, quod palpatur corpus est. An non ergo corpus hostia consecrata,
 quam & mures rodere, & fures auferre, & canes devorare, & venefici
 Diabolo oppignerare possunt, si fides Manuali Exorcismorum, edito
 Anverpiæ cum privilegio anno 1635. Neque tantum Gregorius Nyf-
 senus *in Hexæmeron* asserit figuram non esse sine corpore, sed Au-
 gustinus (ut alios mittam constantes in eadem sententia) non se-
 mel negat accidens existere extra omne subjectum. Nomina-
 tim *Solisq. lib. 2. cap. 12.* tanquam impossibile respuit *ut id quod in*
subjecto est maneat intereunte subjecto: Et *Epistola 57.* *Tolle ipsa corpora*
qualitatibus corporum, non eris ubi sint & ideo necesse est ut non sint. Ita
 Isidorus *lib. 2. Originum cap. 26.* statuit non posse quantitatem, qua-
 litatem & situm absque substantia esse; & Damascenus *Dialect.*

Cap. 3. *Accidens res est qua non secundum seipsam potest esse, sed in altera habet consistentiam.*

Solo concursu Dei conservatur) At non possunt magis hæc accidentia, ex adversariorum hypothese, extra subjectum existere solo concursu Dei conservativo, quam solius illius concursus subtractione substantia panis tolli & removeri. Reclamat quoque Becanus cap. 20. de Sac. q. 1. §. 4. his verbis; *Quantitas panis separata à subjecto non conservatur per eandem actionem quâ antea conservabatur in subjecto, sed per distinctam*: Utri credemus? Adhæc cum Dei concursus non sit aliter conservativus accidentium in suo esse, quam prout eorum esse est inesse (ut etiam hîc habet Tirinus) qui posset fingi aliquis concursus Dei accidentium conservativus, quo etiam cum non insunt in suo esse detineantur?

Nam accidentia realia) Entitas accidentium in eo sita est ut insint; & qui dixerit cum Tirino illa esse entia *per se*, ex illis eo ipso faciet substantias; cum *perfectas* entitatem substantialem arguat, ut accidentialem *ineitas*.

Et licet naturaliter) Neque tantum inclinant ad inhærendum, sed cum eorum esse sit inesse, debent actu inhærere ut actu sint. Et simile quod hic ducitur ab anima est plane dissimile: quia anima citra miraculum existit extra corpus; eo quod sit natura substantialis, quæ licet, utpote partialis & incompleta, remaneat communicabilis corpori, nec habeat eam incommunicabilitatem quæ est supposito- rum sive subsistentium, habet tamen suam existentiam & perfectitatem, juxta quam per se existit & non in alio ut in subjecto; at accidentia cum nullam perfectitatem habeant, non possunt existere extra omne subjectum; Et si fiat, ut fingunt fieri in hostia consecrata, id fit per summum miraculum. Et huic similitudini respondeat pro me Augustinus *Soliloq. lib. 2. cap. 12. Esse aliquid in aliquo non nos fugit duobus modis dici; uno quo ita est ut etiam seungi atque alibi esse possit, ut hoc lignum in hoc loco, ut Sol in Oriente: Altero autem quo ita est aliquid in subjecto ut ab eo nequeat separari, ut in hoc ligno forma & species quam videmus, ut in sole lux, uti in igne calor; uti in animo disciplina, & si qua sunt talia.* Priori modo anima est in corpore; pò-

re; posteriori accidens in subjecto; quare ab illa ad hoc vitiosè Jesuita argumentatur.

Et hoc accidentia) Cum omne sacramentum signo constet & resignata, juxta illud tritum in Scholis, Adde verbum elemento & fiet Sacramentum, merito inde urgeamus Pontificios, quod non sit futurum in Eucharistia Sacramentum, si panis quod signum est & elementum debeat aboleri: Forma in materiam debet introduci ut eam actuet & perficiat: Sed hinc fingitur forma in materiam Sacramenti introducenda, per verba consecratoria, non ut compositum sacramentale cum ipsa constituat, sed ut illam destruat. Præterea non capimus qui statuatur hujus Sacramenti materia panis & vinum, ut sit ab omnibus adversariis, & tamen non concedatur materiam hanc esse quoque signum in Sacramento; sed id honoris accidentibus inanibus post panis & vini materiam abolitam tribuatur: Nos bardos qui putaveramus semper, nihil esse signum in Sacramento quolibet, quam quod illius Sacramenti materia est: Deinde & id mirum quod dicantur Tirino accidentia remanentia & corpus Christi modo prorsus mirabili in unum Sacramentum à Deo connecti: cum nec ullus sit nexus inter accidentia illa & corpus Christi, quando quidem illa extra omnem subjectum existentia, hoc non tangunt ullo modo, vel ullâ in hærentiâ aut adhærentiâ afficiunt; nec debeat fingi vinculum ullum, physicum inter signum & rem signatam in Sacramentis, sed tantum morale ex analogia signi ad rem significatam, quam juxta institutionem & promissionem divinam consequitur. Quare non tegi oportet signo rem significatam instar involucri physici, sed convenienter duntaxat significari; cum signi munus in suo formali sit non tegere, non involvere physicè rem significatam, sed eam significare & quasi intellectui repræsentare id est præsentem facere, dum in signo non expenditur id quod est, sed id quod significat & aliud videtur, aliud intelligitur. Sed maximè id improbamus in Tirino quod cum panis & vinum fuissent materia Sacramenti ante consecrationem, tamen eorum solâ accidentia remanentia absque subjecto dicat esse signum sacramenti: cum inter inania accidentia, omni facultate nutriendi destituta, & corpus ac sanguinem Christi verum cibum & potum animarum nostrarum, nulla analogia vel ex rei natura vel

vel ex institutione divina dici aut concipi possit. At necesse est eo absurditatis devenire homines quibus præconceptum errorem tueri decretum quo jure quâ injuriâ. Ad eundem lapidem impegit olim Armandus Richelius tunc Luffonensis Episcopus, (postea factus Celeberrimus ille Cardinalis qui longè prudentior politicus fuit in rebus gerendis, quam subtilis Theologus in propugnanda Theologia suorum,) *Defens. prac. art. fidei contra quatuor Carent. Ministros cap. 6. sect. 2.* Statuit enim sensibilitatem & rationem signi ex se alligari accidentibus & speciebus, non vero substantiis qua ex se sunt insensibiles; adeoque id omne quod significat, significare accidentium ratione; nec verbi gratia hominem vivum cognosci nisi ex sermone, motu & aliis accidentibus; Addit insuper esse rem indifferentem sacramentis quorum essentia consistit in significatione, constitui in speciebus substantia conjunctis aut ab ea separatis, eo quod esse suum possint conservare sine sua substantia qua nihil ad earum essentiam confert, quandoquidem id omne subsistere potest, quod sua essentialia habet. Sed bonus vir non animadvertibat quantum his verbis impingeret: Id quidem verum, essentiam Sacramentorum in significatione consistere, sed id quam verum est, tam obest sententiæ Pontificiæ juxta quam Sacramenti Eucharistici essentia & formalis ratio planè alia constituitur. Id quoque certum non interesse Sacramento, qua in re signum ipsius constituatur, modo signum illud sit institutionis divini; Sed I°. Falsò supponitur posse accidentia mera & seorsim existentia constitui in signa sacramentalia; cum id signum fieri nequeat, quod nequit esse in rerum natura. II°. Falsò dicitur posse accidentia suum esse conservare sine subjecto, cum eorum esse sit inesse; Unde patet ea non habere omnia sua essentialia si non insint, cum tunc esse non possint. III°. Falsò asseritur substantiam nihil conferre ad esse accidentium, cum nisi illa reciperet, accidentia esse desinerent. IV°. *Ἀφίλοσοφός* id omne censetur capax subsistendi quod essentialia sua habet; Nec enim res finitæ subsistunt vel existunt per suam essentiam, ut Deus, sed per aliquid ei superadditum: Quare etsi verum esset accidentia habere quicquid ipsis est essentialia citra subjectum, id tamen ad eorum existentiam non sufficeret, sed ad illam incitas sive inhaerentia subjectiva requireretur. V°. Nec verum est sensibilitatem

bilitatem & rationem signi per se alligari non substantijs sed accidentibus: Quamvis enim substantia non incurrat in sensus nisi per accidentia quibus vestitur, non tamen inde sequitur rationem signi in solis accidentibus esse sitam: Si præsertim ut in hoc mysterio tale signum proponatur in quo non accidentalia sed substantialia ut hîc, debent expendi & considerari; Nam ibi substantialia veniunt expendenda, ubi signum & elementum eatenus significat quatenus est cibus & alimentum, quod ei per substantialia sua convenit. Accidentalia itaque faciunt ut cognoscamus id quod signum est materialiter, sed substantialia veniunt ibi potissimum attendenda formaliter qua signum est: Sunt per nos accidentia signa naturalia substantiæ panis, non poterunt tamen esse signa Sacramentalia corporis Christi, quocum in esse suo accidentali nullam planè habent vel convenientiam vel similitudinem, cuique per consequens significando planè inepta sunt.

Vnde & primo instanti) Cum alteratio sit motus ad qualitatem, & omnis motus physicus præsupponat subjectum mobile, quod corpus aliquod esse debet, non potest meris accidentibus omni subjecto destitutis tribui alteratio sive motus ad qualitatem. Adhæc non video quî terminus istius imaginariæ alterationis in his accidentibus, possit esse transmutatio in aliud: Nam accidentia hæc mera non possunt transmutari, vel in substantiam, vel in alia quædam accidentia: Non in substantiam; cum nihil nisi materiale & substantiale in substantiam possit transmutari, ut cum ex aqua vinum factum fuit in nuptiis Cana: Non in alia accidentia; quia tunc darentur quoque alia accidentia sine subjecto, quæ tamen non essent specierum sacramentalium & consecratarum. Sed positâ illâ alteratione accidentium istorum, cur desineret corpus Christi sub illis esse? Cum enim accidentia hæc non desinant esse, etiam cum alterantur, quia alteratio non est rei abolitio & annihilatio, nulla dari potest ratio, cur deberet Christi corpus removeri ex illorum involucris; Neque ex Scripturis aut ratione potest probari, non debere Deum conservare corpus Christi sub speciebus jam alteratis, posito quod sub illis alterandis voluerit ipsum antea collocare. Imo si ideo manducandus

candus est Christus ut maneat in nobis, non debet desinere esse in iis qui jam digerere vel egerere incœperunt species consecratas, sed potius illis absumptis intimiorem adhuc sui præsentiam largiri ijs qui species illas ante perceperint.

Cum enim tunc non amplius) Si Christi corpus non est amplius sub speciebus consecratis, cum non amplius per illas determinari potest in propositione *Hoc est corpus meum*, sequitur ne quidem amplius isthïc esse quam primum sacrificulus hostiam deglutit; etiam si nondum sint ita alteratæ species ut novam materiam, juxta doctrinam Becani, ad illius nutritionem queant recipere: Porro dum statuit Tirinus Christi corpus per illa accidentia demonstrari in propositione *Hoc est corpus meum*, oportet illius propositionis subjectum constituat illa ipsa accidentia; quæ cum sint æquæ disparata corpori Christi ac ipsa panis substantia, eo ipso corpus Christi non potest de illis, nisi improprie & figuratè prædicari. Sed ita nesciunt adversarij quam significationem illi pronomini *Hoc* tribuant, modo id non significet quod solum revera significat, nempe panem; ut aliquando vagam significationem ei deputent, aliquando usum adjectivi; aliquando usum substantivi; nonnunquam pro corpore ipso Christi illud volunt supponere, & quandoque pro speciebus & accidentibus inanibus ipsius panis. Tantæ molis erat absurdissimam sententiam quoquo modo tueri.

Nam: 5. NEQUE tamen SUB SPECIEBUS panis est SOLUM CORPUS Christi, & sub speciebus vini solus sanguis: sed per concomitantiam etiam ANIMA ac DIVINITAS, adeoque (etsi rideant Sacramentarij) **TOTUS CHRISTUS** vivus & gloriosus est (ut eadem Concilia definiunt) sub **UTRISQUE** speciebus, imò sub quâlibet earundem particula & puncto. Ioh: VI, 51. *Ego sum panis vivus; verè: 58. Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Ergò qualis est in se Christus, talis est in Eucharistiâ; Rom: VI, 9. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Vnde Matth: xxvi, 27. etsi ex uno calice Apostoli omnes biberent, singuli tamen totum hauserunt Christum. Ratio verò est, quia Christus in Eucharistiâ non est modo quantitativo & coextenso loco, sed modo indivisibili spiritibus proprio, quo totum ut est in toto, sic etiam est in singulis partibus totius.

CENSURA.

CENSURA. *Neque tamen sub speciebus*) Si ita res est, falsa erunt illa signa, quæ in pane corpus Christi ut fractum & mortuum, in vino ejus sanguinem ut effusum significant & repræsentant: Tum per illam concomitantiam non solum tollitur necessitas duplicis symboli separatim exhibendi in pane & vino, sed etiam bina statuitur bibitio sanguinis Christi, & bina corporis ipsius manducatio, una in speciebus panis altera in speciebus vini; Adhæc juxta hanc doctrinam, vere poterit de specie panis dici Hoc est sanguis Christi, sive communicatio sanguinis Christi, & de calice ac vino, esse Christi corpus & corporis Christi participationem, quorum utrumque est absurdum & à Scripturæ stilo planè alienum. Quid quod perabsurdè imo impiè ita statuatur terminum ad quem Transubstantiationis saltem indirectum & secundarium esse ipsam æternam divinitatem, quasi ea possit fieri ex frusto panis? Et cum hoc Sacramentum nos ducat ad commemorationem mortis Christi, non debet ibi fingi Christus *totus vivus & gloriosus in utriusque speciebus*, cum hoc sensu neque vivificet neque nutriat; Ut enim ad vitam hanc nostram terrenam sustentandam, illa quibus nutritur debent mori & suâ vitâ mulctari, sive vegetativa fuerint sive sensitiva; adeo ut inter septem præcepta Noachidarum hoc unum Judæi dicant fuisse, non esse manducandum membrum animalis viventis; Ita etiam vis omnis nutritiva & vivifica quæ inest Christo ab ipsius est morte & per illam exeritur. Præterea eodem modo est nobis sumendus Christus quomodo eum sumpserunt Apostoli in prima Cœna; atqui eum non sumpserunt ut gloriosum, sed ut mox moriturum & passurum & variis contumeliis exponendum pro illis; ergo nequè sub speciebus Eucharisticis totus vivus & gloriosus latet ac si ita sumendus esset.

Imo sub qualibet earundem) Sed illud est absurdius: Nam primò corpus integrum suis constans dimensionibus non potest latere sub puncto, cum nequidem id Angelicæ naturæ competat, quæ exigit aliquod spatium extensum ad suum ubi definitivum; non quod ipsa natura Spiritualis non sit inextensa, sed quod ubi vel abietas ex sui parte, spatium aliquod requirat, quod ad puncti indivisibilitatem contrahi nequit. Deinde si latet totus Christus sub qualibet

qualibet specierum particula & puncto, non solum quælibet gutta vini, à reliquis calicis speciebus discreta continebit seorsim corpus Christi, sed ipse quoque Christus erit multiplicandus pro multiplicatione vel guttarum vini vel portionum & fragmentorum hostiæ, in quas possunt distribui: Atque id summopere mirum est ordinari ipsammet sacerdotis intentionem in unaquaque hostia ad transubstantiationem, cujus unicus terminus est corpus Christi, & nihilominus terminum illum unicum quadantenus multiplicari ex multiplicatione partium in quas frangitur illa hostia consecrata; ita ut totus Christus qui initio latebat sub tota hostia per verba consecratoria, eo ipso quod species franguntur debeat à seipso dividi, & mirâ sui ipsius multiplicatione esse totus vivus & gloriosus in unaquaque earum parte, non occupato tamen (quod magis est) eo spatio quod est inter singulas partes; quod quam sit alienum ab ubië-tate definitiva spirituum, res ipsa loquitur. Nonnulli ex adversarijs recurrunt ad similitudinem speculi, quod licet integrum unicam tantum intuentis faciem repræsentet, eandem tamen potest repræsentare singulis suis particulis si frangatur: Sed ut id simile lubens admitto, quo denotetur singulas panis consecrati particulas non secus ac ipsum totum, rem significatam repræsentare atque significare, sic illud pertendo variè obesse dogmati Pontificio: Nam si non aliter hostia exhibeat corpus Christi quam speculum faciem intuentis, nulla ibi erit corporis Christi alia præsentia quam intentionalis (non realis) & repræsentativa; Ac sicut non potest quælibet speculi portiuncula faciem meam repræsentare, nisi illi adhibeatur, nec possunt simul eandem referre actu, sed tantum per vices & successivè, ita quælibet hostiæ consecratæ portio non significat corpus Christi, nisi cum ad illud significandum determinatur & adhibetur.

Ioh: vi, 51. Ego sum) Cum Christus se vocat panem vivum, non vult, vel panem Eucharistiæ formaliter vivere, vel se vivum & gloriosum esse ore devorandum à pijs; Nec enim loquitur Christus hoc loco de pane Eucharistiæ quæ nondum erat instituta, sed de seipso; nec se panem vivum ideo vocat quod sit totus & vivus ore deglutiendus, cum nihil vivum quæ tale & quamdiu tale ma-

0000

net,

net, sit nutritivum, sed quod mortis & passionis suae virtute, se spiritualiter & per fidem manducantibus sit panis vivificus, id est conferens vitam aeternam. Ipse Tirinus eo loci pro eodem sumit panem esse vivum & vivificantem in aeternum; in quo Emanuelis Sà ejusdem secum ordinis vestigia premit. Est Hebraismus quo Kal pro Hiphil & rranstivo ac ζῆν pro ζωποιεῖν usurpatur: Neque hoc loco tantum ὁ ζῶν idem est quod ζωποιῶν, sed etiam, Act: vii, 38. Heb: iv, 12. 1. Pet: i, 3. Hunc autem vivificum panem juxta Joh: vi, 58. qui manducaverit vivet, cum non aliter sit vivus quam quod vitam conferat spiritualem & aeternam se manducantibus spiritualiter & per fidem: Neque id potest, ut sit à Tirino ibi, ad Eucharistiam extendi, quasi mens Christi sit dicere, *Sicut ego vitam omnem (tam divinam quam humanam, naturam, gratiam, gloriam) haurio à primo fonte omnis vitae, id est à Patre & à divinitate cui substantialiter conjungor, ita qui me in Eucharistia manducat, quia mihi qui etiam fons vitae sum, tam arctè conjungitur, vitam omnem ex me hauriet.* Nam nec de Eucharistia hoc loco agit Christus, uti visum aliàs, nec qui ex hypothese Pontificiorum vescitur Christo in Eucharistia tam arctè eo ipso conjungitur illi, ut non minùs vitam omnem spiritualem ab ipso hauriat quam ipse à suo Patre; cum plerique in Eucharistia non vitam sed mortem hauriant, edendo & bibendo suum judicium: **Quare hæc Christi sententia vera est demum de sui manducatione Spirituali & per fidem, non Sacramentali & quæ fieret ore, uti sibi persuadent adversarij.**

Ergo qualis est in se) Id vero falsum est, quia non est in Eucharistia per esse suum physicum & naturale, sed per esse suum mysticum, significativum & Sacramentale; Sacramentum autem hoc non habet *χρίσιν* suam ad Christum uti nunc vivit & regnat in cœlis, sed ad ipsum uti sanguinem suum fudit in cruce & dirissimam mortem subiit pro redemptione nostra, juxta illud Apostoli, **Quotiescunque manducaveritis ex hoc pane & biberitis ex hoc calice annuntiabitis mortem Domini usque dum veniat** 1. Cor: xi, 26. Et cum in se respectu humanitatis sit extensus, visibilis, tangibilis, habens partes extra partes, nequit statui esse *talis* in Eucharistia *qualis in se est*,

est, cum dicatur esse in Eucharistia in extensus, invisibilis, immobilis, & totus sub puncto. Nec tam operose pertenderent Pontificij idem corpus existens in duobus locis non habere necessario utrobique eadem formas, neque debere mutari in uno loco etsi mutetur in altero, ut fit fuscè à Becano *c. 17. de Sacr. q. 15. & 16.* adeo ut idem corpus possit simul esse erectum, mobile, calidum & album Romæ, & jacens, immobile, frigidum & nigrum Lutetiæ; ibi per alimentum nutriatur ac augeatur, hic fame & siti tabelcens decrescat & deperat, si verum esset *talem* esse Christum in Eucharistia qualis est in se. Ineptè adducitur à Tirino locus Rom: vi; 9. cum ex illo potius liqueat Christum in suâ personâ nulli ampliùs subijci injuriæ vel contumeliæ, quas tamen graves adhuc debet pati si indistanter præsens sit in Eucharistia; adeo ut à muribus rodatur, à furibus auferatur, à sacrilegis & impijs vel cultellis transfigatur, vel in cloacam dejiciatur, vel quod magis est diabolo in tesseram fœderis cum ipso initi consignetur; unde Exorcismus in *Man. Exorcism. p. 2. p. 210. ad compellendum demonem ut traditam sibi ab homine Eucharistiam restituat.*

Vnde *Mat: xxvi, 27. etsi*) Apostoli ex uno calice bibendo, eundem Christi sanguinem mox in cruce effundendum, per illud geminum vitis significatum, hauserunt procul dubio per fidem, juxta quam qui Christo fruitur, eum totum habet; sed ridiculè dicerentur ore corporis hausisse totum Christum, cum sic non possit hauriri nisi quod potabile & liquidum est; quod de integro Christo constante corpore anima & divinitate, dici nequit: Singuli quidem sumunt eundem numero Christum qui participes fiunt ejusdem numero panis consecrati, non quod physicè Christus sit in Eucharistia, sed quod panis ille moraliter & sacramentaliter Christum significet & repræsentet singulis qui ex illo pane vescuntur: Jam autem nihil facilius quam unius ejusdemque rei multiplicari relationem significativam pro multiplicatione terminorum suorum, quemadmodum multiplicantur species intentionales rerum sensibilium, in eodem quoad se statu manentium, prout multiplicatur numerus eorum qui eas sensibus suis usurpant & percipiunt.

Ratio est quia Christus) Absurdum per absurdus. Nam ratio per quam

quam singuli percipiunt in Cœna totum Christum, est quia citra sui multiplicationem multiplicatur in pane, pro numero eorum quibus frangitur & distribuitur, mystica illa & sacramentalis significatio, ad quam ex Christi institutione est ordinatus, non vero quod totus Christus sub qualibet mica istius panis lateat & delitescat. Aliàs enim implicat contradictionem, corpus quod in se est quantum & extensum, habere modum essendi vel ubietatis nec extensum nec quantitativum, cum modus quantitativus non possit à re quæ quantitas est separari: Implicat quoque contradictionem corpus alicubi existere præfens, *modo indivisibili & spiritibus proprio*; nam quod spiritui proprium est, cum omne proprium sit incommunicabile (sunt enim propria *πᾶθι ἀχώριστα*, uti dicuntur Aristoteli *1. phys. cap. 4.*) nulli corpori potest convenire: Et cum divisibilitas quoque sit propriissima corpori, ab ipso nequit auferri per modum indivisibilem ipsi accidentem, quin corpus esse desinat; juxta illud Theodoret *dial. 3. Proprietatum deletio natura negatio est.* Implicat quoque contradictionem Christi corpus esse in Eucharistia modo spiritibus proprio, & tamen esse simul alijs in locis: Nam ubietas propria spiritibus est ea quæ in Scholis definitiva dicitur, per quam ita in certo & definito loco sunt ut non sint alibi: Nec admitteretur credo à Pontificijs reliquis hæc Tiriniana assertio, utpote qui velint Christi corpus non esse in Eucharistia, repletivé ut Deum, aut definitivé ut Angelum, aut circumscriptivé ut est in cœlo, sed modo quodam alio ipfis inexplicabili quem sacramentalem vocant.

Num: 6. Et hæc ratio est, cur corpus Christi in Eucharistiâ, licet possit loco moveri, videri ab angelo & animâ separatâ, videre quoque & agere in alia adiacentia: (quia hæc non repugnant enti existenti in indivisibili:) tamen NON possit ab ullo agente naturali CORRUMPI, lædi, vel ullo modo alterari; partim quia in se est gloriosum, & consequenter impassibile: Rom: VI, 9. *Iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*; partim quia (etsi in se esset passibile, ut erat ante resurrectionem;) existit in Eucharistiâ modo impassibili respectu agentis naturalis, quod non potest ullam qualitatem corpoream producere in subiecto existente in indivisibili. In hoc enim qui sic existunt, *æquales angelis sunt*, Luc: XX, 36.

CEN-

CENSURA. Et hac est ratio) Totius hujus doctrinæ πρῶτον
 Ἰεσοῦ de Christo indivisibiliter in Eucharistia existente jam ante est
 refutatum; eò quod si illius corpus isthïc actu & indistanter præsens
 sit, debeat extensum & divisibile manere: cum præsertim Becanus
 c. 19. de Sacr. q. 2. & alij contra Durandum asserant Christum prout
 est in Eucharistia habere *quantitatem & alia accidentia materialia qua ha-*
bet in celo; etsi dubitent num illa Sacramento insint vi Sacramenti,
 an per concomitantiam. Totam itaque hanc controversiam, quid
 possit aut non possit Christus agere vel pati in Eucharistia, facilè mit-
 timus, cum Christum in Eucharistia indistanter præsentem esse, planè
 negemus. Monemus tantum non satis convenire hic Tirino cum suis,
 Statuit I. Corpus Christi in Eucharistia posse *loco moveri*; sed non de-
 finit an motum intelligat per accidens & qui fiat ad *motum specie-*
rum Sacramentalium, quo sensu non magis loco moveretur quam
 quælibet accidentia moveri dicuntur ad motum subjecti cui insunt;
 an vero motum intelligat proprium quo moveatur à seipso per *natu-*
ralem virtutem anima rationalis: Becanus cap. 19. de Sacr. q. 3. prius
 concedit, at posterius negat hac ratione; *quia anima non potest na-*
turaliter movere suum corpus nisi per membra organica, quibus NON
POTEST uti in hoc Sacramento licet ea habeat. Nam motus naturalis
horum membrorum requirit extensionem localem. Non potest enim unum
membrum impellere aliud nisi existant in distinctis locis partialibus, quod non
fit in Eucharistia. Adhæc Durandus apud Coninck, q. 76. art. 6.
 dubio 1. docet *corpus Christi in hoc Sacramento nullo modo posse moveri locali-*
ter, quia non est ibi localiter sed tantum per quendam respectum; & quamvis
 Coninck statuât hunc modum loquendi Durandi esse periculosum
 in fide (nam, inquit, videtur negare veram & realem Christi præsentiam in
 Sacramento) tamen agnoscit Cajetanum valdè favere illi sententiæ.
 II. Tirinus Christo in Eucharistia ita tribuit quod possit *videri ab An-*
gelo & anima separata, ut videatur negare videri posse oculo corpo-
 reo. At Becanus V. S. q. 6. agnoscit Nominales statuere Christi
 corpus in Eucharistia *posse naturaliter videri oculo corporeo*, & Thomis-
 tas recentiores cum Thoma docere id saltem *supernaturaliter posse*
fieri; Neutro tamen modo posse fieri docent apud Coninck q. 76.

art. 7. §. 108. Capreolus, Richardus & quidam alij Quod si solorum est Angelorum & animarum separatarum videre Christum in Eucharistia, (licet valde dubium sit an Missæ intersint) quid fiet de illis miraculis & apparitionibus, ex quibus etiam adversarij volunt suam doctrinam confirmari, in quibus ipse Christus in Eucharistia sub forma pueri aut carnis legitur apparuisse, secundum Algerum lib. 1. de hoc Sacr. & alios plurimos; quo pertinet potissimum liber editus Coloniae anno 1584. & inscriptus *Exempla illustrium aliquot miraculorum Dei beneficio in sacrosancta Eucharistia & corporis Domini hostia edita*, Authore Guilelmo à Gent Neomago, Senatore & Assessore in Curia Gelrica primùm, deinde Brabantina: Et hujusmodi apparitiones, quibus videtur Christus apparere in Eucharistia sub forma carnis, aut sanguinis, aut pueri, ex Paschasio, Guitmundo, Amphilochio propugnat Becanus cap. 19. de Sacr. q. 9. licet probabile putet in illis nunquam videri Christum secundum se, nec veram carnem aut sanguinem Christi. Sed Martinus Brefferus ejusdem sodalitiij homo lib. 6. de Consc. cap. 24. §. 352. probabilius putat ipsum Christum ejusque carnem & sanguinem verè & realiter secundum naturalem figuram & extensionem in Sacramento Eucharistia tunc apparere. Qui multas ad hanc rem fabellas videre volet hunc adeat Brefferus & videbit quanto cum molimine ineptissimas narratiunculas defendat. III. Tirinus asserit posse Christum in Eucharistia videre quoque & agere in alia adjacentia; At Becanus V. S. q. 4. & 5. planè contrarium docet, nempe Christi corpus in Eucharistia non possenaturaliter agere in corpus extrinsecum per actionem transeuntem; nec exercere actus sensuum tam exteriorum, quam interiorum. Et præsertim hac nititur ratione, quia agens non potest naturaliter producere qualitatem corpoream cujusmodi est omnis sentatio, cum modo existendi indivisibiliter: unde etiam colligit Christum in Eucharistia non posse naturaliter videre seipsum. IV. Tirinus censet non posse Christi corpus in Eucharistia ab ullo agente naturali corrumpi, ladi, vel ullo modo alterari, tum quia est in se nunc impassibile, tum quia modo impassibili existit in Eucharistia. Sed neque id tam certum est Pontificijs quin statuant aliquando hostias cultellis appetitas sanguinem fudisse, cumque sanguinem pro ipso Christi sanguine vero, ut

ro, ut fit in Sacramento Miraculi Bruxellis & alibi, cultu latriæ esse adorandum, quod multis conatur probare Bresserus V. S. Sexcenta istius generis apud Pontificios disputantur in quibus nihil habent certius quam omnia incerta esse: adeo ferax est absurditatum doctrina Transsubstantiationis, quæ Averroi Philosopho Sarraceno eoultque fuit scandalo, ut profiteretur se gentem Christianâ stultiozem non vidisse quæ suum Deum comederet. Nec sanè immerito; cum vel Theodoro, teste, *summa fit stultitia, id adorare quod comeditur; q. 55. in Gen.*

NUM: 7. NON consistit hoc Sacramentum IN SOLO USU vel sump-tione (ut Martinus Bucerus Luthero & reliquis omnibus tam Sacramentarijs, quàm Lutheranis persuasit,) sed IN RE PERMANENTE, putà in ipsâ hostiâ consecratâ: Vnde & asservari, & circumferri, & adorari illa potest. Prius enim à Christo dictum fuit, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, quam fieret actio manducandi vel bibendi. Idè enim jubentur manducare & bibere, eò quod esset corpus & sanguis Christi, Matth: xxvi, 28. & Luc: xxi, 20. *calix dicitur continere sanguinem, non verò solum os bibentis.* Et in hoc distinguitur Eucharistià à reliquis Sacramentis. Sumptio tamen Eucharistiæ concurret ut conditio sine quâ non applicaretur nobis Sacramentum, nequè in nos ageret divinum hoc alimentum. Ioh: vi, 54. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis &c.*

Cochleus
l. 3. Mis-
cellaneorū
tract. 8.

CENSURA. *Non consistit hoc Sacramentum*) Non illa fuit unius Bucerii sententia, sed totius Antiquitatis, quæ nescivit quid esset hostiam consecratam asservare, circumferre & adorare: aut in unius hostiæ permanentia, vino jam exhausto, permanentiam Sacramenti collocare. An adorassent veteres Eucharistiàm, qui nequidem de geniculis eam recipiebant, saltè diebus Dominicis, per quos in genua concidere nefas putabant, ut liquet ex *Tertull. de Corona mil.* sed vel stantes vel accumbentes mensæ; & quibus persuasissimum erat unicum Deum esse adorandum? Ille panis in Eucharistià non adorandus sed manducandus proponitur, nec Apostoli eum adorarunt; Et cum eo vœsanæ procedunt Pontificij, ut cultum & adorationem latriæ, quod magis est, deferant Eucharistiæ Sacramento juxta Concilium Tridentinum *sess. 13. c. 5. & can. 6.* non solum artolatas se profitentur, sed etiam ad eas rediguntur difficultates, ut verè cum Samaritanis adorent quod

quod nesciant; cum nulla ratione possint esse certi Christum ibi præsentem esse & hanc numero hostiam esse adorandam: eo quod nemini constare queat, an requisita omnia ad consecrationem ibi concurrerint; idonea materia, legitimus minister, sufficiens illius intentio, verborum consecrantium pronuntiatio & similia: Nec differunt adversarij ideo periculum subesse idololatriæ, saltem materialis ut loquuntur, in hostiæ quotidiana adoratione, cum ne quidem ipse consecrans certus possit esse se consecrasse, aut queat hostiam non consecratam à consecrata dignoscere. Hinc plures ut huic incommodo præverterent (quos inter nominantur Bonaventura, Marfilii, Alexander Halensis) cum non sit magis de fide hanc numero hostiam esse adorandam, quam has numero reliquias esse adorandas, nullam hostiæ cujuslibet in particulari concedunt adorationem nisi conditionatam, *Adoro te si tu es Christus*; Sed hanc rejiciunt hodierni Jesuitæ pertendentes illam materialem idololatriam ab omni culpa fore immunem, propter *insuperabilem* facti ignorantiam, ut videre est apud Bresserum *lib. 5. de Consec. c. 12.* qui insuper ore rotundo definit posse ipsummet diabolum adorari citra peccatum, si formâ crucifixi appareat, citato quoque ceu ejusdem secum sententiæ Gabriele *Valquezio lib. 3. de Ador. disp. 1. cap. 5. & 3. p. disp. 110. cap. 5.* An veteres solemnî pompâ circumgestassent, Eucharistiâ, qui ipsos etiam Catechumenos ejiciebant foràs quoties erant eam celebraturi, ne mysterijs interessent qui illis nondum initiati fuerant? Unde Missæ Catechumenorum à Missa fidelium, decantata distinctio, quod illa communionem Eucharisticam præcederet, hanc eam consequeretur; Neque illius circumgestationis vel minimum occurrit in Antiquitate vestigium; Et quanquam festum huic Sacramento speciatim destinatum sit recentis admodum instituti, nam ejus author fuit anno 1264. Urbanus IV. ad instantiam mulierculæ cujusdam nomine Evæ, cum qua bonus ille Pontifex familiaris olim Leodij conversatus fuerat, tamen pomposa hæc circumgestatio est ipso festo adhuc recentior; agnoscente Genebrardo *in Urbano 4. nonnisi centum annis post*, eam incepisse Pataviæ, atque inde *ad reliquas Occidentis partes* manasse; Et qui eam negaverit ab Ethnicorum & idololatrarum

tarum sacris facerrimis desumptam, quorum vestigia extant Amosi V. 25. is toto cœlo erraverit. Circumgestatam eo modo fuisse olim arcam fœderis, facilius dixerit Genebrardus, quam probaverit; ut verò arcescât eam suorum consuetudinem à Judæorum ritu superstitioso qui eo festo, quod dicunt *חמדת תורה*, *librum legis circum Synagoram ferunt solemniter, adorant, postaque in Teba deinde in Hecal cen armario reponunt*, per me licet. An denique Veteres asservassent, ut sit hodie in Papatu, Eucharistiam circumgestandam & adorandam, qui quod ex oblatis residuum erat peractâ communionem volebant reservari in crastinum, ut videre est apud Pseudo-Clementem in *Epist. decr. 2.* cujus verba extant in *Decreto dist. 2. de Consec. Can. Tribus gradibus*, quem locum etiam urgebat olim ad hanc rem Humbertus contra Nicetam; sed vel à clericis diligenter consumi, ut ibi præcipitur, vel in ignem conjicij, ut suo tempore factum testatur Hesychius ad *Levit. 8.* vel pueris è ludo litterario absumendum tradi, ut fiebat in Ecclesia Constantinopolitana testibus in *Historia Ecclesiastica Nicephoro lib. 17. cap. 25.* & *Evagrio lib. 4. cap. 35.* Nec abibant adhuc procul ab isto more Ecclesiæ Gallicanæ anno. 585. quo Concilium Matisconense secundum, *can. 6.* ita sanciebat; *Quæcumque reliquias sacrificiorum post peractam Missam in sacrario supersederint, quartâ vel sextâ feriâ innocentes ab illo cujus interest ad Ecclesiam adducantur & in dicto eis jejuniis easdem reliquias conspersas vino percipiant.* Fusiùs per hunc campum non lubet decurrere, & ostendere per quos gradus eò sit devenit in Papatu, aut quid statuendum de particularibus Veterum exemplis, quibus nititur Bellarminus, *lib. 4. de Eucharist. cap. 4.* comprobare etiam aliquam viguisse olim asservationem Eucharistiæ, quæ comparata ad hodiernam potius vergebat in contumeliam & profanationem Sacramenti quam in cultum & venerationem illius: Videatur hac de re Hospinianus, *Histor. Sacram. lib. 5. cap. 6.* Satis mihi sit Tirino hîc opposuisse verba Bielii, *lect. 86. in Can. Missæ, littera F. Manducatio & potio hujus sacramenti est usus; Hinc & volens discipulos suos Christus fructus hujus Sacramenti participes fieri, postquam corpus suum consecravit non sisteat in consecratione; neque dedit discipulis ut ipsum honorificè conservarent, sed dedit in sui usum dicens. Accipite & manducate;*

P p p p

Et quo-

Et quoniam per usum manducatio transit & consumitur, dedit eis quoties vel-
lent consecrandi potestatem, dum addit Hoc facite in meam commemoratio-
nem, ita ut nunquam fructu usum Sacramenti consequente, privarentur propter sa-
cramenti carentiam & defectum: Ex his satis patet quod consecratio ad VSVM
qui est ejus manducatio tanquam ad finem quodammodo proximum ordinatur,
quia Christus postquam accepit panem, benedixit & dedit discipulis suis ut man-
ducarent. Hac sane Bielii doctrinâ refutatur evidentiter paradoxum
Tirini, Sacramentum non in usu solo sed in re permanente & asservan-
da consistere. Aqua Jordanis non erat Sacramentum, cum nemo in
illa baptizabatur; nec baptisterij aqua, etsi solemniter consecrata, ex-
tra usum baptismi sacramentum est: Non putarunt illi veteres Sacra-
mentum esse oblatorum reliquias peractâ communionem Eucharisticâ,
qui illas vel in ignem conjiciebant, vel extra communionem clericis
& pueris è Schola absumendas tradebant: Et cum hoc Sacramen-
tum ad esum & usum ordinetur ex ipsius Christi institutione & inten-
tione, non est quod illi extra usum, esum & communionem, natura
sacramentalis tribuatur: Neque videmus Apostolos, primæ suæ synax-
eōs reliquias asservasse in cultus & adorationis objectum; licet
agnoscat Tirinus ad Matt: xxvi, 26. reliquias adhuc superfuisse species
vini consecrati, de quibus ac de vino profano quod in mensa vel in hydriis
supererat, Christus dixerit se à modo de hoc *genimine vitis* non bibitu-
rum. Nec tali asservationi locus erat inter Corinthios, qui *quacumque*
de sacrificiis superfuissent illic in Ecclesia, communem carnem comedentes, pariter
consumebant, ut asserit Author *comment. in Epistolas Pauli* qui vulgo Hie-
ronymo tribuuntur, ad 1. Cor: 11. Et mirum est Pontificios qui statu-
unt agnum Paschalem fuisse typum Eucharistiæ; non recordari quod
ex agno Paschali nihil fas erat in crastinum asservare Exod: xi 1, 10.
Interea debuisset dilucidius mentem suam explicare Tirinus: Dum
enim negat Sacramentum *in solo usu vel sumptione* consistere, saltem
videtur sentire sumptionem vel usum Eucharistiæ quoque ad essentiam
hujus Sacramenti pertinere, quam esse aliquot Scholasticorum
sententiam testatur Puteanus in 3. Thoma q. 73. dubit. 3. Artamen
juxta eundem Puteanum contrarium foret statuendum, videlicet Eu-
charistiæ Sacramenti rationem consequi ante omnem usum & sump-
tionem

tionem, ita ut usus & sumptio nec sit Sacramentum nec pars illius.

Prius enim à Christo dictum fuit) Hæc est quoque Puteani ratio, sed valde infirma; Nam illud Christi dictum ordinabatur ad usum & sumptionem, & ideo declarabat id esse suum corpus ut sumeretur & manducaretur; nec sanguinem continet calix sacramentaliter, nisi ut bibatur; undè & Augustinus citatus Bieli V. S. *ex libro Sentent. Prosperi; Dum frangitur*, inquit, *hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Domini corporis in cruce immolatio ejusque sanguinis de latere effusio designatur?* et signantiùs *in lib. de Trinit. uti refertur dist. 2. de Consecr. Can. Qui. Qui Domini morte liberati sumus, hujus rei memoriam in edendo & potando carnem & sanguinem qua oblata sunt significamus.*

Et in hoc distinguitur) Distinctione frivolâ & imaginariâ: Nam cur magis consistet hoc Sacramentum in re permanente, nempe hostia consecrata, quæ non debet asservari nisi ad sumptionem, quam Sacramentum Baptismi in aqua Baptisterij solemniter etiam consecrata, quæ ibi nonnisi ad usum asservatur; aut imaginaria Sacramenta Confirmationis & Extremæ unctionis in sacro chrismate & oleo infirmorum, quæ itidem in usum necessarium post solemnem benedictionem reservantur? Nec video cur sumptio in Eucharistia aliter se habeat ad hoc Sacramentum, quam immersio in Baptismate, aut unctio in Confirmatione & Extrema unctione; Quare ut non est aqua baptisterij Sacramentum Baptismi, nisi aliquis eâ aspergatur, nec chrisma Sacramentum imaginarium Confirmationis nisi quis eo inungatur, ita panis consecratus, hoc est ad usum Eucharisticum destinatus, Sacramentum non est Eucharistiæ in actu exercito, nisi quamdiu & in quantum sunt qui illo vescuntur; Nec sumptione propriè applicatur nobis Sacramentum, sed sacramentalis panis cum sumitur ex institutione Christi sit actualiter Sacramentum sumentibus, ad quod accederet modò sumptio, destinabatur, Melius ergo dixisset Tirinus per sumptionem elementorum applicari nobis rem significatam at fructum Sacramenti, si quâ par est pietate & fide sumatur, quam per sumptionem ipsummet Sacramentum nobis applicari: cum sumptio sit actio sacramentalis quæ ad Sacramenti complementum &

integritatem requiritur, Quod vero subijcit illam symbolorum perceptionem esse conditionem *sine qua non ageret divinum hoc alimentum* de quo Joh: v 1, 54. Nisi quis &c. falsum est; Nam neque eo Johannis loco perceptio symbolorum in Eucharistia proponitur ut necessaria ad vitam consequendam, sed ipsa spiritualis cum Christo unio & communio; nec potest Eucharistiæ Sacramentum aut illius usus statui conditio sine qua non essemus participes alimenti illius spiritualis quod in ipso significatur; multi enim inferuntur Christo & ex illo vivunt ac olim vixerunt, citra hujus Sacramenti usum, qui necessitatem non habet medij sed præcepti; & de quo illud retinendum, non damnare privationem Sacramenti, sed demum illius contemptum.

Num. 8. Christum instituisse Eucharistiam decimâ quartâ die primi mensis, quâ secundum legem non erat usus nisi azymi panis, ac consequenter IN AZYMO instituisse (contra Græcos, quibus favent Centuriatores, Kemnitius & Calvinus) convincitur ex Marci: XIV, 12. *Primo die azymorum quoddam Pascha immolabatur*: Luc: XXI, 7. *Venit dies azymorum, in quâ necesse erat occidi Pascha.* Et etiam S. Iohannes, (quem Græci se profitentur sequi,) cap: XIII, 1. diem Veneris, seu feriam sextam, quâ passus est Christus, vocat *diem festum*, & cap: XV-III, 39. vocat *Pascha*. Græcis tamen indulto Ecclesiæ permissus panis fermentatus in suis Ecclesiis Græcæ.

Objectiones solvi Mat: XXVI, 5. *Non in die festo*, &c. Ioh: XVII, 28. *Vi manducarent paschâ*: cap: XIX, 31. *Erat pasceve*. Marc: XV, 46. *Ioseph mercatorum esset sindonem*: Luc: XXI, v. ult. *Mulieres paraverunt aromata.*

Centur: 2. cap. 8.
Kemnit.
2. p. exâ.
Trid: ad
fess. 22.
a. 7. Cal.
l. 4. Inst.
a. 17. S.
34.

CENSURA. *Christum instituisse Eucharistiam*) Inter Græcos & Latinos jam olim viguit hæc contentio, num in pane fermentato, an in azymis esset celebrandum; cujus occasione inquisitum, quo pane usus esset Christus, azymo-ne an fermentato; Posterius affirmabant Græci quod Christus uno die prævertisset Pascha Judaicum, prius vero Latini. Hic tamen duæ vel tres quæstiones miscentur, quæ essent distinguendæ. Prior est num eodem die cum Judæis Christus Pascha suum celebraverit? Secunda num anticipando, fermentato pane sit usus? Tertia, num postea quod pane sit usus azymo, in azymo necessariò sit celebrandum? In his tribus quæstionibus non omnes idem sentiunt: Circa primam, (ut mittamus Marcum Antonium de Do-

de Dominis, lib. 5. de Rep. Eccl. cap. 6. §. 258. & seqq. negantem Christum Pascha ullo modo celebrasse, vel comedisse) Baronius & Tirinus, ad quos è nostris accessit Cl. Cloppenburgius, affirmativam tuentur; negativam vero, Scaliger & Casaubonus, quibus contra Cloppenburgium militat in sua *ἐπιχρίσεις de Paschate* *ἑσποσίμω*. Celeb. Ludovicus Cappellus, Salmuriensis Professor, quem honoris causâ nomino, cum noster quondam in Hebraicis præceptor dilectissimus fuerit: Ut huic autè sententiæ accedam, movent me Cappelli argumenta, maximè quod dies Christi *θανάσιμος* in quo Pascha celebravit, dicatur *παρασκύν τῆ πάχα* Marc. xv, 42. Joh. xix, 14. 31. Jam autem parasceve Paschatis non potest dici nisi ea dies quâ præparantur necessaria ad ipsum festum. Nam parasceven hanc referre cum Toletio, Baronio & ex illis Tirino ad Joh. xix, 14. ad sequens Sabbathum, eo quod dicatur Marco *προάββατον*, dilutius est quam ut defendi queat; Fuit enim eadem Paschatis parasceve etiam profabbathum, non quod illa parasceve Sabbathi incideret, in primum diem Paschalem, ut hi volunt; nam tunc non fuisset dies profestus dicendus & *προάββατον*, sed maximè festus, & in quo minus adhuc licuisset quam in ipso sabbatho; sed quod Pascha ipsum Judaicum tunc incideret, sive ex lege, sive potius, ex traditione, in diem sabbathi, ut idem dies fuerit & *προάββατον* & *παρασκύν τῆ πάχα*. Unde Joh: xix, 31. dicitur magnus fuisse dies ille Sabbathi, non quod inter dies azymorum computaretur, ut vult Tirinus; nam sequentes azymi nihil confetebant ad magnitudinem primæ aut secundæ feriæ, sed quod dies esset & Paschatis & Sabbathi. Adhæc Joh. xiii, 1. lotio pedum quæ à Christo facta fuit in Cœna Paschali dicitur contigisse *πρὸ τῆς ἑορτῆς τῆ πάχα*, ante festum diem paschæ. Quod Tirinus nequit *ibi* trahere ad festum inchoans; id enim non fit inchoante jam festo, quod ante festum fieri narratur; Quid quod Joh. xviii, 28. noluerunt Judæi ingredi prætorium nè polluerentur, sed ut comedere possent Pascha: Unde patet eos tunc se præparasse ad Paschatis maculationem & esum: Illud enim Pascha intelligere, *ut ibi* conatur Tirinus, de sacrificiis aliis quæ altero à Paschate die erant immolanda magna vi, est alienum à stilo Scripturæ, & præsertim N. T. ubi *πάχα*

πάσχα non nisi de agno Paschali solet usurpari: nec verisimile est Judæos, si jam vacassent illicò post agni Paschalis esum & eodem die judicio capitali Christi, tam sollicitos futuros fuisse suæ puritatis conservandæ ad sequutura sacrificia. Præterea conveniens erat ut quo tempore Christus in ligno suspensus expirabat pro salute nostra, mactaretur à Judæis agnus ipse Paschalis ejus typus, qui etiam quadantenus suspensus occidebatur, uti observatum Buxtorfio *Exercit. de prima Cæna §. 54.* Nec licuisset vel Josepho mercari sindonem Marc: xv, 46. vel mulieribus parare aromata Luc: xxiii, 56. eo tempore quo Christus expiravit in cruce, nisi id tempus pertinuisset adhuc ad duas illas vesperras inter quas mactabatur agnus & dies profectus fuisset. Doctissimi interpretes Belgæ, maximè *ad Matt: xxvi, 20.* assentiuntur hîc Scaligero & Casaubono, & planè statuunt Judæorum Pascha Christum anticipasse; servando quoad se diem lege statutum, nempe 14. Lunæ, sed Judæis ex veteri ritu transferentibus Pascha suum in diem sequentem, quoniam erat dies Sabbathi: Cui insuper sententiæ favet quod Judæi studuerint Christum tollere de medio, ante festum, ad tumultum præcavendum Matt: xxvi, 5. & petierint à Pilato ne crucifixorum corpora manerent insepulta Sabbatho imminente Joh: xix, 31. cum tamen æquè nefas fuisset ea tollere de cruce, in festo Paschatis ac in sabbatho. Ad posteriorem locum, id tantum annotat Tirinus, diem illum Sabbathi magnum fuisse, id est admodum solemnem & celebrem, *nempe quia intra festa paschalia occurrebat.* Absurdè, quoniam eo sensu quotannis debuisset dari Sabbathum unum magnum; cum Azymorum festum septem dierum, necessariò unum sabbathum sibi vindicaret. Sed res ipsa loquitur Sabbathum illud magnum dici, quod Paschatis quoque solemnitas ei adjungeretur: Ad priorem id solum Tirinus monet, *hoc consilium paulo post mutasse Judæos, oblato scilicet tam commodo proditore Iuda;* Sed potiùs dixerim eos ex suo hoc consilio festinasse, & ideo in ipsâ parasceve procurasse crucifixionem Christi, quod & à nostratibus Belgis hîc observatum est. Ad loca Marc: xv, 46. Luc: xxiii, v. ult. quæ hîc sibi ipsi objecerat Tirinus nihil penitus aannotavit. Vocari diem festum & Pascha feriam sextam quâ Christus passus est, gratis dicit Jesuïta, cum locis hîc sibi citatis

tatis contrarium statuatur: nam dies quo passus est non dicitur festus Joh: XIII, 1. sed *ἡμέρα ἑορτῆς* sive profestus: Nec benè colligit ex Joh: XVI, 11, 39. tum fuisse ipsummet Pascha cum Judæi ad Pilatum deduxere Christum; cum Pilatus ex consuetudine ea qua quotannis in Pascha aliquem captivum dimitteret Judæis, se quoque paratum ostenderet ipsis hoc instanti Paschate & in ipsa parasceve Christum relaxare; nec credibile est Pilatum judicia capitalia exercuisse in ipso festo; quandoquidem ex illius quasi reverentiâ, fonti alicui eo tempore quotannis, ut populi benevolentiam demereretur, vitæ gratiam faciebat. Loca quæ profert Tirinus ex Marci XIV, 12. & Luc: XXII, 7. quibus petuisset addere Matt: XXVI, 17. nihil faciunt ad rem; Nam cum Christus ipse servaverit Paschatis tempus lege definitum, licet eo anno anticipaverit Pascha Judæorum, prima dies azymorum potest dici ea quâ Pascha suum celebravit, quia revera ex institutione divina talis erat, etsi eam in sequentem diem Judæi eo anno ex traditione humana transferrent. Nec enim admittimus Grotij commentum ad Matt: XXVI, 17. Christum uno die anticipasse Pascha ut Judæorum sic legitimum, nec illius Pascha *θύσιμον* fuisse, sed tantum *μνημοσύνην*. Nam *θύσιμον* fuisse constat non solum ex omnibus circumstantiis Paschalibus à Christo observatis in suo Paschate, quarum pleraque ad sacram Cœnam traduxit, sed etiam ex Marc: XIV, 12. ubi dicitur prima illa dies azymorum fuisse *ὅτι τὸ πάχα ἔδουοι*, idest quo Pascha ex lege Dei macari debebat, quamvis Judæi duo festa in unum compacturi, id facerent eo anno, uno die feriùs. Atque hæc spectant primam quæstionem quæ hîc poterat agitari; Circa secundam num Christus anticipando Pascha Judæorum, usus sit in Cœna pane fermentato, negativam tuemur contra Græcos; Cum enim ipfimet fatentibus Pascha celebrarit quod lege Dei erat institutum, & proculdubio illud comederit cum pane azymo, quod nec diffidentur, nulla ratio suadet ipsum in residua Cœna usum fuisse pane fermentato, maximè cum ad sacræ Cœnæ institutionem adhibuerit ritus antea usurpatos in esu agni Paschalis, ut de eo constat inter eruditos. Circa tertiam, negamus Pontificijs ideo in azymis esse celebrandum, eo quod azymum panem Christus in prima Cœna adhibuerit.

hibuerit. Cum enim appendicem eam fecerit quadantenus convivij Paschalis, in quo nullus alius apponebatur panis quam azymus, ille pro ordinario tunc veniebat; Nec Apostoli postea per domos frangentes panem, alio tempore quam festi azymorum, scrupulosi fuerunt hac in parte, sed panem ordinarium & communem adhibuerunt. Platina in Alexandro I. refert eum mandasse, *oblationem ex azymo non autem ex fermentato ut ANTEA fieri, quia hoc modo purior ac potior haberetur & Ebionitis hereticis calumniandi occasio auferretur*; idem habet Polydorus Virgilius lib. 5. de rer. Inv. cap. 10. Ut non immeritò dixerit Calvinus lib. 4. Inst. cap. 17. historias narrare fermentum & vulgarem panem fuisse ante tempus Alexandri Episcopi Romani, qui primus azymo pane delectatus est, & summæ fuerit impudentiæ in Ægidio Coninck q. 74. de Sacr. art. 4. dubio 2. § 93, impudentiæ ideo Calvinum accusare, & pertendere quod benè fecerit Calvinus *nullum historicum citando, quia nullum probata fidei reperire posset qui hoc dicat*: Habet enim Platinam & Polydorum hoc dicentes, utrumque Pontificiæ communionis. Sed quicquid sit de factò Alexandri, id certissimum antiquitùs nullum fuisse discrimen constitutum panis azymi & fermentati, & rem esse per se adiaphoram, & Græcos ab ævo fermentatum panem adhibuisse, suo jure non ex indulto & gratiâ Ecclesiæ Romanæ, ut vult hîc persuadere Tirinus: nam tantum abest, ut illud per modum privilegij à Papa concessi usurparint, ut è contrario jam olim Pontificios hac in parte tanquam hereticos Azymitas traduxerint. Et sanè vitiosâ superstitione non caret delectus panis azymi, ceu absolutè necessarij, quo ritus Judaici quodam quasi postliminio revocantur; definiverit licet Concilium Trullanum can. 11. nefas esse Christianis azyma Judæorum comedere; ut nihil dicam de orbicularijs placentulis & hostijs numularijs, (quas utinam Lutherani tam mordicùs non retinerent, prætermisâ actione Sacramentali necessariâ, nempe fractione) in quibus revera nihil est quod panem vel sapiat vel referat; Unde æquè solent inservire & obsignandis literis & Eucharistiæ celebrandæ. Porro injuria fit hoc loco Centuriatoribus, Kemnitio & Calvino, quasi faverint Græcorum sententiæ de Cœna prima in pane fermentato.

fermentato instituta, & hoc necessario retinendo; Sane Calvinus lib. 4. cap. 17. § non 34. ut hic malè citatur à Tirino sed 43. rotundè asserit nihil interesse panis sit *azymus an fermentatus, vinum rubrum an album*; & certum est diutissimè ipsam Ecclesiam Genevensem, ut alias Reformatas mittam, usam esse pane azymo, cum bona earum venia quæ in fermentato celebrant: Apud Kemnitium vero loco quem citat Tirinus ne quò quidem huc faciens reperire est.

Nam: 9. AQUAM VINO, ex usu regionis, ADMIXTAM habuisse Christum in calice Eucharistico, traditio est Ecclesiæ & constans SS. Patrum doctrina. Vnde sacrilegum non est, neque blasphemum, neque hæreticum id imitari, (ut vult ex suo Calvino Petrus Richerus & alij:) neque fatui sunt vel stolidi (ut vult Lutherus,) qui peccatum esse putant, sine aquâ vino admixtâ celebrare: nam Ecclesia voluit, nos in hac re conformari exemplo Christi, et si non præcepto ejusdem.

Richerus apud Nicol: Villagagnoni

l. 1. contra articulos Calvinianos, Luther. contra Regem Angliæ anno 1522.

CENSURA. *Aquam vino ex usu regionis*) Cum Christus *genimen vitis* appellet quod tradidit suis discipulis in Cœna, nullaque fiat mentio aquæ calici immixtæ apud Evangelistas, dum hanc mixtionem tantopere affectat Ecclesia Romana, videtur in gentis Israëliticæ censuram illam incurrere quæ extat apud Esaiam 1, 22. Vinum tuum mixtum est aquâ. Non inficior veterem esse ritum inter Christianos, sed ut recentior est Apostolicis temporibus & fortè introductus occasione Aquariorum, qui misso vino solâ aquâ utendum statuebant, contra quos servidè disputat Cyprianus ad *Caciliam lib. 2. Epist. 3.* ita pertendo Pontificios illum mordicè retinentes multo plus obesse quam prodesse suæ causæ. Dux redduntur rationes cur aqua sit miscenda vino; Prima, quia, ut loquitur Cyprianus V. S. *videmus in aqua populum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi; Quando autem in calice aqua vino miscetur Christo populus adunatur & credentium plebs ei in quem credidit copulatur & jungitur.* Similia habet Julius Papa *can. Cum omne. dist. 2. de Consec. Calix Dominicus juxta Canonum præcepta vino & aquâ permixtus debet offerri, quia videmus in*

mus in aqua populum intelligi in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur Christi populus adunatur & credentium plebs ei in quem credit copulatur & jungitur: Quae copulatio & conjunctio aqua & vini sic miscetur in calice Domini ut mixtio illa non possit separari; Nam si vinum tantum quis offerat sanguis Christi esse incipit sine nobis; Si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Altera est, quia utrumque ex latere ejus in passione sua profuxisse legitur; ut habet Pseudo-Alexander in 1. epistolarum decret. quae illi adscribuntur. Eadem ratio redditur à Martino Braccarenfi can. 55. relato in Decretum dist. 2. de consec. can. Non oportet. Ambrosius similiter, aut quisquis est author ille apud Ambrosium lib. 5. de Sacram. cap. 1. postquam ex petra fundente aquam in deserto hanc aquae mixtionem conatus esset adstruere, his potissimum verbis, *Moyse hoc est propheta, virga hoc est verbum Dei; Sacerdos verbo Dei tangit Petram & fluxit aqua & bibit populus Dei; Tangit ergo sacerdos calicem, redundat aqua in calice, salis in vitam aeternam, & bibit populus Dei qui Dei gratiam consecutus est;* mox subjicit; *Accipe & aliud: In tempore Dominica passionis cum Sabbathum magnum instaret, quia vivebat Dominus noster Iesus Christus vel latrones, missi sunt qui percuterent eum, venientes inveniunt defunctum Dominum Iesum Christum; tunc unus de militibus lancea tetigit latus ejus, & de latere ejus aqua fluxit & sanguis; Quare aqua? quare sanguis? Aqua ut emundaret, sanguis ut redimeret.* At duplex illa ratio Transsubstantiationem evertit; Nam juxta primam non aliter vinum est sanguis, quam aqua populus Dei: ut bene etiam ratiocinatur Bertramus in opusculo suo de Cena Domini, & post illum Forbesius Instr. historico-Theol. lib. 11. cap. 14. At aqua non transsubstantiatur in populum Dei; nec ergo vinum in Christi sanguinem. Iuxta secundam, debet aqua calicis non minus mutari in aquam quae fluxit de latere Christi, quam vinum in sanguinem tunc effusum pro nobis: & sic dabitur Transsubstantiatio triplex, panis in carnem, aquae in aquam, & vini in sanguinem: Et Pontificij disputant inter se num aqua remaneat post consecrationem; quam sententiam noluisse damnare Innocentium III. cap. Cum Martha, de celebr. Miss. agnoscit Coninck q. 74. de Sacram. art. 8. dubio unico, §. 164. Vel num convertatur prius in vinum deinde ex vino in

vino in sanguinem, ut Thomistæ vulgo statuunt apud eundem Coninck *ibid.* §. 143. & affirmat Puteanus *ad 3. Thoma q. 74. art. 8. dubit. ult. conclus. 3. §. Tertiò.* An vero potius immediatè in sanguinem, ut cum Baronio, Alano & alijs sibi citatis, probabilius putat & operose probare studet idem Coninck. Mitto infinitos alios scrupulos quibus se adversarij impediunt circa hanc aquam; Sed noster Tirinus frustra vult eam comprobare exemplo Christi per traditionem Ecclesiæ; quia sic deberet illa mixtio esse juris divini, cum id hinc faciendum nobis præceperit quod prior fecerat: At licet Armacanus & Hofius & à Castro apud Coninck *V. S. art. 7. §. 130. & seqq.* faciant hanc misionem essentialem Sacramento & servandam ex præcepto divino, quo sane videntur facere Concilium *Carthaginense. 111. can. 24. & Aurelianense 17. can. 4.* tamen ipse Coninck cum Thoma & multis alijs, negat hanc permissionem aquæ esse de necessitate Sacramenti, aut alio jure introductam quam Ecclesiastico; argumento etiam inde desumpto quod Concilium Florentinum *in Armenis instr.* (quæ quantum valeat & fidei mereatur nunc non disputo) non solum statuatur materiam hujus Sacramenti esse panem triticeum & vinum de vite, sed in super satis insinuet Armenos *hactenus celebrando sine ulla mixtione aqua, non peccasse contra essentialia Sacramenti, imò nequidem contra præceptum divinum,* dum eos premit sola consuetudine Ecclesiæ. Quod si ad hanc rem exemplo suo constanter imitando nobis prævivisset Christus, ut Tirinus putat, sanè id exemplum Florentini Patres apud Armenos urssissent potissimum, cujus tamen ut nec Patres antiquiores, nequidem meminerunt. Neo diffiteatur Coninck quosdam putare Alexandrum I. hanc misionem primò in Ecclesia præcepisse, quod asserunt Author Fasciculi Temporum *atate 6. Bergomenis lib. 8. & Platina in Alex. 1.* Hactenus ergo benè Luthorus dicebat stolidos esse qui putent peccari si celebretur cum vino mero absque aqua, quandoquidem aquam miscendam non liquet, ullo vel exemplo vel mandato Christi; Jure etiam Petrus Richerius, vir suo tempore doctissimus (de cujus professione in Brasiliam videantur Thuanus *Hist. sui temp. lib. 16. & Beza hist. Eccl. lib. 2. an. 1558.*) cum Villegagno, qui antea se Reformatæ religionis professus fuerat,

fuerat, quærens occasionem durius habendi Ministros & cœptum isthæ Reformationis opus disturbandi, à *Cardinali Lotharingo ut creditur per litteras monitus*, inquit Thuanus, annitente quodam Iohanne Contatio Sorbonæ discipulo, cœpit controversias illis movere de pane azymo & aquæ cum vino mixtione, quam ut absolutè necessariam nec ulla ratione omittendam commendabat, asseruit *sacrilegum* esse addere quicquam velle ad materiam Sacramenti à Christo instituti; *blasphemum*, dicere non sine grandi peccato id omitti in Cœna, quod tamen ad illius neque formam neque materiam juxta Christi institutionem pertinet; *hereticum* affirmare post Aquarios, non posse sine aqua celebrari, cum tamen Innocentius VIII. dicatur Saxonibus & alter quidam Pontifex Norvegijs concessisse ut sine vino celebrarent; quod refert, additâ Volaterrani autoritate licet ab ea recedat, Puteanus *ad 3. Th. quest. 74. dubit. 2.* Nec potest sine hæreseôs, blasphemix & sacrilegij nota, id in sacra Cœna tanquam absolutè necessarium commendari & quod citra grande peccatum omitti nequeat, de quo tamen idem Puteanus *ibid. sub. ult. concl. ult.* hanc conclusionem proponit, *Aqua est vino permiscenda, præcepto non divino, sed humano Ecclesiastico*; quam sententiam dicit teneri communiter ab omnibus *ad 4. sem. dist. 11.* citatis nominatim Soto *dist. 9. q. 1. art. 6.* & Gabriele *lect. 33. in Can. Missæ.*

Num: 10. Vi verborum illorum, HOC EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS, uti Christus consecravit, ita à nobis jam quoque consecrari (contra recentiores Græcos, & Bucerum, Calvinum, & alios quosdam Sacramentarios) patet partim ex voculâ, *Hoc facite*, quæ immediatè subnectitur: partim quia alioqui verba ista essent falsa, si differretur præsentia corporis & sanguinis Christi.

CENSURA. *Vi verborum illorum*) Supra ad N. 2. hanc quætionem sufficienter tractavi, atque ostendi consecrâsse Christum solemnî benedictione, non verò horum verborum pronuntiatione; eo ipso quod sint declarativa rei quæ jam erat, non effectiva ejus quæ nondum esset. Nec debuit Tirinus Græcos, Calvinam & Bucerum, eosque quos injuriosè *Sacramentarios* appellat, hæc solos enumerare, cum universa Antiquitas Catholica, & plerique è sing

è sinu Papatus idem planè statuunt. — Vocula *Hoc facite*, non magis evincit hæc verba esse consecratoria eo quod illa immediatè sequatur, quam non esse consecratoria calicis illa alia *Hic calix &c.* quod illa præcesserit. Et cum illa vocula *Hoc facite*, spectet potius id quod in universum fecerat Christus, panem accipiendo, benedicens, frangendo, distribuendo, quam quod dixerat, in illis etiam potius actionibus, quam in his præcisè verbis, *Hoc est corpus meum*, consecratio Sacramenti est constituenda. Agnosco verba illa fore *falsa* si differretur, non ea corporis Christi præsentia sub panis speciebus quam fingunt gratis Adversarij, sed panis ipsius consecratio solemniter ad usum illum sacramentalem juxta quem fit & debet dici suo sensu corpus Christi, nempe significativè, symbolicè & repræsentativè; Sed non minus hæc eadem verba forent *falsa*, nisi jam præcessisset per preces mysticas & solemnem benedictionem, ipsa panis consecratio juxta quam verum sit dicere *Hic panis est corpus Christi*, nempe cum sumentibus ex ipsius institutione; Nam sicut cessat formalis & actualis ratio signi nisi dentur quibus significet in actu exercito, ita cessat formalis & actualis ratio Sacramenti in Eucharistia, nisi sint qui actu illam percipiunt prout Dei institutione & promissione munita, est conferenda singulis communicantibus.

Nota: II. Non quemlibet CHRISTIANUM (ut voluit Wicleff & Lutherus) sed solos SACERDOTES validè consecrare Eucharistiam, constat ex iisdem verbis, *Hoc facite*, Luc: XXI, 19. quia nullis nisi Apostolis dicta sunt à Christo: neque referuntur ad illa sola, *Manducate & bibite*, (quia Lucas ista verba non habet, sed solùm, *Accepto pane gratias egit & fregit, & dedit eis dicens, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite, &c.*) sed ad omnia præcedentia facta Christi, quæ jubet Apostolos imitari.

CENSURA. Non quemlibet Christianum) De hac re jam diximus supra ad *Controv: xviii, n. 4.* Nec Wicleff, nec Lutherus censuerunt quemlibet Christianum esse Eucharistia idoneum Ministrum: cum vocatione & ordinatione opus sit dispensaturo mysteria Dei, id est vel verbum ejus annuntiaturo vel illi annexa Sacramenta

cramenta administrato. Sed is quem Jesuita alijs inporperat error in ipsius crura recidit; Nam primo volunt quemlibet hominem Turca licet sit aut Judæus quod magis, esse idoneum Ministrum Sacramenti Baptismi; cur non igitur multo magis idoneus erit Minister Sacra Cœnæ quilibet Christianus & jam solemniter initiatus mysterijs fidei? Etenim non minus Apostolis dictum *Baptizate*, quam *Hoc facite*; Quare si prius non impedit quo minus quilibet sit idoneus Minister Baptismi, nec impiediet posterius quo minus quilibet Christianus Eucharistiam administrare possit. Secundò adversarij rationem redditari secretæ introductæ in canonem Missæ, ajunt id factum, quod cum antea quando altâ voce verba consecratoria recitabantur, plebeij quilibet ritum consecrationis facilè ad discerent, evenerit ut nonnulli opiliones in agro ea recitaverint super panè suo quem lapidi imposuerant, & sic panem suum in carnem & corpus Christi transmutarint; Ita Durandus *Ration. lib. 4. cap. 35. §. 7.* Beletus *Divin. offic. expl. cap. 44.* Guido de monte Richerij *Manualis Curat. de Sac. Euchar. cap. 10.* & multi alij: Jam vero aut fabellam hanc oportet esse fallam, quâ tamen sæpè propugnant adversarij veritatem suæ Transsubstantiationis, aut dicendum posse quoslibet Christianos consecrare & transsubstantiare panem in carnem & corpus Christi, etiam citra omnem aliam ordinationem & vocationem.

Constat ex iisdem verbis) Et de hoc quoque argumento diximus *Ad n. 4. cont. 18.* atque ostendimus hæc verba non minùs continere præceptum ad plebem Christianam faciendi quod tunc fecerunt Apostoli, quam ad Apostolos & Ecclesiæ Ministros faciendi quod fecerat Christus: Et dum Tirinus hic negat illud, *Hoc facite*, referri ad illa sola *Manducate & Bibite*, insinuat factem etiam ad illa pertinere; quamvis tamen eo quod hæc non habeantur in Luca contrarium statuere velit: quasi vero quod in Luca deest non sit supplendum ex alijs, aut aliud sit *Hoc facite* Lucæ quam Pauli. Nec sibi suquam constat Jesuita; Nam videbatur n°. præcedenti, quòd *Hoc facite*, restringere ad verba immediatè præcedentia, *Hoc est corpus meum*, quo hanc formulam consecratoriam efficeret; at nunc illud extendit

Extendit ad omnia precedentia facta Christi qua iubet Apostolos imitari ; Cur non etiam ad ea quæ volebat ipsos facere Apostolos, Accipite, Manducate, viderit Tirinus.

Num: 12. Cum verò constet ex num: 5. totum Christum SUB ALTRA specie non minùs quàm SUB VTRAQUE totum existere, & ex num: 7. rationem Sacramenti etiam sub unâ specie totam reperiri; sequitur Primò, non majorem utilitatem sumi ex communione sub utrâque specie, quàm sub unâ solâ; unde & Christus subinde soli manducationi panis tribuit, quod alibi utrique tribuere solet, ut Ioh: vi: 56. *Caro mea verè est cibus.* vers: 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* vers: 58. *Qui manducat me, vivet propter me.* vers: 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* vers: 50. *Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur.* Et verò pleræque figuræ Eucharistiæ, ut lignum vitæ Gen: 11, 9. & cap. 111, 22. agnus Paschalis Exod: xi 1, 3. manna cap. xvi, 13. panes propositionis cap. xxv, 30. &c. non præfigurant, nisi manducationem sub unâ specie.

sequitur secundò, nullam injuriam fieri laicis cum usus calicis ipsis inhibitor, ut inhibitor Ecclesia, nè (ut natum erat fieri) sanguis Domini irreverenter effundatur sæpiùs in terram: 1. Cor: xiv, vers. ult. *Omnia honestè & secundum ordinem fiant.* Mendacia autem sunt hæreticorum, laicis Luc: xxi 1, 19. utramque speciem præcipi à Christo, nec olim aliter unquam factitatum, &c. Nam & duobus discipulis in Emaus Luc: xxiv, 30. sub sola panis specie porrectam à Christo Eucharistiam multi Patres docent: & Act: 11, 42. dicuntur primi fideles perseverasse in doctrinâ Apostolorum & communicatione fractionis panis, (nullâ vini factâ mentione) & orationibus. Et quomodo Nazaræi alioqui votum suum expleissent Num: vi. quales in primitivâ Ecclesiâ multos fuisse colligitur ex Act: xxi, 23. Denique non sine causâ S. Paulus 1. Cor: x, 26. cum de calice agit, non dicit, se illum dare alijs bibendum, sicut de pane dicit, se illum frangere in esum; &c. sed solum ait, *Calix benedictionis cui benedicimus, consecrando, nonnè communicatio sanguinis Christi est?* Vtique ijs quibus communicatur, putà sacerdotibus necessariò ad integritatem sacrificij; laicis non necessariò ad integritatem Sacramenti: nam his sufficit participatio panis quem frangimus cuicumque volenti. Vnde & mox subdit, Spiritualem unionem fidelium inter se & cum Christo, (quæ ex Christi institutione significatur per hoc Sacramentum) sufficienter designari sub unicâ specie: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.*

Illud Matth: xxvi, 27. *Bibite ex hoc omnes, impletum ait Marcus cap: xiv, 23. ab Apostolis, de quibus subdit, Et biberunt ex eo omnes.*

CENSURÆ

CENSURA. *Cum vero constet ex n. 5.)* At nos sufficienter contrarium evicimus; nempe sub neutra specie esse corpus Christi per indistantiam loci; & certé ut veritatem corporis Christi destruit Transsubstantiatio, sic & institutionem & naturam hujus Sacramenti, imò ipsammet Transsubstantiationem, evertit Concomitantia, per quam volunt sisti sanguinem in pane, carnem in calice, utrobique animam & divinitatem Christi: Nam panis & vinum seorsim proponuntur, ut cogitemus Christi animam per mortem à suo corpore separatam, & sanguinem ipsius extra venas effusum; imò cum panem corpus suum dixerit Christus eo modo quo in Paschate agnus Paschalis vocabatur *כח של וכו' corpus ipsius Pascha*, ut suo loco ex Buxtorfio annotavimus & ex eodem observat Salmasius, in epistola quam emisit sub nomine *Simplicij Verini pag. 365.* necesse est intelligi corpus suum exangue & exanime, quod *ἄν*, juxta Salmasium, ut & *σῶμα* Græcorum, tale corpus propriè significet. Quod probatur exemplo 1. Paral: x, 12. ubi cadaver Saulis notat & redditur *σῶμα* ab interpretibus Græcis: & Chrysostronus ad Christi corpus quale in Cœna nobis proponitur applicat *hom. 24. in 1. Cor.* dictum Christi, *Ubi cadaver ibi & aquilæ; Cadaver, inquit, corpus Domini propter mortem: nisi enim ille cecidisset nos non resurrexissimus:* Hinc etiam ita urgent Veteres panis & calicis distinctam & separatam sumptionem, prohibendo etiam ne intincta Eucharistia populis pro complemento communionis porrigatur, *can. Cum omne, dist. 2. de consec.* quo significantiùs mors Christi & separatio sanguinis à reliquo corpore nobis ponatur ob oculos & in memoriam revocetur, ut etiam non semel ex duobus symbolis duo distincta faciant Sacramenta, ut videre est in Concilio *Africano can. 4. 111. Chartaginensi can. 24. & 25.* Cypriano vel autore apud eum *de Cœna Domini, Gratiano Cann. Comperimus. Tribus. Iteratur. dist. 2. de Consecrat.* Quæ ratio quoque movit Scholasticos cum Thoma suo & ad ipsum *3. p. q. 73. art. 2.* disputandi *utrum hoc Sacramentum sit unum vel plura:* At per concomitantiam debemus cogitare corpus Christi vivum, animatum & distentas sanguine venas retinens. Sed error errorem trudit ut clavum clavus: Terminus enim præcisus & formalis Transsubstantiationis in pane est corpus, in calice est sanguis. Quæro

Quæro igitur unde sanguis, imo anima & divinitas sub speciebus panis; unde corpus & reliqua sub speciebus vini? Respondetur per concomitantiam: Atqui sic 1. Ancilla Concomitantia, longè plura potest quam Domina Transsubstantiatio: Nam hæc per se panis sistit merum corpus exanime & exsanguis: At illa ei addit animam, sanguinem, divinitatem. 2. Frustra est Transsubstantiatio calicis ad sanguinem Christi sistendum in Eucharistia, quam jam uti haberi potest, sufficienter adduxit Concomitantia in consecratione panis. 3. Sanguis Christi debet esse aliter in pane quam in calice, & corpus ipsius aliter in calice quam in pane, quandoquidem alia est ratio formalis & efficientia Concomitantia quam Transsubstantiationis. 4. Dabuntur duo modi formaliter & realiter distincti, corpus & sanguinem Christi sistendi Eucharistiæ, Transsubstantiatio & Concomitantia. 5. Duplex erit manducatio corporis Christi, una in pane altera in calice; duplex etiam bibitio sanguinis, una in calice altera in pane: & quod adhuc absurdus est, oraliter manducabit carnem qui bibit ex calice, & oraliter exhauriet sanguinem qui panem manducabit. 6. Sufficeret panem in digitum vel dentem unum Christi transsubstantiari, non in totum corpus, quia Concomitantia cætera æquè adduceret; imo nec foret opus Transsubstantiatione, cum Christi divinitas quæ ubique diffusa est, ope similis Concomitantia posset corpus, animam, sanguinem sistere nobis, citra ullam symbolorum physicam immutationem. 7. Sanguis qui est pro termino Transsubstantiationis in calice, alius foret ab eo qui jam est sub speciebus panis per Concomitantiam; aut si ad corpus latens sub speciebus panis, sanguis adducitur demum per consecrationem calicis, manebit illud corpus exsanguis, si calicem consecrare presbyter aut noluerit aut nequiverit. 8. Denique oportebit verba consecratoria panis, agere quoque in calicem pondum consecratum ut corpus sistant calici æquè ac panis, & verba consecratoria calicis agere quoque in panem jam consecratum, ut ei sistant sanguinem Christi, quem tamen jam habet per sui consecrationem.

Et ex num. 7. etiam) Neque id dixit, multo minus probavit ibi, & res est per se absurda & aliena. Cum enim ipsimet Pontificij statu-

Rrrr

ant pa^z

ant panem & vinum esse materiam hujusce Sacramenti, nec plura esse Sacramenta sed unum sub utraque specie, *quia utrumque signum concurrat ut significet unum perfectum convivium quod cibo & potu constet*, inquit Coninck q. 73. de Sac. art. 2. §. 27. imò, ut asserit Puteanus ad 3. Th. q. 73. dubis. 4. Sacramentum Eucharistiæ esse unum numero completum perfectum & integrum, quotiescunque dantur dua species panis & vini simul consecrata & existentes, non magis potest tota ratio Sacramenti reperiri sub una specie, ut hîc statuit Tirinus, quam totum formaliter reperiri in aliqua sui parte vel essentiali vel integrante: Quod si integra ratio Sacramenti in una specie reperitur, altera erit otiosa & superflua; Nam frustra fit per plura quod æquè facilè & commodè fieri potest per pauciora; Et cum Sacrificij Missatici ratio exigat utramque, non est quod ratio Sacramenti in earum alterutra collocetur, cum nihil hac in parte dici possit de integritate Sacrificij, quod non sit pariter de integritate Sacramenti. Adhæc, ut bene monet ipse Puteanus V. S., *totalis & adequata forma Sacramenti Eucharistiæ reperitur in duobus istis speciebus consecratis, nempe completa & perfecta significatio nutritionis spiritualis*, prout videlicet corporea cibo & potu peragitur. Etsi valeret dogma Tirinianum, posset Sacerdos validè & citra peccatum, contra quam vulgo creditur, in alterutra duntaxat specie consecrare. Nec videmus qui juxta Thomam 3. p. q. 74. art. 1. materia consecrationis Eucharisticæ debeat esse necessariò panis & vinum, nisi panis & vinum simul ita sint adæquata materia totius Sacramenti, ut totalis ratio Sacramenti nequeat in eorum alterutro conservari. Deinde Coninck qui vult velificari realitati suæ, pertendit Sacramentum sic esse sub *singulis speciebus*, perfectum quoad rem contentam & significatam, ut tamen non sit ita perfectum sub una specie, in modo perfectè representandi integrum convivium, ideoque ad hoc essentialiter requiri utramque materiam, q. 74. de Sac. art. 1. §. 3.

Sequitur, primò non majorem) Mali corvi malum ovum, & ex falsis præmissis, pessima conclusio: Aliud censuit Gelasius P. R. in *Can. Comperimus*, dist. 2. de Consec. ubi vult sic agi cum ijs qui à calice abstinebant, ut *vel integra Sacramenta percipiant, vel ab integris arceantur*. Nec defuère Veteres plurimi qui statuerent ad animam spectare sanguinem,

niem, carnem ad corpus; ita Ambrosius vel quisquis ejus nomine venit in 1. Cor. 11. *Caro Salvatoris pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra effusus est; in quo vere se ἀντιψυχὸν præstitit, ὅτι ψυχὴν ἀντιψυχῆς ἔσῳμα ἀντὶ σώματος ἀντέδωκεν*, ut inquit in casu haud absimili Aristides citatus Salmasio in *Epist. Simpl. Verini pag. 357*. Et quamvis Becanus eodem inclinet cum nostro Tirino statuenti non majorem militatem sumi ex communione sub utraque specie quam sub una sola, tamen cap. 22. de *Sacr. q. 7. §. 4.* statuit probabile esse majorem gratiam dari per sumptionem duarum specierum quam unius tantum. Ita, inquit, *Alex. Alensis q. 53. memb. 1. Gasspar Cassalius lib. 2. de Cæna & Calice cap. 25. & multi Patres in Concilio Tridentino dicuntur idem sensisse. Quid quod Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 23.* hanc ipsam propositionem suam, *Nihil spiritualis fructus capitur ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una*, agnoscit non esse tam certam, cum de ea variè sentiant Theologi, neque eam Concilium definiisse videatur. Nec potest hoc paradoxon defendi quin insipientiæ arguatur Christus, quod sub ejusmodi duabus speciebus instituerit Sacramentum, quæ conjunctæ nihil amplius utilitatis & fructus spiritualis habeant, quam si alterutra tantum sumatur. Imo hoc fundamento nixi possent & ipsi consecrantes, contra statuta Ecclesiæ Romanæ, unâ tantum specie esse contenti, & alterutram duntaxat consecrare.

Vnde & Christus subinde) Si ex illis verbis sufficienter unius speciei colligitur, cur non æquè pertinebunt ad consecrantes ac ad alios? Et quare potius colligetur sufficientia unius speciei ex ijs verbis in quibus Christus meminit tantum manducationis, panis, & carnis suæ, ut locis hîc Tirino citatis, quam necessitas utriusque ex ijs in quibus conjunctim commemorat esuriam & sitim, cibum & potum, carnem & sanguinem, manducationem & bibitionem, ut frequenter toto eo capite? Ioh: vi, 35. 53. 54. 55. 56. Responderi itaque ex his posset ad testimonia quæ profert Tirinus, si deberent, contra quam alibi probatum est, de Eucharistia intelligi, synecdochicas esse loquutiones, quibus quod est totius, partis nomine, ut frequenter in Scripturis, solet exprimi. Adhæc mirum non est Christum quandoque soli manducationi tribuere, quod alibi dicit de esu & potu, cum agit,

ut toto capite sexto Iohannis de manducatione spiritali & extra-sacramentali ; quæ cum fiat per fidem in Christum, à spiritali bibitione nec realiter nec formaliter differt ; Hinc Christo æquipolent *Venire* ad se ac in se *credere*, manducationi suæ carnis & bibitioni sui sanguinis, quandoquidem credendo in ipsum & veniendo ad ipsum, restinguimus famem & sitim iustitiæ quâ mentes nostræ arebant ; Sed longè alia est ratio manducationis & bibitionis sacramentalis, quæ sic actionibus physicis & objectis distinguuntur, cum panis sic manducandus calix ebibendus, ut neutra earum possit utriusque loco usurpari & venire.

Et vero pleraque figura) Hæ non fuerunt figuræ Eucharistiæ, sed ipsiusmet Christi : Is enim arbor vitæ dicitur Apoc: 11, 7. & Pascha nostrum 1. Cor: v, 7. & Manna absconditum Apoc: 11, 17. Is quoque panis est vivificus qui comparet coram facie Dei jugi suâ intercessionem pro omnibus tribubus Israël : Sed etsi hæ fuissent figuræ Eucharistiæ penitus siccæ, non sequeretur Eucharistiam similiter siccam esse debere, cum corpus debeat esse plenius & perfectius suis umbris, & debuerit in Eucharistia plena & perfecta nutritio explicitè significari : Sed præterea ita malo omine has figuras songessit Jesuita, ut facile sit ostendere nullam earum (exceptâ forte arbore vitæ, quæ cum ad statum innocentie non peccati pertinuerit huc rapi non potest,) caruisse potu adjuncto, quo significaretur in Eucharistia, si illam præfigurassent, calicem necessariò esse panis adjunctum : Nam agnus paschalis manducabatur in solemnibus epulo, cui etiam potus vini adhibebatur, cujus pateram paterfamilias omnibus suis convivis in gratiarum actionem propinabat : quo referri potest locus Psal. cxvi, 13. quem multi intelligunt *de calice conviviali quo in memoriam salutis acceptæ utebantur*, ut Bellarminus observat *ad eum locum* ; Et ex patera Paschali Christus fecit calicem Eucharistiæ. Mannæ in deserto adjuncta fuit aqua petræ ; Unde utriusque respectu, dicuntur Veteres illi in manna & aqua eundem cibum & potum spiritualem edisse ac bibisse quoad rem significatam, quem nos in pane & calice Eucharistiæ consequimur 1. Cor: x, 3, 4. Similiter patribus propositionis, ut ipse Tirinus subindicat *ad Exod: xxv, 30.* ac fusi-

us docet

ûs docet Cornelius à Lapide *ad Levit: xxiv, 5.* additum erat vinum in phialis aureis; Verba Cornelij hæc sunt; *Denique cum panibus etiam vinum in hac mensa Deo oblatum fuisse, ut integrum in ea Deo jugè que proponeretur convivium, docet ex Iosepho & ex mensa in arcu triumphali Titi Roma sculpta, Vilalpando lib. 4. de templo cap. 57. unde & verisimile est vinum ne acefceres singulis sabbathis cum panibus renovatum fuisse.* Nec dubium quin Sacerdotes manducando panes illos sacros in loco sancto, simul biberint ex vino hoc quod in eadem mensa cum thure & sale repositum fuerat; Quod Vilalpandus & Cornelius à Lapide ariolantur id vini cum renovabatur libatum fuisse in honorem Dei, id est effusum coram Oraculo & Sancto Sanctorum, mera est eorum conjectura; quandoquidem libationes vini erant potissimum appendices Sacrificiorum cruentorum, quorum hîc nec vola nec vestigium extat; Sed dato ex hoc vino cum renovaretur, libatum fuisse à Sacerdotibus, non tamen inde sequetur Sacerdotes ex illo non bibisse consumendo panes propositionis; cum libationum hic esset ordo, Tirino etiam annotante *ad Psal: cxv, Heb: cxvi, 13.* ut pars demum aliqua vini effunderetur ac libaretur Deo, residuum ipsi offerentes haurirent: Adeoque ex his figuris nihil exculpet unquam Tirinus, quo unius tantum speciei usus & ablatio calicis in Eucharistia (nam huc tendunt omnes ejus conatus) comprobetur.

Sequitur secundo, nullam injuriam) Hactenus disturbavimus primarias columnas quibus innititur sacræ communionis sacrilega mutilatio in Papatu; Et sic facilius nunc erit, nostri Jesuitæ frigidæ rationes evertere: Dubitari autem nequit, ut hinc incipiamus, quin maxima fiat injuria laicis *cum usu calicis ipsis inbibetur;* Etenim sic arceatur à Calice benedictionis contra Christi institutionem expressam, contra solemne ipsius mandatum *Matt: xxvi, 27.* contra praxin constantem veteris Ecclesiæ in Occidente, & totius Orientalis in hunc usque diem, ut observatum Georgio Cassandro *tract. de communione sub utraque specie;* An ergo nulla ipsis portio in sanguine Christi effuso pro salute Ecclesiæ? Et cum ex hypothesi Pontificiorum *Joh: vi. agatur de Eucharistia, nonne ibi com. 5. præcipitur æquè usus calicis ac panis usus? Præsertim cum Bécanus cap. 23. de Sac. quest. 4. §. 2. hanc*

R V V B

conclur

conclusionem proponat, *Iure divino præcepta est communio Laicorum ab ipso Christo cum dixit Iob: vi, 53. Nisi manducaveritis carnem filij hominis &c. Ita D. Thomas art. 11. & multi Scholastici in 4. dist. 9. At illis verbis æquè mandatur bibitio ac manducatio; Et quæ ut se hinc explicent adversarij proferunt, fusiùs diluimus in nostra Diatriba De integra communione in Sacra Cæna retinenda, quam ad calcem nostri Exorcistæ adjecimus. Tirinus sanè ad eum locum, nihil habet aliud quam hinc nullo modo sequi communicandum sub utraque specie, quia etiam sub una sola specie verissimè sumimus corpus integrum & sanguinem Christi. Sed supra id falsum esse ostendimus & Concomitantiam illam ad quam hic refugiunt Jesuitæ disturbavimus. Et parum faceret ad rem hæc ipsa Concomitantia fabula, si hic intelligatur, ut volunt Pontificij, communio Sacramentalis; Nam duo illi actus edendi & bibendi, quos ad eam exigeret Christus, in una specie non possunt exerceri. Hinc benè Author *Sermonis de Cæna* inter opera Cypriani, *Lex esum sanguinis prohibuit, Evangelium præcepit ut bibatur.* Mali sunt illi tutores qui pupillo eripiunt calicem aureum, ipsi testatoris suprema voluntate legatum, & de quo expressè cavita in Testamento suo, *Bibite ex eo omnes.* Hæc prohibitio non est ab Ecclesia Christi, sed à Synagoga Antichristi, quandoquidem Concilium Constantiense, à quo primum solemniter & publicè sancita fuit & obsignata sanguine innocenti duorum Martyrum, Hieronymi à Praga & Johannis Hussi, agnoscit expressè *Seff. 13.* eam adversari & institutioni Christi qui *suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum,* & praxi primitivæ Ecclesiæ, in qua hujus modi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie: Quo faciunt infinita Veterum testimonia ab aliis prolata: Unus mihi in re plana sufficiat Chrysofostomus *hom. 18. in 1. Cor. Non sicut in veteri lege partem quidem Sacerdos comedit, partem vero populus; verum omnibus unum corpus proponitur & poculum unum.* Absit à vera Christi Ecclesia ut unquam id prohibeat, quod tam expressè à Christo præceptum est; ut Coninck *q. 80. art. 11. dub. 1. §. 90.* probat præcepto divino nos teneri ad hujus Sacramenti sumptionem, quia *Luc: 22. Christus post institutionem & sumptionem hujus Sacramenti ait Apostolis, Hoc facite in meam memoriam;* *Vbi præcipit Apostolus non solum consecrationem sed etiam sumptionem**

tionem hujus Sacramenti, eandemque in ijs præcipit omnibus fidelibus, quod comprobatur auctoritate Pauli qui 1. Cor: xi, 24. agens de communione Laicorum accommodat illis hoc præceptum. Ea ergo sumptio omnibus fidelibus & laicis præcipitur hoc loco, quam Christus præcepit suis Apostolis; . Atqui hæc fuit utriusque speciei, uti notum est.

Ne ut natum erat fieri, (sanguis Domini) Mirum est hoc periculum demum post annum à Christo 1200. natum esse, ceu genuinam prolem Transubstantiationis, & miserabilis illius servitutis animæ, uti dicitur Augustino lib. 3. de doct. Christ. cap 5. quæ signa pro rebus accipiuntur. Ecclesia scilicet sapientior debuit esse Christo qui istud periculum non prævidit; & ultima sæcula plus habuere prudentiæ quam priora, quæ hic metus non vexavit; Sed Ecclesia potuisset, uti factum antea fuerat, prævertisse illi periculo effusionis, calice non adempto; Plus inerat pudoris iis qui ex hoc metu utebantur passim ad effusionis periculum evitandum calicibus qui Ministeriales vocabantur, quibus argentea fissula inferebantur, per quas plebs Christiana vinum potius fugeret quam biberet, ut observatum Cassandro Consult. art. 22. Et cum variis quoque profanationis periculis ipse panis Eucharisticus fuisset, pari jure posset ideo prohiberi ejus ac sacri calicis perceptio: Omnia quidem decenter & ordine debent fieri in Ecclesia, verum nec decoris est nec ordinis palam à Christi institutione & mandatis in re gravissima recedere, sub imaginarij quidem periculi prætextu, sed revera in laicorum contumeliam, quasi indigni sint qui cum sacrificulis integrum recipiant Sacramentum; & quo partim revocentur errores Manichæorum, Enkratitarum & Aquariorum, ab usu calicis & vini in Eucharistia abstinentium, ita ut sumpta tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstinerent, ut loquitur eos condemnando Gelasius can. Comperimus, dist. 2. de consec. partim etiam Sacrificij Missatici & Transubstantiationis prodigia firmius constabulantur. Nec enim haberent adversarij in quo formalem rationem sacrificij hic constituerent, si calix restasset communis Sacerdotibus & plebi, neque hic ultimus contumeliæ gradus à Clero ad communionem laicam accessisset; & concideret in mente populi omnis Capernaïtica opinio de præsentia Christi indistanti in Cœna & panis Transubstantia-

stantiatione , si calix & integra communio illi restitueretur.

Mendacia autem sunt hæreticorum) Imo modò audivimus Jesuitarum Coninck hunc locum Luc: xxii, 19. proferentem ut probaret etiam laicis Eucharisticam communionem mandari præcepto Christi. Et cum hoc debeant laici facere ex præcepto Christi quod tunc fecerunt Apostoli, & Ecclesiæ Ministri facere quod fecit Christus, necesse est hos populo administrare integrum Sacramentum, ut factum à Christo in prima Cœna, & populum edere & bibere distinctè sacra symbola, prout id factum ab Apostolis. Nec valent effugia Tirini ad Luc: xxii, 20. Non alloqui hic Christum *Laicos sed solos Apostolos, eorumque successores Sacerdotes; quibus solis præcipit ut sacrificantes absumant utramque speciem & sic sacrificium quod instar perfecti convivij instituisse placuit consumment;* Laicis vero quia sub utraque specie Christus totus continetur, ideoque ad perfecti Sacramenti sumptionem sufficit participatio alterutrius speciei, ob varia quæ ex usu calicis oriebantur in commoda, jussisse Ecclesiam sub sola panis specie Sacramentum istud exhiberi. Sed ad hæc multa observari possunt. 1. Cum incommodum, ut ajunt vulgo, non solvat argumentum, non erat quod his imaginariis incommodis, institutio Christi solveretur & praxis ipsiusmet Ecclesiæ Occidentalis per mille annos continuata, teste Casandro *tract. de communione sub utr. sp.* tam pervicaciter relinqueretur. 2. Ecclesia quæ jubet sub sola panis specie hoc Sacramentum exhiberi Laicis, contrarium jubet ejus quod præceperat Dominus. 3. Cum Sacramentū ipsum habeat rationem epuli perfectissimi, quod nobis exhibet Dominus, *in quo ipse est conviva & convivium*, ut loquitur Hieronymus ad *Hebid. q. 2.* ejus ritè participes esse non possumus, quin cibū & potum distinctè & separatim capiamus. 4. Meræ sunt nugæ quæ finguntur de Sacrificio Missatico, *quod instar perfecti convivij* Christus instituerit: Nam illi Sacrificio imaginario nullum esse locum in Ecclesia suo loco ostendetur. Et ratio perfecti convivij non spectaret Sacrificiū & Deum, etiam posito aliquod Sacrificium hic subesse, quasi Deum convivam ibi invitemus, sed tantum Sacramentum: Nec enim ibi mensam ponimus Deo, sed ipse Christus mensam suam nobis apponit, in qua nos cibare & potare vult carne & sanguine suo in spem vitæ æternæ. 5. Solos Apostolos & eorum successores Sacerdotes,

(de quo

(de quo titulo videat Papa, videant Episcopi) non vero laicos spectasse Christi mandatum Luc:xxi 1, 20. gratis dicitur: Nam Apostoli in prima Cœna quoad suos actus, non consecrantium & sacerdotum, sed communicantium & populi personas sustinebant, ut à Cassandro observatum. Nec posset fingi ratio cur *et Manducate* ad plebem quoque in sermone Christi pertineret, *et Bibite* vero ad solos Ecclesiæ Ministros. Et dum negat Becanus *ex vi verborum, Manducate & Bibite*, obligari Christianos ad communionem, Paulo Apostolo adversatur qui 1. Cor: xi, 24. 25. 26. ut etiam supra Coninck agnoscebat, illud Christi præceptum disertè trahit ad communionem plebis Christianæ. Quod autem Coninck pertendit, ut se hinc extricet, id quidem omnibus fidelibus præcipi, sed *differenter*, est planè alienum: quia Christi dictum, *Hoc facite*, pertinuit respectu omnium fidelium ad id omne quod fecerunt Apostoli in prima illa communionem; Id vero non minùs spectare calicem quam panem, Paulus ostendit his verbis iterum repetitis, *Hoc facite quotiescunque biberitis in meam commemorationem*: Nec com. 26. disjunctivè loquitur, sed conjunctivè, ut etiam habet Vulgata versio, licet Coninck in eo citando ponat *aut pro &*, *quest. 80. art. 12. dubio unico. §. 123.* Sed nò quid omittamus quod spectet Tirinum circa locuta Lucæ xxii, 20. ibidem duo sibi proponit dubia quæ mirè resolvit: Primum hoc est: *Quare ergo Christus utramque speciem adhibuit?* Resp. *Ad perfectionem sacrificij ut jam dixi. Neque enim perfectum referret convivium nisi tam potum repræsenteret quam cibum; Sed ut qui participet de convivio, sat est si vel de cibo vel de potu sumat, maximè cum fercula sic adaptata sunt ut vim habeant cibandi & potandi, ut in hoc Sacramento fieri certissimum est.* Sed hæc faciliè refutantur: Nam 1. falsum est habere fercula in hoc Sacramento vim cibandi simul & potandi sacramentaliter & significativè; cum nec cibare possint species vini, nisi tortè ex Medicorum axiomate, *Facilius est satiari potu quam cibo*, nec potare species panis. II. Si fercula hæc talia sint, qualia vult Jesuita, tam faciliè alterutrum sufficet ad Sacrificium quam ad Sacramentum. III. Ridiculè censetur is participare de convivio, nisi per apophoreta, qui aliquid consequitur vel potus tantum, vel

tantum cibi, ad illud spectantis; Nam verus conviva ad utrumque invitatur. IV. Ex serie sermonis Tiriniani, videtur colligi fideles in communione Eucharistica fieri participes ipsius Sacrificij; cum tamen, ex doctrinâ etiam Pontificiâ, distribuatur ipsis hostia ut pertinens ad Sacramentum, non vero ut spectans ad Sacrificium. V. Per absurdé vero utraque species dicitur necessaria ad perfectionem Sacrificij non Sacramenti: Nam ipsum est Sacramentum quâ tale quod perfectum refert convivium perfectæ nostræ nutritionis in Christo; & eo ipso debet tam potum quam cibum repræsentare; Et cum panis & vinum, id est utraque species, sint materia ipsius Sacramenti, agnoscentibus id omnibus Pontificijs, adeo ut Nicolaus Bayonensis illud statuat esse de fide *lib. de Sacr. cap. 4. sect. 3 §. 10.* non video quî negari possit requiri utramque speciem ad Sacramenti perfectionem. Alterum Tirini dubium sic habet: *Petes secundò, Quare voluit saltem in sacrificio utramque scorsim speciem adhiberi & sic externè representari modum perfecti convivij, cum revera & à parte rei non minus perfectum in se sit sub alterutra specie, quam sub utraque simul? Resp. Quia præter externam speciem instructi convivij, voluit simul esse claram representationem mortis suæ & ideo per speciem panis voluit representare corpus suum ex sanguine, per speciem vini sanguinem suum à corpore separatum & quasi effusum.* Verum & hîc multa veniunt observanda. I. Si revera & ex parte rei non minus perfectum sit in se Sacrificium sub alterutra specie quam sub utraque, tum licebit Sacerdotibus citra peccatum alterutram tantum speciem consecrare; nec magis utraque requiretur ad Sacrificium quam ad Sacramentum. II. Quæ rationes hîc adferuntur Sacrificij instituti sub utraque specie, eo validiùs militant pro Sacramento, quod revera Christus voluit illud præter externam speciem instructi convivij, esse simul claram representationem mortis suæ, quæ in alterutrâ tantum specie non habetur. III. Ut verissima sunt quæ hîc monet Jesuita, in pane nobis repræsentari corpus Christi ex sanguine & mortuum, in calice sanguinem suum à corpore separatum & effusum, sic causæ Pontificiæ obsunt plurimum. Erunt enim hæc falsa signa, si aliter repræsentent corpus & sanguinem Christi quam revera in illis & per illa sumuntur; Nec video quî species

panis

panis contineat & sumentibus exhibeat corpus Christi vivum & integrum, dum illud non aliter quam ut ex sanguine & mortuum debet representare. Horologium esset valde distortum quod aliter sonaret aliter indicaret; Signum quoque illud valde ineptum, quod aliud representaret aliud exhiberet.

Nec olim aliter inquam) Non sanè, in ordinaria & publica hujus Sacramenti administratione; uti non solum à nostris, sed ab ipso Cassandro, expresso hac de re tractatu, fuit evidenter demonstratum. Sed videamus num Tirino subsint exempla aut argumenta quibus sacrilegam hanc mutilationem queat defendere.

Nam & duobus discipulis) Non diffiteor quoddam esse veterum qui illud Christi factum de Eucharistia saltem allegoricè interpretantur, sed nemo est eorum qui dicat Iesum Christum sub unica specie consecrasset; quod illicitum fuisset & contra naturam Sacramenti, & contra communem Doctorum Pontificiorum sententiam, quâ statuunt consecrationis materiam esse panem & vinum, eumque graviter peccaturum qui in una tantum specie consecraret: Nec hîc debet recurri, ut sit à Puteano, ad plenitudinem potestatis in Christo, qui ea nolisset uti in re neque necessaria, neque utili ad exemplum, & contra præceptum à se quatrinduo ante datum de utraque simul specie consecranda & sumenda. Et cum Tirinus ad hunc locum referat, illam panis fractionem in qua Christus fuit agnitus, non initio mensæ fuisse adhibitam, sed in medio vel fine (*nam, inquit, proculdubio cenavit cum illis, ne phantasma crederetur,*) quis inde non colligat fractionem illam panis, si ad Eucharistiam spectarit, synecdochicè completi Calicis quoque benedictionem? Imò cum Pontificij statuunt saltem ad rationem Sacrificij requiri necessariò utramque speciem, debuerit Christus Sacramentum in una tantum specie celebrando & consecrando, eam administrasse Eucharistiam quæ nulla ratione Sacrificium fuerit: Adde quod Pontificijs Missa nulla valeat post meridiem; unde festivè quidam dicebat id discriminis esse inter Romanenses & Reformatos, quod illi dicerent Missam nihil valere à prandio, hi eam nullius faciant toto die; At Christus debuerit Missam cantasse vesperi, si jam ad vesperascente & inclinante die,

te die, Eucharistiam administraverit : Sed revera ibi non agitur de Eucharistia, agnoscentibus id inter alios, Lyrano, Carthusiano & Stellâ, quorum hic sic loquitur ; *Solitum hunc frangendi modum fuisse credimus, & propterea discipuli ex consueto Iesu modo cognoverunt eum* : Meliùs Grotius *ibi*, non tam ex modo fractionis agnitum Christum, quam ex benedictione cuius voluit jus sibi tribuere, quo se Dominum & Patrem familiars ueteri ritu profiteretur. Ita Erasinus *in poraphrasi*. Illi lati tanto hospite quàm exhibuissent quicquid gratis hospitibus soles exhiberi, apparaverunt & mensam, proque sua tenuitate quod habebant apposuerunt : Frugalis erat apparatus ; Sed ante omnia vultus accessere boni animo sincerissimo respondentes ; posteaquam autem Iesus accubisset cum illis, accipit panem, benedixit, fregitque deinde porrigebat illis. Hunc morem quoniam sciebant esse Christo peculiarem, ut antequam ageret gratias Patri, dein suis manibus fractum partiretur in discipulos, duo discipuli velut exasperfacti ceperunt cogitare de Iesu, mox sublato impedimento quod hactenus obstiterat quo minus agnoscerent eum, agnoverunt illum esse Iesum.

Et Act: 11, 42. dicuntur) Sed debuisset hinc meminisse Tirinus non faciliùs hinc probari communionem sub una specie, quam unius tantum speciei consecrationem ; & esse synecdochicam loquutionem Scripturæ & Patribus usitatissimam, quâ tota hæc actio *Fraçtio panis* nuncupatur ; de quo nomine fusiùs agit Casaubonus *Exerc. 16. in Baronium 9. 38.* Ita per similem tropum 1. Cor: x11, 13. respectu Eucharistiæ, quod agnoscit *ibi* Tirinus post Chryostomum & Cajetanum, dicimur, nullâ factâ panis mentione, uno potati Spiritu ; ut tamen nemo inde possit fabricari communionem inutilam sub unica specie vini absque pane. Et quamvis ultrò agnoscam agi Act: 11, 42. ut etiam Act: xx, 7. de communione Eucharisticâ, quæ ordinarijs epulis priorum Christianorum ut plurimum adungebatur (unde Tirinus hanc fractionem panis tam *de agapis*, quam de Eucharistia, *ibi* interpretatur, non credens tamen opinor agapas absque omni potu fuisse celebratas) motus etiam autoritate Syri interpretis, qui hanc fractionem panis, reddidit voce Græca *ἁγιασμα* *Eucharistia*, tamen id non est tam certò & universaliter recep-

receptum apud Pontificios, quin Petrus Lintrensis Theologiæ Doctor & Professor primarius Duaci, neget fractionem panis Act: 11, 42. de Eucharistiæ distributione & sumptione debere intelligi; hoc inter alia argumento, quod *fractio panis hic tribuitur istis neophytis Christianis, cum tamen fractio seu distributio Eucharistia non fieret per laicos, sed per Sacerdotes*; atque ideo suis irascitur, qui adversus nos differentes, *quidvis arripiunt quod aliquid coloris habet, numero scilicet argumentorum pugnantibus non viribus*; & id valde improbat, quod nonnulli *urgent hunc locum adversus hæreticos, ad probandum sumptionem Eucharistia sub sola panis specie.*

Et quomodo Nazaræi) Si tales extiterent inter primos Christianos qui adhuc Nazaræatus votum nuncuparent, (quò non negem spectare quæ leguntur Act: xviii, 18. & xxi, 23. id enim ad Synagogam honestius sepeliendam pertinebat) potuerunt durante suo voto integrâ abstinere communionem, ne Evangelica Legalibus perperam immiscerent: Regula enim quam proponit Gelasius est certissima, aut *integra Sacramenta* percipienda esse, aut *ab integris* abstinendum. Adhæc etsi illi Christiano-Nazaræi abstinentiam calice propter impedimentum morale quod ad tempus oriebatur ex ipsorum voto, non magis id favoriseret mutilæ communioni Pontificio-rum, quam exemplum abstemiorum, quos impedimentum naturale & physicum similiter arcet à calicis sumptione: Sunt casus particulares qui regulam generalem non evertunt; nec debent nos detertere ab integra communionem, quoties nullum est insuperabile impedimentum à parte vel Dei vel naturæ: Abstemos autem non magis obligat hoc præceptum de sumendo calice, quam surdos mandatum de audiendo Evangelio; necessitas legem non habet. Quid, quod ex doctrina Pontificia lex Nazaræatus non debuisset hos argere à sacro calice, si persuasi fuissent de Transsubstantiationis veritate? Nazaræis enim vinum bibere nefas erat; at meræ species vini, inania ejus accidentia, qualia dicuntur esse in calice post consecrationem, non debebant amplius haberi pro vino quod Nazaræi degustare non possent.

De quo non sine causa) Multum præstiterit Jesuita, si ex Paulo
 S s s s 3 hoc

hoc loci expresseſſerit aliquid pro mutila communione : Apoſtoloſ totuſ eſt in contrarium : Nam ut Mannæ aquam rupiſ initio capitiſ conjunxerat , ita hîc panem commemorat conjunctim & calicem , in quo cum haberent Corinthij *κοινωνίαν* ſanguiniſ Chriſti , eo ipſo à Dæmoniorum communione avocabantur ; Fruſtra autem Pauluſ calicem Benedictioniſ revocaſſet ipſiſ in memoriã , niſi id extra omne dubium fuiſſet illoſ ſolitoſ & manducare ex illo pane qui eſt communio corporiſ Chriſti , & ex illo bibere calice qui eſt communio ſanguiniſ Chriſti. Quin ſuiſ inſiſtens principiſ capite ſequenti ita revocat Corinthioſ ad hujuſ Sacramenti inſtitutionem & naturã , ut diſertè atriuſque ſpeciei ſumptionem illiſ mandet , & in ipſiſ toti Eccleſiæ , edicens ut quiſque ſeipſum probet , & ita comedat de hoc pane & bibat de hoc calice , ſic annuntiatur mortem Domini donec veniat 1. Cor: XI, 23. 24. 25. 26. Quùm ergo Jeſuita hîc arcum ſubtilitatiſ ſuæ intendit in veritatem ipſã , ludit in re feria. Si enim τὸ *frangimus* , dictum de pane , ſignificat Tirino interprete ad 1. Cor: x, 16. *offerimus Deo & oblatum distribuimus populo* , cur non τὸ *benedicimus* , de calice ſignificabit , *conſecramuſ populo offerendum* ? Nulla enim ratio ſuadet magiſ frangi panem ad eſum quam benedici calici ad potum ; Nec dubium quin iſ omnibuſ tempore Pauli calix fuerit *κοινωνία* ſanguiniſ Chriſti , quibuſ panis erat *κοινωνία* corporiſ Chriſti : Et quemadmodum id non erat calix , niſi iſ quibuſ communicabatur , ſic neque hoc erat panis , niſi iſ qui illum manducabant. Fingeret autem communicari calicem *Sacerdotibuſ neceſſariò ad integritatem Sacrificij , laiciſ non neceſſariò ad integritatem Sacramenti* , quod hiſ ſufficiat *participatio panis quem frangimus cuicuſque volenti* , eſt aſſumere pro confeſſo , quod maxime controvertitur. Diſtinctionem hîc nullã proponit Pauluſ inter ſacerdotem & populuſ , nec inter Sacrificiuſ & Sacramentuſ : ſed *κοινωνίαν* corporiſ & ſanguiniſ Chriſti illã in pane quem manducamus , hanc in calice benedictioniſ cui benedicimus , vindicat in univerſum ſidelibuſ Corinthiſ , & utramque ſtatuit eſſe de integritate hujuſ Sacramenti ; cujuſ etiam materia (quæ pars eſt illiſ non integraliſ tantum , ſed eſſentialiſ) vulgo ſtatuitur à Pontificiſ panis &

nis & vinum. Quod vero subdit Apostolus de spiritali unione fidelium inter se & cum Christo, adhibetâ similitudine panis, non est calicis exclusivum sed inclusivum; nam non habet Vulgata versio, authentica adversarijs, ut cum mutilatione citatur hîc à Tirino, *Quoniâ unus panis, unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane participamus; sed Qui de uno pane & de uno calice participamus*: Imò quod magis est 1. Cor. xii, 13. eandem unionem ex solo calice arguit, nulla panis mentione; Quin par est utrobique ratio; Nam ut multa grana ad unum panem concurrunt, sic multi acini ad unum calicem. Ideo Cyrillus *Catech. 4. Mystag.* dicit nos in sacra communionem fieri non tantum Christophoros, sed concorporeos & consanguineos Christi. Et Tirinus solus est qui ex hoc loco Pauli 1. Cor. x, 16. voluerit colligere communionem imperfectam: à qua quantum Apostolus abfuerit, testatur Joannes à Gorcum Presbyter, Estij & Cornelij à Lapide in Epistolas Pauli compilator; cujus hæc sunt verba: *Sic ergo ratiocinatur; Nos Christiani quicumque de uno pane id est corpore Domini & de uno calice id est sanguine Domini communicamus, hoc ipso cum Christo Domino & inter nos societatem sancta religionis habemus atque fovemus; adeoque unum inter nos & cum illo tanquam capite, mysticum corpus efficitur; ergo fideles una cum infidelibus ex immolatisijs edentes societatem impia religionis cum eis ineunt, atque idololatria participes efficiuntur; imo sicut infra dicit ipsorum Damoniorum socij sunt.* Sed & illud addo, quod licet spiritalis unio fidelium inter se & cum Christo sufficienter designaretur sub unica specie, non tamen inde magis sequeretur ergo in unica specie Sacramentum esse administrandum, quam in unica consecrandum; nam ordinatur non tantum ad significandam illam unionem spiritualement, quæ ex alterutra specie dicitur designari, sed primariò & per se ad designandam perfectam & absolutam nostram nutritionem spiritualement per Christum, cui explicitè significandæ utraque species cibi & potus necessariò requiritur.

Illud Matt: xxvi, 27.) Tirinus festivum hoc commentum hausit ex suis gregalibus, Bellarmino l. 4. de Sac. c. 25. Becano c. 24. de Sac. puncto 11. & Conineq. q. 80. art. 12. dubio unico §. 122. Sed in eo ne quidem mica salis;

salis : Nam quod respectu sumptionis omnes tunc spectabat Apostolos , quos Christus coram alloquebatur , omnes quoque nunc spectat fideles , qui ab Ecclesiæ Ministris sunt ad mensam Dominicam admittendi : Imò quod tum factum ab Apostolis , ut mandate bibendi omnes obsequerentur , argumento est debere etiam hodie omnes fideles idem facere . Non enim fecerunt quod mandaverat Christus , ut alij ab eo præstando deinceps forent immunes , sed potius ut cæteris suo exemplo ad idem præstandum prælucere : Quod si illud , *Bibite ex eo omnes* , sic impletum fuit ab Apostolis qui omnes ex eo biberunt , ut ad fideles nunc non spectet , duo inde absurda consecutaria sequentur ; 1. Illud Bibendi mandatum sic fuisse personale Apostolis & ab ipsis impletum , ut non magis obliget sacerdotes & consecrantes , quam Laicos & communicantes ; 11. Etiam illud , *Accipite, Manducate* , fuisse Apostolis personale , & ab ipsis ita impletum , nam & hoc etiam fecerunt omnes , ut neminem amplius obstringat , & sic concidat quod statuit Bayonensis *cap. 4. de Sacram. sect. 18. Vi præcepti divini teneri omnes adultos ad communicandum* . Atque ita sponte sua ruunt ficulnei illi tibicines quibus conatus erat Tirinus sacrilegam & mutilam illam sub unica specie communionem Eucharisticam defendere , & de qua id verissimè dixerimus , Non sic fuit ab initio.

CON-

CONTROVERSIA XXII.

De

SACRIFICIO EUCHARISTICO;

Respondente

HENRICO EYSSONIO, Groningano.

Num:
I.



Proprie dictum SACRIFICIUM est externa oblatio facta Deo, quâ ad testandum supremum illius dominium, & nostram erga eum subjectionem, substantia aliqua sensibilis à sacerdote realiter transmutatur.

OBLATIONEM vocat Scriptura Ps: xxxix, 7. *Sacrificium & oblationem noluisti, &c: & Heb: v, 1. Pontifex constituitur, &c: ut offerat dona.*

EXTERNÀ sit oportet, in manifestum & publicum usum: de tali enim solo sacrificio jam agimus.

Et fit soli DEO: Exod: xxii, 20. *Qui immolat diis occidetur, præterquam Domino soli.* AD TESTANDUM ILLIUS DOMINIUM, &c. Est enim quæ sit tributum quod Deo pendimus in eum finem: Mal: i. v. ult. *Quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum.* Et hic finis est sacrificio intrinsecus & essentialis: & facit ut sit opus virtutis religionis.

Ex parte MATERIE requiritur SUBSTANTIA SENSIBILIS, ut excludantur actiones transeuntes, v. g. Psalmodiæ, preces, genuflexiones, &c. factæ in honorem Dei.

Ex parte FORMÆ, ut substantia illa REALITER TRANSMUTETUR: Sic enim non solus usus rei (ur fit in simplici consecratione,) sed etiam substantia rei in Deum transfertur, testatum que fit, ipsum etiam intimitæ entitatis rerum habere dominium. Hæc transmutatio in sacrificiis antiquæ legis fiebat destructione hostiæ saltem secundum aliquam sui partem, Lev: i. ii. iii. &c: Sed in novâ fit (ut mox videbimus n. 6.) per novam hostiæ productionem, quâ supremum Dei dominium in omnia, & nostri erga illum subjectio, commodius & expressius designatur, quam per destructionem rei: Et univèrsim ab uno Deo pendet, quibus rebus, & quibus ritibus coli debeat, præscribere ac determinare; Deut: xii, 32.

¶ ¶ ¶

Quod præci-

quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino; nec addas quicquam, nec minuas.

Ex parte offerentis, requiritur ut sit SACERDOS, seu minister publicus legitimâ auctoritate ad id munus deputatus. Sacrificium enim est sacerdotis (tanquam correlativi sui) sacrificium. Heb: v, 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his que sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia.* v: 4. *Nec quisquam sumit sibi hunc honorem, &c:* Unde Ozias rex, cum non esset sacerdos, & sacrificare vellet, leprâ punitur à Deo, 2. Paral: xxv, 17. Et Saul ob eandem causam (ex non paucorum opinione) à Deo rejectus & regno privatus est 1. Reg: xii, 13.

Ex usu quoque & praxi omnium gentium, requiritur locus specialis ab usibus profanis segregatus, & huic muneri dedicatus, quem ARAM seu ALTARE vocamus. Sic apud Iudæos sacrificium offerri ordinariè non poterat nisi in arâ tabernaculi, vel templi Ierosolymitani. Et suum Christianis altare esse testatur S. Paulus, Heb: ult. v: 10. & 1. Cor x, 21.

CENSURA. *Propriè dictum Sacrificium*) Hæc definitio, quam nostro Tirino propinavit Bellarminus lib. 1. de Missâ cap. 2. posset utcunque convenire Sacrificio Latreutico, quod, inquit Becanus Anal. V. & N. T. cap. 13. §. 9. *solum fit ad Deum colendum, testando ejus principatum & nostram servitutem seu subjectionem, quodque potissimum fit holocausto, verum non convenit Sacrificio Propitiatorio, (quale Christi in cruce) aut Impetratorio, aut Eucharistico.* Absurdè autem unius speciei definitio pro definitione genericâ proponitur à Tirino. Sed & hanc per partes expendamus; paucis ad singulas vidicaturi, quàm non conveniat Sacræ Cœnæ; quandoquidem huc pertinet tota hæc Controversia.

Oblationem vocat Scriptura) Posset disputari num oblatio benè affigetur pro genere Sacrificij; quandoquidem, teste Bellarmino lib. 1. de Missâ cap. 2. apud Sacros & Ecclesiasticos Scriptores pro eodem accipitur offerre & sacrificare. Becanus cap. 25. de Sac. q. 2. §. 4. incurrit in Calvinum quod dixerit Inst. lib. 4. cap. 18. §. 13. *Sacrificium generaliter acceptum complecti quicquid omnino Deo offertur: atque hac ratione Calvinus vapulat Becano, quod in Scripturis multa dicantur offerri, quæ non tamen rectè dicuntur sacrificari, ut primogeniti, primitia variarum frugum, aurum, argentum, lapides pretiosi, byssus, &c.* Verum Jesuita non videt Sacrificij definitionem, ut hic à Tirino proponitur, ad ista posse

ista posse extendi, & Calvinum liberari Bellarmini verbis modo citatis, nempe *offerre & sacrificare* apud Ecclesiasticos Scriptores idem esse. Est autem Sacrificium oblatio quæ fit Deo ab hominibus, sed non putetur Sacrificium esse quod per modum Sacramenti, ut Eucharistia, offertur hominibus nomine Dei, ad contestandas & obsignandas illis promissiones suas; Et quando Tertullianus *de Velandis Virg. & de Exhort. cast.* Ministrorum Ecclesiæ dicit esse *tingere, offerre, docere*, id est, verbum & Sacramenta administrare, offerendi vocabulum, quod spectat Eucharistiam, non sumit de Oblatione quæ fiat Deo nomine hominum, sed de eo quod offertur hominibus nomine Dei.

Externa sit oportet) Ita, si fuerit Sacrificium aliquod sensibile & externum, qualia vigeant sub V. T. nec amplius debent obtinere sub Novo. Sacrificia enim nostra sunt planè mystica & Spiritualia, uti dicuntur 1. Pet: 11, 5. Neque *externa* potest dici oblatio Christi quæ fingitur in Missâ peragi, cum Christus ibi invisibiliter delitescere asseratur.

Est fit soli Deo) Optimè; sed Oblationes & Sacrificia habent Pontificij, quæ sunt Creaturis; ut cum Missæ Sacrificium, quod illis est augustissimum, celebratur in honorem Sanctorum; & eorum reliquæ ac imagines cereis & incenso ac thure coluntur.

Ad testandum illius dominium) Id de Sacrificio Latreutico facile confiterer, de Propitiatorio, Impetratorio, Eucharistico, neququam: His enim alios esse fines intrinsecos & essentielles, nemo, qui ad eorum indolem attenderit, negaturus est. Neque id convenit Sacrificio illi quod in Eucharistia imaginantur Adversarij. Quis enim crederet quotidie immolari Deo suum filium, ad testandum ipsius *Dominium* in nos & nostram erga eum *subjectionem*, & hoc quasi tributum illi pendendum? Etenim ad contestationem dominij divini & nostræ subjectionis debet offerri Deo id quod aliquatenus sit nostrum & nostri arbitrij, quod de ipsius unigenito Filio dici nequit.

Ex parte materia) Ut id verum est de Sacrificio externo & legali, ita parum convenit Sacrificio Missatico, in quo Adversarij pretendunt offerri corpus Christi, quod indutum juxta eos speciebus panis & vini, nec visibile nec sensibile est in Eucharistiâ.

Ex parte forma) Transmutatio hæc gratis adhibetur in definitione; cum non qualiscunque transmutatio, sed realis destructio requiratur in Sacrificiis latreuticis; nam illâ demum supremum Dei dominium luculenter agnoscitur. Hinc maximè Latreutica erant holocausta sub lege, sic dicta quod non tantum jugularetur hostia, sed etiam ejus carnes omnes igne absumerentur. *Necessitatum fit Deum intimæ entitatis rerum habere dominium*, ut hic loquitur Tirinus, nisi earum rerum quæ offeruntur eum in finem, intima entitas destruat.

Hæc transmutatio) Benè est quod agnoscat Jesuita illi transmutationi, quam fingunt Adversarij in Sacrificio Missatico, nihil simile extitisse in Levitico cultu; Et cum hæc nova hostiæ productio, quam hîc imaginantur, sit potius munus Dei ad homines, quam hominum ad Deum, non video quî sic testentur aut testari possint supremum Dei in omnia dominium, & suam erga eum subjectionem. Sed quandoquidem Tirinus plura ad hanc rem promittit N°. 6: etiam nos eò usque differemus examen novæ illius productionis, num videlicet sit realis transmutatio, & num supremum Dei dominium commodiùs & expressiùs designet in aliquo Sacrificio, quam rei oblatae interitus & destructio. Fortè placet Pontificiis imitari veteres idololatras, ut quemadmodum hi in Solis honorem ignes ac faces accendebant, ita ipsi in honorem Creatoris producant eam hostiam, quâ summopere colatur & adoretur.

Et univèrsim ab uno Deo) Id sanè tam verum quam malè observatum apud Adversarios, quibus maximo sunt in pretio *ἰδελοθρησκείαι* damnatæ Apostolo Col. 11, 23. Interea tamen non potest dici velle Deum agnosci ab hominibus in aliquo Sacrificio supremum suum in omnia Dominium, miraculosâ productione hostiæ quæ non fit ab hominibus sed ab ipso. In eo quidem quod facit semper ejus potestas est agnoscenda; sed id tamen quod facit non est testimonium quod ei demus protestatis suæ; quemadmodum ille liberalitatem Principis non censetur eo ipso solemniter agnoscere & deprædicare, quod ex illa ditescit. Et uno verbo illa nova hostiæ productio, erit potius oblatio Dei ad homines, quam hominum ad Deum.

Ex parte offerentis) Sed primò ex ea fabula quam retuli superiori

Contro-

Controversiâ ad Num: 11. quæ substernitur illi ritui quo mussitantur verba consecratoria in Missâ, undè ea pars Canonis *Secreta* appellatur, non necessariò Sacerdotalis character & ordinatio ad missificationem & transubstantiationem requiritur. Deinde libenter agnoscimus Sacerdotium & Sacrificium esse relativa, & id muneris requirere vocationem divinam & publicam juxta locum Heb: v, 1. d. ac meritò Oziam leprâ percussum fuisse, quod in Sacerdotis munus involasset; nam debent tractare fabrilia fabri, & *Divisum imperium cum Iove Caesar habet*; Idem statuunt multi de Saule ex 1. Sam: xiii, 9. quasi non solùm peccaverit inobedientiâ, dum non expectatâ Dei voluntate metu inutili prævertit adventum Samuelis, uti loquitur Tirinus ipse ad 1. Reg: aut Sam: xiii, 13. sed etiam πολυπραγμοσύνη, dum quæ Sacerdotis erant oblato holocausto ad se rapit: Sed non desunt qui putent holocaustum Saulem obtulisse non suâ sed alicujus Sacerdotis manu: Verum negamus sub N. T. superesse locam vel Sacerdotio ulli instar muneris specialis in Ecclesia, vel Sacrificijs externis & propriè dictis, ad quæ tale Sacerdotium ordinetur. Postquam Christus fecit cessare Sacrificium & oblationem, ut est apud Danielem ix, 27. Sacrificio sui, in cujus rei signum, ut ibi observat Tirinus, *Christo exspirante velum Templi scissum est & arcana omnia eo usque clausa patuerunt, inquit Apostolus ad Heb: 9. & cuncta caeremonialia antiquata & abrogata, imò mortua sunt*, nullum aliud munus incumbit Ecclesiæ Ministris quam docendi pascendique & Sacramenta administrandi: Fit enumeratio satis exacta eorum munerum quæ Christus in Ecclesiâ suâ instituit Eph: iv, 11. Nulla tamen ibi Sacerdotij mentio; Imò nusquam in N. T. videas Pastoribus Ecclesiæ Sacerdotium speciale tribui; cum tamen sæpissimè pij & fideles Sacerdotes dicantur Deo, qui Sacrificia Spiritualia habeant ipsi offerenda: De his Sacerdotibus & Sacrificijs mysticis, quibus solis locus superest sub Evangelio, vide Rom: xii, 1. Heb: xiii, 15, 16. 1. Pet: ii, 5. 9. Apoc: i, 9. v. 10. Ridiculè verò Tirinus ad Heb: xiii, 15. per *hostiam laudis* vult quoque antonomasticè intelligi Eucharistiam, non animadvertens Paulum loqui de officio communi omnium fidelium, non speciali Ministrorum Ecclesiæ, & illam hostiam laudis, *θυσίαν*

ἀίματος, interpretari, fructus labiorum contentium Nomini ejus. Hoc sensu Augustino teste *lib. 10. de Civit. Dei cap. 6. verum Sacrificium est omne opus quod agitur, ut sanctâ societate inharreamus Deo, velatum scilicet ad illum finem boni quo veraciter beati esse possumus.* Hæc nostra Sacrificia mystica idem Augustinus *ibid. cap. 5.* vocat invisibilia, quibus significandis visibilia olim Sacrificia fuerunt destinata: *Sacrificium ergo visibile (inquit) invisibilis Sacrificij Sacramentum, id est, sacrum signum est.* Et quamvis Tirinus conetur ad *1. Pet. 11, 5.* Petri dictum etiam ad Sacrificium Misticum rapere obtorto collo, tamen Lorinus ejusdem furfuris homo, agnoscit quod *oblatio hæc hostiarum & victimarum Spiritualium demonstrat non fuisse prius de proprio, vero & externo ac materiali Sacerdotio sermonem, nec postea esse; & Sacerdotium hoc nostrum apud Petrum eo usque facit commune fidelibus omnibus, ut Confirmationis chrismate eos statuat ad illud inungi & inaugurari.* Hinc Leo Romanus *Serm. 3. in ann. die sua Assumpt.* hoc regale Sacerdotium omnibus Christianis vindicaturus ita loquitur: *Nihil tam regium quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem: Nihil tam Sacerdotale quam vovere Domino conscientiam puram & immaculatam pietatis hostias de altari cordis offerre.* Ut ergo in locis supra citatis Sacerdotium simul externum & mysticum intelligatur, commune omnibus fidelibus & speciale Ministris Ecclesiæ, nullâ ratione probabili unquam efficietur. Agnosco equidem Sacerdotum & Sacerdotij frequentem esse mentionem apud Veteres; Sed cum id nominis solis Episcopis tribuatur contradistinctè à Presbyteris & Diaconis, præsertim postquam stabilita fuit Episcopatus ἑποποιὰ in Ecclesiâ, nihil minus potest sonare quam illam sacrificandi potestatem, à qua hodierni presbyteri & sacrificuli Sacerdotes, contra stylum veterem, volunt denominari. Sacerdotes itaque dicti olim Episcopi, non à Sacrificio propriè dicto quod ipsis offerendum incumberet, sed à præminentia, quâ tantum superant Diaconos & Presbyteros, quantum olim Levitas superabant Sacerdotes. Cyprianum, Tertullianum, Hieronymum, residuamque Antiquitatem nesciat, qui hoc quod dico in dubium revocaverit.

Ex usu quoque & praxi) Aras & altaria habuisse eas gentes; quæ sacrificia

erificia externa habuerunt, non inficior; Quid inter illa duo sit discernimus, Criticorum est explicare; Sed aris & altaribus externis ac propriè dictis locum superesse in Ecclesia Christiana pernego. Apud Arnobium *lib. 4. contra Gentes*, Minutium Felicem in *Octavio*, Clementem Alexandrinum *Strom. 7.* Origenem *lib. 8. contra Celsum*, videmus id Ethnicos improperasse Christianis, quod nec templa haberent, nec aras, nec imagines; quibus Origenes (nec alij aliter) uno verbo respondebat, *Nobis pro aris & delubris iustorum esse mentem, à qua haud dubie emittantur suavissimi incensi odores, vota inquam & preces ex conscientia puriore.* Habuit antiquitas mentem sacram & mobilem ad Sacramentum Coenae, non verò altare lapideum & fixum ad Sacrificium Missae: Ideò in Concilio Nicæno Canon ad Eucharistiam pertinens inscribitur *ἡ ἐν τῆς ἱερᾶς τραπέζης, de sacra mensa*, convenienter stylo Apostoli, qui & mensam Domini appellat eam cui ad Sacramentum Eucharistiae percipiendum assidere debemus, *1. Cor: 2, 21.*

Et suum Christianis altare) Ineptè hæc duo loca adferuntur: Nam *Heb: 2111, 10.* altare non intelligitur externum & materiale, sed mysticum & spirituale, ut etiam disertè intelligitur à Titelmanno, prout ibi sermo Pauli totus est allegoricus; Lyranus illud de cruce Christi accipit, & Carthusianus censet etiam ita sumi posse; nec aliud hoc Altare quam illud sub quo Martyrum animæ quiescebant, *Apoc: 61, 9;* Hoc verò esse Christum ipsum ejusque beneficium, agnoscunt Bernardus, Haymo, Anselmus & alij. Itaque sciendum sub *V. T.* servivisse Tabernaculo Levitas *Num. 7111, 15. 24.* altari verò Sacerdotes; Quare ex altari vivebant Sacerdotes, non Levitæ. Eò alludens Paulus, dicit nobis Christianis, quos fecit Christus Sacerdotes Deo *1. Pet: 11, 5.* *Apoc: 1, 6.* ipsummet Christum ejusque beneficium esse altare uberrimum, cujus nequeant esse participes qui Cæremonijs Mosaicis addicti, non minùs Tabernaculo videntur inservire quam ipsosmet Levitas, qui eo ipso ex altari vivere & participare non poterant: ut hoc loco nihil ampliùs sibi velit Apostolus, quam quod alibi simplicius dicit, Si circumcidamur, Christum nihil nobis profuturum *Gal: 7, 3.* Quare *Tirinus frustra ad Heb:*

ad Heb: xliii, 10. pertendit eum locum de solâ Eucharistiâ posse intelligi, eo quod ex solo hoc sacrificio edere possimus, nullo modo *de crucis sacrificio jam à mille & ferè sexcentis annis peracto.* Nam edunt illi de Sacrificio crucis, qui ex illa ara spirituali & mystica non minùs aluntur & vivificantur, quam olim Sacerdotes inservientes altari materiali ex illo nutriebantur & victitabant 1. Cor: ix, 13. Quin liberaliùs adhuc agam cum Jesuita, & agnoscam ex hoc altari quod habemus nos edere in ipsâ sacra Cœna; non quod Cœna sit Sacrificium propriè dictum, sed quod sicut qui edebant olim ex altari, mensæ suæ inferebant carnes victimarum, quæ antea altari fuerant impositæ, (prout Principum domesticis mensa sternitur ab herili distincta, sed cui tamen inferuntur cibi & fercula quæ hero priùs apposita fuerant) ita in mensâ Domini paratum nobis sit epulum sacrum & mysticum ex carne & sanguine illius immaculatæ victimæ, quæ in cruce oblata fuit pro nobis. Atque sic etiam unum manebit altare nostrum, illudque intelligibile non sensibile, ex quo tamen edimus in sacra Cœna quæ nobis est pro convivio sacrificiali, in quo spiritualiter epulamur ex oblatiis in cruce pro salute nostra. Alter locus 1. Cor: x, 21. nihil habet quod altaria Papatus propugnet, utpote qui mensam Dominicam tantum commendat, non aram: Igitur hoc sibi vult Apostolus, quod sicut Israëlita secundum carnem, cum vescuntur ex victimis, fiunt quoque participes altaris & cultui Dei in eo consentiunt, ita fiunt participes aræ dæmoniorum & eorum cultui consentiunt, qui vescuntur idolothytis in solennibus illis epulis, quæ in idolejo ex oblatiis celebrantur: non esse autem æquum ut cum in mensâ Domini epulemur spiritualiter ex oblatiis pro nobis in cruce, & sic cum Christo arctam nos habere communionem profiteamur, velimus fieri unâ participes mensæ Dæmoniorum, vescendo immolatitijs, quæ ex ipsorum aris in tales mensas inferebantur. Non ergò mensa Domini confertur vel cum altari Judaico, vel cum ara dæmoniorum, sed cum epulis sacris sive sacrificialibus, quæ ex victimis celebrabantur tum in mensa Israëlitis secundum carnem, tum in mensa dæmoniorum, ut non minus in illa mysticam habeamus communionem cum Christo, quam Judæi in sua cum altari

Hic-

Hierosolymitano, & in sua Gentiles cum dæmonijs: Neque hoc quod volumus malè expressit Tirinus ad 1. Cor: x, 20. cum ait *qui de victimis comedit, participat de Sacrificio*; sed ἀνοδοῖς ejus minus benè procedit, cum subjicit, *sicut cum de hostiâ Eucharisticâ comeditis, participes estis sacrificij Eucharistici*: cum dicendum fuisset, Sicut cum carnis & sanguinis Christi Sacramentum percipitis in Cœna, participes estis Sacrificij crucis: Nec dicas, Ergò saltem nos debere vesci in mensâ Domini illâ ipsa carne Christi, quæ immolata fuit in cruce, sicut Israëlitz & Gentiles in convivijs suis sacrificialibus vescabantur illis ipsis carnibus & victimis quæ super altari impositæ fuerant. Nam facilè concessero etiam nos illâ ipsâ Christi carne, quæ fuit immolata pro nobis, vesci in Eucharistiâ, tum Sacramentaliter, quatenus panis quem comedimus est communio corporis Christi; tum spiritualiter, quatenus in legitimo usu Sacramenti, per fidem carne Christi nutrimur & vivificamur ad salutem. Sic ergò concidit Glossa Tiriniana, *Mensam Domini esse altare, seu Eucharistiam oblatam Deo in altari & fidelibus porrectam ex altari, in quo Deus quasi in mensa sua nobiscum convivatur*. Nam mensa convivij sacrificialis non est confundenda cum arâ sacrificij, quandoquidem res oblatæ ex hac in illam inferuntur; nec Eucharistia offertur Deo in altari, sed in Eucharistia, & per eam sumus participes carnis & sanguinis Christi, quæ in cruce, sive ut vulgò loquuntur in ara crucis, sunt oblata Deo pro redemptione nostra; nec Sacramentum Eucharistiæ porrigitur fidelibus ex altari, sed ex mensa; sicut Idolothyra non porrigebantur convivantibus in idoleio ex idoli ara, sed ex mensa convivij; nec Deus in mensa Eucharistica nobiscum convivatur; sed ex altari suo curat nobis strui mensam, & dapes sibi prius illic appositas, nobis hic reponi, quo sic verè regias gustemus delicias.

Num: 2. Non igitur omne opus bonum (ut vult Melanchton, & Kernn- *Melanch:*
tius) nec omnis oblatio facta in honorem Dei (ut Calvinus cum alijs con- *in locis*
tendit,) est S A G R I F I C I U M propriè dictum. Tum quia multis desunt *tit: de sa-*
conditiones suprâ requisitæ: Tum quia Scriptura passim contradistinguit, *crif. & in*
& subindè præfert quædam opera bona sacrificio, ut 1. Reg: xv, 22. *Me-*
Apolog.
lior est obedientia quàm victime. Osee vi, 6. *Misericordiam volui, & non sacrifi-*
Kernn:
cium. Simili modo oblationem distinguit à sacrificio Psal: xxxix, 7. *Supr. do,*

V V V V

. sacrificium

Sacrif. *crificium* & *aliam oblationem noluit*. Pſal: L, verſ: ult. *Oblationes* & *holocauſta*.
Calv. ſu- Et Exod: xxv, 35. & alibi multa offerri jubentur Deo, quæ tamen non poſ-
pr. c. 18. ſunt dici ſacrificari, v. g. omnes primogeniti, omnes ſacerdotes & Levitæ,
ſ. 13. primitiæ variarum frugum, & decimæ, aurum, argentum, gemmæ,
☛. byſſus, &c.

Quando Scriptura ſubinde *contritionem*, Pſal: L, 29. vel *elemoſynam*,
 Heb: ult. verſ: 16. vel *opera juſtitia*, Pſal: 117, 6. vocat *Sacrificium*, tunc la-
 tius ſumit nomen *ſacrificij*, ut commune eſt tam improprîe, quàm pro-
 prie dicto.

CENSURA. *Non igitur omne opus bonum*) Hic Tirinus pugnat
 cum umbra ſua: Quæ verba ſupra retulimus ex Auguſtino *lib. 10.*
de Civit. Dei cap. 6. ipſe Jeſuita citat *ad 1. Pet. 11, 5.* Illis autem
 aſſeritur omne bonum opus *ſacrificium verum eſſe*. Et ante oſtendimus,
 judice Bellarmino, oblationem & ſacrificium ſæpiſſimè idem ſignifi-
 care: Et cum Tirinus Sacrificium definierit per oblationem, ſal-
 tem non aliam inter utrumque differentiam agnoſcit, quam quæ
 intercedit inter genus & ſpeciem. Sed ultrò dabimus hîc ipſi quod
 vult; I. Inter Sacrificium externum & quodlibet opus bonum ma-
 gnam eſſe differentiam; Quin dicam ampliùs, *formalem eſſe*
 oppoſitionem inter bona opera obedientiæ nobis in Dei verbo præ-
 ſcriptæ, & Sacrificium Miſſaticum, ut huic renunciare debeat, me-
 mor locorum Scripturæ à Jeſuitâ citatorum ex 1. Reg: xv, 22. & O-
 ſeæ vi, 6. qui illi ſtudet inſiſtere. II. Oblationis nomen genera-
 liùs quandoque ſumi, ſtrictiùs nomen Sacrificij; quanquam eò non
 faciant loca Scripturæ, in quibus Oblatio jungitur Holocauſto aut
 Sacrificio, ut Pſal: xl, 7. LI, 22. Nam poſteriori loco junguntur
 וְעֹלָה וְכֹלֵל: atqui עֹלָה eſt holocauſtum, & כֹּלֵל idem ſignificat,
 nempe ſacrificium totum igne conſumendum Deut: xxxiii, 10. אֲבִי
 כָּלֵל *perfectis, abſolvit, conſummavit.* Neque videtur, judice Aben
 Eſra, aliud diſcrimen quando conjunguntur, quam quod עֹלָה de-
 notet Sacrificium juge, כֹּלֵל Sacrificium Sacerdotis de quo Levit: vi,
 16. Priori autem, ita videntur jungi in primo membro pericopæ
 וְכֹלֵל וְכֹרֶךְ וְכֹרֶךְ *Sacrificium & Oblatio*, quomodo in ſecundo junguntur
 עֹלָה וְחַטָּאת *Holocauſtum & Sacrificium pro peccato*, ut non ſit in
 primo

primo distinctio Sacrificij à non Sacrificio, sed Sacrificij cruenti ab incruento; prout juxta R. Salomonem Levit: xxiv, 4. *אֵין עֵץ* est quodcumque in genere venit ex proventu frumenti; aliàs ut ab una parte verum est aliquando hanc vocem usurpari de muneribus quæ hominibus offeruntur, ut Gen: xxxii, 20. xliii, 11. Dan: 11, 46. ita certum est non garò de Sacrificijs quibuslibet usurpari: Hoc nomine venit Gen: iv, 5. non minus Abelis oblatio quæ cruenta erat, quam Caini, quæ incruenta & ex frugibus terræ; & tempus oblationis, Judæis ipsis *Mincha* dicitur; & qui negaverit *αποσποράν* sapissimè Sacrificium proprijsimè dictum denotare, ille in meridie cæcutiet. Sed interea tamen dum tam operosè Tirinus studet ostendere omnem oblationem non esse Sacrificium, arma nobis suppeditat contra seipsum: Cum ad omnia loca Veterum in quibus oblationis & *αποσποράς* & offerendi vocabula adhibent circa sacram Synaxin ab Abversarijs proferri solita in stabilimentum Sacrificij Missatici, vel hinc facilis supersit solutio, nempe Oblationem latiùs patere Sacrificio, ita ut ex Sacrificio oblationem, non viceversà ex oblatione Sacrificium liceat colligere.

Quando Scriptura subinde) Agnosco & hanc acceptionum diversitatem; Sed indè duo colligo; I. Non posse eodem in loco, iisdemque verbis *nomen Sacrificij* sumi de Sacrificio *tam improprie quam proprie dicto*, ut vellet tamen Tirinus fieri Heb: xiii, 16. & I. Pet: 11, 5. II. Malè urgere Pontificios dicta quæ extant aliquando apud Veteres de Eucharistia, ac si pro Sacrificio esset habenda; cum possint & debeant intelligi de Sacrificio *nonproprie sed improprie dicto*.

Nam: 3. MORTEM CHRISTI propriè dictum SACRIFICIUM fuisse, nemo dubitat: MARTYRUM passiones non item. Et verò multum interest; Nam Primò, Christus ut Deum placaret generi humano, (qui est finis veri sacrificij) mortem subiit, Col: 1, 20. *Pacificans per sanguinem crucis*, &c. Heb: xiii, 12. *Ut sanctificaret per suum sanguinem populum*, passus est, &c. Martyres pro fine habuerunt, testimonium perhibere veritati.

Secundò, Christus propriè seipsum sacrificavit, moriens quia, quando, ubi, quomodo voluit: Ioh: xvii, 19. *Pro eis ego sanctifico meipsum*. Ioh:

Vyyy 2

x, 18. Ego

x, 18. *Ego pono animam meam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam.* Ef. LIII, 7. *Oblatum est quia ipse voluit.* Nihil horum est in Martyribus.

Tertiò, Christus verè ac propriè erat Sacerdos, Pſal: CIX, 4. imò *Ponifex* summus, Heb: x, 21. qui posset quamcunquè uellet hostiam ritè offerre, atque idèd etiam seipsum, in sacrificium. Quod in Martyribus non reperitur.

CENSURA. *Mortem Christi Sacrificium*) De morte Christi nemo quidem jure dubitet eam fuisse Sacrificium *ἱλασικόν* pro peccatis nostris; negat tamen impia Schola Socini, quæ Christum non ante functum suo Sacerdotio fingit, quam post Ascensionem in Cœlos, quo sic omnem Satisfactionem ipsius repudiet ac conculcet. Ita Rakovienſes Catechiſtæ, tum ubi quærent *Num mors Christi sit ἁγίων*, tum ubi agunt sub finem *de munere Christi Sacerdotali*; Socinus ipse *lib. 2. de Servat. cap. 15. & Pralect. suarum cap. 23. & 24. Volkelius lib. 3. de Vera Relig. cap. 37. & 38.* Frustra tamen isti homines Soli obloquuntur; Quamvis enim Christus ingressus Sanctuarium cœleste ibi repræſentet jugiter Patri suo vim & efficaciam Sacrificij quod pro nostris expiandis peccatis obtulit in cruce, ipsa tamen Mors & Passio ejus fuit illius ipsius Sacrificij propitiatorij & expiatorij immolatio & mactatio, quod Scriptura disertis verbis exprimit Eph: v, 2. Heb: v, 7. vii, 27. ix, 25. 26. 27. 28. x, 10. 11. 12. 14. Et sicut omnia Sacrificia *ἱλασικὰ* V. T. mortem Christi præfigurabant & adumbrabant, ita mors ipsius ejusque modus & effectus vix alijs terminis exprimitur in Sacris literis, quam sacrificialibus: Sic enim *ἱλασμός* pro peccatis nostris, & *ἱλαστήριον* in suo sanguine appellatur I. Joh: 11, 2. Rom: 111, 25. Sic statuitur agnus Dei mactatus qui tollit peccata mundi Joh: 1, 29. I. Pet: 1, 19. Apoc: v, 6. x111, 8. Sic prædicitur quod seipsum expositurus esset Sacrificium pro reatu Ef. 1111, 10. & dicitur peccata nostra in corpore suo super lignum pertulisse I. Pet: 11, 24. ac sanguinem suum effudisse in remissionem peccatorum pro multis Matth: xxvi, 28. Sexcenta istius generis ex Scripturâ possent haberi, ex quibus patet, I. Quam falsò stant Rakovienſes, quod non ipsa Sacrificia prisca fœderis mortem Christi figurarent, verum mactatio illius pecudis tantum, quæ quo-

tannis

rannis mactabatur, & cujus cum sanguine summus Pontifex in sanctum sanctorum ingrediebatur. Nam Scriptura non cum hoc solo Sacrificio anniversario, sed cum omnibus alijs, maxime ἡγιασμοῖς, mortem Christi solet conferre. Quanquam non potuerit anniversaria illa mactatio, cum Sacrificium propriè dictum fuerit, Christi mortem figurare, quin mortem Christi verū esse Sacrificium demonstraret.

II. Quam perperam asserat Volkelius cum suo Socino mortem Christi non nisi præparationem quandam sui sacerdotij in cælo demùm administrandi extitisse, nec eum antequam mortem prægustaret, in Pontificem verè & perfectè evasisse: Etenim debuit esse perfectè & verè Pontifex, non minus in mactatione victimæ, adinstar Sacerdotis Levitici, quam in sanguinis oblatis repræsentatione in cælo; Ac sicut etiam in Sacrificio anniversario, Sacerdos Leviticus quæ pertinebant ad immolationem victimæ & expiationem per illam sui & populi, peragebat in atrio, priusquam sanctum sanctorum cum illius sanguine subiret, uti patet evidenter ex Levit: xvj, 6. 9. ita Christus debuit in atrio hujus mundi peragere quæ ad expiationem nostri spectabant sacrificio mortis suæ, priusquam illius sanguinem repræsentaturus Patri, sanctuarium cæleste subiret, quò spectat locus Heb: ix, 12. Imo ut sanguine illo victimæ legalis jus quærebatur populo ingrediendi in sanctuarium, per summum sacerdotem, qui ejus nomine illud subibat, ita morte & sanguine Christi placatus est nobis Deus & aditus patefactus in cælum. Ac mira est in Volkelio contradictio, quod cum mactationem victimæ primam partem faciat muneris sacerdotalis Christi & hanc mactationem asserat contineri morte Christi violentâ sanguinisque profusione, tamen paulò post eandem mortem non nisi præparationem sacerdotij Christi statuit: Præparatio enim ad aliquod munus, illius muneris pars esse nequit: aut si mors Christi pars est muneris sui Sacerdotalis & correspondet victimæ mactationi solemnij quæ fit ad aram per Sacerdotem, agnoscendum est Christum in terris & in morte Sacerdotem extitisse & primariam ac potissimam illius muneris partem ibi explevisse. Hinc Heb: x, 5. adaptatum Christo corpus dicitur quod offerret loco victimarum & hostiarum lege Mosaicâ præscriptarum. Id enim cum Volkelio

referre ad novum aliquod corpus accommodatum Christo cum subiit cœlos, est per absurdum; loquitur enim de corpore eo sibi adaptato cum nativitate suâ in mundum est ingressus; & in eodem corpore sibi tunc adaptato, ut per omnia obediret divinæ voluntati, in quo & mortuus est & resurrexit, ascendit quoque in cœlos: Ad Heb: v, 5. 6. dicitur Pontifex constitutus eâ ipsâ formulâ quâ Dei primogenitus, imò unigenitus dictus est & declaratus; allusione factâ ad ritum veterem, juxta quem ad jus primogenituræ in familia, Sacerdotij dignitas pertinebat; atqui talis erat & jam fuerat denunciatus ante suam mortem Matth: III, 17. xvii, 5. Neque illa filiatio & primogenitura fuit demùm ei delata in resurrectione, ut Volkelius annititur conficere ex Act: xiii, 33. 34. & Rom: I, 4. Sed è contrariò resurrectio necessariò consecuta est illam filiationem & primogenituram; cum unigenitum Dei filium & vitæ principem atque fontem, mortis vinculis detineri impossibile fuerit. Porro Heb: viii, 1. docemur quis sit noster Pontifex, non per quod Pontificatum sit adeptus: Non eo factus est Pontifex quod collocatus sit ad dextram Patris, sed eo sedet ad dextram Patris, quod noster Pontifex factus, peractâ in sua morte expiatione peccatorum nostrorum, debeat illuc jugiter intercedere pro nobis Rom: viii, 33. Neque negatur Heb: viii, 4. 5. Christum Sacerdotem fuisse in terris, & quâ talem verum sacrificium in morte suâ obrulisse; sed tantùm negatur posse ipsum in terris defungi Sacerdotio externo, ejusdem generis & ordinis cum Aaronico & Levitico, eo quod non fuerit ex tribu Levi sed ex tribu Judæ, ut observatur Heb: vii, 14. Quæ enim apud Suidam in voce *ἱερός* referuntur à personato Theodosio Judæorum principe, de Jesu relato in album Sacerdotum sub hoc nomine, *Iesus filius Dei viventis & Maria Virginis*, fabulis annumeranda judicamus. Mira autem est corruptela quâ Sociniani conantur se expedire ex loco Eph: v, 2. huc apprimè faciente, Paulum ad *Sacrificia pacifica voluntariaque*, non ad expiatoria respicere, nec de *oblatione corporis Christi Deo factâ*, sed de *oblatione præclari facinoris* loqui; Victimam nempe fuisse & oblationem Deo suavissimam, quod Christus ingenti amore nostri impulsus, mortem truculentissimam salutis nostræ causâ optetere

petere non dubitaris; Nec dicere Apostolum Christum seipsum tradidisse pro nobis Deo, sed traditionem hanc sui ipsius, nempe in mortem, fuisse oblationem atque hostiam Deo; qua verba superioribus ad facti hujus præstantiam amplificandam adjecta sint; atque similem esse locum Phil: IV, 18. Sed clara sunt verba textus, quod Christus ex amore suo in nos παρέδωκεν ἑαυτὸν προσφοράν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ, εἰς ὁσμὴν ἰωδίας (ubi obiter προσφορά καὶ θυσία Oblatio & Sacrificium idem sunt, nam illam ad vitam Christi, hoc ad ejus mortem referre cum Zanchio, durius est) ut disertè explicetur, 1. Quid tradiderit Christus, ἑαυτὸν seipsum; 2. Ad quid se tradiderit; tradidit seipsum προσφοράν καὶ θυσίαν; nec enim dicitur hæc traditio esse προσφορά καὶ θυσία, sed ipse qui se tradidit; ut non alia oblatio quam sui corporis possit intelligi; 3. Cui se obtulit & tradidit, τῷ Θεῷ. 4. Quem in ulum, εἰς ὁσμὴν ἰωδίας; adeò ut Deus in hoc Sacrificio sit odoratus odorem placamenti longè fragrantiorum eo quem dicitur odoratus in Sacrificio Nohe Gen: VIII, 21. Unde liquet non tantum hic agi de Sacrificio corporis Christi à se Deo oblato ad eum placandam, sed revera respici ad Sacrificia propitiatoria V. T. non verò solùm ad hostias pacificas quæ partim Eucharisticæ erant partim Impetratoriæ; Nulli etiam Codices comma interponunt inter ἑαυτὸν & προσφοράν; nec ratio Grammatices patitur ut aliò referatur προσφορά quam ad ἑαυτὸν. Cum eo autem loco non potest conferri quod extat Phil: IV, 18. quia ibi metaphoricè loquitur Paulus & largiùs usurpatis illis vocibus, non strictè & propriè; Quanquam non missio eleemosynæ, sed ipsamet eleemolyna per Epaphroditum missa approbatur à Paulo, tanquam suaveolens & acceptissimum sacrificium quod ipsi Deo offerebatur à Philippensibus; Confer Act: x, 4. Heb: XIII, 15. 16. Maneat ergò inconcussa hæc veritas, Christum in morte suâ verum & propriè dictum Sacrificium obtulisse, atque hac sui oblatione in cruce Sacrificijs & oblationibus finem imposuisse, juxta vaticinium Dan: IX, 27. unde & expirans altâ voce clamavit, Consummatum est. Hoc interim observandum, nonnullis videri ἀκυρόλογον, si dicatur Christus sese obtulisse *in ara crucis*; quoniam altaris sit, munus ipsum sanctificare Matth: XXIII, 18. 19. quod de cruce ad oblationem Christi

Christi in illâ dici nequit; cum etiam fuerit crux maledictionis symbolum, Gal: 111, 13. quod altari benedicienti non convenit, & Scriptura nusquam cruci id altaris nomen deferat. Sed hunc scrupulum movere tanti non erat, cum satis intelligant Christiani ipsam crucem materialiter consideratam non fuisse altare hujus sacrificij, in quo ipse Christus simul fuit & ara, & victima, & Sacerdos; & nihil aliud sibi velint cum dicunt Christum in ara crucis oblatum quam Christum in cruce nostra, passisse scelera, ut dicitur illa tulisse in corpore suo super lignum 1. Pet: 11, 24. Hoc autem lignum videtur potius respondisse illi ligno super quod victima imponebatur igne absumenda, prout & Isaac id lignum gestans typus fuit Christi Crucem suam bajulantis, quam altari holocaustorum, quo victimæ sanctificabantur; licet illud etiam suo sensu ligneum fuerit.

Martyrum passiones) Quamvis enim aliquando ipsæ Martyrum passiones verbis metaphoricis à Sacrificiorum ritu desumptis describantur, ut Phil: 11, 17. tamen aliam fuisse Martyrum rationem in suis tormentis quam Christi in sua morte (licet Sociniani vix ullum discrimen hîc agnoscant) vel inde etiam patet quod Martyres cum alacritate & gaudio raperentur ad supplicia & medijs in flammis Deo sospitatori hymnos decantarent; Christus verò, quia luctabatur cum ipsius Dei Justitia & maledictionis calicem nobis debitum ebibebat loco nostro, tristitiâ, horrore & anxietate perculsus in sudorem sanguineum erumpebat; Angelo egebat consolatore; ter precabatur ut Calix iste transfiret si pote esset; & in cruce ipsâ lamentabilem illam vocem emittebat, Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti? Vide Heb: v, 7. Istius discriminis inter passiones Martyrum & Christi, alia ratio non potest reddi, quam quod Martyres in morte suâ Deum sibi placatum & propitium planè sentiebant meritis Christi, & sic immortalitatis jam Candidati ipsis suis tormentis & tortoribus quodammodo insultabant; at Christus in sua passione Deum iratum peccatis nostris, pro quibus se constituerat vadem, experiebatur, & cogebatur reddere quod non rapuerat Psal: LXIX, 5. atque sic gustare mortem pro nobis omnibus Heb: 11, 9. ut illius amarissimas fæces exhaurire, & quicquid

quid illa habet acerbatis & aculeorum ex peccato & irâ Dei, perferre teneretur.

Nam primò Christus) Hoc iterum negant Sociniani; sed frustra; cum *ἱλαστήριον* sive placamentum & propitiationem habeamus in ipsius sanguine Rom: III, 25. Nec potuit nostra peccata ferre & auferre, quin Deum nobis reconciliaret antea illis peccatis sic iratum ut citra satisfactionem præviâ nullus ad ipsum pateret aditus. Hoc disertè testatur Paulus 2. Cor: v, 19. Nec enim Deus, ut ibi habetur, sibi in Christo mundum reconciliaffet non imputans ei sua peccata, nisi propter ea peccata, quæ separationem faciunt inter Deum & homines, fuisset non minus alienus à mundo quam mundus ab ipso; Erant enim homines sub peccato, uti docemur Rom: 1, 30. non tantum *θεοστυγεις* & Dei ofores, sed revera *θεοσυγεις* & Deo exosi, vel *odibiles Deo* ut in V. V. redditur. Nec dicat Socinianus, non fuisse opus ut Christus Deum placaret eumque nobis reconciliaret, quandoquidem eousque jam nos diligebat, ut salutem nostram per filium suum unigenitum voluerit procurare; Nam hæc ipsa filij sui missio & ordinatio ad nostram salutem conficiendam, indicio est certissimo tantum fuisse inter ipsum & nos hiatum, ut non nisi sufficienti satisfactione obstrui potuerit. Plurimum autem eo facit prior locorum eorum quæ Tirino hic citantur nempe Coloss: 1, 20. ubi dicitur Deus reconciliaffe sibi omnia per eum, *ἰρηνοποίησας διὰ τοῦ ἁίματος τοῦ σαρκῆ αὐτοῦ*; Illa enim pax eam potissimum spectat quam Deus inter se & homines sancivit morte Christi, qui indè Tertulliano pacis nostræ *Sequester* dictus est. At locus alter Heb: XIII, 12. ubi dicitur Christus ideò passus ut sanctificaret populum per proprium sanguinem, hactenus ostendit nos Christi sanguine sanctificari & mundari, verùm non concludit expressè Deum illo sanguine placandum fuisse: Certior probatio habetur Heb: XIII, 24. ubi dicitur sanguinem illum asperfusionis præstantiora eloqui quam sanguinem Abel, eò quod hic clamaret vindictam Gen: IV, 10. ille verò clamet & imploret ac impetret nobis misericordiam & gratiam, ut ex Cyrillo & Chrylostomo Oecumenius & Theophylactus interpretantur.

Secundò Christus seipsum sacrificavit) Hæc causa redditur à Jctis, cur

X x x x

nemo

Christi in illâ dici nequit; cum etiam fuerit cruci-
 bolum, Gal: 111, 13. quod altari benedicent
 Scriptura nusquam cruci id altaris nomen de-
 pulum movere tanti non erat, cum satis
 fam crucem materialiter consideratam ne-
 ficij, in quo ipse Christus simul fuit &
 dos; & nihil aliud sibi velint cum dice-
 tum quam Christum in cruce nostra,
 lisse in corpore suo super lignum
 videtur potius respondisse illi lig-
 igne absumenda, prout & Isas
 Crucem suam bajulantis, licet

Martyrum passiones) Qu

ones verbis metaphoricis
 ut Phil: 11, 17. tamen
 mentis quam Christi
 men hic agnoscan-
 tate & gaudio ray
 pitatori hymno
 ipsius Dei Ju-
 loco nostro
 sanguineu-
 tur ut
 bilem
 dere
 M
 M

causa ca-
 oppi-
 apud
 cis in
 posse
 De Sacrificio Eucharistico.
 iterum negant Sociniani; sed frustra
 & propitiationem habeamus in ipsius
 nostra peccata ferre & auferre.
 peccatis sic iuratum ut ci-
 ad ipsum pateret adrus. Hoc di-
 Nec enim Deus, ut ibi habe-
 non imputans ei sua pre-
 faciant inter Deum
 mundo quam mundus ab
 uti docetur Rom: 1, 30.
 dicat Sociniani, non
 & Deo exo-
 nostram per
 ipsa filij sui
 indicio est cer-
 tur Deus
 locorum
 scilicet &
 scilicet &
 scilicet &

in cruce SACRIFI-
 non solum spirituale, in-
 quale hæretici facile admittunt,)
 propriè dictum Sacrificium INCRUËN-
 nus altare, de quo edere potestatem non habent, qui
 X, 21. Non potestis mensæ Domini participes esse, &c.
 dicitur sublatum ex orbe sacerdotium, sed *translatum* in
 Nec enim debet nobiliori statui Ecclesiæ denegari, quod
 ignobi-

nobiliori concessum constat. Maximè cum nullam in se imperfectionem
 adat Sacrificium, nec minus illo jam indigeat populus Christianus
 olim Iudaicus, tum ad colendum nobilissimo religionis actu Deum,
 illum placandum, & beneficia certò & infallibiliter ab illo im-

711
 TURA. Sed præter hoc Cruentum) Equidem sub Euange-
 Crucis Sacrificium consummatissimum, nulla alia nobis
 crificia incumbere quam mystica & spiritualia, de quibus
 Nec aliud censuit Augustinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 3.
 e Deo) Servitutem qua Latria Gracè dicitur sive in quibusque
 Sacrificium aliud externum debuisset hic commemo-
 is ipsu debemus. Hujus enim templum simul omnes & sin-
 ; quia & omnium concordiam & singulos inhabitare di-
 bus quam in singulis major, quoniam nec mole distenditur
 ur: Cum ad illum sursum est, ejus est altare cor nostrum:
 cerdote placamur; (sive potius ut Vives & Victoria
 us unigenito eum Sacerdote placamus) ei cruentas vi-
 usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus, &
 nsus cum in ejus conspectu pio sanctoque amore fla-
 us nosque ipsos rogemus & reddimus; ei beneficiorum
 ebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne
 rata subrepat oblivio; ei sacrificamus hostiam humili-
 a cordis igne feruida charitatis. De locis Heb: xiii, 10.
 ; 21. supra dictum ad Num. 1. Priori altare commemora-
 cum & spirituale, quod ad Sacrificium Crucis pertinet, non
 rnum & lapideum. Posteriori commendatur nobis mensa Eu-
 charistica ad Sacramentum & in qua epulamur, non altare externum
 ad Sacrificium & in quo ullam vel cruentam vel incruentam hostiam
 immolemus: Imo nec dari posse sacrificium propitiatorium *incruentum*,
 quale hoc vulgò statuitur suo loco videbimus. Ad Heb: vii, 12.
 eadem Sacerdotij insinuatur *μετάθεσις* (quâ voce non tam *translatio* ut
 V. V. quam *mutatio* ut meliùs Beza, significatur) quæ & Legis: at
 Legi successit Evangelium; ergo Legali sacerdotio quod erat externum
 & quorundam tantum, successit cum æternum & irrevocabile Christi

nemo mortalium possit se vadem constituere pro altero in causa capitali, quod nemo sit Dominus membrorum suorum, ut ea oppignerare ad libitum possit. Hinc quoque *αυτοχειρία* licet multum apud Stoicos laudata prohibetur, quod nulli privato jus vitæ & necis in seipsum sit tribuendum; nam quamvis nemo videatur in seipsum posse injurius esse, tamen qui vim sibi infert, civem aufert Reipubl. & arripit Dominium in sua membra quod non habet: Sed cum Christus supremus & absolutus esset Dominus membrorum & vitæ suæ, juxta loca hinc Tirino benè citata, (si forte tertium excipias ex Ef. LIII, 7. quia pro eo quod legit V. V. *Oblatus est quia voluit*, habet veritas Hebraica, Exigitur & ipse affligitur) potuit seipsum *αντιλυτρον* dare pro multis, eò certiùs & meliùs quod certò noverat se ex illis ærumnis gloriose emerfurum.

Tertiò Christus erat) Non satis accuratè hæc dicuntur: Verum quidem illud, Christum fuisse Pontificem cui jus sacrificij offerendi *speciatim* competebat, ejus tamen Sacerdotium non erat indifferens ad quamlibet victimam offerendam, sed determinatum ad hanc quam sui ipsius obtulit in cruce, uti liquet ex Heb: x, 5. 6. 7. Porro ex triplici hac differentia quam proponit Tirinus inter Martyres & Christum, quod illi ut Christus Pontificatum non sustinuerint in suis passionibus, quod eas non subierint ut ipse suas ex absoluto Dominio in sua membra, ut testatur Christus de Petro Ioh: XXI, 18. eum cum senuerit ab alio cingendum & ducendum quo nollet, quod denique non fuerit eorum mors, licet pretiosa in conspectu Domini, satisfactoria pro peccatis vel suis vel aliorum, colligitur contra Pontificios Martyrium non esse expiatorium peccatorum, aut meritorium vitæ æternæ.

Num: 4. Sed præter hoc CRUENTUM Christi in cruce SACRIFICIUM, est præterea aliud in Ecclesiâ Christi, non solum spirituale, internum, mysticum seu metaphoricum (quale hæretici facile admittunt,) sed etiam reale, externum ac propriè dictum Sacrificium INCRUENTUM; Heb: XIII, 10. *Habemus altare, de quo edere potestatem non habent, quæ tabernaculo deserviunt.* I Cor: X, 21. *Non potestis mensæ Domini participes esse, &c.* Heb: VII, 12. non dicitur sublatum ex orbe sacerdotum, sed *translatum* in Ecclesiam Christi. Nec enim debet nobiliori statui Ecclesiæ denegari, quod ignobi-

ignobiliori concessum constat. Maximè cum nullam in se imperfectionem includat Sacrificium, nec minus illo jam indigeat populus Christianus quam olim Iudaicus, tum ad colendum nobilissimo religionis actu Deum, tum ad illum placandum, & beneficia certò & infallibiliter ab illo impetranda.

CENSURA. *Sed præter hoc Cruentum*) Equidem sub Euangelio, post Crucis Sacrificium consummatissimum, nulla alia nobis putamus sacrificia incumbere quam mystica & spiritalia, de quibus 1. Pet. I 1, 5. Nec aliud censuit Augustinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 3. Huic (nempe Deo) *Servitutem qua Latria Gracè dicitur sive in quibusque Sacramentis*, (Sacrificium aliud externum debuisset hic commemorari) sive in nobis ipsis debemus. *Hujus enim templum simul omnes & singuli templa sumus; quia & omniam concordiam & singulos inhabitare dignatur; non in omnibus quam in singulis major, quoniam nec mole distenditur nec partitione minuitur: Cum ad illum sursum est, ejus est altare cor nostrum: Ejus unigenito enim Sacerdote placamur; (sive potius ut Vives & Victoria legendum putant, Ejus unigenito eum Sacerdote placamus) ei cruentas victimas cadimus quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus, & suavissimum adolemus incensum cum in ejus conspectu pio sanctoque amore flagramus; ei dona ejus in nobis nosque ipsos rogemus & reddimus; ei beneficiorum ejus solemnitatibus festis & diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio; ei sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis igne feruida charitatis.* De locis Heb: x III, 10. & 1. Cor: x, 21. supra dictum ad Num. 1. Priori altare commemoratur mysticum & spirituale, quod ad Sacrificium Crucis pertinet, non externum & lapideum. Posteriori commendatur nobis mensa Eucharistica ad Sacramentum & in qua epulamur, non altare externum ad Sacrificium & in quo ullam vel cruentam vel incruentam hostiam immolemus: Imo nec dari posse sacrificium propitiatorium *incruentum*, quale hoc vulgò statuitur suo loco videbimus. Ad Heb: v 11, 12. eadem Sacerdotij insinuat *μετάθεσις* (quâ voce non tam *translatio* ut V. V. quam *mutatio* ut meliùs Beza, significatur) quæ & Legis: at Legi successit Euangelium; ergo Legali sacerdotio quod erat externum & quorundam tantum, successit cum æternum & irrevocabile Christi

X x x x 2

Melchi-

Melchisedecianum, tum Spirituale & Mysticum omnium fidelium ad illam λογικὴν λατρείαν de qua Paulus Rom: XII, 1. quam etiam Tirinus ibi interpretatur *cultum Dei non corporalem solum vel externum & ceremonialem, qualis est Iudaorum qui pecudibus sacrificant Deo, sed internum, spiritualem & conformem dictamini recte rationis, que docet Deum, uti Spiritus est, ita Spirituali cultu etiam colendum: Ita ferè (inquit Tirinus) S. Chrysostomus, Photius & Theodoretus. Nec Paulus Heb: VII, 12. voluit dicere Sacerdotium externum à Judæis ad Ecclesiam Christianam translatum, sed tantum factam esse Sacerdotij mutationem, quando nempe Christus, Sacerdos juxta ordinem Melchisedeci & qui idem manet in æternum, fuit subrogatus Aaronicis & Leviticis sacerdotibus ut corpus umbræ, veritas figuræ. Et suæ conscientiæ oblitus fuit Tirinus hoc loco, quandoquidem ipsemet ad Heb: VII, 12. non aliter quam nos illud Pauli dictum interpretaturj, & eâ occasione monet ac probat *Sacerdotem qui Aaronicis successit, nempe CHRISTVM, prorsus alium esse ab Aaronicis Sacerdotibus; prout etiam hoc idem probat Apostolus comm: 13. 14. & seqq.**

Nec enim debet nobiliori) Frigidè & Jesuiticè: Quod si retorquere *lu-*beret inde colligerem, Ergo nec cruenta deesse debere nobis sacrificia in hoc statu Ecclesiæ, quandoquidem & ignobiliori ea fuere concessa sub V. T. Imo & inde sequeretur, homines in statu innocentiz victimas mactaturos fuisse, licet Puteanus ad 3. *Thoma quest. 6. art. 1, 2, 3, 4. dubis. ult.* contra Suarezium & Valentiam pertendat in statu innocentiz nec fuisse nec futura fuisse sacrificia propriè dicta. Quin eò usque urgeri posset hoc Jesuitæ axioma, ut ex illo probaretur nec carituram Ecclesiam Triumphantem sacrificiis externis, cum nobiliori Ecclesiæ statui non sit denegandum, quod ignobiliori concessum fuerit. Sed ut directè respondeam, cum omnis ille sacrificiorum externorum apparatus sub V. T. formaliter fuerit, ut sic loquar, de ignobilitate status illius, non potest in nobiliori Evangelico requiri, quin nobilior ille status ab equis, quod ajunt, ad asinos retrahatur: Imò quia sacrificia externa ad ignobiliorem statum Ecclesiæ pertinuerunt, in nobiliori & Evangelico reperiri non debent;

Satis

Satis est si ut nobilior est hic status, nobiliora etiam habeat sacrificia, cujusmodi sunt 1°. Crucis sacrificium quo cætera abrogata censentur. 2°. Sacrificia interna, mystica & spiritualia, quæ externis & corporeis longè præpollent; nobilior enim est sacrificium sui ipsius quam pecudis, nobilior est thymiama precum & eleemosynarum Act: x, 4. quam thuris vel incensi.

Maximè cum nullam in se) Quasi vero sacrificia externa V. T. imperfectionem evidentem non incluserint, cum umbræ demum fuerint non viva & vera imago bonorum futurorum Heb: x, 2. Et sanè cum sacrificia externa, quæ ab hominibus offerri queunt sint *invisibilia* sacrificij visibilia sacramenta teste Augustino *lib. 10. de Civit. Dei cap. 5.* nemo sanus inficiabitur illa ad status imperfectionem pertinere. Alioquin iis esset etiam in cælo locus concedendus quod tamen nulli hæcenus venit in mentem.

Nec minus illo jam indigeat) At illud est falsissimum; cum jam exhibito vero & unicè expiatorio sacrificio crucis quod Judaica adumbrabant, ejusmodi typicis locus esse nequeat, & factâ jam legis mutatione sit ubique Deus colendus in Spiritu & Veritate, ut Christus ipse monet Joh: iv, 24. Agnoscente *ibi* Tirino, spiritualement adorationem, sitam in *spirituali sacrificio & cultu*, non excludere quidem *actus omnes corporeos*, (quod ultrò concedimus) sed excludere tamen *actus merè corporeos quales erant caeremonia & sacrificia Iudaica, qua non erant nisi umbra & figura rerum spiritualium, & naturâ suâ non procedebant ex interiori spiritu, fide, charitate &c. & rarò iis sociabantur.* Quibus ultimis verbis Jesuita petit jugulum suæ Missæ; tum quia etiam illa umbra est & figura rerum spiritualium, ut ipsimet Pontificij non rarò agnoscunt; tum quia, ut sacrificia Iudaica, non procedit necessariò & naturâ suâ ex interiori spiritu, fide & charitate, & rarò, quod experientia quotidiana docet, iis sociatur. Egemus quidem non minus quam Judæi Sacrificiis Latreuticis; Sed illa non consistunt in victimis externis, verum in illa *λογικῆ λατρείᾳ* de qua Rom: xii, 1. Egemus æquè ac illi, Sacrificio Expiatorio; Sed illud luculentum & certissimum habemus in morte Christi, ut aliud imaginari velle nihil aliud sit quam bellum Cruci indicere. Egemus ut illi Sacrificiis Im-

X x x x 3

petra-

petratorius; sed nostra sacrificia certò impetratoria, sunt precēs nostrę ex fide susę juxta ipsiusmet Servatoris nostri promissionem Mat: VII, 7. 8. cum præsertim ad eas accedat ejus intercessio, cui inniti est tutissimum Joh: XIII, 13. 14.

Num. 5. Hoc novę legis sacrificium, & quidem unicum, est illud quod Christus in ultima Cœna obtulit & instituit, & per universam ejus Ecclesiam (velint nolint hæretici,) adhuc quotidie in Missâ offertur. Est enim *juge sacrificium* Ecclesię Christi, Dan: VII, 11. & XII, 11. &c. præfiguratum sacrificio Melchisedechi Gen: XIV, 18. Neque Christo, quòd *sacerdos fit in æternum secundum ordinem Melchisedech*, Pf: CIX, 4. & Heb: VII, 11. convenit nisi ratione sacrificij Eucharistici quod in Cœnâ instituit, & quotidie per sacerdotes ministros suos offert in Missâ, ut ibidem ostendi. Et hoc est novum illud & omninò mundum sacrificium, quod Mal: I, 11. non amplius à Iudaico sed à Gentili populo, non in uno terrę angulo, sed per universum orbem prædicatur offerendum Deo, & ab ipsomet Christo describitur Ioh: IV, 23. *Veni hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Vide ibi dicta. Instituitur autem ab eodem Christo Mat: XXVI, 26. ubi primus ipse illud offert, & Apostolis eorumque successoribus ut deinceps offerant præcipit Luc: XXI, 19. *Hoc facite &c.*

Objectiones solvi locis iisdem jam citatis.

CENSURA. *Hoc nova legi Sacrificium*) At, ô Tirine, cum juxta te N°. *præced.* ignobilior Ecclesię status plura habuerit sacrificia, quĩ potes non nisi unicum nobiliori ejus statui vindicare? Verum pernegamus Christum in ultima Cœna ullum Sacrificium propriè dictum instituisse; Nam cum formaliter & toto genere differant Sacramentũ & Sacrificium, eo quod illud nomine Dei conferatur hominibus in signum & sigillum gratiæ & remissionis peccatorum, hoc vero nomine hominum Deo offeratur, non potest institutio Sacramenti Eucharistię, continere institutionem Sacrificij Missatię. Et sane nihil in illa videmus quod Sacrificium propriè dictum ullo modo referat; nulla ibi victima mactatur, nullo poculo Deo libatur, nulla fit ei oblatio, nulla hostiæ elevatio; Ac si magis pensulatè expendantur quę Christus fecit & dixit in ultima illa Cœna, cum eorum nihil non pertinuerit formaliter ad Sacramentum Eucharistię, sive spectemus Symbolorum delectum, benedictionem ac distributionem, sive at-

tendamus

tendamus ad verba quæ Christus de utroque Symbolo pronuntiavit, deprehendemus nullum restare eorum quod ad Sacrificij constitutionem possit restringi; præsertim cum nequeat fieri, ut ex factis & dictis Christi aliquid sit unà & formaliter Sacrificiale & Sacramentale: Nec difficile esset ex ipso Canone Missæ hoc imaginarium Missæ Sacrificium disturbare, uti inferius sumus ostensuri. Et qui ad illud attenderit deprehendet nihil isthïc propriè offerri præter panem & vinū (quæ inde *Oblata* appellantur) ut ex iis nobis sumentibus fiat corpus & sanguis Christi.

Est enim jure Sacrificium) Is Missam facere missam debet, qui ejus suffulciendæ non solidiorem rationem inierit. Nam cum ipse Tirinus, Sà & Cornelius à Lapide priori loco intelligant per jure Sacrificium *agnum illum quem quotidie mane & vespere sibi offerri jusserat Deus*, quem Antiochus sacrificari prohibuit, ac eodem juxta Tirinum & Cornelium spectet locus alter Dan: XI, 31. nulla ratio suadet ut in posteriori Sacrificium Missaticum intelligatur; quandoquidem non minus posterior hic locus ad Antiochum Epiphanem pertinet, quam prior juxta potiores interpretes; agnoscente etiam Cornelio à Lapide, quod *aliqui Catholici hac intelligant de tempore Antiochi*; nihilque habet Missa commune cum jugi illo Sacrificio quod mane & vesperi immolabatur, eo quod nec Missam vesperi fas sit celebrare, nec ulli Sacrificulo liceat eam bis die eodem decantare, & ea pro Sacrificio incruento habeatur; Sed tamen si quis mordicus vellet pertendere ultimo hoc loco Danielis non agi de Antiocho sed de Antichristo (quod in medio relinquimus, cum ille hujus typum egregium sustinuerit, ut aliàs à nobis demonstratum) jure Sacrificium per Antichristum abolendum non potest de Sacrificio Missatico intelligi, quod potius est abominatio desolationis in loco sancto per Antichristum posita, sed de cultu spiritali & quotidiano fidelium sub N. T. per illud jure Sacrificium in Veteri adumbrato; eo magis quod Dan: VIII, II. & XI, 31. ad stipulante ipso Tirino, per jure Sacrificium universalis Dei cultus publicus synechdochicè intelligatur.

Præfiguratum Sacrificio) Primum, quæ de pane & vino prolatis à Melchisedeco leguntur, ad ejus Sacrificium & Sacerdotium non pertinerunt, sed ad regiam ipsius munificentiam & liberalitatem, ex qua
voluit

voluit amicum victorem cum suo exercitu, regio quasi epulo excipere; Ita etiam Josephus intelligit *lib. 1. Antiq. cap. 11.* qui hæc vocat *ἔξια τῶ ἀβραάμ σπάλω* à Melchisedeco delata; nec habet ipse textus Latinus V. V. verbum *offerendi*, sed verbum *proferendi*, quod nec sacrum nec sacrificiale est. Nec profunt argumenta quæ ab Adversariis pro isto imaginario Sacrificio proferuntur. *Obji. 1.* Addi illicò hæc verba, *Erat enim Sacerdos Altissimi*: Respondeo, Textum Hebraicū non habere causalem *Enim* sed conjunctivam *Et*, ut etiam redditur à Pagnino & Tigurinâ: nec illud pertinet ad antecedentia, ut ratio reddatur, cur protulerit panem & vinum, cum id fecerit quâ Rex fœderatus & amicus; sed ad subsequenta ut intelligatur quo jure benedixerit Abrahamo & decimas ab illo acceperit. *Obji. 2.* Haberi ibi verbum *וַיִּבֶן* quo Hebræi in Sacrificiis utuntur. Resp. Nunquam hoc verbum idem sonare quod *offerre*, cum nihil aliud significet quam *educere* vel *adducere*, imo eo ipso loco quem profert Cornelius à Lapide *Jud: vi, 18.* Ideo Onkelos habet *adduxit panem & vinum*; & Interpretes Græci, *ἔθηκεν αὐτῷ ἀπὸς τοῦ θεοῦ*; attulit ipsi, scilicet Abrahamo, *panem & vinum*: *Obji. 3.* Jam milites Abrahami ex præda faturos fuisse ut patet ex *com. 24.* Ergo non illis cibandis panem & vinum Melchisedeci destinatum fuisse. Resp. Sequelam esse vitiosam, vel ipso Pererio judice *ad Gen. 14.* *Parum* (inquit ille) *in hac confutatione videtur esse roboris*: Dicat enim quispiam *nescisse id Melchisedech; imò putasse eos propter laborem dimicationis & fatigationis cibis recentibus resciri ac recreari debuisse. Ac licet id scivisset Melchisedech, voluisset tamen eo munere suam erga Abrahamum benevolentiam & ex victoriâ ejus singularem latitiam sua voluptatem declarare.* *Obji. 4.* Nusquam alibi sacrificium Melchisedeci ejusque ritum exprimi nisi hic. Resp. Necesse non fuisse Mosi agere de sacrificiis Melchisedeci & eorum ritibus magis quam de ipsius genealogia & parentibus; cum satis habuerit Moles uno verbo reddere rationem ab ipsius Sacerdotio desumptam, cur benedixerit Patriarchæ & decimas ab illo acceperit. *Obji. 5.* Duas subsequentes Melchisedeci actiones fuisse Sacrificiales, nempe Benedictionem Patriarchæ & Acceptionem decimarum. Ergò & hanc quâ protulit panem & vinum ejusdem esse ordinis: Resp. Male id colligi;

colligi ; cum hæc regia fuerit , ut illæ duæ sacrificiales , prout simul erat Rex & Sacerdos. Obji. 6. Ita Rabbinos interpretari apud Galatinum, *lib. 10. de Arc. Verit. Cath. cap. 6.* Resp. Parum esse præsidij pro hac caula in allegorijs R. Mosis Haddarsan quas Galatinus refert, nec in illius Rabbini testimonio consentire adversarios : nam Genebrardus *Chronol. sua lib. 1. tertia atate*, sic habet, *Abrahamum revertentem è bello convivio excepit pane & vino de ritu gentis solemniter prius oblato, eique Dei nomine benedixit, R. Mose Haddarsan in 14. Gen. Extat liber qui dicitur Bereschith Rabba.* Obji. 7. Hanc esse communem Patrum sententiam. Resp. Patres quidem hæc interdum conferre cum Eucharistia, quæ illis non rarò Sacrificium dicitur, licet abusive & improprie ; sed interea tamen nonnullos ex illis insistere sensui historico & hæc Abrahamo oblata statuere. Ita Tertullianus *adversus Iudeos lib. 5.* Augustinus vel Author apud eum *quæst. ex utroque Test. quæst. 109.* Ambrosius *lib. 4. de Sacr. (si Ambrosij sit opus) cap. 3.* Epiphanius *her. 33.* Chrysostomus *hom. 36. in Genesin,* Damascenus *de fide Orthod. lib. 4. cap. 14.* Quin ipse Lombardus *dist. 8. lib. 4. litt. A.* Hujus etiam Sacramenti ritum, inquit, *Melchisedec ostendit, ubi panem & vinum Abræhe obtulit.* Sed & illud velim secundo loco observari, non solum nullum fuisse panis & vini Sacrificium Melchisedeci, (quod aliàs Paulus non erat omissurus in suâ hujus cum Christo comparatione Heb: vii. per totum) sed etiam hoc concessio, id nullâ ratione ad Missam trahi posse. Nam cum rei oblatae realis transmutatio requiratur juxta Tirini definitionem, adhuc nescitur apud Adversarios, quomodo panem & vinum ad hoc Sacrificium Melchisedec transmutare solitus fuerit. Cornelius à Lapide *ad Gen: xiv, 18.* suspicatur id ante factum fuisse *partem panis cremando, & partem vini libando ;* Puteanus verò *ad 3. Thoma quæst. 83. dubit. 2.* nihil habet certi quod dicat, (num videlicet panis ille fuerit à Melchisedeco concoctus in clibano vel aliter) nisi quod de mutatione panis & vini *per actionem sacrificandi*, à Melchisedeco dubitare sit nefas, *licet de hac re nihil habeamus in sacris litteris.* Adhæc sive consideremus in Missâ meras species panis & vini, sive quæ sub illis ajunt contineri corpus & sanguinem Christi, nihil commune ijs erit cum

Tyy

pane

pane & vino Melchisedeci, quæ nec inanes Missæ species, nec corpus & sanguinem Christi sub illis significare debuerunt; Denique cum etiam cultus Leviticus suas haberet panum oblationes & vini libamina, nulla ratio subest cur panis & vini sacrificium speciale Melchisedecofaciamus, aut in eo Melchisedeci factò figuram specialem Sacrificij Missatici conquiramus.

Neque Christo quod Sacerdos sit) At quam id falsò dicatur patet ex epistolâ ad Hebræos, quæ cum in multis collationem instituat inter Christum & Melchisedecum Sacerdotij respectu, tamen nusquam meminit hujus imaginarij sacrificij, in quo, si Deo placet, formalis ratio Melchisedecianæ functionis sita fuerit. In his enim confertur Christus Melchisedeco, quod Rex Pacis sit & Justitiæ; quod simul Sacerdos & Rex; quod ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλογητός; quod in Sacerdotio nec antecessores habeat nec successores; quod longè excellentius fuerit ejus Sacerdotium Aaronico, eo quod & Abrahamo benedixerit & decimas ab eo sumendo ipsummet Levi in lumbis Abrahæ decimaverit. Mirum verò nemini videri debet, quod Paulus nihil dicat de pane & vino à Melchisedeco prolatis: cum enim id pertinuerit ad regiam ipsius munificentiam & liberalitatem, facile præteriri potuit ab Apostolo, cui id solum erat propositum Sacerdotium ejus Christo adaptare ex Psal: cx, 4. Quinimò meliùs stringit hoc Christi sacerdotium Melchisedecianum contra Missaticos Sacrificulos; Nam cum soli Christo incommunicabiliter conveniat esse Sacerdoti æterno & in æternum secundum ordinem Melchisedec, planè insolenter & temerè illi censendi sunt facere quod ei se ordini adscribendos statuant. Dicam amplius, nempe ipsummet Tirinum nobis militare: nam ad Heb: vii, 11. quem locum hic citavit, monet non fuisse perfectionem per Sacerdotium Leviticum, quia nec ipsum sacerdotium perfectum in se erat, sed tantum typus & figura, nec perfectè expiabat peccata, nec reconciliabat homines Deo, us sit per Sacerdotium Christi figuratum Sacerdotio Melchisedeci. Si ergo Sacerdotium Christi quàm Melchisedecianum & oppositum Levitico nihil habet typi vel figuræ, si perfectè expiat peccata & homines reconciliat Deo, necesse est hoc Sacerdotium Christi

Christi etiam quàm Melchisedecianum & Levitico oppositum, aliud Sacrificium inferre quam Eucharisticum; cum hoc nec expiet perfectè peccata, aliàs iterari non deberet, juxta regulam Pauli Heb: vii, 27. ix, 25. 26. x, 1. nec homines reconciliet Deo; id enim factum fuisse solo cruento crucis sacrificio, supra Tirinus insinuat n. 3. allato ad id testimonio Pauli Col: 1, 20. & denique typus sit & figura passionis Dominicæ ac Sacrificij cruenti in illa oblati; unde & Durandus l. 6. Rat. c. 77. §. 32. & seqq. expositurus *Quare Ecclesia non consecrat corpus Domini in die Parasceves*, hanc inter alias adfert rationem, §. 34. *Quia Ecclesia corpus illud quod flagellis & spinis & contumelijs in ista die revera affectum est, non debet cum Missarum solemnitatibus celebrare, quoniam veniente veritate debet cessare figura.* Eadem habet Beletus Divin. Off. explicat. cap. 97. *Corpus Christi non conficitur hoc die quatuor de causis; Prima est, quia Christus hoc die pro nobis REVERA immolatus est, & veritate veniente debet cessare figura ac ei dare locum; &c.* Atque ex his facilè refutantur quæ Tirinus habet ad Psal: CIX, Heb: CX, 4. Prius urget quod Christus talis Sacerdos constituatur qualis Melchisedech simili more & ritu sacrificans, quo ipse fecit, scilicet incruentè, sub speciebus panis & vini & quidem in æternum; quia quamdiu mundus stabit, ita sit sacrificaturus. Sed supponit quod falsum esse demonstravimus, oblationem Sacerdotij Melchisedeciani fuisse panem & vinum: Deinde nec in speciebus panis & vini sacrificavit Melchisedec, sed ut hi volunt in substantia panis & vini: Adhæc nec ipsa Missa juxta hos manebit quamdiu mundus stabit, siquidem hoc juge sacrificium, scilicet, sit abolendum per Antichristum ante consummationem sæculi: Tum ipse Christus non sacrificat in Missa, sed ab homuncione peccatore qui se vocat Creatorem sui Creatoris sacrificatur & offertur; Præterea valdè absurdè illa sacerdotij Christi æternitas restringitur ad tempus hujus sæculi, cum Paulo judice in eo sit Sacerdos in æternum quod Sacrificium æterni valoris, nec idèò unquam repetendum, in cruce pro nobis redimendis obtulerit, Heb: x, 14. 15. undè & æternam redemptionem nobis est consecutus. Ipse Bellarminus ad hunc Psaltis locum agnoscit Christum esse Sacerdotem in æternum, quia revera nulli successit ne-

que alius ei successit in amplissimâ dignitate sempiterni sacerdotij, tum etiam quia effectus unici sacrificij quo corpus suum obtulit in cruce manet in æternum juxta illud Apostoli ad Heb. 10. *Vna oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Addit quidem Bellarminus etiam in eo Christum esse Sacerdotem in æternum, quia vivens ipse in æternum sacrificium quotidie offert per manus ministrorum sibi invicem in Ecclesia succedentium; quod idem Apostolus (inquit) ad Heb. 7. confirmat dicens, *Et alij quidem complures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; Hic autem quod maneat in æternum sempiternum habet Sacerdotium.* Sed crediderim hæc verba adferri à Bellarmino ad probandam quidem æternitatem Sacerdotij Christi; non verò ad confirmandum quod Sacrificium quotidie offerat per manus Ministrorum sibi invicem in Ecclesia succedentium; quandoquidem Paulus disertè illud profert ad demonstrandam imperfectionem Sacerdotij Levitici, ipso Tirino interprete ad Heb. vii; 23. oppositi Sacerdotio Christi; ut hoc stabilito, illa successio Sacerdotum, sibi invicem lampada per mortem tradentium, debuerit evanescere. Interea si Christus quotidie nunc offerens per manus Ministrorum sibi invicem in Ecclesia succedentium, sacerdotium suum censeatur exercere, utique nihil erit discriminis hac in parte inter Sacerdotium Legale & Evangelicum; cum etiam sub lege Christus suo sensu per manus Leviticorum Ministrorum, qui ipsius typum sustinebant, quotidie offerre videretur. Quanquam nec Christus dici possit offerre manibus Sacrificulorum, cum ab ipsis veniat offerendus sub speciebus panis, sub quibus omnis omninò actionis incapax est, ut suo loco ostendimus: Quod si dicas repræsentari Christum in Sacerdote missificante, inde sequetur quod sicut Christus offert in Missâ tantum repræsentativè per Sacerdotem, ipso Sacerdote in Christum non transubstantiato, sic etiam offeretur ibidem tantum repræsentativè per panem & vinum, his symbolis non mutatis aut transubstantiatis in carnem & sanguinem ipsius: Nam ubi debet esse simul Sacerdos & hostia, eodem planè modo offerri & offerre censendus est; nec ulla fingi potest ratio cur specialior ejus præsentia requiratur ad oblationem passivam sub speciebus panis & vini, quam ad activam sub per-

sub persona Sacerdotis. Sed redeamus ad Tirinum: Is ergò ad locum *Psalms* in quo sumus ex æternitate Sacerdotij Christi colligit sequi necessario oblationem Eucharistia tum Christi in ultimâ Cœna, tum nostram quotidie in Missa esse verum & propriè dictum Sacrificium, ut docet Concilium Tridentinum. Verum qui nesciverit quantum sit discriminis inter sacram Cœnam à Christo institutam & Missam Pontificiam, is nesciet quantum distent æra lupinis. Et debebunt esse sacrificuli Pontificij Sacerdotes secundum ordinem Melchisedeci, quod tamen soli Christo convenit, si simili modo & ritu quo Melchisedec sacrificent panem & vinum. Eset equidem Eucharistia Sacrificium propriè dictum, si Christus eam instituendo formaliter fecisset actum Sacerdotij sui Melchisedeciani, quæ talis: At demum obtulit ex illo Sacerdotio æterno, cum se in cruce ἱεράναξ ἑαυτοῦ ἀνέβητος Heb: vii, 27. Et qualicumque fuerint Sacrificia Melchisedeci, eo ipso oportet illa fuisse ctuenta, quod Christus formaliter se præstitit Sacerdotem secundum ordinem Melchisedec in cruento suo sacrificio crucis, non solum quia, uti ante visum, est æternum sacrificium æterni sacerdotis, sed etiam quia id expressis verbis testatur Apostolus Heb: v. 6. 7. ubi ei de quo dixerat Deus, Tu es Sacerdos &c. statim adscribit quod in diebus carnis suæ preces & supplicationes cum valido clamore & lachrymis ei obtulerit qui poterat ipsum à morte liberare. Hos enim ejulatus Christi, has lachrymas, fuisse quasi asperisionem Sacrificij illius cruenti quod verus Melchisedec offerebat in cruce, nemo sanus negaverit: respicit enim potissimum Apostolus ad lachrymas quas Christus fudit in horto, quando etiam non contentus lachrymis oculorum, ut loquar cum Bernardo *serm. 3. in dom. Palm.* totius corporis sanguineis lachrymis peccata nostra flere & lavare voluit. Tirinus tandem ad eundem *Psal.* locum sic loquitur: Porro insinuat his verbis reconciliationem generis humani per Christum; q. d. Tu is es qui gratisimam mihi hostiam quam semel redimendis hominibus offeres in ara crucis, quotidie deinceps, incruentè per ministros quoque tuos, sub panis & vini specie mihi offeres quo motus isdem reconciliabor. Sed si his verbis evidenter insinuat reconciliationem generis humani per Sacrificium crucis, debuit Christus etiam in hoc Sacrificio crucis

& cruento esse Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedeci, non tantum verò in incruento Eucharistiæ. Adhæc cum sacrificium incruentum, cruentum antecessisse præsupponat, 1. illud non potest ordine temporis prius existisse, ut revera ordine temporis institutio Eucharistiæ præcessit mortem Christi; 2. debuerit Melchisedec, non incruentum modò panis & vini sacrificium obtulisse quod Eucharistiam figuraverit, sed etiam aliquod cruentum immolasse cui suo tempore responderit passio Servatoris. Præterea hostiam semel immolatam in cruce pro hominibus redimendis & reconciliandis Deo, sæpiùs incruentè immolari eum in finem, tam est alienum quam sæpiùs fieri quod semel tantum & factum & faciendum fuisse testatur Scripturæ. Et ut eadem numero hostia in suo formali hostiæ cruentè & incruentè offeratur, tam est absurdum, quam idem corpus in sua formali ubietate esse alicubi quantitativè, extensivè & circumscriptivè, alicubi non; Nam cruentum & incruentum contradictoriè opponuntur, nec possunt eidem numero hostiæ in suo formali & quâ hostia est convenire. Imò dicam amplius, si Christus sit in Missa primarius & unicus Sacerdos, uti fuit in cruce, sacrificuli Pontificij nihil aliud hîc debent præstare quam quod in passione Carnifices & Pilati milites. Præsertim verò, ut sacrificium imaginarium Missæ sit reconciliativum dici nequit, cum reconciliatio ad solum sacrificium Redemptionis, cujus modi solum est crucis sacrificium, pertineat; Nec video quî Deus *iratus* reconcilietur hominibus per sacrificium Missæ, cum non magis prodesse debeat quâ sacrificium quam quâ Sacramentum; nec enim possibile est plus fructus redire ad quenquam ex solâ Missæ decantatione procuratâ quam ex Eucharistiæ actuali sumptione: atqui Eucharistia sumpta ut est Sacramentum, nihil confert hominî cui Deus fuerit iratus, hoc est, qui non fuerit in statu gratiæ: Ergò nec illi inservire aut prodesse potest illud sacrificium: sed de his adhuc postea.

Et hoc est novum illud) Nihil minus; cum ibi stylo Prophetis usitato & Scripturæ familiari Rationalis & Spiritualis cultus N. T. describatur allegoricis terminis à Levitico & Mosaico cultu desumptis.

Non

Non solum ipse Paraphraſtes Chaldaeus & alij Judæi hunc locum de ſyncera invocatione Dei & oblatione myſtica interpretantur, ſed etiam ex Chriſtianis Iſidorus Clarius & Vatablus quibus vel annotante *ibi* Cornelio à Lapide favet Tertullianus *adverſus Iudæos lib. 5.* Nec ulla ſuadet ratio, ut כנחה טהורה potius ſumatur propriè non metaphoricè in poſtremâ parte verſiculi hujus, quam in priori כקטר כנס, quod propriè ſignificat ſuffimentum ac incenſum & offerendum & offerendum Deo; quod cum ipſe Cornelius à Lapide *ibi* tropologicè de precibus interpretetur ex Pſal: CXLII, 2. & Apoc: v, 8. ubi diſertè preces ſanctæ per incenſum & thymiamam ſignificantur, non eſt quod Oblatio munda alio ſenſu quam myſtico ulurpetur. At inquit Tirinus *ad Mal: 1, 11.* ex ſuo Cornelio à Lapide qui fuſius eadem habet, vox כנחה licet in genere munus ſeu donum ſignificet, à Deo tamen appropriatur particulari ſpeciei, ex pane vel farina conſecta, ut dixi *Levit. 2.* Quod accedente ordinario libamine vini Num: xv, 5. typus erat Sacrificij nova legis Eucharistici. Reſp. primò Si כנחה hoc loco propriè ſignificat Sacrificium farreum & molam puram, ut habet Tigurina, etiam כנס ſignificabit propriè thymiamam & incenſum; quod nemo dixerit. Nec valet effugium Cornelij, כד כנס licet propriè ſignificet ſuffire, ſuffumigare, adolere incenſum, tamen ſape per metalepſin ſumi pro ſacrificare, quia in Sacrificio olim victima incendebatur, itaque per ignem & fumum aſcendebat ad Deum; Nam eâ ratione Propheta hic intellexerit Sacrificium cruentum, quale Miſſa non eſt; ſi præſertim, ut idem Cornelius affirmat, alludat Malachias *ad Sacrificium jüge quod quotodie tam manè quam veſpere offerebant, in quo victima erat agnus cum decima parte ſimila conſperſa oleo.* Præterea ut כנס ſumatur pro nidore carnum immolatarum, non verò pro odore thymiamatis, eſt planè alienum ab uſu Scripturæ; Et licet audaçter Jeſuita provocet *ad omnia lexica*, nullum tamen reperietur quod ipſi faveat hac in parte; Sed quanquam כנחה aliquando ſpecificè denotet oblationem farream, ad cujus imitationem habuere Ethnici ſuas molas falſas, tamen nonnunquam juxta Lexicographos ſignificat jüge Sacrificium, ut 2, Reg: III, 20. Num: xxv III, 4. quod cruentum erat non merè farreum; quin ulur-

usurpatur etiam de Sacrificio cruento Abelis Gen: IV, 4. ut non sit perpetua regula R. Salomonis, *Quodcumque venit ex proventu frumenti in genere id Mincha dicitur.* Præterea et illa vox farream oblationem significet, cum propriè sumitur, indè non efficitur metaphorice hoc loco non usurpari ad cultum N. T. significandum. Adhæc si Eucharistica hic designetur oblatio, cujus typus fuerit oblatio farrea de qua Levit: II, 1. 2. cui thus & oleum imponebatur (semper libamen vini additum fuisse, fortè non satis evidenter probatur ex Num: XV, 5.) cum hæc oblatio similæ & farrea non fuerit Sacrificium propitiatorium, nec propitiatoria debet esse oblatio Eucharistica. At, inquit iterum Tirinus, *Hæc oblatio absolute & perfecte munda est; non multiplex & varia, ut apud Judæos, sed unica, quæ omnium oblationum Iudaicarum vim & energiam eminenter continet.* R. Munda oblatio, ea est quæ *θυσία ζῶσα, ἀγία, ὑπερθε τῶ θεῶ & λογικὴ* nostra *λατρεία* dicitur Rom: XII, 1. Si quid enim nostris sacrificijs spiritualibus adhæret adhuc nævi & scoriarum ex naturæ nostræ corruptione, id omne contegitur oleo misericordiæ divinæ & thure intercessionis Christi. Ideò etiam Paulus vult ut in precum exercitio *puras manus attollamus* sine ira & disceptatione in omni loco I. Tim: II, 8. Ubi palam respicit ad vitium Malachiz quod est præ manibus, cum habeat puras manus pro mundâ oblatione & illud, *in omni loco*, quod legitur in Propheta: ut non habeant Jesuitæ quod dicant nullum esse Sacrificium quod ubivis locorum æquè offeratur ac Eucharistia; cum longè universaliùs pateat sacrificium precum, quod est & omnium locorum & omnium horarum & omnium fidelium. At, inquit Tirinus, est Eucharistiz oblatio *mundissima, sive substantiam spectes sive effectum, quæ nulla offerentium Ministrorum immunditiâ inquinari potest.* Resp. Supponitur semper Eucharistiam esse oblationem quæ fiat Deo, quod non probatur. Et si novæ legis Sacrificium ab immundis potest offerri, subsedit infra sanctitatem Sacrificiorum legalium, quæ munditiem quoque typicam in Sacerdotibus offerentibus requirebant. At, inquit iterum Tirinus, de Eucharistia id interpretantur præter Patres & Doctores Ecclesiæ, *Rabbini non pauci, quos citat Galatinus lib. II.*

cap. II.

cap. 11. Resp. Galatinus hoc loco nihil habet hujus generis; sed è contrario, ut lemma capititis illius fert *Quod Iudeorum etiam Sacrificia tempore Messie spiritualiter tantum servanda erant*, ibi hoc ipsum probaturus, & à Gentilibus qui Messiam recepturi erant & non à Iudeis, velle Deum sacrificia spiritualia sibi offerri ipsis Iudeis perfidis reprobatis, hoc urget Malachiaë vaticinium, quo Deus *thursificatorem* (sic Galatinus ipse reddit) & *appropinquatorem* Nomini suo & oblationem mundam sibi non defuturam inter Gentes, denunciat; atque eum in sensum profert Rabbi Salomonem & Aben Ezram: Nec dubium quin idem hic sibi velit Malachias quod Esajas LXVI, 20. vocationem gentium prædicens, undè & Gentium Oblatio commemoratur Paulo Rom: xv, 15. 16. Patres quod attinet, nec omnes hæc Malachiaë verba de Eucharistia interpretantur, nam Tertullianus *lib. 5. adv. Iud.* idem nobiscum statuit & Irenæus *lib. 4. cap. 34. adversus hæreses* ea trahit ad illas fidelium oblationes in mensa sacra, ex quibus Symbola Eucharistica desumebantur; nec qui illa ad Eucharistiam trahunt aliud hic intelligunt Sacrificium quam Mysticum, Significativum, Commemorative, Eucharisticum, & quod hanc oblationem mundam contineat potissimum respectu precum ac Dei laudum quæ in illius celebratione funduntur: ut à Lapide agnoscit eo sensu sumi apud Tertullianum *lib. 3. cont. Marcionem cap. 22.* Sed quæ ad Patres ulterius spectant possunt repeti ex aliis; nominatim ex Perkinsio *in demonst. probl.* ad hunc titulum, *Sacrificium Missæ.* Satis mihi esto nostri Tirini premere vestigia; Is hoc Numero videtur urgere, quod hoc Sacrificium Malachianum esset & novum offerendum, & omnino mundum, & non in uno terra angulo sed per universum terrarum orbem. Sed horum, ut etiam ex superioribus liquet, nihil est quod mysticis Christianorum Sacrificiis in quibus Novi Testamenti cultus consistit, non conveniat. Nam sub Evangelio quæ vetera erant præteriére & omnia nova facta sunt; prout Christus novum se dare mandatum dicebat suis discipulis ut se mutuò diligerent Joh: XIII, 34. Præsertim de Oratione nobis à Christo præscriptâ nomine suo, dixit Cyrillus Alexandrinus *in Joh: lib. 11. cap. 7.* *Hic orandi modus priscis omnino fuit ignotus; constituitur autem modo à Christo, quando emendationis tempora effulserunt; & omne nobis*

Z Z Z Z

omne nobis bonum per ipsum absolute concessum est : nam sicut nihil à lege con-
summatum fuit, sicut justitia ejus fuit imperfecta, sic & orandi modus mancus
in ea inveniebatur. Citatur quoque in eam rem Tertullianus initio lib. de
Oratione, ubi dicit Jesum Christum discipulo novi Testamenti novam ora-
tionis formam determinasse; Oportet enim (inquit) in hac quoque specie no-
vum vinum novis utribus recondi, & novam plagulam novo assui vestimento :
Sacrificia quoque nostra Spiritualia, cum λογικὴν λατρείαν constituent,
sunt mundissima; utpote quæ munditiam suam ex Christi sanguine &
intercessione consequuntur; Ideò dicitur quod manus puræ attollantur
ad Dominum 1. Tim. II, 8. & quod hostiæ nostræ spirituales sint
ἑυπρόσδεκτοι acceptabiles Deo 1. Pet. II, 5. & quod talibus victi-
mis Deus delectetur Heb: XIII, 16. & quod sit ἡ προσφορά τῆς ἰδίων ἑυ-
πρόσδεκτος, ἡγιασμένη πνεύματι ἀγίῳ Rom: XV, 16. & quod corpora
nostra ipsi offeramus hostiam vivam & sanctam Rom: XII, 1. Quæ
sanè omnia munditiam Sacrificiorum Evangelicorum præ Legalibus
evidenter propugnant. Denique nostra Sacrificia mystica latissimè
patent, cum ubique sit colendus Deus in Spiritu & veritate Joh: IV,
23. & manus puræ in omni loco ad ipsum attollendæ 1. Tim: II, 8.
Neque hæc tria possunt competere Sacrificio Missatico; Non Novi-
tas; quia juxta adversarios jam tum tempore Abrahami sacrificatum
fuit à Melchisedeco in pane & vino, & cultus Leviticus suas quoque
habuit panum oblationes & libamina vini. Non Mundities; quia
symbola panis & vini inanimata cum sint munditiei moralis capacia
non sunt; & hoc imaginarium sacrificium etiam ab immundis quos
nec emendet nec emundet quotidie offerri statuitur; Non Diffusio;
quia non ubique fas est Missam celebrare; Altari ad id opus est con-
secrato, saltem portatili; & illa Bacchis Missatica magnum secum
ducit apparatus, cui non ubique locus est. Sed longè universalitè
patet Sacrificium orationis, cui ubivis & quovis tempore fideles
vacare & possunt & debent: Missæ quoque ministri sunt oppidò pau-
ci, comparati ad fidelium, omnis ætatis, omnis sexus, omnis condi-
tionis multitudinem, quæ passim Sacrificiis illis nostris spiritualibus
vacat & operatur.

Et ab ipsomet Christo) Jam supra ad N. 3. quæ Tirinus annotavit
ad hunc

ad hunc locum ex parte excussimus; Sanè cum ibi agnoscat illud in Spiritu idem esse ac Spirituali sacrificio & cultu, is Spiritus cultus non poterit formaliter aliud significare quam Sacrificia Spirituality, de quibus 1. Pet: II. 5. neutiquam verò Sacrificij Missatici descriptionem continere: Et quamvis non negem Sacramenta novæ Legis aliosque ritus in Ecclesia Christiana servandos, quo omnia decenter fiant & ordine, pertinere quoque suo sensu ad cultum spirituales novi Testamenti, tamen nego ex his verbis Christi posse colligi sub Evangelio institutionem Sacrificij caeremonialis externi ac propriè dicti: Itaque quam non viderint hic alij etiam è Pontificiâ communionem Sacrificium Missaticum, patet ex Toletio qui in comment. ad eundem locum sic loquitur; *Erit opposita adoratio (nempe Judaicæ quæ erat in rebus corporalibus) qua non in corporalibus figuris & umbris futurorum sit, sed in Spiritu, id est, in Spiritu sancti gratia, fide, charitate & actibus ac operibus ex his procedentibus: Et hæc est adoratio in Spiritu quando non corporeas res umbras & figuras offerimus, (ut videlicet volunt fieri in Missâ, ubi si Deo placet offertur substantia sensibilis, & revera in speciebus meris panis & vini meræ sunt umbræ & figuræ) nec in his servimus Deo, sed in actibus virtutum, qui ex Spiritu Sancti gratia procedunt. Et hæc est adoratio Evangelica.*

Instituatur autem ab eodem) Institutum ibi lego Sacramentum Eucharistiæ non Sacrificium Missæ. Tirinus ad Matt: xxvi. 28. non male agnoscit illis in verbis τοῦτο ἔστι τὸ αἷμα μου, alludi ad illud Exodi. 24. *Hic est sanguis fœderis quod pegerit vobiscum Deus; etenim sanguine & morte Christi novum fœdus sigillatur & confirmatur, ut vetus olim sanguine & morte victimarum: Sed non potest admitti quod illam novi fœderis confirmationem Jesuita factam asserit à Christo, vero sanguine hæc effuso, id est, in sacrificium oblato, (nam liquida offerri solent effusione sui) partim incruentè in ultimâ hæc cænâ, partim cruentè paulò post in cruce: Etenim 1. negamus in Cœna factam fuisse illam sanguinis Christi effusionem quam hic inculcat; sed in prima Cœna significata fuit, ut paulò post futura in cruce: unde etiam tum V. V. tum Canon Missæ habent in futuro Effundetur. 2. Ineptè sanguis Christi dicitur effusus partim incruentè partim cruentè; nam Christi sanguinem*

nem effundi incruentè est revera non effundi; cum impossibile sit incruentam esse actualem cruoris effusionem: Verum quandoque Eucharistia veteribus dicitur sacrificium *incruentum*, quo sensu *Tragædia*, quæ est alicujus belli cruenti repræsentatio, bellum *incruentum* dicitur, quia est repræsentatio & commemoratio Sacrificij cruenti quod in cruce oblatum est in remissionem peccatorum nostrorum: Unde Clemens Romanus vel quicumque ille sit *Constitutionum lib. 6. cap. 23. Baptismum, Sacrificium, Sacerdotium, Localem adorationem alio modo mutavit: pro quotidiano baptismo unum solum baptismum instituit qui in ejus mortem perficitur; pro una tribu de qualibet natione præcepit optimos deligi, nec corporum integritatem spectari, sed religionem ac vitam: pro sacrificio cruento, rationale & incruentum ac mysticum sacrificium instituit, quod in mortem Domini (id est in illius commemorationem) per symbola corporis & sanguinis sui celebratur; pro adoratione locali, ab ortu solis in occasum in omni loco imperij sui nomen suum celebrari statuit.* Facile autem prætermittam quod Tirinus postea subjicit *ad Matth. xxvi, 28.* de vero reali & substantiali corpore Christi, oblato in Missâ in *proprie dictum Sacrificium*, cum id non aliundè annitatur probare quam ex *verbis Christi*, quæ nihil minus sonant, & ex *unanimi consensu Conciliorum & Patrum*, qui nunquam demonstrari poterit: Et quamvis verba Christi forent clarissima pro Transsubstantiatione, contra quam vidimus in superiori Controversia, ex illis tamen nondum haberetur Sacrificij Missæ institutio; quandoquidem Transsubstantiatio ordinaretur ad Sacramentum, ut corpus Christi posset sumi & manducari à communicantibus, non necessariò ad Sacrificium, ut sub speciebus panis & vini offerretur Deo pro vivis & mortuis. Sed & illud falsissimum est, quod *ibidem* habet, neminem *ante Berengarium per annos 1150.* aliter intellexisse verba Christi quam intelliguntur hodiè in Papatu; cum Berengarius nihil aliud fecerit quam se opponere profanis novitatibus eorum qui desectentes à puriori & simpliciiori doctrina prædecessorum suorum, Transsubstantiationi incipiebant præcludere; nec potuerit obrudi Berengario contraria sententia, nisi terminis ita ditis in *Can. Ego Berengarius. dist. 2. de Consec.* ita etiam alienis ab hodierna doctrina Pontificiorum, ut Glossator coactus ibi fuerit monere,
quod

quod nisi sanè intellexeris verba Berengarij, in majorem hæresim incidēs quam ipse habuit, nec defuerint ante Berengarium qui paulatim gliscenti errori se opponerent, quos inter jam tempore Caroli Calvi fuit celebratissimus Bertramus Presbyter aut Monachus Corbejenſis; nec denique ipſummet Transubſtantiationis monſtrum natum ſit niſi poſt tempora Berengarij, nempe ſub Innocentio III. in Lateranenſi Concilio circa annum Chriſti 1215. celebrato, juxta Carranzam. Ut autem nihil habet Tirinus ex Matthæo quod in rem ſuam trahat, ſic parum eſt illi præſidij in voculâ *Hoc facite*, quam habet Lucas xxii, 19. Ridiculè enim id interpretatur ac ſi diceret Chriſtus, *Hoc quod jam poſtremum me facientem vidiftis, pro ſacrificio facite*. Nam cum illud Chriſti mandatum æquè obliget Laicos ad ſumptionem quam fecerunt Apoſtoli, ac Miniſtros ad conſecrationem & diſtributionem quam fecit Chriſtus, totamque ſpectet Sacramenti adminiſtrationem & uſurpationem, non poteſt formale pro miniſtris mandatum ſacrificandi continere: neque tunc Chriſtus ſe ſacrificavit, ſed id ſemel demùm fecit in cruce: Et luſerunt in re ſeria qui vocem *facite* urſerunt ideò quod Latinis *facere* aliquando idem ſit quod ſacrificare. Etenim *τὸ facere* tunc non regit accuſativum, ut hîc, ſed ablativum, juxta illud Virgilij, *Cum faciam vitulâ, pro frugibus ipſe venito*: nec ſi Latinum *facere* aliquando ita ſumitur, debet id trahi ad Græcum *ποιεῖν*, quod eo ſenſu non uſurpatur. Quid quod Chriſtus vult hoc fieri in ſui commemoratiōnem, id eſt, Tirino interprete, *in memoriam tam aliorum myſteriorum vitæ ſuæ, & beneficiorum ſuorum, tam maximè paſſionis & mortis ſuæ, redemptionisque totius generis humani per illam partæ*: Jam autem non poteſt id habere rationem ſacrificij propriè dicti, in quo Chriſtus ipſe de factò imoletur quod ſit in commemoratiōnem Sacrificij Chriſti & mortis ſuæ quâ ſumus redempti gratam recordatiōnem; maximè, cum hæc mortis memoria ſit recolenda grato animo, *non ſemel aut ad breve tempus*, dicente Chriſto, (quamvis hæc verba non ſint, Tirine, Chriſti apud Lucam, ſed Pauli ad Corinthios,) *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem meam annuntiabitis donec veniam; id eſt, donec præſentiâ meâ viſibili quam nunc ſubtrahere decrevi, vobis iterum reſtituar, nempe in ſine quando ad judicium re-*

ZRR 3

vertat. =

vertar: Quod enim fit in commemorationem Christi & ad mortem ejus annunciandam donec veniat, eum corpore absentem esse supponit, tantum abest ut ibi corpus ipsius sacrificari possit. Nec potest Jesuita hinc recurrere ad distinctionem presentiae visibilis & invisibilis, ut illam demum Christus subtraxerit; cum suo discessu non visibilitatem modo sui corporis, sed & illius indistantem presentiam nobis abstulerit; neque in die judicii derepentè apparebit qui semper præsens fuerat, sed veniet & redibit qui actu abfuerat, & quem tantisper cœlum debet continere vel suscipere usque ad restitutionem omnium Act: III, 21. Interim ut ex illis conjunctim *Hoc facite, & Donec veniam*, colligitur benè teneri semper Ecclesiam illo præcepto quod celebrationem & administrationem Sacræ Cœnæ spectat, ita malè & perperam hinc concludit Tirinus 1°. Velle Christum *perpetuum esse in Ecclesia sua hoc Sacrificium*, cum uti dixi, Sacrificium tunc non instituerit, sed Sacramentum: 2°. Christum tunc demum sic consecrasse & constituisse *Sacerdotes ad hoc Sacrificium sibi offerendum*, ut etiam eos tunc constituerit *Episcopos, ut eandem sacrificandi & Sacerdotes ordinandi potestatem alijs* quibus vellent, impertirent. Nam I. cum jam antea Christus eos in Apostolos suos & primarios præcones *Evangelij delegisset*, illa ipsa vocatio & ordinatio ad munus Apostolicum implicite continebat potestatem ea omnia Sacramenta administrandi, quæ spectatura erant ad Oeconomiam Evangelicam, ut novâ ad id ordinatione opus non fuerit: Id patet vel Pauli Apostoli exemplo, qui eo ipso quod immediatè fuit evocatus ad Apostolatam Gal: 1, 1. consecutus est potestatem & Eucharistiam administrandi & alios ordinandi qui eam administrare possent, etsi nemo eum unquam vel in *Sacerdotem* vel in *Episcopum* ordinaverit: undè dicit Corinthijs, se accepisse à Domino quod & ipsis tradiderat spectans ad hoc Sacramentum 1. Cor: x1, 23. II. Non magis illa verba Christi in sacra Cœna instituenda fuerunt ordinativa Apostolorum in Sacerdotes & ministros illius Sacramenti, quam ea quæ leguntur Matt: xxviii, 19. 20. Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filij & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis; Cum enim hinc plures & potiores partes Ministerij Ecclesiastici Apostolis demandentur, facilius

facilius dixeris eos hic demum in Sacerdotes ordinatos fuisse, quam in prima Cœna per voculam *Hoc facite*: maximè quia juxta ipsum Pontificale Romanum p. 1. *titulo de Ordinatis. Presbyt. fol. 18. b. Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, predicare & baptizare.* Sed nulla cogit necessitas ut Christi mandata omnia quæ spectant ad muneri Apostolici executionem, ordinativa faciamus ad Ecclesiasticas functiones. III. Cum Apostolatus suâ ἰσχυρῆ emmineret contineret quicquid potestatis inest ordinariis Ecclesiæ ministris quos post se reliquerunt, sive Sacerdotes sive Presbyteri sive Episcopi dicantur, præposterè censerentur facti Sacerdotes vel Episcopi *formaliter* postquam jam Apostolatum erant adepti: perinde enim foret ac si quis Episcopum aliquem vellet formaliter ordinare in ostiarium vel acolythum. IV. Repugnat Apostolos fuisse simul Apostolos & formaliter Episcopos: quandoquidem, vel judice Tirino *ad Luc. vi. 13. Longè major erat potestas illorum quam nunc est Episcoporum: Apostoli enim (inquit) ut immediatè atque illimitatè missi ab ipsa Christo quasi universales Legati ipsius, habebant summam potestatem in totam Ecclesiam quocumque terrarum loco, seu insituendam seu regendam: unde ubique locorum poterant predicare Evangelium, Libros Canonicos scribere, fundare Ecclesias; colligere, pascere, regere fideles; ubique constituere & ordinare Sacerdotes, Pastores, Episcopos reliquosque ordinis Hierarchici ministros: Si igitur ipse Apostolatus ab Episcopatu formali distinctus complectebatur facultatem hanc etiam ordinandi Sacerdotes, Pastores, Episcopos, non debuit Apostolis jam ad Apostolatum evocatis formaliter conferri Episcopatus vel Sacerdotium.* V. Cum etiam in Papatu nemo sit ordinandus in Sacerdotem vel Episcopum absque *titulo*, juxta Canonistarum regulam, Officium sine beneficio non datur, deberent nobis ipsimet dicere ad quos titulos Christus suos Apostolos in Sacerdotes & Episcopos ordinaverit; & num etiam Judas proditor (*nam, inquit Tirinus ad Matt. xxvi, 26. etiam Judam sacrorum mysteriorum participem fuisse constat ex Luca, Luc. xxii, 20. 21. Joh. xiii, 21. & ferè communi Doctorum sententia*) fuerit à Christo ordinatus ad munus quo nunquam functurus erat, & tantum eo fine ut prior esset qui characterem indelebilem Sacerdotij Tartaro inferret. VI. Quod si illa vocula *Hoc facite*, facti sunt Apostoli

Apostoli Sacerdotes & Episcopi, necesse est omnes Sacerdotes Episcopos quoque fieri, cum forma Sacerdotij ordinativa, juxta Tirinum fuerit quoque collativa Episcopatus; & revera nullam esse de jure divino distinctionem inter Presbyterum & Episcopum, non solum insinuat Pontificale V. S. quo docemur Sacerdotum esse non offerre modo sed etiam *praesse*, verum etiam tota sensit Antiquitas; agnoscēte (apud Becanum *cap. 26. de Sacr. q. 2. §. 6.*) Michaelē Medina *lib. 1. de Sacroy. hom. continentia cap. 5.* Hieronymum, Anselmum, Sedulium & alios Patres idem censuisse. VII. Nec consentiunt Tirino statuenti Apostolos simul à Christo in Sacerdotes & Episcopos ordinatos fuisse, alij Jesuitæ; juxta quos Petrus à Christo fuit ordinatus Episcopus, & à Petro Iacobus & Iohannes & ab his ceteri Apostoli, ut copiose (inquit Becanus V. S. §. 8.) ostendit Iohannes de Turrecremata *lib. 2. Summa Eccl. cap. 32. Bellarm. lib. 1. de Pontif. cap. 23.* Nec aliud habet Becanus quo huic objectioni satisfaciatur; *Christus ordinavit presbyteros in ultima Cœna secundum omnes Catholicos, at nusquam legitur ordinasse Episcopos.* Acutiùs cernit Tirinus reliquis, qui ordinationem Episcopalem omnium Apostolorum in Luca potuit reperire. VIII. Potestas quoque Clavium, cum sit indissolubiliter annexa Sacerdotio & Episcopatu, debuerat tunc conferri Apostolis quando in Sacerdotes & Episcopos ordinati fuerunt; Atqui tunc non acceperunt Apostoli potestatem clavium, sed licet ante sibi promissam, non nisi post Christi resurrectionem, ijs verbis, Accipite Spiritum Sanctum &c. Joh: xx, 21. 22. ut communiter statuunt Pontificij: Has verò duas potestates *consecrandi & absolvendi* à peccatis, quæ aliàs in ordinatione Sacerdotali conferuntur, divisas fuisse à Christo, & unam traditam fuisse Apostolis in ultima Cœna, alteram post suam resurrectionem, faciliùs dixerit Becanus *cap. 26. de Sacr. q. 4. §. 4.* quam ex Scriptura aut ratione probaverit. Minus etiam accepisse potestatis Apostolos cum primum ordinarentur ab ipso Christo, quam gregarios Sacrificulos hodiernos cum ab Episcopis titularibus ordinantur, nemini sano persuadebunt Jesuitæ. IX. Arcessunt non rarò Pontificij discrimen inter Episcopos & Presbyteros à differentia quæ erat inter duodecim Apostolos & discipulos septuaginta; Ita nominatim Becanus *cap. 26. de Sacr. q. 2. §. 2.* Atqui ante
ultimam

ultimam Cœnam vigeat hæc distinctio; Ergo Apostoli non potuerunt in illa demum Sacerdotium consequi, quo septuaginta discipulis exæquarentur, nec Episcopatum quo eos superarent. x. Sed & in alium scopulum incidit Tirinus de quo fuerat præmonendus: Nam si Sacerdotes & Episcopi facti sunt Apostoli illis verbis, *Hoc facite*, non solum peribit Petro suum illud imaginarium privilegium quod & baptizatus & in episcopum ordinatus à solo Christo immediate fuerit, sed etiam æqualis erit agnoscenda in omnibus Apostolis potestas tum ordinis tum jurisdictionis, quam singuli habuerint ut immediate à Christo, sic independenter à Petro. xi. Non potuerunt hic Apostoli fieri Sacerdotes; quin necessaria & essentialia ad talem ordinationem fuerint observata, quorum nec vola nec vestigium apud Lucam aut alium quenquam ex Evangelistis apparet: Nemo potest in Papatu ordinari Presbyter qui prius non sit Clericus per simplicem tonsuram, & initiatus quatuor minoribus ordinibus Ostiarij, Lectoris, Exorcistæ & Acolythi, & factus Subdiaconus & Diaconus; ut verò omnes hos ordines, ritibus & cæremonijs planè distinctos, & ordinatos, si Deo placet, ad unicum Missæ choragium, tunc Christus instituerit, & formaliter contulerit Apostolis, nec angustia temporis patiebatur, nec probabiliter ullus poterit suspicari; cum necdum esset liber Evangeliorum cujus traditione fierent Diaconi, nec liber Exorcismorum quem acciperent ut fierent Exorcistæ, nec ullum extaret Templum nomini Christiano dicatum in quo fierent Ostiarij traditione clavium; nec essent ad manum forfices, olea, stolæ, casulæ, dalmaticæ, urceoli, bacilia, & sexcenta istius generis, quibus tonderentur, ungerentur, vestirentur & ornarentur. Ad Sacerdotij ordinationem requiritur quoque tum instrumentorum Missificationum porrectio tum manuum impositio: quanquam hic non sibi consent Pontificij, ut videre est apud Becanum *de Sacr. c. 26. q. 4*; Nam Dominicus à Soto *in 4. dist. 24. q. 1. a. 4*. Gregorius de Valentia *1. de Sacr. ord. puncto 5*. & quidam alij volunt *solam porrectionem instrumentorum esse materiam essentialiam* istius Ordinationis; Alij putant utramque & porrectionem instrumentorum & manuum impositionem esse illius materiam essentialiam: ita inquit Becanus *Petrus Soto Lect. 5. de*

A A A A A

Sacr.

*Sacr. ordinis. Martinus Ledesma in 4. quæst. 36. art. 4. ad 1. Hostius in Confess. Polon. cap. 5. Bellarminus de Sacram. ord. cap. 9. Henriquez de Sacram. ordinis cap. 6. quibus favet D. Thom. in 4. d. 25. q. 1. Bonaventura, Scotus & Paludanus in 4. d. 24. Altiſiodorenſis in 4. parte Summa Theol. Ipse tamen Becanus §. 6. soli impositioni manuum id honoris vindicat, & porrectionem instrumentorum facit accidentalem & ab Ecclesia institutam. Sed quicquid de eo sit, nullam legimus à Christo factam tunc impositionem manuum aut instrumentorum porrectionem; Non illam, quam Gregorius IX. apud eundem Becanum statuit esse ritum ab Apostolis inductum; Non hanc, cum nec patinam cum pane nec calicem cum vino juxta ritus ordinationis Pontificiæ Christus suis Apostolis tradiderit, quando illis dixit *Hoc facite*, id est, juxta Glossam Pontificiam & Pontificalis stylum fol. 21. b. *Accipite potestatem Sacrificium offerre Deo missasque celebrare tam pro vivis quam pro mortuis, in nomine Domini.* Etenim juxta Becanum Christus Apostolis porrexit calicem cum sanguine non cum vino ut nunc fit; deinde non legitur porrexisse patenam sed tantum panem fractum & consecratum. XII. Denique si *Hoc facite* Apostolis dictum eos fecit Sacerdotes, cum illud quoque in Apostolis dictum fuerit omnibus fidelibus, qui inde, vel judice Jesuita Coninck, ut suo loco visum, jure divino ad communionem Eucharisticam obligantur, omnes fideles factos esse Sacerdotes eadem operâ oportebit: Cum enim ipse Tirinus illa Christi verba apud Lucam, *Hoc facite in meam commemorationem*, explicat per ista Pauli, *Quotiescunque manducabitis panem hunc & hunc calicem bibetis, annuntiabitis mortem Domini donec veniat; necesse est primò quæ in Luca extant æquè spectare omnes fideles ac quæ extant apud Paulum; secundò & potissimum, illis verbis Hoc facite contineri & exprimi mandatum manducandi ex hoc pane & bibendi ex hoc calice ad annunciandam mortem Domini usque dum veniat: Sed mandatum manducandi ex isto pane & bibendi ex hoc calice, non est mandatum sacrificandi Christi: aliàs non consecratione sacrificaretur in Eucharistia sed illius sumptione, & omnes fideles manducando ex hoc pane & bibendo ex isto calice deberent actus Sacerdotales exercere & corpus ac sanguinem Domini offerre,*
quod*

quod non dixerint adversarij.

Objectiones solvi) Et nos hîc nihil eorum quæ à Tirino motæ sunt prætermittimus, quin illa vel vindicaremus vel refutaremus.

Num: 6. Huic uni & soli conveniunt omnes conditiones ad SACRIFICIUM propriè dictum supra n. 1. requisitæ: nam in eo corpus Christi & sanguis sub sensibilibus speciebus panis & vini realiter reproducentur per ministerium legitimi sacerdotis, ad protestandum supremum Dei dominium & nostri subjectionem. Porro principalis & primarius offerens hic est Christus, qui secundum Divinitatem suam transsubstantiat panem & vinum in Corpus & sanguinem suum, sacerdotibus tantum ut instrumentis ad id concurrentibus: unde non in suâ, sed in Christi personâ dicunt *Hoc est Corpus meum, hic est sanguis meus.* Quibus verbis essentialiter perficitur Sacrificium, dum consecratione reproducentur Corpus & sanguis Christi in honorem Dei. Licet enim consecratio non videatur exterius præ se ferre formam oblationis, non tamen propterea desinit habere perfectam oblationis rationem, quatenus subest intentioni offerentis; sicut sacrificium Crucis nullam videbatur præ se ferre formam oblationis, cum tamen esset perfectissima oblatio.

CENSURA. *Huic uni & soli conveniunt*) Nos ad N. 1. contrarium obiter demonstravimus. Et sanè multùm hic impingit Tirinus. Nam I. volebat ibi materiam Sacrificij sive rein oblatam, esse substantiam aliquam sensibilem: At hîc nullam agnoscit substantiam sensibilem in Sacrificio Eucharistico, sed tantum species sensibiles panis & vini, quæ mera accidentia esse dicuntur. II. Armâ nobis suppeditat contra se: nam id offertur in Eucharistia quod est sensibile & quod transmutatur: sed nec sensibile est corpus Christi in Eucharistia, nec illud in Eucharistia transmutatur. Non prius; illa enim sensibilitas ad sola symbola spectat & species externas panis & vini, ex Pontificiorum confessione. Non posterius; quia sic panis & vinum dicuntur transmutari in corpus & sanguinem Christi, ut nulla transmutatio tribui possit ipsismet Corpori & sanguini Christi: Etenim nihil transmutatur absque reali passione, quæ nunc nulla cadit in Christum, ut suo loco demonstratum: Nec potest *reproductio*, vel *adductio*, vel *replicatio* corporis Christi in Eucharistia

AAAAA 2

(utra

(utra enim sit dicenda disputant Pontificij inter se, ut suo loco visum, & adhuc sub judice lis est) censerent illius transmutatio substantialis ut in Missa offeratur: Nam fingitur per harum alterutram ibi sibi præsens absque omni motu, vel substantiali per sui generationem aut corruptionem, vel quantitativo per sui accretionem aut diminutionem, vel qualitativo per sui alterationem vel locali, per sui lationem: Christi corpus in Eucharistia per imaginariam illam reproductionem vel adductionem vel replicationem, non mutatur in substantia sua, quia manet idem; non in sua quantitate, quia nihil ei de ipsa perit; non in suis qualitibus, quia dotes & qualitates omnes tum corporis physici tum corporis glorificati retinet; non denique in suo loco, quia licet dicatur novum ubi consequi prius tamen non deserit: addo nec in suis actionibus, quia nihil omittit eorum quæ ante consecrationem faciebat & nihil aggreditur quod ante non faceret. Sed affirmativè proponamus argumentum nostrum ex Tirinianis principijs: Id propriè & solùm offertur in Eucharistia quod est sensibile & transmutationi obnoxium: Atqui talia sunt sola symbola externa panis & vini: Hæc enim sola in sensu incurrunt, ut in confesso est; hæc etiam sola alicui transmutationi sunt obnoxia per consecrationem, non illi quidem physicæ & reali, sed morali & intelligibili, ut sint quod erant, prout loquuntur Veteres, & in aliud transmutentur. Imò etsi hæc realem transsubstantiationem deberemus concedere, maneret tamen nostrum argumentum contra oblationem corporis Christi: Nam id solum offertur vel offerri potest in Eucharistia quod transmutatur; Sed sola symbola panis & vini per transsubstantiationem in carnem & sanguinem Christi transmutantur; Ergò sola illa symbola offeruntur; Nec enim uspiam legas apud Pontificios ipsam carnem & sanguinem Christi transsubstantiari, nedùm destrui, quod opus tamen foret si transmutari deberent; Facere itaque debent quilibet ex quolibet, si in Eucharistia præter transsubstantiationem panis & vini, aliam aliquam transmutationem carnis & sanguinis Christi velint comminisci: Nec eo quicquam faciet adductio vel reproductio vel replicatio corporis Christi in Eucharistia per Transsubstantiationem, cum ea nullam mutationem faciat in corpore Christi; neque satis sit ad obla-

ad oblationem victimæ ut ea adducatur vel sistatur ad altare; aliàs jam oblata & immolata ac sufficienter transmutata fuissent illæ sub V. T. quæ ex ovili ad aram adducebantur, etiam priusquam jugularentur aut aræ imponerentur. Et si illa reproductio corporis Christi per Transsubstantiationem exhaurit omnem transmutationem ad verum Sacrificium requisitam, etiam verum & perfectum censebitur hoc Sacrificium, Sacerdote species consecratas nec sumente nec consumente, contra quantum vulgo obtinet in Papatu. Quod si ad Canonem ipsum Missæ attendamus, facîle erit demonstrare nullum aliud ibi agnosci Sacrificium quam Symbolorum panis & vini, quæ per preces Eucharisticas Deo offeruntur consecranda & sanctificanda ut fiant nobis sumentibus corpus & sanguis Christi. Statim ac Sacerdos accessit ad altare in hæc verba prorumpit: *Te igitur Clementissime Pater per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus (Osculatur altare, inquit Rubrica) uti accepta habeas & benedicas, (hic debet juxta Rubricam jungere manus, deinde signare ter super oblata) hæc dona, hæc munera, hæc sacrificia illibata, imprimis qua offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, &c.* Symbola itaque panis & vini, quæ etiam oblata dicuntur, illa sunt quæ in munera & sacrificia illibata à Sacerdotibus in altari offeruntur; cum illa dici nequeant corpus & sanguis Christi, quæ nec oblata appellari mos est, & necdum in altari præsentia tunc sunt per consecrationem. Paucis deinde interjectis, de iisdem oblatiis necdum consecratis aut transsubstantiatis, ita loquitur idem Sacerdos; *Memento famulorum famularumque tuarum N. & N. & omnium circumstantium quorum fides tibi cognita est & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium Laudis pro se suisque omnibus &c.* Nemo non videt hæc non convenire corpori Christi, sed tantum Symbolorum oblationi; quam etiam in sequentibus Sacerdos tenens (juxta rubricam) *manus expansas super oblata, vocat oblationem servitutis nostræ, &c.* eamque petit per Christum acceptari; & addit, *Quam Oblationem tu Deus in omnibus quasumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem, facere digneris, ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filij tui. &c.* Ut sic intelligamus symbola offerri Deo, sed nobis ab ipso in usum Sacramentalem consecranda: Imò

neque post consecrationem peractam potest ex Canone intelligi sacrificari Deo corpus Christi; nam etiam tunc dicit Sacerdos offerri *præclara Majestati divinæ de suis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam & immaculatam, panem sanctum vita æterna & calicem; Supra quæ, inquit Sacerdos ad Deum, propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedec sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Sanè non posset rogari Deus ut propitio & sereno vultu dignatur respicere proprium suum Filium, nec ipse Christus conferri cum sacrificijs Abelis, Abrahami, & Melchisedeci, quæ tantum typi fuere mortis suæ: aut peti à Deo, ut sit postea, *hæc perferri per manus sancti Angeli sui in sublime altare suum in conspectu divinæ Majestatis suæ, si ibi ipsemet Christus offerri intelligeretur.* Hæc & similia cum prudentes quidam Pontificij observassent ac viderent nihil esse in ipso Canone Missæ quod redoleret sacrificium propriè dictum corporis & sanguinis Christi, duplex commenti sunt in Missa sacrificium, unum panis & vini cui hæc omnia Canonis convenirent, alterum corporis & sanguinis Christi, sub eorum symbolorum speciebus; ita post Ruardum Tapperum Lovaniensem, Gaspar Casalius Lusitanus, Leirienfium Episcopus lib. 1. de Sacrif. Missæ cap. 20. Sed hi duo paucos sequaces repererunt. Ut ut sit, quæ hic supponit Tirinus de corporis Christi reproductione reali sub speciebus panis & vini, nullo fundamento nituntur; cum revera nihil realiter alicubi reproducatur, quod prius antea ibi non fuerit; imò nihil actu reproducitur quod prius non perierit: perijisse autem antea absolutè corpus Christi, aut prius sub illis numero speciebus extitisse, ut reproductioni huic locus sit, dici nequit: Neque reproductionem hic admisit Bellarminus, sed hostiæ additionem; Bresserus verò replicationem mavult dicere. Adeò parùm sibi constant isti homines in paradoxis suis vel tuendis vel explicandis. Ad agnoscendum autem Dei in nos dominium & de nostra subjectione protestandum, non debet immolari corpus Christi, sub speciebus panis & vini; cum si corpus & sanguis Christi ibi sistantur, nobis offerantur & donentur à Deo ad suum amorem summum ergà nos

gà nos contestandum, non ut per illa de nostra subjectione erga ipsum & summo suo in nos dominio solemniter protestemur.

Porro *principalis & primarius*) Non video quin idem dici possit de Sacrificijs Veteris Testamenti, in quibus Christus quoque principalis & primarius offerens poterat reputari; ut falso Becanus *cap. 25. de Sacr. q. 9. §. 3.* asserat potuisse Sacrificia Vetera esse polluta & immunda non solum *ex parte rei oblata* sed etiam *ex parte principalis offerentis*: Quam enim hoc posterius non probet locus Es: 1, 13. Jesuitæ illi citatus, cuilibet legenti patebit. Nec consentit idem Becanus *ibid.* nostro Tirino in definiendo modo quo Christus principalis offerens statuatur in hoc Sacrificio: Noster enim vult id convenire Christo eo quod *secundum divinitatem suam transsubstantiat panem & vinum in corpus & sanguinem suum*; sed ille mavult §. 7. id statuendum quia *Minister offert in persona Christi. Nam (inquit) minister in hoc mysterio se gerit sicut legatus Principis qui sustinet & repræsentat personam ejus.* Verum neutra sententia defendi potest; Non posterior, quia tunc non magis erit Christus primarius offerens in hoc Sacrificio quam primarius baptizans aut primarius docens in Ecclesia: Minister enim baptizat & docet tanquam Legatus Christi 1. Cor: 14, 1. 2. Cor: 5, 20. Non prior, quia Christus Sacerdotio suo defungitur, qua *ἱερόδωπος* & mediator, non verò secundum suam divinitatem tantum. Et cum in ipsa Transsubstantiatione quæ tribuitur Christo formalis ratio Sacrificij non consistat, maximè quoniam Transsubstantiatio, si datur, potius ad communionem Sacramentalem debet ordinari, non video quo pacto Christus sit primarius offerens in hoc Sacrificio ipsam Transsubstantiationem efficiendo. Nec in oblatione externa, qualis hæc dicitur esse ex definitione Sacrificij, potest esse Christus primarius offerens, quin externo quoque actu concurrat ad oblationem. Adhæc cum ex Canone Missæ etiam populus dicatur hoc Sacrificium offerre, quod agnoscit quoque Becanus, debet Sacerdos agere & in Christi & in populi persona, atque sic Missâ referre Comœdias Italicas vel Histrionias Veterum, in quibus unus potest varias agere personas: Nec definitur ab Adversarijs qualia sint instrumenta Sacerdotes in hoc Sacrificio, an physica,

an tantum

an tantum moralia. An verò ad hoc ut agat Sacerdos in Christi persona debeat habere ejus rei intentionem actualem, item num Sacerdos qui excommunicatus est aut ab Ecclesia præcisus, possit tamen validè consecrare & personam Christi ad Transsubstantiationem sustinere, hîc disputare nolumus; has tricas Scholasticis Pontificiorum & Jesuitis explicandas ultrò relinquentes.

Vnde non in sua) Imo cum illa verba recitativè proferant Sacerdotes, referendo quid dixerit Christus & quomodo loquutus fuerit in prima Eucharistiæ institutione, non sunt censendi ea proferri ab ipsis *in Christi persona*. Sed Tirino liberalior est Becanus qui *cap. 21. de Sacr. q. 2. §. 6.* statuit hæc verba proferre Sacerdotes recitativè & significativè; recitativè in persona propria, significativè in persona Christi: quo modo autem hæc possint simul subsistere, aut quæ ratio sit conciliandi Tirinum negantem Sacerdotes hæc in sua persona dicere, sed in sola persona Christi, cum Becano asserente eos & in sua & in Christi persona hæc proferre, viderint alij.

Quibus verbis essentialiter) At in superiori Controversiâ ostendimus illa verba non esse consecratoria, eo quod enuntient rem quæ jam est, non efficiant quæ nondum est: Jam vero in assignanda ratione formalius sacrificij immane quantum digladiantur inter se ipsimet adversarij. Mitto quæ Becanus disputat *c. 25. de Sacr. q. 5. de essentia hujus sacrificij ex parte rei oblata, sed quæst. 6. per totam multum occupatur in ejusdem sacrificij essentia assignanda ex parte actionis; num illa sit oblatio panis & vini ante consecrationem, num ipsa consecratio, num oblatio corporis & sanguinis Christi post consecrationem, num fractio & commixtio Sacramenti, num consumptio Sacramenti à Sacerdote consecrante, num distributio & sumptio à fidelibus facta. Bellarminus lib. 1. de Missâ cap. 17. statuit consecrationem & sumptionem à Sacerdote, esse de essentia sacrificij; alijaliter; Apud Coninck de Sacram. q. 83. art. 1. dubio 5. Eckius lib. 3. de sacrif. Missa cap. 9. & Scotus in 4. dist. 12. quæst. 2. art. 1. cui Gabriel assentitur, statuunt sacrificium etiam esse oblationem quæ fit hostiæ non consecratæ, sed maximè eam quæ fit post consecrationem. Melchior Canus lib. 12. de locis cap. 12. ad sacrificium requirit consecrationem,*

tionem, oblationem, fractionem, & consumptionem. *Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 1.* exigit oblationem duplicem ante & post consecrationem, sed maxime consumptionem, etiam eam quæ fit à Laicis communicantibus. Quibus incommodis hæ premantur sententiæ, Coninck & Becanus docent V. S. qui fractionem & oblationem utramque quæ fit ante & post consecrationem, & sumptionem à Laicis negant esse vel de essentia, vel de integritate sacramenti; & reiectâ quoque Bellarmini sententiâ, in sola consecratione cum nostro Tirino acquiescunt; Ubi primò valdè mirum est Sacrificium hic fingi à Pontificijs tam pertinaciter, & tamen nesciri in quo propriè consistat; & sic definiri apud eos Sacrificium per oblationem, ut tamen in nullâ oblatione sacrificium hoc collocetur: Tantæ molis erat transsubstantiationem inculcare, ut illius solius gratiâ debuerit hic fingi aliquod Sacrificium; cum aliàs, fatente Bellarmino *lib. 1. de Missâ cap. 25. Eucharistia potuisset verè & propriè Sacramentum esse, etiamsi corpus Christi ve ipsâ non contineret*: in quo tamen hoc sacrificium situm sit, nondum magistri nostri decidere potuerunt. Ad hæc illa ipsa consecratio in qua moderni Jesuitæ acquiescunt, non potest essentialem rationem sacrificij constituere, quoniam ad summum adducit ibi hostiam offerendam, nempe corpus & sanguinem Christi; sed hostiæ adductio non est formalis ratio sacrificij. Deinde cum sacrificium per oblationem quæ fit Deo definiatur, essentialis ipsius ratio debet in speciali aliqua oblatione ejusque ritu consistere; sed consecratio nec oblatio est nec ritus oblatorius. Præterea si consecratio essentialiter perficiat sacrificium, oportebit id offerri Deo quod consecratur; sed panis & vinum consecrantur non corpus Christi. Tum sola symbola, per consecrationem destruuntur ex hypothesi Pontificorum & immutantur; ergo sola quoque illa per consecrationem sacrificantur. Quid quod non potest formalis ratio sacrificij esse simul & consecratio & quæ per illam fit reproductio corporis & sanguinis Christi? Et sanè hic ita constringuntur Jesuitæ ut licet reijciant sententiam Casalij de duplici sacrificio in Missâ, tamen cogantur duplicem hic nobis procurere hostiam; unam minus principalem nempe panem & vinum quæ consecrantur & per consecrationem destruuntur; alteram principalem

B b b b b

nempe

nempe corpus & sanguinem Christi, quæ sub illorum speciebus per consecrationem reproducentur, sic tamen ut illa sit hujus sacrificij terminus à quo & hæc terminus ad quem: quæ omnia fuscè extant apud Coninck V. S. Sed perabsurdè, cum nulla hostia in quolibet sacrificio habeat nec habere possit termini rationem, sed tantum materiæ quæ offertur. Sed præsertim cum id quod pertinet ad formam Sacramenti eamque constituit, nequeat essentialem illius sacrificij rationem constituere, quoniam, ut etiam asserit Becanus *cap. 25. de Sacr. q. 8. §. 2. & 3. essentia Sacrificij. Missa distincta est ab essentia Sacramenti Eucharistia & hæc prius tempore perficitur quam illa*, impossibile est consecrationem eandem, quæ dat esse Sacramento & illud conficit etiam prius tempore quam sit Sacrificium, ipsum quoque Sacrificium simul perficere. Aliàs illa eadem inter se debent esse quorum eadem est essentia: sed Sacrificij & Sacramenti eadem est essentia, nempe consecratio panis & vini; Ergo Sacrificium & Sacramentum idem sunt inter se. Et nequid desit ad cumulum absurditatum in mimico hoc sacrificio, volunt eandem consecrationem, quæ per concomitantiam totum Christum & vivum & integrum adducit sub utramque speciem in Sacramento, in Sacrificio tamen corpus & sanguinem sub specie panis & vini, quantum est ex vi verborum separatim ponere, illud quasi occisum, hunc quasi effusum, ut statuit Coninck *q. 83. art. 1. dubio 5. §. 96.*

Reproducitur corpus) Nec potest illa reproductio per consecrationem admitti, ut ex superioribus liquet; Et si concederetur, non tamen esset admittendum eam fieri in honorem Dei, sed proximè & immediate in usum hominum, quo vesci possint in Eucharistia carne & sanguine Christi: Verum sufficienter in præcedenti Controversia hoc dogma refutavimus, quo everso Missa debet missa fieri: Noster Tiranus *ad 1. Cor. xi, 32.* quam potuit nervosè & industriè collegit omnia argumenta quibus putat illam adductionem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia posse comprobari; Sed ea facillimè dissulantur: Et quoniam interrogativè illa proposuit, ad singula ejus quæ sita hic respondere non erit alienum. *Quid queso, inquit ille, traditum pro nobis in cruce? nonne verum corpus Christi?* Resp. Ita est; & veri illius corporis

Corporis Christi panis quem frangimus & manducamus est symbolum & sacramentum. *Quomodo teneor discernere hęc corpus Christi à vulgari pane, si hęc non adest verum corpus Christi, sed tantum panis vulgaris?* Resp. Teneris discernere panem eum qui non est vulgaris panis, sed sacramentaliter & significativè corpus Christi, quo etiam nomine idè appellatur, à pane ordinario & vulgari; Etenim in Sacramentis & signis sacris eorum non debet natura attendi, sed usus & significatio.

Quomodo reus ero corporis Christi indignè sumpti, si non corpus sed solam figuram corporis indignè sumam? Resp. Corpus Christi ut est res Sacramenti nunquam indignè sumitur, sed tantum rei illius sacramentum: Sacramentum verò corporis Christi indignè habitum vergit in ipsiusmet contumeliam, ut sanguinem fœderis conculcat & profanum ducit, qui nullum discrimen agnoscit inter aquam baptismalem & vulgarem.

Quid opus tanta probatione ut frustulum vulgaris panis sumam vel haustum vini? Resp. Ille panis non est vulgaris, sed sacramentalis, quare non temerandus vel profanè habendus est: Etiam scrutatione & probatione præviã opus est Catechumenis grandioribus ut aqua in baptismo aspergantur, etsi illa non mutetur substantiã sed usu & significatione.

Quare denique iudicium mihi manduco mortis vel morte punior ob sumptum indignè hunc panem vel vinum potius quam ob sumptum indignè panem vel vinum mensa mea, qua & ipsa possum sumere in commemorationem mortis Christi? Resp. Eo jure quo plectendus esses potius ob indignè habitam aquam Baptisterij, quã fuisti resperfus in nomine Sanctæ Trinitatis, quam ob indignè habitam aquam ordinariam cisternæ tuæ. Nec potes mensæ tuæ panem & vinum sumere in commemorationem mortis Christi, cum mensa tua ordinaria non sit mensa sacra & Domini; & cibi qui mensæ tuæ inferuntur, ad usum temporalem & corporeum ordinentur, non mysticum & Sacramentalem: Nihil quoque frequentius etiam inter homines quam imaginibus & figuris factas injurias in eos recidere quorum figuræ sunt & imagines. Neque dicat Tirinus *id nullo modo sufficere, ut patet ex indignè sumptis olim victimis legalibus quæ longè clariores erant figura & imagines Christi*; Nam præterea quod victimæ legales longè obscuriùs significabant Christum quam Sacramentum Eucharistiæ, tamen dubium non est quin ad

ipſius Chriſti per illas ſignificati contumeliam vergeret earū profanatio vel contemptus: prout & qui in Manna Chriſtum non intellexerunt nec manducarunt, etiam ipſū in deſerto tentaffe dicuntur. Nec indè quoq; inferat Tirinus, *pari modo Calvinū ejuſque ſequaces Iconoclaſtas, reos eſſe violati corporis Chriſti, quoties alias Chriſti imagines violant, temerant, contemnunt:* Nam 1. Ipi etiam Pontificij nos læſæ Majeſtatis divinæ reos clamitant ob Sanctorum vel Chriſti ligneas & lapideas imagines diſjectas aut neglectas: ergo hoc crimen multò magis committitur in antitypa Sacramentalia corporis & Sanguinis Chriſti. 2. Alia eſt ratio imaginum quę Chriſto & Sanctis eriguntur præter & contra Dei verbum, & Sacramentorum quæ ipſe Chriſtus inſtituit & nobis commendavit; æquè enim pertinet ad Chriſti cultum & honorem ut illæ diſturbentur & hæc reverenter habeantur. Dicam amplius; eum non fore magis reum violati Chriſti, quam Ezechiam regem cum ſerpentem æneum confregit quod illi honores religioſos ac divinos populus deferret, qui panem Eucharifticum, quando ut in Papatu mutatur in Idolum & eo reſpectu temeraret & negligeret; Secus tamen Judæum vel Ethnicum qui id faceret non ex ſtudio pietatis in Chriſtum, ſed ex contumelia in ipſum. Verum id obiter, ne aliquid videar prætermiſiſſe eorum quibus ſuæ cauſæ Miſſaticę Tirinus patrocinari voluit.

Licet enim conſecratio) Nimirum cum alij duplicem faciant in Miſſâ oblationem, unam quæ præcedit conſecrationem, alteram quæ conſecrationem ſequitur, hic tertiam voluit excogitare in ipſamet conſecratione; ſed avibus parum fauſtis, cum conſecratio ſit effectiva Sacramenti, non oblationis aut ſacrificij conſtitutiva: Abſurdè vero hanc oblationem in conſecratione arceſſit ab intentione offerentis; tum quia ſacri ritus non pendent ex hominum adminiſtrantium intentione, ſed ex Dei inſtitutione & promiſſis; tum quia id repugnat ſententiæ aliorum Jeſuitarum, qui aſſerunt *rationem Sacrificij ex inſtitutione Chriſti ita conjunctam eſſe cum conſecratione, ut hac ſub utraque ſpecie nulla ratione ſine illo fieri poſſit, quantumvis quis intenderet non ſacrificare ſed tantum conſecrare:* ita diſertè Coninck V. S. §. 92. Impia quoque & aliena eſt comparatio quam hic inſtituit Tirinus cum ſacrificio crucis; Impia, dum negat crucis ſacrificium ullam præ ſe tuliſſe formam oblationis, cum

è con-

è contrario omnia ibi concurrant quæ ad verum sacrificium requiruntur, quatenus Christus innocentissima & purissima victima vincitur, denudatur, coronatur, sursum in crucem attollitur, & inter sævissimos cruciatus moritur: Aliena, quoniam sacrificium crucis non in nescio quâ consecratione mimica per occulti cujusdam carminis demurmurationem situm fuit, ut imaginarium sacrificium Missaticum, sed in reali & externa ac sensibili ipsiusmet Christi inactatione & morte, quam ultrò pro redemptione nostrâ subire debuit.

Num: 7. Ad essentiam SACRIFICII nostri Eucharistici non sufficit consecratio sub unica specie, sed jure divino requiritur consecratio SUB VTRAQUE; Et si enim Luc: xxii, 19. *Hoc facite, &c.* referatur quâsi dictum à Christo ante vini consecrationem, ex alijs tamen Evangelistis constat ad utramque referendum: Marc: xiv, 23. *Biberunt ex eo omnes.* Et S. Paulus 1. Cor: xi, 25, narrat, *hoc facite, &c.* dictum tam post vini quam post panis consecrationem. Ratio est voluntas Christi, cui placuit eâ ratione sacrificium suum instituere ut perfectum convivium repræsentaret, in quo non minus reperitur potus quam cibus. Es. xxv, 6. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc Sion convivium pinguium; convivium vindemie, pinguium medullatorum, vindemie defecate.* Vide Lev: 1, 2.

CENSURA. *Ad essentiam sacrificij*) Ipsimet Scholastici tradunt validè consecrari in una tantum specie, licet non sine peccato, ut videre est apud Puteanum in 3. *Thomæ q. 74. dubit. 2.* Quin ulterius progrediuntur *ibidem*, fieri videlicet posse ut *sacerdos unam sine altera speciem consecret inculpate, puta quoties nequit alteram speciem consecrare ex impotentia physica vel morali:* Unde obiter patet quam perperam aliquando Pontificij abstemiorum nonnullorum proferant exemplum, ut communionem sub unica specie tueantur: Nam ut de jure divino tenentur omnes Sacerdotes utramque speciem consecrare, sed tamen inculpate sistunt in una cum ex impotentia vel morali vel physica non possunt alteram consecrare, sic de jure divino omnes tenentur ad utramque speciem sumendam in Sacramento, sed tamen abstemij propter impedimentum physicum inculpate abstinere à calice. Jam autem si & validè & quandoque inculpate procedit consecratio alterutrius tantum speciei, procedet quoque ex præcedenti doctrina Tirini in alterutra specie ratio essentialis Sacrificij. Sed admittimus tamen hic ip-

fius dogmâ, non sufficere consecrationem sub una specie, sed *jare divino* utramque requiri; nam hinc colligimus 1. Sacramentum in alterutrâ tantum specie non permanere nec existere, uti perperam Tirinus docebat *inpraced. Controversia, n. 12.* Nam cum Sacramentum in suo esse per consecrationem constituatur longè certius quam Sacrificium, & consecratio necessariò debeat esse utriusque speciei, ergo etiam utriusque speciei debet esse Sacramentum; 2. Non posse probari communionem sub una specie ex locis quæ citantur *ibidem* Luc: xxiv, 3. Act: 11, 42. quin statuatur Christus & Apostoli contra juris divini regulam in una specie consecrassè.

Et si enim Luc: xxii, 19.) Cum itaque *rd Hoc facite* non minus spectet calicem quam panem, & hoc facere debeant communicantes hodie quod etiam fecerunt Apostoli qui omnes ex calice biberunt Marc: xiv, 23. non sunt hodierni communicantes privandi calice benedictionis.

Ratio est voluntas Christi) Voluit Christus ea ratione instituere non Sacrificium Missaticum, sed Sacramentum Eucharisticum, ut *perfectum convivium representaret*, unde & Coena Domini dicitur Paulo I. Cor: xi, 20. *in quo non minus reperitur potus quam cibus*: Convivis itaque Christi, ad ipsius mensam invitatis Pontificij imperfectum ac mutilum exhibent convivium, dum illis invident & auferunt sacrum poculum. Et locus hic Tirino citatus Esajæ xxv, 6. non potest adaptari ulla ratione Sacrificio Missatico, prout præsertim absque communicantibus solet celebrari; cum in suo formali Sacrificij non sonet epulum quod Deus hominibus instruat, sed potius convivium quod homines parent Deo; verum magis ille locus esset applicandus Eucharistiæ in suo formali Sacramenti, quatenus ibi Deus nos lauto & opiparo omnino excipit convivio, in quo deliciarum cœlestium gustum aliquem haurimus in his terris, ut cum Tirino ipso loquar *ad eum locum*, quæ ratio movit nonnullos sibi citatos ut Esajam de Eucharistiæ Sacramento iuterpretarentur. Nec favet causæ Tirini quod ipse annotat ad Lev: 1, 2. *Sacrificia quandam analogiam habuisse cum convivio, nam in iis Deo quasi convivium apparabatur quod vice Dei ignis à Deo immixtus devorabat.* Nam inde liquet Sacrificia fuisse convivia quæ parabantur Deo ab

Deo ab hominibus, quare quo solemnius erat sacrificium, eo minus ex illo restabat pro offerentibus, ut videre est in holocaustis; at Cœna est epulum quod hominibus paratur à Deo; quare ex eo quod epuli habet rationem, non potest colligi eam sacrificijs debere annumerari, quandoquidem est convivium alterius ordinis & generis, quam sacrificia legalia: omne quidem cæremoniale Sacrificium habet rationem aliquam convivij, sed omne quod habet rationem convivij sacri, ut Cœna, non est Sacrificium. Altare est mensa Domini quæ illi apponitur Mal: 1, 7. Ezech: xl, 22; sed alia est ratio mensæ quam ipse nobis apponit in hoc Sacramento.

Num: 8. Est porrò hoc MISSÆ SACRIFICIUM non modò Eucharisticum gratiarum actionis, & LATREUTICUM ad cultum & honorem Dei, (ut facile concedent hæretici,) sed est etiam verè PROPITIATORIUM & IMPETRATORIUM. Quia Christus apud Evangelistas dicit corpus suum in Eucharistiâ dari & frangi, & calicem sanguinis sui Eucharisticum effundi, id est, offerri (nam liquida sui effusione offerebantur, sicut solida fractione,) in remissionem peccatorum, non pro præsentibus tantum, sed & pro multis alijs absentibus, Matth: xxv, 28. Et verò decebat Sacrificium novæ legis non minoris esse efficaciz quàm sacrificia veteris legis, quæ propitiatoria & impetratoria fuisse constat ex Lev: 1, 2. Iob: 1, 5. & e. ult. vers. 8. rursus 2. Reg: ult. vers. 8. 1. Esdræ vi, 10. & 2. Mach: 111, 32. Et Christiani non minus egent remissione peccatorum & alijs beneficijs divinis, quàm Iudæi. Denique omnis oratio est impetratoria, &c. Contr: xvi 1, n. 2. quantò magis Sacrificium, quod est nobilissima oratio? Ioh: 14, 20.

Objectiones solvi Heb: x, 18. & 26. *Iam non relinquitur pro peccatis hostia.* Et vers: 14. *Christus unâ oblatione consummavit in æternum sanctificatos.*

CENSURA. Est porro hoc Missæ Sacrificium) De verbis & nominibus contendere ubi de re constiterit est hominum iniquiorum: Nostri igitur ultro concedunt Eucharistiam posse dici Sacrificium, 1. Ut hoc nomen quamlibet Sacram actionem denotat; 2. Quatenus est pars haud contemnenda λογικῆς illius nostræ λατρείας, ad quam tenemur sub Novo Testamento; 3. Quatenus est convivium sacrum in quo pascimur ex oblati in cruce pro redemptione nostrâ: Hoc enim differt Novum fœdus à Veteri, quod cum sub Veteri fœ-
dere

dere nemini liceret veſci ex victimis quas obtuliſſet pro ſuis peccatis, in Novo admittimur etiam in menſa Domini ad communionem immaculatæ illius hoſtiæ quæ in cruce maſtatata & immolata fuit pro noſtris. 4. Quatenus olim Euchariftia celebrabatur ex ijs quæ fideles eum in uſum ultrò obtulerant. 5. Quatenus in ea fit cum gratiarum aſtione ad Deum, unde etiam *Euchariftia* dicitur, jugis commemoratio & repræſentatio mortis Chriſti & Sacrificij illius unici quod in cruce ſemel obtulit pro nobis: ut eo ſenſu ſacrificium Latreuticum, Eucharifticum, Commemorative, Repræſentative per nos dici poſſit; prout Patres non rarò Sacrificiū dixerunt Euchariftiam, ut ſe accommodarent ingenijs Ethnicorum, qui clamitabant Sacrificijs carere religionem Chriſtianam. Nec enim admittimus rigidum iudicium illius qui ſub nomine Irenæi Philadelphi, viri aliàs nec mali nec indocti, ſcripſit *de Episcopatu Anglic. contra Iosephum Hall*, dum libelli ſui pag. 19. pertendit *Euchariftiam ne quidem proprie dici commemorationem Chriſti immolati pro peccatis noſtris; tantum abeſt ut ſit Sacrificium aut reale aut commemorative*; En quo bonum virum impulit Zelus puritatis contra altarium in Anglia erectionem quibus Archiepiſcopus Cantuarienſis putabatur viam parare ad Papatum poſtliminiò revocandum. Aliàs cum in memoriam Chriſti crucifixi pro nobis & quo annuntiemus ipſius mortem donec veniat, communicemus Menſæ Dominicæ, non video cur Euchariftia negetur eſſe commemoratio Chriſti pro nobis immolati, quæ in omnibus ſuis partibus nos eò evidenter deducit. Quare nec funem contentionis cum quoquam ducendum putarem qui Euchariftiam Sacrificium diceret ut Eucharifticū, ſic Commemorative & repræſentative mortis Chriſti: Nec aliud Sacrificium hic vidit ipſe Lombardus *ſentent. lib. 4. diſt. 12. litt. G* Ibi enim ad quæſtionem num *quod gerit Sacerdos proprie dicatur Sacrificium vel immolatio, & num Chriſtus quotidie immoletur, vel ſemel tantum immolatus ſit*, reſpondet in hæc verba; *Ad hoc breviter dici poteſt, illud quod offertur & conſecratur à Sacerdote vocari Sacrificium & oblationem, quia memoria eſt & repræſentatio veri ſacrificij & ſanctæ immolationis factæ in ara crucis; & ſemel Chriſtus mortuus in cruce eſt, ibique immolatus eſt in ſemet ipſo, quotidie autem immolatur in Sacramento, quia in ſacramento recordatio ſit illius quod factum eſt ſemel.*

semel. Sed cum longius procedunt Pontificij & volunt Eucharistiam esse sacrificium *proprie* dictum, illudque & propitiatorium & imperatorium, tum sanè aberrant toto cœlo; Nam præter eas rationes quibus hætenus imaginarium hoc sacrificium in genere evertimus, vel inde liquet non posse Missam sacrificium censi propitiatorium, eo quod ex crucis sacrificio omnis nostra pendeat & propitiatio & reconciliatio & redemptio; ipso Cardinali Perronio interdum inter Sacrificium *Redemptionis* quod solum est crucis, & sacrificium *Religionis*, quale vult esse Missam, distinguente. Ac præsertim ea adhuc nos inovert ratio quâ olim Mosæ Trajecti, non juvimus modò sed asseruimus veritatis causam, quam susceperat impar congressus Achillis, contra Franciscanorù Lovaniensium Vicarium, virum genere nobilem nec indoctum nec immodestum, Philippus Ludovicus, Zelotes quidem ille & pius, sed ad hæc polemica exercitia minus factus, nempe Sacrificium Missaticum eo quod incruentum statuatur, non posse censi propitiatorium pro peccatis, Paulo disertè statuente Heb:ix,22. sine sanguinis effusione peccatorù remissionem non fieri: Quæ tunc & postea huic argumento à nostris Antagonistis reposita fuere, prostant cum eorum refutatione in nostra *Monachomachia* olim edita Mosæ Trajecti, pag. 280. & seqq. Illius argumenti vim confirmat Tirinus noster *ad eum locum*, cum ait, *Si quis enim peccasset, cogebatur victimam immolare & per hanc accipiebat remissionem* &c. Thomas magis disertè *lect. 4. in cap. 9. ep. ad Heb. Ad mundationem à macula peccati necessaria est sanguinis effusio, qua requirebatur ad Sacrificium, & ided dicit quod sine sanguinis effusione non fit peccatorum remissio, per quod figurabatur quod remissio peccati erat fienda per sanguinem Christi.* Quare perperam Bellarminus *lib. 1. de Missa cap. 25.* & ex eo Becanus *Man. Cont. lib. 1. c. 10. §. 47.* id restrictum volunt ad Sacrificia Judaica. Eò facit quod Levit: xvii, 11. hæc redditur ratio, vel Tirino ibi teste, cur sanguine abstinendum, *quod sanguis Deo speciatim dicatus sit, & divina lege sancitur ut is in remissionem peccatorum humanorum fundatur:* Hinc Galatinus *lib. 8. de Arc. verit. cath. cap. 20.* probaturus ex Rabbiorum doctrina, *nec peccatorum veniam, nec satisfactionem, nec per consequens animarum salvationem, nisi per sanguinis effusionem*

C c c c c

sionem

tionem fieri debuisse, adfert librum *ויקרא* ubi (inquit) sic ad verbum legitur, non est venia vel peccati remissio, nisi per sanguinem, sicut scriptum est Levit: 17. *כי הרים הוא כנסת יכפר*. Nam sanguis ipse pro anima satisfacet vel parcere faciet. Clar. Maccovius quasi cornicum oculos confixurus, duas proferebat *ἱεράσματα* contra illam regulam generalem Apostoli, quæ Sacrificium incruentum propitiatorium esse non sinit; unam ex Levit: 7, 11. ubi pauper qui ne quidem par turturum poterat assequi offerendum pro peccato suo, tenebatur offerre saltem decimam partem Ephæ farinæ; alteram ex Num: xxxi, 50. ubi monilia aurea dicuntur offerre Israëlitarum Tribuni ad faciendam expiationem pro animabus suis. Sed neutra *ἱεράσματα* quicquam efficere potest. Ad primam nobis objectam à Franciscanis in Disputatione Trajectensi, jam olim respondimus, ibi cum paupere dispensatum fuisse à lege universali, in casu extremæ necessitatis quæ legem non habet. Expiabatur ergò ad illam oblationem peccatum pauperis, non quod esset sacrificium propitiatorium exactum ad normam legis, sed quod esset solennis protestatio & boni sui propositi & extremæ suæ indigentæ; Si desint vires, attamen est laudanda voluntas: Unde Carthusianus ad Heb: 1x. *Non fit remissio*, inquit, *id est, non fiebat expiatio culpa nisi necessitas impediret oblationem: Tunc enim sufficiebat bonam propositum.* Ad secundam, facilè ex textu apparet illam monilium oblationem non tam propitiatoriam fuisse quam eucharisticam, & ab istis factam in expiationem animarum suarum potius agnoscendam, quod Deus ipsos servasset in prælio, quam consequendam: nisi malis eos non spectasse expiationem animarum suarum in peccatis, ut Junius suspicatur, jam commissis, sed tantùm animarum suarum salutem, juxta Deodatum, in præcavendo vel ingratitude vel interdicti peccato, quo se postea implicuit Achan Jos: vii, 1. Uno verbo cum Scriptura nullum alium nobis *ἱλασµον* proponat quam in sanguine Christi & unico illo sacrificio cruento quod is pro nobis obtulit, frustra illi sunt qui aliud Sacrificium *expiatorium* & remissionis peccatorum ac salutis *impetratorium*, comminiscuntur. Sed audiamus quibus ratiunculis hoc portentum propugnet Tirinus.

Quia Christus apud Evangelistas) Non dicit Christus apud Evangelistas

stas corpus suum in Eucharistia dari & frangi; sed panem qui datur in Eucharistia esse Sacramentum corporis sui, quod datum & fractum est pro nobis: non dicit in Eucharistiâ sanguinem suum effundi vel offerri, (etenim sanguis non aliter offerri in sacrificium potest quam effusione) sed calicem sive vinum calicis esse Sacramentum novi illius foederis quod sancivit in sanguine suo illicò post effundendo in remissionem peccatorum pro multis. Id agnovit V. V. quæ Matth: xxvi, 28. non habet in præsentî *effunditur*, sed in futuro *effundetur*, & I. Cor: xi, 24. de corpore similiter, Hoc est corpus meum quod pro vobis *tradetur*. Nec corpus Christi pro nobis *datur* in Cœna sed nobis; pro nobis vero in cruce datum est. Quin non alio modo Sacrificium erit Eucharistia, quam quo modo in illa corpus Christi *frangitur* & sanguis ipsius *effunditur*; atqui non fit in Eucharistia realis *fractio* corporis Christi vel sanguinis sui *effusio*, sed tantum commemorativa & repræsentativa. At, inquit Tirinus, *ad I. Cor: xi, 25.* ex eo quod fit Eucharistia *commemoratio sacrificij crucis*, non sequitur eam non esse *sacrificium*, quia *potest unum idemque simul esse Sacrificium & commemoratio sacrificij*, ut patet in *Sacrificijs veteris legis V. G. in agno Paschali, agno matutino & vespertino qui quotidie immolabatur, & tot alijs cruentis victimis quæ erant sacrificia propriè dicta & tamen repræsentabant sacrificium crucis Christi olim offerendum*; unde vult colligi parem esse rationem Eucharistiæ. Sed I. falsò statuit sacrificia legalia fuisse commemorativa sacrificij crucis: nam commemoratio est propriè rerum præteritarum non adhuc futurarum, prout tunc adhuc futurum erat Sacrificium crucis. II. Agnoscimus quidem Sacrificia legalia verè sacrificia sed tamen typica fuisse, quorum natura ideo in repræsentando & significando Sacrificio crucis consistebat; Licet autem omnia Sacrificia legalia fuerint repræsentativa sacrificij crucis, non tamen sequitur id omne sacrificium esse verè & propriè dictum, quod morti Christi significandæ, repræsentandæ & commemorandæ inservit: aliàs non minus Baptismus quam Eucharistia foret sacrificijs annumerandus. III. Si valeat hæc ratio Tiriniana, utique Eucharistia quæ in significando, repræsentando & commemorando sacrificio crucis occupatur, non debet alterius esse generis quam Sacrificia Le-

vitica, quæ umbram duntaxat habuerunt bonorum futurorum non vivam rerum ipsarum imaginem Heb: x, 1. Jam autem in typico & repræsentativo sacrificio, rem ipsam quæ repræsentatur & significatur revera præsentem esse & actu offerri, qui somniabit, is ad Anticyras erit relegandus.

Et verò decebat sacrificium) Ominosa debet esse Jesuitis hæc comparatio. Si enim non majoris fuerit efficaciz Missæ Sacrificium ad propitiationem & impetrationem quam Sacrificia legalia, primò non hos effectus producet ex opere operato, ut infra pertendit, sed tantum, ut sacrificia legalia suos producebant effectus, ex opere operantis; Tum ut sacrificia legalia conscientiz sordes non poterant eluere Heb: ix, 9. nec quicquam ad id poterit non majoris efficaciz sacrificium Missaticum; Deinde potest illa comparatio procedere à sacrificijs legalibus quæ suo sensu & propitiatoria erant & impetratoria (quod ultro concedimus ex locis hic Tirino citatis) ad sacrificium crucis quod unicum est Sacrificium novæ legis, cui adumbrando & præsignificando alia sub V. T. ordinata fuerant, non vero ad Eucharistiam quæ cum Sacrificium propriè dictum novæ legis non sit, eo ipso nec impetratoria nec propitiatoria est.

Et Christiani non minus egent) At remissionem peccatorum suorum habent plenissimè & sufficientissimè in Sacrificio crucis Eph: 1, 7. 1. Joh: 1, 7. Heb: 1, 3. Et reconciliati Deo per Christum, omnia beneficia sibi necessaria ejus merito & intercessione consequuntur, juxta Pauli ratiocinationem Rom: viii, 32. Ut alia sacrificia meritorie impetratoria vel propitiatoria sibi adhuc fingere vel querere, sit hominum panem paternæ fastidientium, ut siliquas & glandes sectentur. Quod si Judæorum hic valet exemplum cur non ergo cœcuenta ut illi eaque varij generis Sacrificia habebimus?

Denique omnis oratio) Quomodo oratio sic impetratoria monuimus Cont: xvii. n. 2. Frustra instituitur à Tirino hæc collatio inter orationem & Sacrificium. Nam omnis oratio quæ fit ex fide est suo sensu impetratoria; omne vero sacrificium non est propitiatorium, cum dentur etiam apud Adversarios sacrificia latreutica, propitiatoria, eucharistica, ab impetratorijs distincta. Deinde sacrificium esse

esse nobilissimam orationem dici nequit ; nam Job: IV, 20. adoratio non magis dicitur propter sacrificia ibi oblata quam propter orationem & preces quas una cum sacrificijs pij fundebant ad Dominum. Et quæ sacrificia erant impetratoria sub veteri lege, typi erant speciales tum meritorum & intercessionis Christi ab una parte, quibus nobis impetrantur omnia necessaria ad salutem, tum ab altera precum sacrarum in fide ad Deum fusarum, quibus se nihil denegaturum in suo verbo pollicitus est. Sacrificia vetera nihil impetrabant absque adjunctis precibus ; sed preces piæ & sanctæ multa impetrabant extra sacrificia & absque illis. Et cum res significata sit suis typis semper nobilior, sanctæ preces debent esse sacrificijs longè nobiliores, utpote quas per sacrificia adumbrare & significare Deus voluerit ; Nunc perfectissima se habere sacrificia veteres gloriabantur, quod sanctas & pias preces ad Deum funderent. Nec videt Jesuita quam obsit suæ causæ, ejusmodi collatione Sacrificij cujuslibet etiam Missatici cum precibus ; Nam ut hæc nihil operantur nihilque impetrant nisi juxta fidem & devotionem precantium, quæ si desint inanibus quidem verbis pulsatur aër sed nullis precibus auris Dei, ita nihil operari poterit Missæ sacrificium nisi in fide & devotione offerentis, contra quam habet ipse Tirinus N. sequenti.

Objectiones solvi) Quam feliciter expendamus : Tale nostrum est argumentum ; Si post nobis impetratam morte Christi remissionem peccatorum nulla amplius superest hostia pro peccato, tum nullum restat sacrificium propitiatorium post mortem Christi pro peccatis offerendum : Verum prius ex Paulo, maxime com. 18. Ergo & posterius. Tirinus nihil movet huc spectans ad com. 26. cum tamen & suum illi insit pondus : Si enim Missa esset Sacrificium propitiatorium, etiam pro ejusmodi peccatoribus, quales Paulo describuntur, posset cantari, atque ijs hostia pro peccatis adhuc post Apostasiam relinqueretur. Dicit Jesuita, quod talibus nec legis sacrificia (utpote infirma & jam abolita) unquam prodesse poterunt ; At dicat si potest, quæ fiat quod talibus sacrificium Missæ, si sit propitiatorium ex opere operato, prodesse nequeat ? Ad comma au-

tem 18. sic loquitur Tirinus ; Vbi autem plena peccatorum est remissio seu oblatio facta, jam non est necessaria alia oblatio pro peccatis, qua novum rursus pretium illis remittendis comparatur ; sed solum necessaria est applicatio pretij semel per mortem Christi comparati : Ita passim Patres & Doctores Orthodoxi, imò Calvinus & Beza. Sed inferunt ; Ergò frustra est Missa ; addit Lutherus Missam esse ideo magnam abominationem & se hoc à Diabolo didicisse. Resp. negari consequentiam diabolicam, quia Missa non offert novum pretium quod unicum hinc negat Paulus, sed tantum applicat pretium quod morte Christi semel comparatum est, ut etiam faciunt omnia bona opera, & ex Lutheri Calvini caterorumque hereticorum confessione, etiam fides & Sacramenta. Sed ad hæc facilè est respondere ; I. Quæ hic de Luthero à Jesuitis dicuntur ceu uso præceptore diabolo ad Missam evertendam, ejusdem sunt furturis dum ijs quæ Lutherani à Pontificijs hanc artem edocti dicunt de Zwinglio, quod à diabolo didicerit verbis Christi, Hoc est corpus meum, tropum inesse : Illa de Luthero calumnia refutatur solidè à Clarissimo Brochmanno in *Lychno prophet. par. 3. cap. 8. sect. 7.* II. Multum obest Jesuita suæ causæ, dum nihil amplius hinc tribuit suæ Missæ circa applicationem redemptionis impetratæ per Christum, quam reliquis bonis operibus, fidei & Sacramentis : Nam si per hæc applicatur pretium redemptionis citra ullam Sacrificij rationem, non debet Missa ideo esse sacrificium ut illud idem pretium applicet fidelibus. III. Nec suis consentit Tirinus hac in parte : Nam Cornelius à Lapide *ad c. x. Heb. 9. 245.* negat eodem modo se habere sacrificium Missæ in applicatione hujus precij ac fidem & Sacramenta : his enim nobis applicari meritum crucis quoad justificationem, sed Missam quoad propitiationem ; licet valdè ineptè sic loquatur ; Nemini enim meritum crucis applicatur quoad justificationem & remissionem peccatorum nisi quatenus in cruce facta est peccatorum nostrorum propitiatio apud Deum ; Nemini viceversâ applicatur quoad propitiationem, nisi quatenus exinde justificationem consequitur. IV. Bonis operibus nobis applicari pretium redemptionis nostræ gratis dicitur ; cum illa non præcedant justificandum sed justificatum sequantur. V. Ut agnoscimus pretium oblatum in cruce nobis esse applicandum, sic negamus ad id

ad id opus esse novâ pretij oblatione sive novo Sacrificio : aliàs deberet hic dari progressus in infinitum. VI. Vel offertur de novo pretium redemptionis in Missa, vel non : Si posterius, non est Sacrificium propitiatorium ; nam in omni Sacrificio propitiatorio intervenit pretium applicandum peccatori ; Si prius, nulla est Tirini solutio quâ negat novum rursus pretium peccatis remittendis in Missâ comparari. Denique hæc distinctio Tiriniana inter oblationem pretij & illius applicationem, ut illa sit facta in cruce hæc fiat in Missa, multis laborat nævis : Nam non distinguit Apostolus, sed absolute negat ullam restare *προσφορὰν πρὸς ἀμαρτίας*, oblationem pro peccato ; Qui autem tollit omnem pro peccato oblationem post crucem, ille tollit Sacrificium Missæ. Adhæc, ubi non est oblatio pretij pro peccatis, ibi non est Sacrificium propitiatorium : sed fatente Tirino ex hac distinctio non est in Missa oblatio pretij pro peccatis. Tum si Missa esset applicatoria pretij semel oblato, saltem illud deberet applicare uti oblatum est ; sed quam parum applicetur per Missam ex illo pretio, patebit ex his quæ extant infra n. x. In com. 14. non minus est virium. Nam unica illa oblatio ea est quæ in cruce fuit peracta : cum illâ antem unicâ Christus consummaverit sive consecraverit in æternum *εἰς τὸ ἀνερχέσθαι* eos qui sanctificantur, nulli alteri ejus generis oblationi locus superesse potest ; nequit enim oblatio Christi esse simul unica & multiplex. Hic autem nihil habet Tirinus quod ad rem faciat, imo nihil quod nodum non astringat pro nobis ; dum ait *tam plenum tam uberem fontem Christum in Sacrificio crucis instituisse, ut omnes omnino homines, si velint, mundari & sanctificari possint, & licet infiniti nascerentur, nullo alio opus haberent, sed ex hoc uno haurire possent quacunque ipsis ad perfectam justificationem & salvationem necessaria sunt.* Ubi tam plenum & perfectum & sufficiens extat Sacrificium, ejus repetitione aut renovatione sub alia facie opus non est. Situlis equidem agnoscimus opus esse nobis quibus ex hoc fonte hauriamus ; nec gravatè concedimus Tirino, has inter, esse *Sacramenta* ; sed ut illis annumeretur, ut sit ab eo, *Sacrificium Eucharisticum*, à Sacramentis contradistinctum, plane improbamus ; cum

nec

nec tale extet Sacrificium in rerum natura ; nec possit unicus & idem numero ritus, duplicis situlæ fungi officio, Sacrificialis nempe & Sacramentalis; nec possint adversarij definire quid ex illo fonte hauriamus per eam situlam uti habet rationem Sacrificij ab eo diversum quod per illam hauritur ut habet rationem Sacramenti, cum ex illo fonte propitiationis nostræ semel & irreiterabiliter factæ nihil hauriri possit præter justificationem & salutem: Theodoretus, ut alios mittam, paucis & nervosè Paulum explicat; *Illic*, scilicet apud Judæos, & *Sacerdotum & hostiarum multitudo*; *nulla vero utilitas*. *Hic autem unus & idem Sacerdos & hostia & peccatorum solutionem efficit & alio non eget sacrificio.*

Nam: 9. Effectum hunc suum producit etiam **EX OPERE OPERATO**, infallibiliter & independenter à dispositione, seu sacrificantis, seu pro quo sacrificatur. Patet ex absolutâ promissione Christi Matth: **XXVI, 28.** *Effundetur in remissionem peccatorum.* Et Christus ipsemet ut in Sacramentis, sic & in Sacrificio est principalis agens, à quo valor & dignitas actionis desumitur, non verò à ministro. Ioh: **XVII, 19.** *Ego me ipsum sanctifico pro eis.*

CENSURA. Effectum hunc suum) Supra N. 6. volebat Tiranus consecrationem habere *perfectam rationem oblationis quatenus subest intentioni offerentis*, at nunc vult Sacrificium Missæ per consecrationem constitutum, suum effectum producere etiam *ex opere operato*, *infallibiliter & independenter à dispositione seu sacrificantis seu pro quo sacrificatur*; ita secum consentit. Opus operatum, quod in Sacramentis N. T. commenti sunt Scholastici, suo loco refutavimus. Quale verò illud sit apertè hic docet Tiranus, ut nullâ amplius fide aut devotione sit opus ad Missæ & Sacramentorum aliorum consequendum effectum, cum illum producant ex opere operato infallibiliter & independenter à dispositione vel ministrantis vel recipientis. Sed 1. Dici nequit amplius de Sacrificio Missæ quam de Sacrificio Messæ & crucis: at hoc suum effectum Redemptionis non produxit independenter à dispositione Christi seipsum sacrificantis, nec efficaciam suam exerit in hominibus serjandis & justificandis independenter ab eorum dispositione & fide, citra quam illius sacrificij fructus nequit ad eos pervenire. II. Cum intentio & ordinatio

natio requirantur in Missificante ad hoc ut fiat consecratio & Sacrificium offeratur, negari non potest Sacrificium hoc dependere à dispositione Sacrificantis, ut in suo esse sic etiam in suo operari: 3. Qualiscunque sit ille effectus juxta hanc doctrinam ad Missarum fructum percipiendum, nullâ fide nullâ devotione aut dispositione præviâ opus erit; quod quam absurdum sit nemo non videt.

Patet ex absoluta) Hæc promissio non pertinet ad Sacrificium Missæ quod incruentum est & peragitur absque ulla sanguinis effusione, sed ad Sacrificium crucis quod paulo post Christus erat oblaturus: Tum si hæc promissio sit absoluta de Eucharistia, absolutè ergo debet remissionem peccatorum nostrorum Sacrificium Missæ operari: Eam autem operabitur vel quomodo ipsummet Sacrificium Crucis, vel modo diverso: Si modo diverso, ad illud non pertinebunt hæc Christi verba de sanguine suo effundendo in remissionem peccatorum; Si eodem, primò ex lege Pauli erit irreiterabile, quia ubi est horum remissio nulla restat amplius oblatio pro peccato Heb. x, 18. Deinde ut Sacrificio Missæ fingitur opus esse ad fructum Sacrificij crucis nobis applicandum, sic novo aliquo opus erit Sacrificio ad nobis applicandum fructum Sacrificij Missæ: ac sicut Crucis Sacrificium nobis per Sacramenta applicatur, sic nova erunt excogitanda Sacramenta quæ Missatici Sacrificij propitiationem nobis applicent.

Et Christus ipsemet) Sacrificium hoc imaginarium Missæ mittamus; nec enim ad illud Christus seipsum sanctificabat Joh. xvii, 19. sed ad Sacrificium crucis, ut Tirinus ipse *ibi* interpretatur his verbis; *Ego pro eis meipsum sanctifico, id est, jam offeram in hostiam sanctam & sanctificantem, seu in sacrificium propitiatorium simul & pacificum, puta per mortem in ara crucis.* Sed quandoquidem valor & dignitas actionis in Sacramentis non à ministro pendet sed à Christo; eorum authore & institutore, cur ergò Pontificij ex ministrorum intentione volunt omnia suspendi in Sacramentis, ut eâ deficiente, nec sint nec operentur illo modo?

Num: 10. Sed proprius & immediatus EFFECTUS Sacrificij, (seu crucis, seu Eucharistici) EX OPERE OPERATO, non est, de facto

D d d d

remittere

Trid. in
proœmio
sess. 7.

remittere culpas peccatorum, justificare, vel augmentum gratiæ sanctificantis conferre: hoc enim proprium est Sacramentis, ut docet Tridentinum: neque decere videtur, ut qui actu proprio & libero deflexit à Deo, liberetur per applicationem remedij planè extrinseci sine ullo actu interno libero. Ezech: XVIII, 30. *Convertimini & agite penitentiam*, &c: Sed effectus illius est,

Primò, CONFERRÈ homini tempore opportuno AUXILIA Dei ACTUALIA, seu gratias præuenientes, Controv. XIV, n. 3. quibus ad peccatorum detestationem excitetur ac disponatur, imò & deducatur si velit: & sic saltem mediaté ad veniam ac remissionem peccatorum confert, Matthæ: XXVI, 28.

Secundò, REMITTERÈ saltem ex parte PŒNAM TEMPORALEM, quæ peccatori, remissis culpis, adhuc perfolvenda restabat in foro Dei, Controv: XXII, n. 8. Si enim vim satisfaciendi tribuamus sacrificiis antiquæ legis, Lev. IV. V. VI. & VII. &c. quo jure negabimus illam longè efficaciori sacrificio novæ legis? Et hi duo sunt effectus primarij & planè infallibiles. Secundarius est, quælibet beneficia, seu spiritualia, seu corporalia, mediaté vel immediaté (sed via impetrationis, Controv: XVII, n. 3.) obtinere à Deo, quatenus & quando ad salutem conducunt.

CENSURA. *Sed proprium & immediatum*) Si Sacrificium Missæ nec aliud nec aliter operatur quam Sacrificium Crucis, illud non potest hujus applicativum censerì; sed alia applicatoria erunt querenda pro utroque instituta, aliæ *fontes*, ut supra hoc simili utebatur Tirinus, excogitandæ quibus ex utroque hoc fonte hauriamus. Nec gravatè concessero Tirino Sacrificium Missæ nihil efficere quod spectet remissionem peccatorum & justificationem nostram, (quæ duo non erant distinguenda, cum ex stylo Scripturæ pro eodem beneficio veniant) nihilquæ prodesse ad gratiam habitualem vel conferendam vel intendendam; nam est simile muliercularum amuletis quæ nulli rei profunt; sed Sacrificium Crucis ut propitiatorium est peccatorum nostrorum & satisfactorium pro illis justitiæ divinæ; ita de facto meretur & impetrat nobis apud Deum remissionem peccatorum nostrorum & gratuitam justificationem, atque communicationem Spiritus Sancti qui fidem ad tantum beneficium amplectendum in cordibus nostris accendat, & nos paulatim penicillo gratiæ suæ sanctificantis reformet ad imaginem Christi. Sacramenta verò illam remissionem

missionem peccatorum in sanguine Christi nobis obsignant, ac in illius beneficij possessione magis magisque mentes nostras confirmant, fiduciamque nostram de illo fovent ac nutriunt, & exinde incendunt dilectionem nostram adversus Christum, & studium pietatis ac sanctificationis sine qua nemo videbit Deum. Verum de Sacramentorum efficaciam & modo operandi diximus *Controv. xviii.* maxime N. 6.

Hoc enim proprium est) Si id proprium est Sacramentis de facto remittere culpas, justificare & augmentum gratiæ sanctificantis conferre, non video quid restet Sacrificio Missæ in nobis efficiendum, etiam uti dicebat Jesuita in *Num. præced. ex opere operato*; quandoquidem aliàs illa beneficia sufficienter ex parte Dei nobis impetravit & meritus est Christus Sacrificio suæ crucis, ut novam propitiatione & impetratione per Missam opus non habeamus. Tum si ad hæc de facto in nobis efficienda, nihil prodest Sacrificium Missæ, ejus ergo vis & efficacia erit minor quam ullius Sacramenti; nec debuisset Tirinus illud tam sæpè conjungere Sacramentis, ceu mediis per quæ Sacrificium crucis nobis applicatur.

Neque decere videtur) Nolim nunc ostendere quo spectet hoc axioma, & quam noxium virus Pelagianum in eo lateat. Isti homines volunt fieri Domini suæ salutis & Apostolo petenti *Quis te discrevit*, habere quod de suis actibus respndent. Sanè qui nobis præcipit instar officij ut ad se convertamur, etiam in nobis per suam gratiam prævenientem efficit ut convertamur & eo modo operatur & velle & perficere; *Converte me Domine & ego convertar*: *Fac quod jubes, & jube quod vis.* Sed non videt Tirinus quantopere veritati & sibi obsit hoc suo axiomate. Nam primò, si in Sacramentorum perceptione requiritur actus internus & liber, quid erit statuendum de baptismo infantium, qui liberantur *per applicationem remedij plane extrinseci sine ullo actu interno libero*, cujus necdum capaces sunt? *Quare* hic aliquam distinctione opus fuisset; Visus quidem est Tirinus eam difficultatem eminus olfecisse, sed datam operam voluit dissimulare. Secundò si actus internus & liber requiritur ad justificationem & remissionem peccatorum, qui possunt ipsamet Sacramenta hæc efficere *ex opere operato*,

D d d d 2

id est,

id est, ut ipse Tirinus N°. *sup.* hoc iniquitatis mysterium explicabat, *infallibiliter & independenter à dispositione* eorum quibus administrantur? Tertio cum actus ille liber & internus ex parte suscipientium ad ultimum requiratur ad efficaciam Sacramentorum, quale quæso supererit discrimen inter Sacramenta & Sacrificium Missaticum, cum & hoc efficaciam suam exerere credatur accedente aliquo actu interno & libero?

Sed effectus illius sunt) Non entis non sunt accidentia. Quare cum Sacrificium Missaticum sit merum figmentum humani cerebri, de illius effectis frustra disputatur. Ex ijs quæ antea proposuit Tirinus, visus est non minoris efficaciz statuere Missam suam quam Crucem Christi, illi applicando Servatoris verba Matt: xxvi, 28. de suo sanguine effundendo in remissionem peccatorum pro multis. At ubi propius accedit omnis illa efficacia abit in fumum & deprehendunt Pontificij se carbones pro thesauris sectatos fuisse: Id per partes videamus.

Primo conferre homini) Sed Tirinus fumum vendit hic & suo illudit Lectori. Nam primo vellem ab ipso sciscitari num Missæ Sacrificium aliquid operetur in infidelibus & extraneis? Si id affirmet, ergo contra quam modo asserbat, applicatur homini peccatori *remedium planè extrinsecum* sine ullo actu suo interno & libero; Si neget, ergo non confert hominibus tempore opportuno auxilia actualia gratiæ prævenientis & disponentis, quæ est hominum adhuc infidelium & extraneorum. Deinde cum Sacrificium Missaticum ex opere operato & infallibiliter ac independenter à dispositione vel sacrificantis vel ejus pro quo offertur, suum producat effectum, ut monebat Tirinus *supra n. 9.* si is sit primus illius effectus quem nunc Tirinus proponit, tunc gratiam prævenientem, excitantem & disponentem infallibiliter & independenter ab hominum dispositione, debet actu & de facto conferre omnibus ijs pro quibus offertur; At quam id sit falsum experientia docet: Alias converterentur omnes infideles pro quibus etiam celebrantur Missæ: Nec urgebo nostrum exemplum; nam cum simus hæretici, ex opinione Pontificiorum, indigni quoque sumus pro quibus Missa celebretur. Et sic si perimus, perimus istorum hominum crudelitate, qui non dignantur vel minimam Missam pro nobis

nobis celebrare quâ illicò infallibiliter & independenter à nostra dispositione conferrentur nobis auxilia gratiæ actualis quorum beneficio has Cyaneas damnationis æternæ enataremus. Imprimis vero lubens petierim à Jesuita, num Sacrificium ipsum crucis hæc *auxilia Dei actualia* conferre valeat, necne? Si prius dixerit, ergo opus non erit Sacrificio Missatico ad illa conferenda: Si posterius; majoris erit efficaciz ipsa Missa quam Christi passio.

Et sic saltem mediâ) Si Missa tantum mediâ confert ad remissionem peccatorum, non erit propitiatoria nisi improprie & secundum quid: Tum, si alio modo eò conferat quam Christi passio, huc non faciet locus Matth: xxvi, 28. Si eodem, alterutrum pro superfluo haberi debet.

Secundo remittere saltem ex parte) Illa distinctio inter remissionem culpæ & pœnæ est per absurda, cum culpæ remissio nihil aliud sit quam indemnitas à pœna & hujus relaxatio. Nec sanior distinctio inter pœnam æternam quæ jam relaxata sit & temporalem, quæ remissis culpis ad huc perfolvenda restet in foro Dei: Nam ut suo loco retulimus *Larga Dei pietas veniam non dimidiabit; Aut nihil aut totum se lachrymante dabit.* Cum Deus condonat remittit & totum peccatum & totum peccati: & si quas in hac vita solet piis inferre pœnas, illæ non ad τιμωρίαν spectant, sed ad ὑποσίαν vel κόλασιν (juxta distinctionem ab ipsis Ethnicis observatam, ut videre est apud Gellium *Noct. Att. lib. 6. cap. 14.*) hoc est emendatoriz sunt & correctoriaz, non judiciales & satisfactoriaz. Sed de his aliàs: Interim cum effusio sanguinis Christi spectet ad remissionem peccatorum plenariam tam culpæ quam pœnæ, tam pœnæ temporalis quam æternæ, nequit esse sanguinis Christi effusio vel oblatio in Sacrificio Missæ, cujus omnis ἐπίρροια ad pœnam temporalem restringitur, imò nec ad eam totam; cum non nisi *ex parte*, eam exhauriat, citra ullam imminutionem laborum per opera *pœnalis* exantlandorum, vel in hac vita vel in purgatorio. Mirum est tanti fieri ab adversarijs imaginarium hoc Sacrificium, cui tamen vix aliquid amplius efficaciz competat quam ipsismet eorum Sacramentalibus, cujusmodi sunt aqua lustralis, grana benedicta, agnus Dei & similia.

Si enim satisfaciendi) Non proprie fuere satisfactoria, sed typicè, quate-

quatenus adumbrabant plenam illam satisfactionem, quæ ex Sacrificio Crucis nobis emerfit; Proceedit ergo Tirini ratio à Sacrificijs legalibus ad Sacrificium crucis, neutiquam ad Sacrificium Missæ, quod satisfactorium dici nequit quin, contra quam supra negabat Tirinus ibi fieri, novum in illo redemptionis pretium offerri censeatur. Cornelius à Lapide *ad Heb: xi, 18. §. 241.* unicæ oblationi tribuit vim satisfactoriam, sola applicatoriâ Missæ vindicatâ.

Et hi duo sunt effectus primarij) Vel potius illud est quod de efficacia hujus sui Sacrificij somniat Tirinus; Hos enim effectus si infallibiliter produceret, uti vult, constaret, I. Auxilia gratiæ excitantis & prævenientis ijs omnibus conferri pro quibus Missæ celebrarentur, independenter ab eorum vel devotione vel dispositione: II. Saltem ex parte remitti pœnam temporalem hominibus Missæ beneficio, etiam independenter ab eorum dispositione, idest sive pœniteat eos suorum peccatorum sive non, sive probi fuerint sive improbi: III. Certam esse & definitam illius pœnæ temporalis portionem, quæ per Missam remittitur, ne peccatores adigi possint ad satisfaciendum iterum pro illa vel in hac vita vel in futura. Supponamus aliquem peccasse; & post confessionem sui peccati, satisfactionem ei à suo Confessario demandari pro pœna temporali: Unde constabit vel Confessario vel pœnitenti, eam partem pœnæ temporalis quæ huic injungitur, nondum exhaustam fuisse per Sacrificium Missæ toties repetitum & celebratum? Quin si unaquæque Missa ex opere operato & infallibiliter, saltem partem aliquam remittit pœnæ temporalis peccato debitæ, sanè plures & numero infinitæ Missæ omnem illam pœnam temporalem à longo tempore exhaurire debuerunt: Ut ad nullam ampliùs satisfactionem pro tali pœna peccatores teneantur. Valdè juvaret certò sciri, quantum per unamquamque Missam imminuatur pœnæ temporalis: tunc enim faciliùs prospiceretur & vivis & mortuis; nec tot Missæ deberent continuari in subsidium unius animulæ quæ jam per unam aut alteram plenè liberata fuerit aut saltem potuerit liberari.

Secundarius est qualibet) Tantundem ad hæc potest Missa, quantum ad præcedentia, id est nihil. Ut nihil aliud quam suaviter insant, qui

Missas

Missas pro equis, porcis, segetibus, litibus, morbis, præliis &c. curant celebrandas: in quibus insuper manifesta est profanatio Sacramenti Eucharistici, aliò planè ex institutione Christi destinati. Tum si hæc secundariò efficit Missa demum *viâ impetrationis*, certiora illa & primaria debet aliâ viâ efficere. At hæc juxta distributionem Tirini *Cont. xvii, N. 3.* non alia poterit esse quam satisfactionis & meriti: Verum saniores ex adversarijs, uti ante visum, negant Missam esse Sacrificium Satisfactorium, cum Satisfactio debita Deo sufficientissimè & plenissimè præstita sit in Sacrificio crucis; Inde etiam nata Cardinali Perronio distinctio, quam bona non disputo, inter Sacrificium *Redemptionis* & Sacrificium *Religionis*, quorum illud in morte Christi oblatum fuerit, hoc in Missa restet offerendum.

Num: II. Tam PRO DEFUNCTIS in Purgatorio, quàm PRO VIVIS offerri & prodesse posse, dicemus *Controv: xxix. n. 4.* Posse & IN HONOREM Sanctorum offerri non Sanctis ipsis (ut calumniantur hæretici) sed DEO (cui SOLI sacrificatur) in gratiarum actionem pro victoriâ aliisque beneficijs, Sancto illi & Ecclesiæ concessis, docebimus *Controv: xxx, n. 7.* An lingua vulgari celebrandum dixi *Contr: II, num. II.*

CENSURA. *Tam pro defunctis*) Et nos locis hic Tirino citatis, favente Deo, docebimus I. Purgatorium esse in Utopia & quaslibet pro mortuis preces esse superstitionas. II. Nec illis profuturas Missas ullâ ratione etsi tormenta purgatorij haberent sustinenda, ac potius has Missas spectare ad placandam *αισχρογαστριαν* Sacrificulorum, quibus quæstui sunt mentes superstitione dementatæ, quàm ad defunctorum manes sublevandos in purgatorio. III. Non posse Missam in honorem alicujus Sancti celebrari, quocumque demum modo id incrustetur à Jesuitis, quin colantur latreutico Sacrificio, & Latriæ cultu, qui ex ipsorummet Pontificiorum sententia soli Deo debetur, afficiantur; dixerit licet Augustinus, Sanctos imitatione honorandos non adorandos religione. An vero sacra in genere sint peregrina lingua peregrinâ, disputavimus *tom. 1. Cont. 11. n. 10.* & iterum aliquid de eo obiter monuimus hoc *tom. Cont. xvii, n. 6.* ut actum agere non sit opus.

NUM: III

Num: 12. APOSTOLOS Missam celebrasse, ut certum est ex præcepto Christi Hoc facite, &c. cui sine dubio paruerunt; ita colligitur ex Act. 11, 42. Erant perseverantes in communicatione fractionis panis. Act. XIII, 2. Ministrantibus illis Domino; Græcè λειτουργούντων, id est, sacrificantibus, ut etiam Erasmus vertit. Act: xx, 7. Vna sabbati cum convenissemus ad frangendum panem. 1 Cor: x, 16. Panis quem frangimus, &c. vers. 21. Non potestis mensse Domini participes esse & mensse dæmoniorum. Heb: XIII, 10. Habemus altare, &c.

CENSURA. *Apostolos Missam celebrasse*) Ita finienda erat hæc Controversia, quo dignum esset patellâ operculum. Agnoscimus Apostolos celebrasse & administrasse Eucharistiam ex Christi mandato, *Hoc facite*, eoque spectare loca hîc Tirino citata ex Act: 11, 42. xx, 7. 1. Cor: x, 16. nec tantum administrasse ipsos sed etiam Ecclesijs Christi celebrationem & administrationem ejus commendasse, ut patet ex 1. Cor: xi, 23. ut sacrum hoc institutum negligi non possit aut penitus omitti citra grande peccatum: Licet enim haud immerito Arnaldus Sorbonista doctissimus disputaverit adversus frequentem illam communionem quam introduxerunt Jesuitæ ut ejus beneficio pulvillos confuant sub axillis hominum peccatorum Ezech; XIII, 18. & vitijs blandiantur, tamen viceversa impingunt illi evidenter in sacrum hoc Christi institutum, qui viris pijs & pacis in Ecclesia studiosis à communione Eucharistica omnino abstinendum esse statuunt; quo pertinuit dissertatio Hugonis Grotij, hominis ex professo nullius religionis, *An semper communicandum per Symbola*; cujus problematis negativam apertè propugnabat & tam acriter ut parum abesset quin communionem Eucharisticam, uti nunc in Ecclesijs quibuslibet Christianis obtinet, haberet pro vinculo iniquitatis: Sed negamus I. Ex administratione Eucharistiæ præcepta Apostolis & peracta per illos benè colligi celebrationem Missæ; cum Sacrificium Missæ & Sacramentum Eucharistiæ *ἓξ* *διὰ πασῶν* differant: II. Ad Eucharistiam spectare, nedum ad Missam locum Heb: XIII, 10. uti suo loco visum est: III. Quicumque eo facere locum Act: XIII, 2. licet Franciscus Vero, Theologorum retrimentum & cui jamdiu omnia præter frontem periére, eò impudentiæ devenerit, ut in nupera quam edidit translatione Gallicâ Novi Testamenti, quamque Lovaniensi

Lovaniensi correctiorem & accuratiorem promittit, ausus sit illud
 λειτουργῶντων, vertere *Chantants la Messe*; Verbum illud λειτουργεῖν
 primariâ suâ significatione nihil aliud significat quam opus aliquod
 publicum facere vel publicè: Quam ad varia extendatur apud Scrip-
 tores Classicos ostensum à Casaubono *Exerc. 16. in Baron. n. 41.* adeo
 ut quævis ἰργασία & operæ etiam inhonestæ præstatio λειτουργία dica-
 tur, prout meretrices in *Novella Iustiniani 14.* dicuntur ἢ ἀνοσίαν
 λειτουργίαν πληρῆν, *turpem operam præstare*; Et quamvis occur-
 rat illa vox non semel in N. T. nihil minùs denotat quam Sacrificium
 aut sacrificare. Heb: 1, 7. 14. Angeli dicuntur λειτουργοὶ ministῆρ,
 & πνεύματα λειτουργικὰ *Spiritus ministratorij*; & Magistratus Rom:
 κ111, 6. dicuntur λειτουργοὶ θεῷ, *Ministri Dei*; & Rom: xv, 27. gen-
 tes dicuntur debere ἐν σαρκικοῖς λειτουργῆσαι, sanctis è circumcissione
 à quibus spiritualia acceperant; ita Phil: 11, 25. Epaphroditus di-
 citur Apostolus & λειτουργὸς τῆς χρείας ipsiusmet Pauli. Et quando
 illa vox ad sacra transfertur, nihil aliud denotat quam id omne quod
 ad Dei cultum spectat; unde Interpretes vocem πᾶσιν quæ Dei ser-
 vitudinem significat, passim verterunt λειτουργίαν: Nec alio sensu su-
 mitur in Novo Testamento: maximè ubi de ministerio Novi Te-
 stamenti & Evangelico agitur; Ut verò Act: κ111, 2. λειτουργεῖν ideim
 sit quod sacrificare vel Missam celebrare, nulla ratio suadet: Mi-
 nistrabant illi Deo, ut ipsa vulgata habet Versio, non Missam cele-
 brando, sed vacando prædicationi Evangelij; quo sensu Paulus
 Rom: xv, 16. dicit se gratiam esse consecutum εἰς τὸ εἶναι λειτουργὸν
 Ἰησοῦ χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, *εργουμένην τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ.* Quare
 Chrysostomus & Oecumenius illud ipsum Lucæ, λειτουργῶντων ἀδελφῶν,
 reddiderunt κηρυττόντων ἀδελφῶν. Lyranus illud Ministrantibus Domino,
 sic explicat, *scilicet in bonis operibus secundum suos gradus & officia*; Ita
 Carthusianus, *Ministrantibus autem illis Domino in actibus virtuosis, in
 observantijs præceptorum & consiliorum, in conversione aliorum*; Ita Ili-
 dorus Clarius, *Græca vox significat publicum munus obire & administrare:*
Hic autem sumitur pro Evangelium Dei annunciare. At, inquit Tiri-
 nus tum hic tum ad eum locum, *Licet λειτουργεῖν significet in genere
 Ministrare, tamen antonomasticè usurpatur pro sacrificare; & Erasmus*
 etiam

CONTROVERSIA XXIII.

De

POENITENTIA.

Respondente

DANIELE JOHANNIS à BESTEN,
Groningano.

Nam:

I.



POENITENTIAM animi, signis externis declaratam, si accesserit verbum absolutionis sacerdotalis, SACRAMENTUM esse novæ legis propriè dictum, nunc concedunt, nunc negant Lutherus, Melancthon & plerique Lutherani: negant Sacramentarij Zwinglius, Calvinus. Beza & alij. Sed probatur ex Ioh: xx, 22. Ac-

cipite Spiritum Sanctum: quorum remisistis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Hic habes Primò, ritum externum divinitus institutum, nempe remissionem seu relaxationem peccatorum, quam vocamus verbum absolutionis. Et hoc concedunt Kemnitius, Calvinus & alij. Vt & istud, quòd hic ritus supponat alium in pœnitente ritum externum, nempe quo testetur se habere peccata venià digna, eaque sibi displicere: alioqui non constaret iudici, remittendane sint ejus peccata an retinenda. Habes secundò promissionem divinam gratiæ justificantis certissimam atque apertissimam, remittuntur eis. Habes ergò quidquid ad essentiam Sacramenti requiritur. Et de hoc ait S. Paulus 2. Cor: v, 18. Deus dedit nobis ministerium reconciliationis; nam vers: 20. Pro Christo legatione fungimur.

Apud
Bellarm. l.
1. de pœ-
nitent. c.
9.

Kemnit.
2. p. Ex-
am. Trid.
disp. 1. de
pœnitentia.

Calv. l. 3:
Inst. c. 4.
§. 12.

CENSURA. Pœnitentiam animi signis) Cum linguæ Græcæ usus distinguat inter *μεταμέλειαν* & *μελάνοιαν*, illa quæ cadit etiam in reprobos, & sonat anxietatem & sollicitudinem post admissum scelus ex pœnæ metu, commodiùs Pœnitentia, hæc cui insuper accedit pium propositum emendandæ vitæ in melius Respiscensia, dici potest. Et quanquam non diffiteor hæc sæpè promiscuæ esse significationis, tamen non omnis *μεταμέλεια* ponit *μελάνοιαν*, ut videre est

E e e e 2

in Juda

in Juda Matth: xxvii, 3. 4. sed nulla est *μίσανσις* quæ *μίσαντες* non includat. Pontificij libentiùs nomen *pœnitentia* retinent quàm *resipiscencia*, ut opera sua pœnalia indirectè constabiliant quibus, si Deo placet, exigunt à seipsis peccatorum suorum pœnam, quo satisfaciant Justitiæ divinæ. Agnosco equidem ipsam pœnitentiam quæ mentem lancinat anxietate & metu, esse quasi primùm ipsiusmet sceleris supplicium; undè Boëthius *lib. 3. de Consol. Phil. Metro.*

7. *Habet omnis hoc voluptas, Stimulus agit fruentes, Apiumque par volantum, Vbi grata mella fudit, Fugit & nimis tenaci Ferit ista corda morsu.*

Hinc Demosthenes cum Thaidem nobile Corinthi scortum ingentem auri vim audiret petere ut sui corporis copiam ipsi faceret, *Tanti*, inquit, *non emo pœnitere*: Eò spectat quoque quod habet Ovidius *lib. 1. de ponto El. 1.*

Pœnitet ò si quid miserorum pœnitet ulli,

Pœnitet, & factò torqueor ipse meo.

Cumque sit exilium, magis est mihi culpa dolori:

Estque pati pœnam, quam meruisse, minus.

Nec aliud sibi voluit Ausonius;

Sum Dea que facti non facti que exigo pœnam,

Nempè ut pœniteat sic Metanæa vocor.

Sed tamen munus pœnitentiæ vel resipiscentiæ ad quam in Scripturis vocamur, non consistit in sui ipsius excarnificatione, animo ulciscendi quod perperam admissum fuerit; aliàs optima & Deo grata fuisset pœnitentia Judæ qui crimen à se admissum, resti & suspensio ultus est: Verum cum dolore & tædio rei perperam factæ vel omissæ, adjunctum habet serium & pium propositum emendationis; quo sensu ipse Gregorius 1. *hom. 34. in Evang. Pœnitentiam*, (inquit) *agere est & perpetrata mala plangere & plangenda non perpetrare.* Hæc sive resipiscencia sive pœnitentia, (de vocibus enim non litigandum, ubi de re constat) triplicem habet apud Scholasticos considerationem, quæ Gratia, quæ Virtus, quæ Sacramentum; Ita Alensis *p. 4. q. 13. m. 1.* Alij tamen communius solent eam considerare, partim ut est Virtus partim ut est Sacramentum; juxta Becani distributionem *statim initio cap. 29. de Sacram.* Nos verò in Systemate

stemate nostro loco xiii. th. 6. & seqq. ostendimus, non posse eam simul esse Virtutem & Sacramentum, cum Virtutum officia in ritibus & cæremonijs, uti Sacramenta, non sita sint; imò accuratè loquendo, potius dicendam esse officium quoddam commune peccatoribus injunctum doctrinâ Evangelicâ, (Lex enim cum exigit omnimodam perfectionem propriè, Resipiscentiâ non novit) quam specialem Virtutem, eò magis quod illius objectum sint quælibet vitia & virtutum omnium studium ac complementum. Et cum trita sit ipsismet Scholasticis distributio virtutum in Theologicas & Morales, nequè his potest annumerari, quarum natura explicatur in Ethicis, nequè illis quæ tres tantum statuuntur Fides, Spes & Charitas; nisi quatenus fide suscipitur, spe fovetur & charitate incenditur. Imò minus censeri potest virtus specialis juxta Adversariorum hypothèsin, quod eam totam collocent in pœna quam sibi irrogat pœnitens ex peccati dolore: tam enim absurdum est ex supplicio facerè virtutem quàm ex virtute Sacramentum. Ut autem sit Sacramentum quatenus *signis externis declaratur si accesserit verbum absolutionis sacerdotalis*, quod hîc asserit Tirinus, omni probabilitate destituitur. Nam quælibet internæ pœnitentiæ externa signa non magis debent esse Sacramentalia, quàm signa externa fidei vel charitatis: Imò ipsa pœnitentia ut virtus, si virtus dici debeat, cum se exerit signis externis apud eos quibus Evangelij gratiæ dispensatio commissa est, debet obtinere verbum absolutionis. Exemplum habemus luculentum in Davide 2. Sam: xii, 13. Nam ibi pœnitentiam animi signis externis David declarat, dicendo Nathani, Peccavi Jehovæ; Et Nathan Dei minister ac Propheta subjicit illicò verbum absolutionis, Etiam Jehova transtulit peccatum tuum: Et tamen cum negent Adversarij Pœnitentiam sub V. T. fuisse Sacramentum, hanc quoquè Davidis nemo illorum dixerit Sacramentalem: Idem dici potest de eorum pœnitentia qui ad Johannis Baptistæ præconium leguntur conversi Matth: iii, 6. Luc: iii, 10. 11. 12. Nam illi animi sui pœnitentiam signis evidentibus declararunt, & accessit absolutionis verbum à Johanne, etiam Sacramento Baptismi comprobatum; nam prædicabat Baptisimum

Ecccç ;

tismum

tismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum Luc: III, 3. & tamen nec illa pœnitentia Sacramentalis fuit. Et mirum est idem pœnitentiæ officium quod Prophetæ & Johannes imò Christus ipse toto tempore prædicationis suæ tantopcrè urserunt, & ad quod tenentur omnes adulti baptizandi, Sacramentum dici non posse, sed fieri Sacramentum demum in baptizatis: Ecce verò postbaptifimalis pœnitentia potius erit Sacramentum quàm antebaptifimalis? Aut quare non erit perindè Sacramentalis ea quæ sub V. T. sequebatur Circumcisionem, ac ea quæ sub Novo post Baptismum exercetur? Vel cur magis erit pœnitentia Sacramentum sub Novo quàm sub V. T. ubi animi dolor palam fiebat signis externis, adductioe Sacrificij pro peccato, jejunio, sacco & cinere, &c. & ubi aderat absolutionis verbum certissimum, Ezech: XVIII, 24. 27. xxxvi, 31? Accedit & aliud, quod omnis pœnitentia quam inculcat Christus in Evangelio, fuerit eo ipso tempore quo loquebatur simpliciter & absolute necessaria ad salutem, Luc: XIII, 3. Sed nulla tempore Christi pœnitentia Sacramentalis fuit ad salutem necessaria, tum eo quod potestas Clavium, id est facultas illud Sacramentum imaginarium administrandi, non fuit tradita Apostolis nisi post ipsius resurrectionem, tum eo quod Baptismum jam præsupponat in pœnitente; Baptismus autem non fuit absolute necessarius ex sententia Adversariorum nisi post diem Pentecostes, quo Spiritum Sanctum Apostoli consequuti sunt: undè planè sequitur nullam Pœnitentiam Sacramentalem Christum unquam vel instituisse vel inculcasse.

Nunc concedunt, nunc negant Lutherani) Homines suæ Communionis ab inconstantia labe hic purgat Johannes Gerhardi loco de pœnit. §. 22. adhibitâ distinctione nominis Sacramenti, quod quandoquæ generalius & minus propriè, quandoquæ specialius & maxime propriè usurpatur; Priori sensu absolutio specialis aliquando à Luthero & Melancthone Sacramentis annumeratur, posteriori nunquam; Vndè etiam constantes sunt omnes Augustanæ Confessionis Theologi in spurio hoc Pœnitentiæ Sacramento rejciendo. Quoad nostros, quos contumeliosè *Sacramentarios* vocat Tirinus, (nisi forte id nominis nobis

nis nobis ob quinque supposititia Papistarum Sacramenta rejecta, eo sensu tribuatur quo ob Gotthos & Vandalos debellatos, Imperatores Gotthici & Vandalici olim dicebantur) constans semper eorum fuit sententia, Pœnitentiæ officium nullâ ratione cæremonijs & Sacramentis Ecclesiæ posse annumerari.

Sed probatur ex Joh: xx, 22.) Nullis unquam fidiculis ex hoc Johannis textu elicient quod volunt Adversarij; Prætereo quod statuant Apostolos jam in ultima Cœna factos Sacerdotes, non nisi post Christi resurrectionem accepisse potestatem Sacramentum Pœnitentiæ administrandi: Undè sequetur vel Apostolos imperfectos fuisse Sacerdotes in prima Cœna, vel posse dari veros & perfectos Sacerdotes, qui tamen nequeant Sacramentum Pœnitentiæ administrare. Sed cum eo loci conferatur Apostolis potestas Clavium de qua *Matth: xvi, 19.* dubium non est quin hæc æquipolleant, aperire & claudere regnum Cœlorum, ligare & solvere, remittere peccata & retinere; Hæc tria pro synonymis accepere etiam Veteres; Celebris est locus ad hanc rem Cypriani *tract. de Simpl. pralat. sive de unit. Eccl.* ubi docet omnibus Apostolis post resurrectionem Christi his verbis *Si cui remiseritis &c. parem potestatem* tributam fuisse ei quæ fuerat promissa Petro in clavibus regni Cœlorum. Jam autem in potestate clavium, nemo legit præcisam & formalem Sacramenti Pœnitentiæ institutionem; Et eam clavium nec non ligandi & solvendi potestatem ipsimet adversarij multo latius extendunt quàm ad unius hujus Sacramenti sui administrationem, ut videre est apud nostrum Tirinum *ad Matth: xvi, 19.* Quapropter tota ratio Ministerij Evangelici, quâ latè patent omnes ejus functiones hac potestate comprehenditur; quæ non fuit commissa universitati sive multitudini credentium, tanquam primo & immediato subjecto illius, ut perperam hodiè statuunt Independentes, quibus & hac in parte præfuit Amesijs *lib. 1. Medulla c. 37. §. 26.* sed ut benè contra eos disputant tum Cl. Spanhemius *in Epist. ad Buchan. quest. 2. pag. 33. & seqq.* tum R. Guillelmus Apollonius *Consid. Contr. Angl. c. 4.* solis Ecclesiæ Ministris, quos Christus fecit dispensatores Mysteriorum suorum *1. Cor: iv, 1.* & quibus commisit *2. Cor: v, 18.* ministerium reconciliationis

reconciliationis hominum cum Deo, *verbo primum promulganda*, inquit *ibi* Tirinus, *dein Sacramentorum impartitione etiam procuranda*. Et quamvis in regenda Ecclesia assideant Pastoribus & ijs qui laborant in verbo 1. Tim: v, 17. Presbyteri illi quos Seniores vocamus, quorum munus ad *κυβερνησιν* sive gubernationem restringitur 1. Cor: xii, 28. sic ut & hi cum illis admittant ad Sacramenta aut ab ijs rejiciant eos qui admittendi vel rejiciendi veniunt, tamen illa potestas formaliter demum confertur ordinatione ad sacrum ministerium; nec radicaliter inest alijs quàm ijs qui potestatem acceperunt annunciandi Evangelium & administrandi Sacramenta, licet ab illis sese diffundat virtualiter & communicativè in alios illos *κυβερνητας* quibuscum unum presbyterium faciunt; prout potestas judiciaria quæ radicaliter inest soli Magistratui, ab eo tamen diffunditur & communicatur in eos quos assumit ad judicia difficiliora, sic ut & hi judicent cum ipso licet soli & absque ipso judicare non possint. Igitur Ecclesiæ Ministri, hac potestate utuntur, tum indefinitè tum definitè; Indefinitè retinent peccata & claudunt regnum Cœlorum incredulis & impœnitentibus, quos comminationum divinarum vinculis constringunt abijciendos extra aulam nuptialem in tenebras exteriores, ubi est ejulatus & stridor dentium: Sed indefinitè remittunt peccata & regnum Cœlorum aperiant credentibus in Christum & serio resipiscentibus, quibus denunciant soluta esse iniquitatis & servitutis vincula illa per quæ antea in ergastulo regni tenebrarum captivi attinebantur. Sic Christus ipse potestatem Clavium promissam Petro in pascendi munere collocabat Joh: xxi, 15. 16. Adde Christi dictum de prædicandâ ejus nomine resipiscentiâ & remissione peccatorum apud omnes Gentes Luc: xxiv, 47. Definitè verò clauditur regnum Cœlorum & retinentur peccata ei cui vel denegatur accessus ad Baptismum, vel post Baptismum interdicitur sacræ communioni, ut olim Romæ aquâ & igni ijs qui sacri & intestabiles dicebantur; Talis ligari censetur vinculo excommunicationis, tradendus Satanz ni resipuerit & in tenebras exteriores conjiciendus, quod deprehendatur ab Ecclesia esse in felle amarissimo, & connexu injustitiæ positus

tus

positus, inſtar Simonis Magi Act: viii, 23. Viceverſâ ijs definitè regnum cœlorum aperitur & peccata remittuntur, qui vel antea excommunicati abſoluuntur ab excommunicationis vinculo & reſtituntur cœmmunioni ſacrorum, vel admittuntur ad baptiſmum in omnium peccatorum ſuorum remiſſionem: adeo ut ex hac remiſſione & retentione peccatorum nullo prætextu poſſint Pontificij fabricari ſpeciale pœnitentiæ Sacramentum. Neque hîc ſolus loquor. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioh. cap. 56. ſic loquitur; *Cum ipſi remittunt aut detinent, Spiritus qui habitat in eis per eos remittit aut detinet: Erit autem id per eos duobus ut arbitror modis, primum baptiſmo, deinde pœnitentiâ: Nam aut credentes & vitæ ſanctimoniam probatos homines ad baptiſmum inducunt, & indignos inde diligenter expellunt, aut Eccleſiæ filiis peccantibus quidem increpant, pœnitentibus autem indulgent, (eos nempe priùs abſtentos aut excommunicatos recipiendo in communionem fidelium) ſicuti Paulus olim fornicantem apud Corinthios in perniciem carnis tradebat, ut ſpiritus ejus ſalvaretur, recepitque uſurſus, ne majore ſubmergeretur dolore; Itaque hic locus juxta Cyrillum ſpectat ex aſſe & baptiſmum & diſciplinam quæ circa ſacram Synaxim olim exercebatur in publicis peccatoribus excommunicandis & iterum exactâ debitâ ſecundum Canones pœnitentiâ Eccleſiaſticâ in foro fori ad communionem ſolemniter recipiendis. Sic & Ferus, quamvis poſtea conetur ſervire ſuorum hypotheſi, ad illa verba *Quorum remiſiſtiſtis*, hæc annotavit; *Hoc verbo indicat quomodo & in quem uſum eis dederit Spiritum Sanctum hac vice, nempe in remiſſionem peccatorum, nec pro ipſis Apoſtoliſ tantum, ſed ut eundem Spiritum eandemque remiſſionem peccatorum verbo-prædicationis & Sacramentis verbo annexis diſtribuerent.* Nec vidit Auguſtinus ad hunc Iohannis locum quicquam quod ſaveret imaginario huic Sacramento, contentus annotaſſe quæ ſequuntur; *Eccleſiæ charitas qua per Spiritum Sanctum diſfunditur in cordibus noſtris participium ſuorum peccata dimittit, eorum autem qui non ſunt ejus participes tenet.* Addo quod ſi Chriſtus hoc loco Eccleſiæ Miniſtris conferret illam poteſtatem remittendi peccata, tum poteſtas illa juridiſtionis interioris ipſis conferretur à Deo immediatè, non verò ab Eccleſiâ, ut cenſent apud Becanum cap. 26. de Sac. q. 7. §. 2. Melchior Canus, Turrecremata, Medina, Bonaventura, Durandus; Tirinus vero dum vult hoc uti teſtimonio, ne*

F f f f

nio, ne

nio ne quidem secum consentit. Nam in *Commentario* contentus est indè colligere novum hîc à Christo tribunal erigi quo omnia omnium hominum peccata (mortalia tanquam necessaria materia, venialia tanquam sufficiens) disjudentur & sic vel remittantur vel referrentur, tam quoad culpam quam quoad pœnam, tam in foro divino quàm humano; & quia hoc convenienter fieri nequit sine propriâ pœnitentis confessione quâ spirituali judici conscientia peccantis integre immutescat, eadem confessio hîc à Christo instituitur & omnibus reus eodem jure divino injungitur, ut unanimiter docent S. S. Patres & desinit Concilium Tridentinum; At hîc in *Indice* cernit acutius; nam reperit in verbis Christi quicquid ad essentiam Sacramenti requiritur; Primò ritum externum divinitus institutum, nempe remissionem seu relaxationem peccatorum quam vocamus verbum absolutionis; Et hoc, inquit concedunt Kemnitius, Calvinus & alij; ut & istud quod hic ritus supponat alium in pœnitente ritum externum, nempe quo testetur se habere peccata veniâ digna eaque sibi displicere; alioqui non constaret judici remittenda-ne sint ejus peccata an retinenda; Secundò promissionem divinam gratiâ justificantis certissimam atque apertissimam, Remittuntur &c: imò de hoc ipso loqui Apostolum 2. Cor. v, 18. & 20. Sed circa hæc multa veniunt observanda I. Non immeritò Hieronymus ad *Matth: 16.* de clavibus regni cœlorum observat quod istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Phariseorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes vel solvere se noxios arbitrentur; cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita queratur: Hîc enim nihil aliud somniant adversarij quàm tribunalia & judicia, in quibus inter Deum & peccatorem sententiam habeant ferendam, cui pars utraque acquiescere debeat. II. Benè est quod Tirinus dictum Pauli 2. Cor: v; 18. & 20. pertendit de eo agere de quo etiam agitur Joh: xx, 22. Nam cum Paulus evidenter agat de Ministerio Evangelij in quo legatione pro Christoungebatur, certum est Christum Joh: xx, 22: non erigere tribunal jurisdictionis pro Ministris Ecclesiæ, sed illis demum committere ministerium reconciliationis, quod ipso Tirino interprete, peragitur verbi divini promulgatione & administratione Sacramentorum: Quare si Tribunal hîc debemus somniare erit tribunal gratiæ præconio Evangelij erectum in medio Ecclesiæ, ad quod invitamur etiam Heb: 1v, 16. & cujus respectu Episcopalis cathedra

cathedra ex qua quondam Episcopi annunciabant Evangelium thronus non semel dicitur apud Veteres. III. Hic adverbis meris nituntur conjecturis, & per vanas cerebri sui fictiones novum fabricantur Sacramentum, cujus si vera foret eorum sententia, expressa institutio quoad materiam & formam deberet legi in Evangelio: Et sane malis avibus hinc procedunt. Nam primò quem ritum hinc externum rursus absolutio Sacramentalis, minimè agnoscimus; Et injuriam faciunt Kernitio & Calvino cum eos assentiendi huic rei dicunt; Remissio quidem hæc peccatorum est absolutio à peccatis, sed non est tamen sacramentalis absolutio quæ præcisè & conceptis verbis sit pronuncianda cum signo crucis super capite pœnitentis; cum potissimum spectet Ministerium Evangelij, & dato non concessio pœnitentiam esse Sacramentum, nihilominus locum obtineat extra sacramentaliter tum in generali annunciatione Evangelij, tum in publica reconciliatione pœnitentium, tum aliàs sæpius in ipsa Ecclesia Romana: In Pontificali Romano p. 3. fol. 256. & 259. extat formula duplex absolutiois quam Episcopus pronunciat in reconciliatione pœnitentium: Prima sic habet; *Omnipotens Deus vos absolvat ab omni vinculo peccatorum, ut habeatis vitam aeternam & vivatis &c.* Secunda sic; *Indulgentiam, absolutioem & remissionem omnium peccatorum vestrorum, tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus.* Similiter in Rituali Romano, edito Pictavij anno 1619. pag. 365. & seqq. proponitur primò formula absolutiois qua dicitur in Parochijs tempore *Quadragesima diebus Luna, Mercurij & Veneris;* in qua postquam plebem Parochus est adhortatus, ad pectora tundenda & Deo dicendum à singulis, *Confiteor Deo &c.* & aliquas fudit orationes ad Deum *pro his famulis & famulabus ipsius, ut eorum & eorum sanare vulnera & remittere peccata dignetur, in hæc verba erumpit; Dominus noster Iesus Christus qui dixit discipulis suis Quacunquè ligaveritis super terram erunt ligata in cœlis, & quacunquè solveritis super terram erunt soluta in cœlis, de quorum numero quamvis indignos nos esse voluit, ipse vos absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis vestris quacunquè cogitatione, locutione, operatione negligenter egistis, atque à nexibus peccatorum absolutos perducere dignetur ad regna colorum. Qui cum patre &c.*

Ffff 2

Et ne

Et ne optativè tantum quis putet hæc dicta, statim idem presbyter debet sequentia adijcere; *Absoluimus vos fratres & sorores vice Sancti Petri Apostolorum Principis, cui à Domino collata est potestas ligandi atque solvendi, cujus etiam nos licet indigni vice fungimur;* (hïc sanè quilibet Sacrificulus æquè ac ipse Papa Vicarius Petri constituitur; sic enim Papa ipse appellatur à Carthusiano. in *Ioh: 20. fol. 380.* nec aliam ipsi dignitatem competere statuit author libelli qui inscribitur *Papatus Romanus cap. 3.*) *quantum vestra expetit accusatio & ad nos pertinet remissio, secundum quod nobis ut diximus à Domino in Sancto Petro est attributum, sitque vobis Dominus Iesus Christus redemptor noster vita & salus & omnium peccatorum vestrorum clementissimus indulget;* *Qui cum Patre &c.* Et iterum post deprecata ad id intercessionem *beata & gloriosa semper Virginis Mariæ, & implorata merita beatorum Apostolorum Petri & Pauli & omnium Sanctorum & Sanctarum,* hanc adhibet formulam; *Indulgentiam, absolutionem & remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens Pater pius & misericors Dominus &c.* Tum omnibus auditoribus injungit presbyter ut ter dicant, *Pater noster & Ave Maria.* Hïc sanè si uspiam extat verbum absolutionis, & tamen neutiquam administratur Sacramentum imaginarium pœnitentiæ; Imò pauculis superstitionis quæ cultum Sanctorum spectant omissis, optaremus totum illud pœnitentiæ choragium intra hos terminos remansisse: Possent enim conscientiæ in illa absolutione generali nec sacramentali acquiescere, omissâ confessionis carnificinâ quæ post ejusmodi absolutionem superflua est & inutilis. Ita in eodem Rituali Romano ad calcem extat formula adhortationis (vulgò nostratibus appellatur *Le Profne*), quâ Parochus singulis diebus Dominicis tenetur facere ad populum, in qua post auditores invitatos ad confessionem generalem peccatorum suorum ejusque formulam recitatam Latine & Vernaculè, hanc generalem absolutionem pronunciat super illis, *Miserereatur vestri omnipotens Deus & dimissis peccatis vestris perducatur vos ad vitam aternam, Amen: Indulgentiam, absolutionem & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens & misericors Deus, Amen.* Ex quibus omnibus patet nequidem in communionem Romanam, verbum absolutionis necessario inferre formulam Sacramenti, aut Sacramentum pœnitentiæ. Ad hæc falsò supponunt Jesuitæ illum ritum externum remittendi, præexigere pœnitenti-

pœnitentium specialem imò & auricularem confessionem, absquè qua nequiret bellulus iste Judex sententiam ferre; Jam enim vidimus dari varias in ipso Papatu absolutionis formulas generales & publicas, quibus & Indulgentiæ possunt addi, quæ speciali ejusmodi confessioni non substernuntur. In eodè Rituali Romano pag. 74. extat formula absolvendi excommunicatum jam mortuum his verbis; *Auctoritate mihi concessâ, Ego te absolvo à vinculo Excommunicationis quam incurristi, aut incurrisse declaratus es propter tale factum, Restituo te communioni fidelium, in nomine Patris &c.* Et in formula adhortationis à Parocho peragenda singulis diebus Dominicis, postquàm Parochus plebem invitavit ad præcandum pro mortuis, & recitavit *De profundis*, etiam verbum absolutionis pronunciat in mortuorum gratiam hac formulâ, *Absolve quæsumus, Domine, animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloriâ inter Sanctos & electos tuos resuscitati respirent, per Christum Dominum nostrum, Amen:* quæ eò minùs miranda, quod etiam invitù posse absolvi, statuunt adversarij. Ut autem in his omnibushabemus Absolutionis verbum sine ea confessione speciali quam hinc volunt adversarij colligere, ita quandoquè extat peccatorum confessio etiam ad remissionem eorum; quam ne ipsi quidem Jesuitæ Sacramentalem faciant; cujusmodi fuit omnis omninò confessio quæ extitit sub V. T. sive ea fieret extra Sacrificia, qualis fuit Davidis, Danielis & aliorum, sive ea fieret ab ijs qui victimam adducebant pro suo peccato; item ea quæ olim solebat ipsummet baptismum præcedere, ut Matt: 111, 6. Act. XIX, 18. Ut nequè ex Absolutione Confessionem Sacramentalem, nequè ex Confessione Sacramentalem Absolutionem queant adversarij colligere; multo minus aliquod Novi Fœderis Sacramentum, necessitatis uti volunt absolutæ ad salutem, in suis conjecturis & hariolationibus fundare. IV. Multa absurda congestit Titinus paucis in verbis: Peccatorum mortalium & venialium distinctionem ineptam substernit suæ doctrinæ: Et tamen vult peccatorem consententem testari se habere *peccata veniâ digna*, id est revera profiteri omnia sua peccata esse venialia. Distinguit ineptè materiam necessariam à sufficienti in pœnitentiæ Sacramento; Si enim peccata mortalia sunt illius *necessaria* materia, sine qua per consequens

Fffff 3

ei nom

ei non erit locus, sanè ad id sufficere non poterunt peccata venialia. Huic suo tribunali subijcit adjudicanda & examinanda *omnia omnium hominum peccata*; Sed de extraneis tamen non judicat Ecclesia 1. Cor. v, 12. Nec èdò rapi possunt aut debent peccata Catechumenorum, qui tamen eorum remissionem in suo baptismo consequuntur; Nec ipsi pœnitentes qui se submittunt isti tribunali, omnia & singula sua peccata unquam possunt enarrare; nam errores suos quis intelligit? Psal. xix, 13. Adhæc si in hoc tribunali possunt omnia remitti peccata *tam quoad culpam quam quoad pœnam*, sanè post absolutionem à presbytero super aliquo pronunciatam in agone mortis, is non amplius deberet pœnas purgatorias subire; & Confessarij crudeliter agunt cum suis pœnitentibus quos non liberant vel à calamitatibus quæ divinitus ipsis infliguntur propter sua peccata, vel ab operibus pœnabilibus & satisfactoriis quæ ipsis solent imponi, quandoquidem facultatem habent remittendi culpam & pœnam *tam in foro divino quam in humano*; Quinetiam iniquè agunt Magistratus cum reis illis qui ducuntur ad patibulum, quoniam culpæ & pœnæ remissionem per suos Confessarios consecuti, non minus in foro *humano* quam *divino*, non deberent amplius rapi ad supplicium. Confessionem etiam auricularem hîc institui à Christo & jure divino injungi perperam asseritur, cum dissentiant Canonistæ qui eam faciunt juris non Divini sed humani & Ecclesiastici; quod etiam videtur sensitse Cajetanus quem Catharinus apud Sixtum Senensem *Bibl. Sancta lib. 6. annot. 218.* duplicis erroris insinuat, quod neget institutam *auricularem* confessionem Joh: xx, 22; & quod confessionem quidem *institutam* ibi agnoscat, non tamen fateatur eam esse *præceptam*. Glossa juris Canonici ad *Can. 1. dist. 5. de pœnitentia* post allatas duas varias sententias de origine Confessionis, sic loquitur; *Sed melius dicitur eam institutam fuisse à quadam Ecclesia universalis traditione potius quam ex Novi vel Veteris Testamenti autoritate.* Item *Necessaria est confessio in mortalibus apud nos, apud Græcos non, quia non emanavit apud illos traditio talis, sicut non conficiunt in azymis sed in fermentatis.* Hanc confessionem quam nec Jacobitæ, nec Armenij, nec Græci retinent, jam olim à Nestario Constantinopolitano fuisse abrogatam ex historia Ecclesiastica liquet; undè

undè Chryſoſtomus ejus ſucceſſor paſſim ſuos auditores ab ejuſ-
 modi Confefſione quæ fit hominibus, revocat ad eam quæ fiat ſo-
 li Deo, ut *hom. 2. in Pſal: 50. hom. 4. de Lazaro; hom. 31. in Ep. ad*
Hebraos; Hic nominatim ſic loquitur; Non tibi dico ut te prodas in pu-
blicum nequè ut te apud alios accuſes, ſed obedire te volo Propheta dicenti, Re-
vela Domino viam tuam; Antè Deum ergò tua conſitere peccata, apud verum
judicem cum oratione debita tua pronuncia, non linguâ ſed conſcientiæ tuæ me-
morîâ, & tum demum ſpera miſericordiam te poſſe conſequi. Notum quo-
què & illud Auguſtini lib. 10. Confefſ. cap. 3. Quid mihi cum hominibus ut
audiant Confefſiones meas, quaſi & hi ſanaturi ſint omnes languores meos? Cu-
riofum genus ad cognoscendam vitam alienam, deſidioſum ad corrigendam ſuam.
Quid a me querunt qui ſim, cum nolunt à te audire qui ſint? & undè ſciunt cum à
me ipſo de me ipſo audiunt, an verum dicam, quandoquidem nemo ſcit hominum
quid agatur in homine niſi Spiritus hominis qui in homine eſt? Ex his fanè
 patet mendaciter Tirinum in hac ſuâ doctriâ de confefſione glo-
 riarî de Patrum unanîmi conſenſu, nec eſſe quod requirat hanc con-
 feſſionem ad id ut ſpirituâli judici conſcientia peccantis integrè innotefcat,
 & ipſi conſtet remittenda-ne ſint ejus peccata an retinenda: Nec enim in-
 tegrè innotefcit judici conſcientia peccatoris per illius confefſio-
 nem, cum manca, hypocritica, & ſubdola eſſe poſſit. Imò poſſum
 hinc ſolidè contrâ Jeſuitas argumentari hoc modo; Judici ſpiri-
 tuâli ut ſuo munere defungatur, debet integrè innotefcere conſcien-
 tia peccatoris & certò conſtare ſint-ne retinenda an remittenda
 ejus peccata; At nulli Confefſario unquam integrè innotefcit
 ullius conſcientia ſoli Deo nota, nulliquè Sacerdoti poteſt cer-
 tò conſtare remittenda-nè ſint conſitentis peccatâ an retinenda,
 quia hoc pendet ex veritate contritionis & integritate confefſionis
 ejus qui conſitetur; de quarum neutra nunquam certò & indubitan-
 ter conſtare poteſt Confefſario, qui ſic tenetur formam Sacramen-
 talem in materiam dubiam & incertam inducere; Ergo nullus
 Confefſarius talis judex ſpirituâlis eſt ſtatuendus. Illud quoque mo-
 nendum venit in Tirino, quod cum *infra N. 3.* tria requirat ad mate-
 riam hujusce Sacramenti contritionem cordis, confefſionem oris, ſa-
 tisfactionem operis, nihil tamen ex loco Johannis potuit excuſpere
 quod

quod ad hanc materiam spectaret præter ritum externum confessionis, idquæ per remotam admodum & planè violentam consequentiam, quam nec Guntherius Jesuita, nec Franciscus Vero ex Jesuita, nec qui nuper ejus vomitum recollegerunt, Walenbruchij fratres Batavi plusquam Jesuitæ in suâ *Methodo Augustiniana*, pro legitima si à nostris procederet, unquam essent admissuri. Denique vitio non caret in Tirino quod huic suo Sacramento assignet promissionem certissimam & apertissimam gratiæ justificantis ex istis verbis, *Remittuntur eis*, cum tamen nec justificationem Jesuitæ velint sitam esse in remissione peccatorum, nec justificationis certitudinem admittant in fidelibus, & illam ipsam Sacramenti istius efficaciam retundant dum asserunt neminem posse certum esse certitudine fidei se ullum percepisse Sacramentum, multò minus se certò & infallibiliter ullius Sacramenti vim & fructum consequutum esse.

Num. 2 POENITENTIÆ Sacramentum, quo peccata post Baptismum admissa remittuntur, non est ipse Baptismus solà memorià repetitus (ut fingunt Lutherus, Melancton & Calvinus:) nam hujus nulla uspiam mentio in Scripturis aut Patribus; Sed est dolor de offenso Deo cum adjuncta peccatorum confessione, &c. 1. Ioh: 1, 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est* & *justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Et quando S. Petrus Simonem Magum jam baptizatum Act: VIII, 13, hortatur ad poenitentiam v, 22, ah remittit ad nudam baptismi suscepti memoriam?* Et quando S. Paulus 1. Cor: v. de incestuoso agit, meminit-ne unquam Baptismi?

Luth. de captiv. Babyl. c. de Bapt. & in fine libri. Melanct. in locis anno 1521. tit. de poenit. Calv. l. 4. Inst. c. 15. §. 4. & c. 19. §. 17.

CENSURA. *Poenitentia Sacramentum*) Nostris id nunquam excidit ut poenitentia Sacramentum, quod fingitur habere locum post baptismum ipsummet baptismum esse dicerent: Sed id benè & verè dixerunt, si aliquid sit concipiendum Sacramentum poenitentia, illud non aliud fore quam baptismum; Nam & Johannes Baptista disertè Luc: III, 3. dicitur prædicasse Baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum: Nec dubium quin fideles resipiscentes possint & debeant reflectere ad suum Baptismum quo obliquata ipsis fuerat remissio omnium suorum peccatorum sub conditione resipiscentiæ & fidei, ut indè & resipiscendi post novos lapsus necessitatem deducant, & fiduciam hau-

ciam hauriant remissionis peccatorum suorum, si resipuerint uti par est. Et nisi foret Baptismus valoris & vigoris perpetui, nulla esset ratio cur renovari non deberet. Sed de hoc diximus *supra Cont: xix. N. 9.* Calvinique mentem explicavimus, & doctrinam Orthodoxam Antiquitatis Catholicæ testimoniò comprobavimus, ut frustra Jesuita hîc ogganniat, hujus rei nullam extare mentionem in *Scripturis aut Patribus.*

Sed est dolor de offensa) Agnosco hunc dolorem & confessionem quæ fit Deo, ad veram pœnitentiam pertinere etiam post Baptismum; Sed nego illum dolorem vel illam confessionem ei adjunctam, esse magis Sacramentalem post Baptismum quàm antè, vel illa duo simul sumta potius Sacramentum novum constituere in fidelibus quàm in Catechumenis. Locus autem 1. Joh: 1, 9. ad confessionem Sacramentalem non potest trahi, magis quàm quod dixit Salomon Prov: xxvi 11, 13. *Qui tegit defectiones suas non prosperabitur, qui verò fatetur & derelinquit afficietur misericordiâ.* Series textus satis indicat agi hîc de ea confessione universali, quam versu præcedenti exegerat Apostolus. Oecumenius apud Lorinum ad *hunc locum* indicat, sermonem esse de confessione quam baptizandi olim usurpabant, quæ non erat Sacramentalis: *Et non constat, inquit idem Lorinus, de qua hîc Iohannes confessione loquatur, illa-nè quâ nos peccatores agnoscimus, vel taciti coram Deo vel hominibus, sive particulatim sive universè, sed extrâ Sacramentum, vel apud proprios Ministros Sacramentalis pœnitentiæ.* Sed quod non constitit Lorino, Tirinus ejusdem sodalitiij habuit exploratum *ad hunc locum*, nempe hîc agi de *ea confessione quam Deus exigit & Christus instituit (Ioh: xx, 23.) ut mortifera peccata confiteamur Sacerdoti, venialia saltem ipsi Deo.* Verum ut Christus Joh: xx, 23. non instituit confessionem Sacramentalem, sic Deus non aliam constanter exigit quàm quæ sibi fiat, uti factum à Davide Psal: xxx 11, 5. Et ridiculè eadem confessio apud Johannem intelligeretur simul de Sacramentali & extrasacramentali, cum utraque simul peragi non possit: Imò cum venialia peccata ex natura sua non mereantur pœnam, & vel levissimâ attritione aut aque lustralis aspersione eluantur, non est quod fideles reddantur solliciti de eorum confessione

Ggggg

fessione

essione instituendâ apud Deum. Nec etiam Sacerdos peritior medicus debet haberi ipso Deo, ut huic leviora duntaxat exanthemata ostendantur, illi verò profunda & lethalia vulnera aperiantur.

Et quando S. Petrus) Simon Magus à Petro Act: viii, 22. uonetur ut resipiscat & deprecetur Deum, si fortè esset veniam consequuturus; Quare cum rectâ remittatur ad Deum non ad Sacerdotem, ei non injungitur pœnitentia ut est Sacramentum, sed tantum ut est sanctum & necessarium officium ad quod dubio procùl obligabatur ex lege sui Baptismi: Similis quoquè resipiscentia, ut habet rationem officij ad quod per suum Baptismum tenentur Christiani omnes si ex infirmitate lapsi sint, exigebatur ab incestuoso Corinthiaco, quem in finem tradebatur Sathanæ per Excommunicationem solennem ad exitium carnis, ut Spiritus salvus esset in die Domini; Cum verò juxta Pontificios Excommunicatio sit jurisdictionis exterioris, interioris verò Sacramentum pœnitentiæ, frustrâ ad pœnitentiam Sacramentalem trahuntur quæ de Excommunicatione publica leguntur in Scripturis.

Num: 3. Sacramentum Pœnitentiæ pro Ministro requirit SACERDOTE M. Neque enim nisi Apostolis & horum successoribus dictum à Christo Ioh: xx, 23. *Quorum remisistis peccata, &c.* Pro FORMA exigit VERBUM ABSOLUTIONIS, quod hæretici non negant; Pro MATERIA tres actus pœnitentiæ, CONTRITIONEM, CONFESSIONEM, SATISFACTIONEM, quæ semper, etiam in antiquâ lege, seu naturæ, seu Mosaicâ, necessariæ fuerunt ad remissionem peccatorum obtinendam. Ioël: ii, 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, & fletu, & planctu.* 2. Reg: ult. vers: 10. *Percussit cor David eum, & dixit ad Dominum, Peccavi valde in hoc factis, &c.* & vers: ult. *Offert sacrificium in satisfactionem.* Nini vitis (quorum pœnitentiam laudat Christus Matth: xii, 41.) præcipitur Ionæ iii, 8. *Convertatur vir à viâ suâ malâ, & clamet ad Dominum, & non gustent quidquam, &c.* Et filijs Israël Num: v. 6. præcipitur, *Vir sive mulier, cum secerint ex omnibus peccatis que solent hominibus accidere, confitebuntur peccatum suum, &c.* Sic 2. Esdræ ix, 1. *convenerunt in jejuniis & in sacris, & confitebantur peccata sua; & Matth: iii, 6. baptizabantur à Iohanne Baptista in Jordane, confitentes peccata sua.* Similia habes in pœnitentiâ publicani Luc: xviii, 13. & filij prodigi Luc: xv, 18. & Act: xix, 18. *Multis credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos.*

Ex naturâ

Ex naturâ enim rei hæc requiruntur ex parte pœnitentis, si amicitiam cum offenso resarciri desideret.

CENSURA. *Sacramentum Pœnitentia pro Ministro*) De Ministro Sacramentorum aliàs dictum: Fateamur Apostolis & post eos Ecclesiæ Pastoribus ordinarijs, commissum esse illud Ministerium reconciliationis de quo etiam Joh: xx, 23. sed negamus, & quàm justè suprâ visum, his Christi ad Apostolos verbis contineri institutionem Sacramenti pœnitentiæ.

Pro forma exigit verbum) Agnoscimus equidem ad reconciliationis Ministerium pertinere promulgationem quâ publicè & indefinitè, quâ definitè & privatim verbi Absolutionis ejus quam consequimur in sanguine Christi; sed nemo nostrum somniat hoc verbum Absolutionis quod Evangelio continetur & ex praxi ipsorum Adversariorum sæpè extra Sacramentum Pœnitentiæ promulgatur, habendum pro forma Sacramenti istius quod Pœnitentiam vocant: Imò nec in hoc conveniunt Pontificij: Nam hanc absolutionem quam Tirinus pro forma tantum habet hujus Sacramenti, Scotus & illius sequaces pertendunt totam Sacramenti essentiam exhaurire, ut monet etiam Coninck *par. 2. de Sac. disp. 4. dub. 4. §. 31.* Nec desunt in Papatu qui formulam hæctenus receptam improbent, uti patet *ex ead. disp. dub. 3. §. 29.* Et disputant inter se num sint de Sacramenti essentia omnia verba in hac formula *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti Amen,* an tantùm hæc sola duo *Absolvo te,* ut idem Coninck *ibid.* statuit §. 30. Imo quæri posset cur verbum absolutionis Sacramentalis potius illâ formulâ definiatur, quàm istâ itidem in absolutione pœnitentis usurpari solitâ, ut patet ex Rituali Romano *pag. 51.* *Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducatur te ad vitam aeternam, Amen;* Item, *Indulgentiam, absolutionem & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus, Amen;* Item, *Dominus noster Iesus Christus te absolvat, & ex auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti, quantum possum & tu indiges;* ut alias formulas suprâ commemoratas omitterem: Quin & libenter quærerem ab istis, ex quonam Scripturæ loco hanc suam eruant formam, cum aliàs cujuslibet Sacramenti essentia

Ggggg 2

essentialia ex Evangelicis libris, ipsismet Pontificijs iudicibus, promenda & haurienda sint? Quid quod si rem penitentijs expendamus, absolutio Pontificia perperam eo nomine venit; cum enim Confessarij ijs super quos hanc formulam pronunciant semper aliquas imponant satisfactiones pœnales, eos potius ligare & implicare quàm absolvere & explicare videntur. Quàm autem parum de sensu istius formulæ inter se conveniant, videre est apud Becanum *cap. 42. de Sacr.*

Pro materia tres actus) Supra Tirinus ad Joh: xx, 22. nobis duplicem proponebat materiam Sacramenti pœnitentiæ, aliam necessariam peccata mortalia, aliam sufficientem debita venialia; nunc verò aliud genus materiæ ab hac heterogenæ nobis obrudit, scilicet Contritionem cordis, Confessionem oris & Satisfactionem operis: In quo primùm illud nobis videtur perabsurdum quod ipsorum hominum resipiscentijs actus & officia pro materia sumuntur Sacramenti: Hæc enim debet esse, ut in Baptismo & in Cœna, aliquod Elementum sensibile & permanens cui accedat verbum ut fiat Sacramentum. Ad hæc, omnis materia Sacramenti debet esse 1. Eterna & sensibilis; 2. Ministro Sacramenti nota & explorata, ne cogatur ἀποβατεῖν, aut sacrilegium pro Sacramento administrare: Sed neutrum horum cadit in materiam hanc Tirinianam; Contritio enim cordis non obversatur aliorum sensibus, nequè certò potest Confessario constare, vel confessionem esse veram, vel sinceram contritionem Pœnitentium, cum soli Deo id notum sit. In mille quoquè abeunt sententias ipsi Pontificij; Durandus negat Contritionem & Confessionem ad essentiam Sacramenti pertinere; Satisfactionem verò putat Coninck partem potius integram esse hujus Sacramenti quàm essentialem. Speciatim 1. Contritioni non competit ut sit materia hujus Sacramenti, tum quia per se non cadit sub sensu; tum quia quæ illius eduntur signa in confessione, dubia sunt & incerta; tum maxime quia teste Becano *quest. 6. §. 1. cap. 35. de Sacr.* Omnes fatentur contritionem non esse necessariam in Sacramento pœnitentiæ quia ibi sufficit attritio. 2. Nequè id convenit Confessioni; cum enim ea verbis fiat, tum accederet verbum ad verbum, non verbum ad elementum ut fiat Sacramentum. Nec debet Sacramenti

cramenti integritas pendere ex eorum arbitrio quibus administratur : Adhæc pœnitentiæ Evangelicæ præceptum semper obligat, non tamen præceptum confessionis, ad quam nemo tenetur vi præcepti, ejusquæ quod magis est ecclesiastici non divini, nisi semel in anno : Nequæ tam obligat in Papatu ratione Sacramenti pœnitentiæ, quàm ratione Eucharistiæ cui communicare nemini licet inconfesso sive laicus sive Sacerdos fuerit, ut disputat Becanus q. 9. cap. 36. de Sacram. Et cum juxta eundem cap. 37. quest. 2. quandoquæ tum peccator quivis tum maximè infirmus possit absolvi, *etsi confessio non sit integra quoad externum sermonem*, non video quæ confessio saltem particularis & circumstantialis qualis exigitur in hoc foro, nec uti suo loco visum ullo divino jure mandata, possit statui pars essentialis & simpliciter necessaria hujus Sacramenti. 3. Nec id etiam competet Satisfactioni; cum enim eâ ordine naturæ, temporis & executionis sequatur absolutio- nem, ridiculum est Sacramenti formam induci per Sacerdotem in materiam quæ nondum est, & cui constituendæ aliquando plures actus quin & plures aut dies aut menses aut anni requiruntur; Licet aliàs ratio dicat in natura constituta materiam præexistere formæ vel in illam inducendæ vel ex ea educendæ: Adhæc *Satisfactio pœnitentiæ imposta potest per alium impleri*, inquit Becanus cap. 41. de Sacram. §. 6. Sed satisfactio quæ impletur per alium, non est sacramentalis, ut idem Becanus *ibid.* statuit §. 7. Ergò nequæ Sacramentalis erit quæ pœnitenti imponitur in confessione. Nec ubi est gratuita remissio peccatorum qualis offertur Evangelio & obsignatur Sacramentis, Satisfactiones ex parte nostræ à Deo exiguntur, cui plenius pro omnibus per Christum satisfactum est: ita ut nunc illud ob- tineat de quo & aliquoties dixi

Larga Dei pietas veniam non dimidiabit

Aut nihil, aut totum te lachrymante dabit.

Quo & hoc spectat Augustini in Psal. 31. Enar. 2. *Si texit peccata Deus noluit advertere, si noluit advertere noluit animadvertere, si noluit animadvertere noluit punire; noluit agnoscere maluit ignoscere:* Aliàs enim agnoscente Lyrano ad Matt. 18. *Peccator non habet unde satisfaciat pro*

Ggggg 3

peccato

peccato, & *Lachrymas Petri* lego satisfactionem non lego inquit Ambrosius *lib. 10. in Lucam cap. 22.* Nec quæ olim obtinebant improprie dictæ Satisfactiones in foro externo Ecclesiæ ad scandala reparanda & tuendam disciplinam, debent trahi ad satisfactiones proprie dictas in foro poli & interno conscientiæ, ad placandam justitiam divinitam, cujusmodi nullæ extra Christum sunt quærendæ. Tandem mirum est defuisse ex hac Pontificiorum hypothese absolutionis verbum Judæ proditori Matth: xxvii, 3. qui ex parte sua habuit omnes actus essentialiter requisitas ad Sacramentum pœnitentiæ: Nam adfuit Contritio, eo quod ipsum pœnituit sui facti: adfuit Confessio, nam nummos acceptos restituit & dixit, Peccavi prodendo sanguinem innocentem; adfuit Satisfactio, cui par non indicitur in Pœnitu; etenim quod nequioris hominis manu perimi nequiores, seipsum ex scelere sui detestatione strangulavit.

Quæ semper etiam in antiqua. Sed I. quodcumque est necessarium ad remissionem peccatorum à Deo consequendam non illicò constituit essentialem materiam alicujus Sacramenti: Quinimò cum semper hæc tria obtinuerint ad remissionem peccatorum, nec tamen semper fuerit Sacramentum pœnitentiæ, hinc potius colligas hæc tria ad hoc Sacramentum neutiquam essentialiter pertinere. II. Non negamus Satisfactionem prærequiri ad peccati remissionem consequendam à Deo, quam in Sacrificijs legalibus adumbratam plenissimam in Christo consequimur; de quo sufficit nobis Bellarmini confessio *lib. 2. de Indulgent. cap. 10.* eum Patri suo satisfecisse *plenissimè pro reatu culpa & pœna temporalis & æterna omnium peccatorum*; Sed negamus ullos unquam homines proprijs suis satisfactionibus à Deo remissionem peccatorum suorum consecutos fuisse; Sacrificia enim legalia quæ à peccatoribus suum peccatum confessis offerebantur Deo, ex lege quæ extat Num: v, 8. non erant opera pœnalia peccantium quibus in se & per se satisfacerent Deo, sed typi & figuræ expiatoriis quam in Christi sanguine suo tempore eramus omnes consecuturi: Quod & dicendum de Sacrificio oblato à Davide 2. Sam: xxiv, 25. si modo fuerit pro certo expiatorium; nam ejus oblationes videntur potius fuisse Impetratoriæ & Eucharisticæ, quàm Propitiatoriæ; vo.

riæ; vocantur enim *orobri raby, holocausta & pacifica*; quod si ponatur, eo minus satisfactoria fuerunt. Planctus & jejunia quæ vel indicuntur Joëlis II, 12. vel exercentur à Davide 2. Sam: XXIV, 10. à Ninivitis Jon: III, 8. à Judæis Neh: IX, 1. Satisfactionibus humanis non debent annumerari. Eò procedunt pij ad detestationem peccati, ut pectus tundant cum Publicano Luc: XVIII, 13. & sacco induant cum Ninivitis, & quælibet præsentanea signa edant sui doloris, non quò per hæc satisfaciant justitiæ divinæ, sed quò animas suas effundant majori cum amore coram Domino: Saccus, cinis, pulvis, jejunium, ad planctum & lachrymas pertinent & confessionem realem peccati quæ se homines testantur indignos qui vel hanc auram vitalem dignius hauriant; sed his non sufficit justitiæ divinæ; Lachrymas itaque pœnitentium in illis etiam externis legimus, Satisfactionem eorum non legimus, ut supra de Petro loquebatur Ambrosius. III. Omnia illa confessionis exempla quæ hic cumulatit Tirinus, culpæ agnitionem & deprecationem ad Deum continent, partim realem partim verbalem, nihil verò quod faciat ad confessionem sacramentalem in tribunali Sacerdotum. David 2. Sam: XXIV, 10. percussus Gadis reprehensione agnovit coram Deo peccatum suum, & ab ipsomet Deo directè & immediatè veniam petijt. Ad talem deprecationem eum valido clamore apud Deum humiliter & seriò faciendam invitatur Israëlita per Joëlem cap. II, 12. Eandem præstiterè in sacco & cinere tum Ninivite circa universalitatem peccatorum suorum Jon: III, 8. tum Judæi Neh: IX, 1. circa speciale peccatum conjugij cum exteris initi. Confessio eorum quorum fit mentio Num: v, 6. non verbalis tantum erat sed potissimum realis hostiæ pro peccato repræsentatione; nec spectabat quæcunque ipsi in legem commisissent, aut eorum enumerationem apud Sacerdotem, sed tantum speciale illud factum de quo ibi fit mentio, & à quo debebant solemniter expiari. Prodigij parabola quam Christus proponit Luc: xv, 11. nihil habet quod huc faciat: Meditatur confessionem peccati sui, sed ad solum Patrem suum faciendam; nequè nititur suâ satisfactione ex condigno aut congruo, sed solâ deprecatione culpæ. Publicanus Luc: xviii, 13. nec justitijs suis nec prij

prijs satisfactionibus confidit, sed rectà Deum adit, & confessis in genere peccatis suis, unius Dei misericordiam implorat. Confessio eorum qui baptizabantur à Johanne Matth: 111, 6. nec non illorum quorum fit mentio Act: XIX, 18. hùc non potest trahi, cum fuerit antebaptismalis, & magis realis quàm verbalis, & soli facta Deo, nec specialem peccatorum ante commissorum enumerationem continuerit. Ipse Tirinus ad Matth: 111, 6. negat confessionem ibi commemoratam *Sacramentum fuisse quo peccata tunc remitterentur; & per tendit quod nuda esset caremonia quâ testabantur internum dolorem de vitâ antè malè actâ, & desiderium expurgandi animi per penitentiam*: Interim cum nihil amplius de suâ confessione auriculari possint statuere Pontificij, non est quòd eam magis quàm illam Sacramentalem faciant. Antebaptismalis quoquè ea fuit cujus fit mentio Act: XIX, 18. licet Tirinus *ibi* cum multis è suis, id trahat ad secretam & particularem, atquè si Deo placet auricularem confessionem, quæ primis Ecclesie initijs, quicquid dicat Jesuita, nullo modo fuit in usu; Nam Beatus Rhenanus *Præfat. ad lib. Tertull. de Pœnit.* sic loquitur; *Ibi de publicâ confessione sive exomologesi facit mentionem (cujus etiam meminist Leo Papa de Pœnit. dist. 1.) quâ majores nostros apparet aliquamdiu usos fuisse (quùm nempe, ut Tertullianus loquitur, Presbyteris advoluti & aris Dei adgeniculati, omnibus fratribus id est Christianis, suæ legationis deprecationem injungebant) priusquàm ista secreta nasceretur quâ hodiè conscientiam nostram Sacerdoti detegimus usquè ad circumstantiarum omnium minutias; Nec publicam, uti fingit Tirinus, sed hanc secretam recens introductam & commissam Presbytero pœnitentiario (quod odiosum videretur tanquàm in theatro audiente Ecclesia multitudine, inquit Sozomenus, delicta pronunciare) Nectarius abrogavit ob matronam in Templo à quodam Diacono compressam, facultate concessâ unicuiquè prout sibi conscius foret, accedendi ad sacram Synaxim omni ejusmodi confessione omissâ; quod patebit cuivis legenti Sozomenum *Hist. Eccl. lib. 7. cap. 16.* Atquè indè tam constans in Chrystostomo dehortatio à tali confessione, & exhortatio ad confitendum soli Deo, juxta id quod ante monuimus, & habetur iterum *hom. 2. in Ps: 50. vel 51. Non dico ut confitearis conservo tuo qui exprobrat, sed dicito Deo qui sanat ea.**

net ea. Quin imò Stapletonus in *Antid. ad Aët. xix, 18.* eum locum magis putat pertinere ad publicam Confessionem quæ in primitivâ Ecclesiâ non quidem pro quibusvis promiscue peccatis sed pro grandibus & enormibus flagitiis, idque ex judicio aut arbitrio Sacerdotis, diu admodum obtinuit, quàm ad eam quæ sit privata & verè Sacramentalis. Sed debent vim suis conscientis facere qui negant illam Confessionem antebaptismalem fuisse, cum de ijs agatur qui præconio Evangelij per Paulum converſi ad fidem, ultrò se sistebant Apostolo baptizandos non sinè seriâ Exomologesi & detestatione vitæ suæ antè actæ, quâ diabolo renuntiabant & operibus ejus. Petrus Lintrensis sæpius à me citatus, id dicat pro me; Is enim ostensurus quàm parum sit firnamenti in hoc loco pro Confessione Sacramentali sic loquitur; Non enim liquet an isti de quibus sermo est, fuerint tunc Christiani, id est per baptismum prius recepti in Ecclesiam; an verò nondum fuerint baptizati, sed dumtaxat ad Pauli Apostoli prædicationem jam credebant in Iesum & magnâ penitentiâ vitæ antea compuncti enunciabant apud Apostolum & socios ejus sua peccata ad huc ante baptismum. Hoc posterius est magis probabile consideranti seriem narrationis hujus à versu 11. usquè ad 20. Consideranti præterea quod apud Iohannem Baptistam multi confitebantur peccata sua Matt: 111, 6. Marc: 1, 5. quibus locis similiter ut hic est participium ἰσομολογούμενοι, & tamen constat nondum baptisino Christi fuisse baptizatos, qui hoc apud Iohannem Baptistam faciebant; Consideranti deniquè quod veteres Ecclesiæ Doctores hunc locum de nondum baptizati accipiunt: Citat Iohannes Lorinus hunc locum exponens Basilium in regulis brevioribus (tamen si in Basilio Latine verso prout nobis novissimè datus est non reperimus quod ille citat ex regula 228.) Bedam quoquè in cap. 1. Marci cuius verba valde aperta sunt; Accedit quod nullus Veterum Theologorum hoc locum usus reperitur ad probandum Sacramentalem peccatorum Confessionem, ut nequè Concilium Tridentinum, & quod multi ex recentioribus docti ingenuè fatentur eò non valere: inter quos prolixè id docet idem Lorinus, citans eruditos Neotericos idem sentientes Cajetanum, Michaellem à Palatio, Andream Vegam: His omnibus addi potest quod nullo modo verisimile sit Christianos neophytos, (etsi Ephesi degentes quæ urbs erat plena superstitionibus magicis & aliis) tam cito post suum baptismum Paulo Apostolo cum sociis adhuc presente & quotidie concionante rediisse ad peccata pristina & inter ea ad artes magicas, ac libros

H h h h

sibi parasse

ſibi paraſſe, eoſque legiſſe rerum magicarum: Certè Arator quoquè manifeſtè docet eos de quibus hic & verſu ſeq. ſermo eſt nondum fuiſſe baptizatos, ſed baptiſmo ſeſe paraſſe per ea qua hoc loco narrantur; Verſus ejus ſunt,

Aſt alij magicis ponunt incendia libris

Vt mereantur aquas & vitent ignibus ignes.

Aratore vetuſtior B. Auguſt. in Pſal: 61. in fine concionis ubi agitur de reconcili-
atione cujuſdam mathematici, idem ſignificat eſi non planè exprimat. Au-
guſtino vetuſtior Eufebius Demonſt. Evang. lib. 3. cap. 8. circa medium planè
de his loquitur tanquam de ijs qui nondum fuiſſent in Eccleſiam recepti; Po-
teſt con-
ferri quod Socrates lib. 5. cap. 17. narrat de quibuſdam Ethnicis Alexandrinis pla-
nè ſimile; Opponitur à contraria ſententia authoribus quod iſti vocentur cre-
dentes, Multi credentium, (quod Gracè eſt τῶν πεπιſτευκότων, habens ratio-
nem præteriti) itaque videri fuiſſe jam Chriſtianos. Reſponſio facilis eſt;
etiam qui nondum ſunt baptizati, fidem tamen Chriſti ſuſceperunt, ut veri
ſunt ita eos in Scriptura vocari credentes, ſicut initio hujus capituli S. Lucas vocat
discipulos; de quibus tamen narrat quod nondum erant baptizati in Chriſto. Lo-
ca ſunt cap. 11. hujus operis verſu 21. cap. 8. verſ. 12. 13. 37. cap. 5. verſ. 14.
omiffis; inſinitis alijs; nam per ſe notum eſt ſemper adultos antequàm baptizaren-
tur, fuiſſe non ſolum credentes ſed etiam fidem profeſſos. Et hæcenus Lin-
trenſis, vir fanè doctus & ingenuus, cujus verbis malui quàm meis
gloſſam Tirinianam ad hunc locum evertere. Maneat ergò homines
nixos Chriſti ſatiſſatione debere ſeriò dolere de peccatis ſuis & ea
conſiteri Domino ac veniam ab ipſo deprecari, cum voto ſincero, vitæ
in poſterum meliùs & ſanctiùs inſtituendæ; Sed propriæ ſatiſſatio-
nes evaneſcant, nihilquè in hac confeſſione & contritione Sacramen-
tale fingatur.

Nam: 4. CONTRITIONEM aliquam, faltem imperfectam in adultis
omnino neceſſariam eſſe, neceſſitate medijs, ad remiſſionem peccatorum
& juſtificationem obrinendam, patet Luc: XXI, 3. *Niſi penitentiam habuerit,*
omnes ſimul peribit. Et quid aliud Ezechiel toto cap: XVII, I. & XXXI, I. in-
culcat? Sed ut ſola per ſe, ſine accedente Sacramento, extinguat peccata,
debet eſſe dolor de offenſo Deo. ſummus, non intenſivè ſed appetiati-
vè (nempe quo nullum malum magis velimus evitare quàm peccatum; cum
peccatum ſit maximum omnium malorum) nequè enim poſſumus ſi minor
dolor adſit, ad Deum converti ex toto corde, Joel: II, 12. ſuprà: nequè
Deum

Deum diligere ex toto corde: quod tamen, si salvari velimus, jubemur facere Deut: VI, 5. & Matth: xxxii, 37. Sed talis dolor includit vorum seu desiderium adhibendi remedium quodcunque institutum est à Deo ad veniam peccatorum obtinendam, v. g. in novâ lege Baptismum pro non baptizatis, confessionem & absolutionem Sacramentalem pro baptizatis. Includit enim dilectionem Dei super omnia, & hæc propositum servandi omnia præcepta Dei.

CENSURA. *Contritionem aliquam saltem*) Nec tamen eò facit quilibet dolor, sed is demum qui sit serius & secundùm Deum, nec tam ex formidine pœnæ quàm ex virtutis amore natus: Nequè enim vel Ezechiel toto cap: xviii. & xxxiii. vel Christus ipse Luc: xiii, 3. aliam exigunt resipiscentiam ad vitanda Dei judicia quàm quæ sit perfecta perfectione partium; adeò ut Jesuitarum *attritio* non veniat substituenda in *contritionis* locum, instar Lex in locum Rachelis.

Sed ut sola per se) Tantum decedit Sacramento pœnitentiæ, quantum accedit pœnitentiæ virtuti vel officio: Et cum non possint negare Jesuitæ etiam pœnitentiam hoc sensu & extrasacramentaliter habere certissimam promissionem remissionis peccatorum, saltem conantur hanc remissionem reddere difficiliorem pœnitentiæ officio aut virtuti quàm pœnitentiæ Sacramento; quod ex hoc plurimum consequantur emolumenti, ex illâ nullum. Hic verò dupliciter errat Tirinus. I. Quod contritioni tribuat peccati extinctionem: Nam solo Christi sanguine peccata nostra extinguuntur & delentur, pœnitentiæ verò promittitur hæc extinctio non meritoriè & efficienter, sed antecedenter & ad summum dispositivè, sive in quantum est adjunctum necessarium veræ & salvificæ fidei cujus est remissionem in sanguine Christi oblatam credentibus & resipiscentibus apprehendere cum fiducia & conscientijs nostris applicare. II. Quod dolorem talem exigat in contritione qui peccato adæquetur si non intensivè vel extensivè, saltem *appretiativè*: Nam dum ita loquitur cum suis Tirinus sibi contradicit apertè; Nequibit enim contritio *appretiativè* adæquari peccato, nisi per *appretiationem* falsam & vitiosam ac malæ fidei, quæ nec intensivè nec extensivè ei adæquabitur, cum omnis ad æquationem men-

nis proprie mensura ex cointensione aut coëxtensione sit desumenda. Addo eam hîc doctrinâ tradi à Tirino de qua ejus Sodales non penitus conveniunt; Discrepantes hac de re sententias qui videre volet adeat Becanum *cap. 35. de Sacram. q. 2. & seqq.* Nec video cur magis summa debeat esse hæc contritio extrâ Sacramentum quàm in Sacramento; in quo tamen mitiores sunt Jesuitæ, licet Sorbonistis improbantibus in *Theol. Morali Jesuit. tit. de penit. pag. 25.* Nam Emanuel Sà in *Apher. Verbo Contritio §. 5.* sic loquitur: *Dolor sufficiens est in Sacramento, dolere quod non satis doleas;* Idem tribuitur P. Bauny *de Sacram. tract. 4. q. 15.* Idque meo judicio optimo jure: Nec enim Deus in resipiscentiâ magis quàm in fide exigit perfectionem graduum; modo sincera fuerit & seria non hypocritica, nec ex solo pœnæ metu, acceptabitur à Deo, licet tamen debilis & infirma; Hîc enim Deus rogandus ut tenues nostros conatus admittat, & subveniat infirmitati nostræ: Esurientibus enim & sitientibus justitiam saturitatem promittere dignatur; & in magnis, ut ille ait, voluisse sat est.

Nequè enim possumus) Quod Joël dicit de conversione ad Deum instituendâ *ex toto corde* debet Evangelicè sumi pro serio ac sincero affectu, licet adhuc cum Jacobo in hoc Bethelis itinere *claudicemus*, (prout ipsa pœnitentia Evangelicum est officium legi ignotum) non verò legaliter pro summâ Charitatis ergà Deum in suis partibus & gradibus perfectione, quemadmodum exigitur Deut: vi, 5. Matt: xxii, 37. Luc: x, 27. ceu ex sanctione legis necessaria ad salutem: Sic enim lex indicat quid juris sit Dei in nos, quid item nostri ergà Deum officij ex illius rigore, ut nec indè sit colligendum quid sit virium nostrarum, nec tollenda idèò *παινετα* Evangelica, quam Deus adhibet circà præstationem conditionum Evangelicarum, nempè resipiscentiæ & fidei. Ex lege quidem quæ vitam per opera demum pollicetur conditiones legales sunt juris strictissimi, tum quoad partes tum quoad gradus, ut vel hilum indè deflectere perire sit; Sed alia est ratio conditionum Evangelicarum, in quibus præstandis talis absoluta perfectio non ità requiritur ut eâ deficiente excidamus salute; tum quia illæ conditiones eo ipso quod ad statum infirmitatis & imperfectionis spectent, ejusmodi perfectionis in subjecto non sunt capaces, tum maxime

ximè quâ Evangelium salutem nobis proponit obtinendam ex merâ & planè gratiâ Dei gratiâ in Christo, non verò ex præstantiâ & dignitate intrinseca eorum quæ ad salutem illam consequendam & adeundam à nobis exiguntur. Sed in has Syrtis incidere oportet hos homines Meritorios, quamdiu inter Legem & Evangelium distinguere nesciunt.

Sed talis dolor includit) Includit equidè vera resipiscentia serium propositum vitæ in melius emendandæ, absquè quo nec vera foret; licet Leo X. in Bullâ *Exurge* emissâ contrâ Lutherum anno 1520. hanc propositionem inter cœteras Sancti illius Viri damnaverit; *Verissimum est proverbium & omnium doctrinâ de contritionibus hucusquè datâ præstantius, De cœtero non facere, Summa pœnitentiâ nova vita*; Nec potest aliter, si nascatur uti par est ex fiducia misericordiæ divinæ in Christo, Deumque potiùs ut Patrem quàm ut judicem spectet. Hinc Judæi ad primam Petri concionem corde compuncti Act: 11, 37. petunt illicò quid sibi sit faciendum ad salutem consequendam. Includit quoquè ardens desiderium remissionem peccatorum consequendi, eo modo quo promittitur & offertur in Evangelio nempe fidè in Christum; & illius sensum intimum percipiendi per Spiritum adoptionis; imò & votum fruendi omnibus illis medijs externis quibus solet Deus tantum beneficium in suis obsequare & confirmare; Sed I. non secum benè consentit Firinus; Nam si *tali contritione sine morâ obtinetur statim venia peccatorum* ut dicit N. seq. non potest pœnitens per illam contritionem anhelare adhuc remedia ulla à Deo instituta *ad veniam peccatorum obtinendam*; frustrâ enim quærat remedia qui jam sanus est; frustrâ media conquirat ad veniam obtinendam, qui jam illam statim & sinè ullâ morâ consequutus fuerit. II. Falsum est Deum in Sacramentis remedia instituisse ad veniam peccatorum obtinendam; Sacramenta enim illam nec conferunt nec operantur, sed tantum obsequant & comprobant: Non potest Eucharistia cœferi ab adversariis remedium ad obtinendam veniam peccatorum, cum ejus sumptionem debeat præcedere Sacramentum pœnitentiæ quo, si Deo placet, ea jam indulta est: Neque est baptisimus in nova lege tale remedium, quandoquidem nemo adultus ad eum est

H b b b 3

admit-

admittendus, qui per seriam & veram contritionem, no fit in statu gratiæ apud Deum; unde Petrus Judæos alloquens Act: 11, 38. eos prius ad resipiscentiam eamque proculdubio veram & seriam invitat, quàm ad baptismum; Et sic vult eos baptizari in remissionem peccatorum, non producendam vel efficiendam per baptismum, sed tantum obsignandam & confirmandam. III. Nec verum est contritionem & absolutionem Sacramentalem idem præstare in baptizatis quod baptismus præstat in catêchumenis; Nam neque Sacramentum est ut baptismus, neque parem necessitatem illi si Sacramentum foret, possemus vindicare; cum illud *Nisi* quod juxta Pontificios legitur de baptismo Joh: 111, 5. nusquam extet de Sacramento pœnitentiæ; Lucæ enim XIII, 3. 5. non agitur de pœnitentia ut est Sacramentum, quòd nondum institutum erat, sed de pœnitentia ut est officium simpliciter & absolutè omnibus necessarium ad salutem, non minus sub V. T. quàm sub Novo. Et absurdum est eandem specie contritionem perfectam, aliud votum formale complecti in catêchumenis quàm in baptizatis; ut ibi spectet baptismum, hîc absolutionem Sacramentalem. Absurdum quoque operosiores nobis sub novâ lege factam esse contritionem synceram & seriam quàm sub V. T. Tunc enim sufficiebat homini contrito acquiescere circà remissionem peccatorum in gratuitâ Dei misericordiâ; nec debebat anhelare insuper remedium aliquod externum & Sacramentale à Deo institutum ad veniam peccatorum obtinendam: cum nullum tale remedium tunc temporis juxtâ Adversarios extiterit, eò quod Sacramenta vetera non agerent ex opere operato; Nunc verò homini contrito non satis est in Dei misericordiâ per Christum acquiescere, sed debet insuper formale votum & desiderium concipere de adhibendis remedijs alijs quæ in Sacramentis reperiri finguntur. IV. Denique falsum est contritionem includere *dilectionem Dei super omnia*, prout scilicet hæc dilectio nobis legaliter incumbit; cum ad eum gradum tam impossibile sit quemquam mortalem pervenire in hac vita, quàm impossibile est hominem viatorem & peccatorem omni labe & maculâ carere. Quamvis enim contritioni generosus debeat inesse motus dilectionis diviniæ, & pia & sancta cogitatio quod Deus sit super omnia diligendus & omni obsequio colendus

colendus, tamen ille Dei ceu summi boni amor qui ex fide nascitur, & resipiscentiam Incendit, (prout *Res est solliciti plena timoris amor,*) tam infirmus & tenellus adhuc est in nobis, corpore quod corrumpitur animam aggravante & carne Spiritui reluctante, ut legis ἀνὴρ ἰσοδικαίον nullo modo possit sustinere.

Nnm: 5. Tali CONTRITIONE sine ullâ morâ obtinetur statim venia peccatorum: Ef: xxx, 15. (secundum versionem LXX.) *Si reversus ingemueris, tunc salvus eris.* Ezech: xxxiii, 12. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die conversus fuerit ab impietate suâ.* Sic Davidi mox ut dixit Peccavi Domino 2. Reg: xii, 13. subditur, *Dominus quoque transfudit peccatum tuum.* Idem videre est in filio prodigo, Luc: xv, 20.

Neque ullum est peccatum quod per veram pœnitentiam non deleatur. Generales enim sunt promissiones. Ioël: ii, 12. *Convertimini ad me, &c.* v. ult. *Omnis quicunq; invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Matth: xi, 28. *Venite ad me omnes &c.* Ezech: xviii, & xxxiii, 11. *Nolo mortem peccatoris &c.* Matth: xvi, 19. *Quodcunq; solveris, &c.* cap. xvi, 11, 18. *Quacunq; solveritis, &c.*

Objectiones solvi 1. Reg: ii, 25. *Si in Deum peccaveris vir, quis pro eo orabit?* Prov: i, 28. *Invocabunt me, & non exaudiam.* 2. Mach: ix, 13. *Orabat selesus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Et Esau Heb: xii, 17. *non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.* 1. Ioh: v, 16. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.* Denique Matth: xii, 32. Marc: i, 29. *peccatum in Spiritum Sanctum dicitur iremissibile;* Similia Heb: vi, 4. & cap: x, 26.

CENSURA. *Tali Contritione sine ullâ morâ*) Neminem video quem hic impetat Tirinus præter seipsum: Nam si legitimâ contritione extrasacramentali sine nullâ morâ obtinetur venia peccati, nihil est quod amplius possit efficere ex opere operato, ei accedens vel baptismus vel absolutio Sacramentalis. Quomodo autem resipiscentiâ & seriâ contritione quæ fidem in Christum & dilectionem veram involuit & serium vitæ in melius instituendæ studium, obtineatur remissio peccatorum, supra explicatum dedi *Cont: xv. N. 9. pag. 269.* Illi tribuitur in Scripturis remissio peccatorum, quia est conditio sine quâ non obtineretur venia, & adjunctum necessarium veræ & salvificæ fidei in Christum cui nostra justificatio tribuenda est; Et eo spectant loca hic Tirino citata; Ezech: xxxiii, 12. 2. Sam: xii, 13. Luc: xv, 20. *Nec erat cur in re planâ confugeret ad versionem*

admittendus, qui per seriam & veram contritionem gratiæ apud Deum; unde Petrus Judæos aliter prius ad resipiscentiam eamque proculdubio quam ad baptismum; Et sic vult eos baptizatorum, non producendam vel efficiendam tum obsignandam & confirmandam. nem & absolutionem Sacramentalem quod baptismus præstat in catêchumeno est ut baptismus, neque pariter foret, possemus vindicare; legitur de baptismo Joh: II de penitentia; Lucæ enim XI Sacramentum, quod non est officium simpliciter, non minus sub V. T. gratie contritionem per catêchumenis quam in Sacramentali vâ lege factam. Tunc enim fu-

peccatorum
per remedi
veniam
tempor
ageret
Deo
v9

video
con-
sueti
sacra-

con-

enda; Cum
de conver-
eius pro-
& humi-
promissa
grati-
797

penitentia.
boni amor quicquid nascitur
Poenitentiam non delictum
Convertemini ad me, &c. Matti:
Matti: XI. 2. 6. V. 1. non
quod peccatoris &c. Matti:
Omnis (causæ) non
Joh: VI. 16. 17. 18.
Ioh: V. 16. 17. 18.
Ioh: V. 16. 17. 18.
Ioh: V. 16. 17. 18.

quod Sacra-
XVI. & XVIII.
Joël & Ezechiel &
Matti: xv I, 19. illam li-
penitentiam Sacramentalem
quidem forma illius Sacramenti
(que consistit) nempe ad negationem
anathemam, excommunicationem,
exclusionem à sacris, legum Ecclesiasticarum
controversiarum fidei decisionem: Quo jure hæc
sub ligandi potestate nunc non disputo; Sed
nullâ probabilitate erui ex hoc loco absolutionem Sacra-
mentalem

lem : Nam qualis est ligatio, talis est solutio; quoniam il-
 præsupponere debet; Atqui nulla ligatio est Sacramen-
 (juxta distributionem ipsiusmet Tirini *ad Matth: xviii,*
verius in foro Conscientiæ per peccatorum retentionem, sive ex-
publico per Excommunicationem; Ergò nec talis erit ulla so-
 lum est axioma Jctorum, Per quod unumquodquè li-
 & soluitur: Sed nulla fit ligatio per Sacramentum
 Ergò nec ulla per illud fit solutio.

(Hui) Cum nullus sit locus ex ijs quos sibi objecit Ti-
 possit colligi non remittenda peccata eorum qui seriò
 ille potuisset eos hîc non accumulasse. Tamen ope-
 expendere quid ipse ad singulos annotaverit. 1. Sam:
 vult perperam spectari neglectum & profanationem
 præsidiorum *quibus ex instituto Dei venia & misericordia*
vi solet, quibus evertis aut sublatis per filios He-
 subministrare posset *aliud sacrificium aut orationem*
 aretur Deus, & à peccatis suis expiarentur: Cum
 theologicum Heli suos filios increpantis non aliò
 graviùs peccari in Deum quàm in homines; hos
 placari aut Magistratus auctoritate ne irati noceant posse
 primi; sed non faciliè reperiri pararium qui pacem nostram
 .pud Deum procuret, si voluntariâ & elatâ manu in ipsùm pecca-
 verimus; nihil aliud enim huic restare quàm horrendam expecta-
 tionem iudicij, & fervorem ignis qui est devoraturus adversarios
 Heb: x, 27. Interim dum Tirinus vetera Sacrificia habet pro præ-
 sidij *quibus ex instituto Dei venia & misericordia peccatoribus extorqueri so-*
let, videtur non minorem efficaciam tribuere Sacrificijs V. T.
 quàm Sacramentis Novi; neque intereà sic satis meminisse Sa-
 crificia vetera non fuisse expiatoria peccatorum aliter quàm typi-
 cè & significativè. Ad *Prov: 1. 28.* nihil annotavit; verum evidens
 est, ibi non agi de religiosâ invocatione quæ duabus alis subnixâ
 fidei & respicientiæ ad cœlum enitatur, sed de præposteris eorum
 voris qui quam in prosperitate neglexerunt sapientiam vellent si-
 bi adesse in adversitate, & necquicquam optant præteritos sibi an-

nem Græcam Esaja xxx, 15. quæ aliàs non est plane rejicienda; Cum illud *נשורה ונתת* possit apud Prophetam æquè benè intelligi de conversione ad Deum & acquiescentiâ per veram fiduciam in ejus promissis, uti fit à nostris Belgis, ac de reditu ad Chaldæos & humiliatione sub illis, ut fit à Junio. Et cum remissio peccatorum promissa sub conditione fidei & resipiscentiæ fundetur omnis in merâ Dei gratiâ & merito Christi, mirum non est quod extendatur ad quodlibet peccatum, ut hîc insuper operosè probat Tirinus, quandoquidem à Christi merito & Dei gratiâ nullum peccatum excluditur nisi ejus qui vel eam gratiam oblatam neglexerit per impœnitentiam, vel eidem gratiæ & Spiritui illuminanti ad illius cognitionem malitiosè & datâ operâ ac perseveranter resisterit. Priori sensu peccata quælibet retinentur per impœnitentiam, posteriori & naturâ suâ est irremissibile illud peccatum quod peccatum in Spiritum Sanctum in Scripturis appellatur. Sed hîc noster Tirinus non debuit ad promissiones factas resipiscentiæ, Joël: 11, 12. Matt: xi, 28. (ex quo vel solo loco constat ei demum pœnitentiæ promissiones esse factas quæ cum verâ & salvificâ fide conjungatur) Êzech: xviii. & xxxiii. simpliciter referre loca Matt: xvi, 19. xviii. 18. cùm juxta Pontificios agatur de Sacramentali pœnitentiâ duobus his postremis locis, alijs verò de pœnitentiâ ut habet rationem officij, quod nec Sacramentum est nec Sacramentum esse potest & cujusmodi erat pœnitentia sub V. T. Quod si his omnibus locis de eâdem agatur pœnitentiâ non est quod Sacramentalem pertendant Jesuitæ spectari apud Matthæum xvi. & xviii. cum extrasacramentalis ea sit de qua agunt & Joël & Ezechiel & Christus ipse Matt: xi. Ipsemet Tirinus ad Matt: xv 1, 19. illam ligandi potestatem extendit longè ultrâ pœnitentiam Sacramentalem (ex qua revera nemo debet ligari, siquidem forma illius Sacramenti non in ligatione sed in absolutione consistit) nempe ad negationem absolutionis, pœnitentiæ injunctioem, excommunicationem, suspensionem vel interdictionem à sacris, legum Ecclesiasticarum constitutionem, Controversiarum fidei decisionem: Quo jure hæc omnia contineantur sub ligandi potestate nunc non disputo; Sed inde colligo nullâ probabilitate erui ex hoc loco absolutionem Sacramentalem

mentalem : Nam qualis est ligatio, talis est solutio; quoniam illam hæc præsupponere debet; Atqui nulla ligatio est Sacramentalis: sive (juxta distributionem ipsiusmet Tirini *ad Matth: xviii, 16.*) fiat *interius in foro Conscientiæ per peccatorum retentionem*, sive *exteriorius in foro publico per Excommunicationem*; Ergò nec talis erit ulla solutio: Notum est axioma Juristarum, Per quod unumquodquè ligatur per idem & soluitur: Sed nulla fit ligatio per Sacramentum pœnitentiæ; Ergò nec ulla per illud fit solutio.

Objectiones solvi) Cum nullus sit locus ex ijs quos sibi objecit Tirinus ex quo possit colligi non remittenda peccata eorum qui serio resipuerint, facile potuisset eos hîc non accunulasse. Tamen operæ pretium erit expendere quid ipse ad singulos annotaverit. 1. Sam: vel Reg: 11, 25. vult perperam spectari neglectum & profanationem Sacrificiorum, ceu præsidiorum *quibus ex instituto Dei venia & misericordia peccatoribus extorqueri solet*, quibus everlis aut sublatis per filios Heli, nullus erat qui subministrare posset *aliud sacrificium aut orationem solemnem* quâ illis placaretur Deus, & à peccatis suis expiarentur: Cum tamen dictum gnomologicum Heli suos filios increpantis non aliò spectet quàm gravius peccari in Deum quàm in homines; hos enim aut placari aut Magistratus autoritate ne irati noceant posse comprimi; sed non facile reperiri pararium qui pacem nostram apud Deum procuret, si voluntariâ & elatâ manu in ipsu peccaverimus; nihil aliud enim huic restare quàm horrendam expectationem judicij, & fervorem ignis qui est devoraturus adversarios Heb: x, 27. Interim dum Tirinus vetera Sacrificia habet pro præsidijs *quibus ex instituto Dei venia & misericordia peccatoribus extorqueri solet*, videtur non minorem efficaciam tribuere Sacrificijs V. T. quàm Sacramentis Novi; neque interea sic satis meminisse Sacrificia vetera non fuisse expiatoria peccatorum aliter quàm typicè & significativè. Ad Prov: 1. 28. nihil annotavit; verum evidens est, ibi non agi de religiosâ invocatione quæ duabus alis subnixæ fidei & resipiscentiæ ad cælumenitatur, sed de præposteris eorum votis qui quam in prosperitate neglexerunt sapientiam vellent sibi adesse in adversitate, & necquicquam optant præteritos sibi an-

nos restitui, meliùs collocandos; Sic enim quod est in Adagio, serò sapiunt Phryges & non nisi post factum; Non patet auris Dei ad eorum lamenta qui ultrò ad suam vocem obsurduerunt, & quemadmodum Phædrus scitè monet *lib. 1. fab. 2.* malum suum tenentur perferre, qui suum bonum ferre noluerunt. Ad *2. Mach. 12, 13.* benè monet Tirinus idè Antiochum non fuisse exauditum, *quia non verè & ex animo sed fide & simulatè orabat ac penitentiam agebat, hoc unum quærens ut à morbis & doloribus liberaretur, nihil melior futurus si convaluisset.* Nec etiam Deus exaudit peccatores *Joh: 19, 31.* quamdiu scilicet manent indurati in suis peccatis & manus suas retinent impuras & corruptionis ac sanguinis plenas; Atquè sic nihil decedit promissioni factæ respicientiæ & fidei. Ad *Heb: 11, 17.* benè quoquè observat Tirinus lachrymas Esau non manasse ex salutari pœnitentia, quia *doluit non de peccato suo, (nam mox voluit occidere fratrem) sed de damno quod incurrerat; quapropter non invenit locum pœnitentiæ, id est, obrinere nunquam potuit ut subtracta ipsi & impertita Iacobo benedictionis pœniteret aut parentem suum aut Deum. 1. Ioh: 9, 16.* peccatum ad mortem intelligit Tirinus quod ob sui enormitatem & conjunctam obstinationem est quasi immedicabile; Cum tamen hic non sit locus illi quasi, sed intelligatur irremissibile illud peccatum, quod appellatur in Spiritum Sanctum: de quo commodiùs quàm de simplici apostasia à fide ad hæresim vel ad idololatriam dicas cum Tirino, quod ut enorme peccatum est, ita quia ex certâ sit scientiâ & malitiâ, opponens se directè Deo & Christo à quo solo speranda est curatio, meritiò peccatum incurabile, ideoquè ad mortem vocatur; & sic etiam Christus Pharisæorum obstinatam infidelitatem vocat peccatum ad mortem *Ioh: 9, 11, 24.* Cum autem olim discretio Spirituum vigeret in Ecclesia, facile constabat quinam peccarent ex infirmitate, quinam ex eo peccato quod in pharmaci propinati subversione & obstinatâ ac perseverante optimi Medici persecutione consistit. Hoc respectu *Matth: 11, 32.* & *Marc: 11, 29.* irremissibile dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, non quod difficiliùs tantum remittatur ut vult Tirinus, sed quod absolutè nequeat remitti; quandoquidem vel ipso fatente, qui eo tenentur *nec instructionem admittunt, nec de pœnitentiâ cogitant,*

tant, imò directè oppugnant id sinè quo pœnitere nequeunt, puta bonitatem & beneficentiam divinam, omnemque tam internam quàm externam mentis illuminationem & inspirationem &c. Sic morbus ille dicitur incurabilis qui directè impedit & oppugnat id sinè quo sanitas recuperari nequit; ut qui prohiberet omnem cibum, omnem concoctionem, omnem medicinam. Nequè dubium quin de tali peccato agatur Heb: vi, 4. x, 26. Priori loco Tirinus malè vult impossibile id dici non absolute aut physicè, sed moraliter & apud homines, vel certè quod sit difficillimum. Cum tam absolute impossibile sit tales renovari ad pœnitentiam, id est ad resipiscentiam revocari post ejuratum ex destinata malitiâ Christi nomen, quàm certum est ex posteriori loco non relinqui ipsis hostiam pro peccato: Ad quæ verba cordatiùs loquitur Jesuita; nam post propositum illud suum commentum, quòd talibus *agrè ac vix reliqua est spes venia*, per epanorthosin subjicit; *Vel etiam propriè ac rigidè nulla est spes Apostatis aut remedium venia; nam in tali statu manentibus, nec Christus quem abnegant, nec alius Messias quia nullus venturus, nec legis sacrificia uspotè infirma & jam abolita, unquam pròdesse poterunt.* Indè igitur nihil est quod pœnitentes uti oportet destituat, aut ullo modo faveat Novatianis & Tertulliano lib. 5. de pudicitia, qui lapsos ex infirmitate, licet resurgentes à lapsu, nolebant ad publicam pœnitentiam & exindè ad sacram Synaxim admittere. Hæc paulò fusiùs de his locis voluimus annotare, ne quidpiam intactum in hoc indice Tiriniano reliquisse videremur.

Num: 6. ATTRITIO ex timore pœnæ orta, seu timor servilis, non facit homines hypocritas magisque peccatores (ut sensit Lutherus) sed disponit ad CONTRITIONEM & solidam pœnitentiam. Psal: cx, 10. & Prov: 1, 7. *Initium sapientiæ timor Domini.* Eccl: xxv, 16. *Timor Domini initium dilectionis ejus.* Es: xxvi, 18. *A timore tuo concepimus & peperimus spiritum salutis.* Matth: x, 28. *Timeate eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Et cur alioqui Christus Matth: III. XIII. XXIV. & XXV. & alibi toties minatur ignem gehennæ, stridorem dentium, tenebras exteriores, vermes, & flammam in extinguibiles? Fateor, non sufficere per se ad justificationem: sufficit tamen si accesserit absolutio Sacramentalis, hæc supplente quod deest ex parte illius. Ioh: xx, 23. *Quorum remisseritis peccata, remissentur eis.*

Luth.
serm. de
Pœn. au.
1517. &
l. contrà
bullã An-
tichristi
ad ari. 6.

CENSURA. *Attritio ex timore pœnæ*) Cum oderint peccare mali formidine pœnæ, non est quod in timore isto servili, quamdiu talis manet nec aliam parit tristitiam quàm mundi 2. Cor: VII, 10. quidquam bonæ frugis reponamus. Exemplum modò nobis suppeditavit ipse Tirinus in Antiocho ex 2. Macc: IX, 13. ut quamdiu ulterius non progreditur, ex eo nihil aliud sit expectandum præter hypocrisim vel desperationem.

Sed disponit ad Contritionem) Hoc ipsa attritio per se non facit, sed Deus interdum timore servili percellit mentes hominum, quo sic sensim eorum animos præparet ad opus quod destinavit in ipsis operari, prout solemus paulatim exsiccare ligna quibus ignem iniicere meditamur; Quæ autem hûc citantur testimonia sunt planè aliena. Nam Psal: CX, Heb: CXI, 10. & Prov: I, 7. agitur de timore Dei filiali & reverentiali non servili: Ipse Tirinus *ad eum Psalmi locum*, post explicatam istius timoris naturam sic loquitur; *Hinc timor iste non est servilis, sed filialis & semper conjunctus cum charitate, neque solum est initium sapientia sed est completa sapientia seu plenitudo sapientia ut dicitur Eccl: I, 20. Quantum enim crescit hic timor tantum crescit & sapientia.* Idem statuit *ad Prov: I, 7.* Similiter & Salazar *ibi* per timorem Dei intelligit *religionem, cultum Dei & observantiam ergà illum in universum.* Syracidem pariter Eccl: XXV, 16. noster Tirinus *ibi* intelligit de timore filiali, de quo, inquit, *egi in fine Psal: 110.* Nec potuit aliter intelligere locum *El: XXVI, 18.* quandoquidem eum Spiritum interpretatur *fructum & factum seria & sincera conversionis.* De genuino tamen hujus loci sensu à quo multum distat V. V. plura dici possent; cum non tam de contritione vel attritione agat, quàm de misero statu populi frustrà in suâ captivitate liberationem præstolantis. Matth: X, 28. quis sit timendus inculcatur à Christo non quo timore, & parum æquè judicaret de illius mandatis qui vellet eum præcipere timorem servilem non filialem. Etenim vel ipso iterum Tirino interprete *ad Matth: X, 26.* timor hic Dei opponitur pusillanimitati, quæ metu tormentorum vel à fidei confessione desleant homines, vel justitiâ excidant, vel saltem munus sibi injunctum deserant.

Et cur alioqui Christus) Ratio est in promptu, quod & formidine pœnæ

pœnæ velit nos ad officium perducere & virtutis amore : Nec timor est simpliciter servilis qui etiam respicit ad pœnam, sed is qui solo pœnæ metu excitatur. Tum conciones Christi inere legales, ab Evangelicis sunt distinguentur : Illæ solo terrore pœnarum urgent hominem ad officium ; At hæ sic metum inculcant pœnæ, ut magis tamen intendant reverentiam & amorem.

Fateor, non sufficit per se) Non sibi constant hac in re Jesuitæ ; Si enim contritio (specificè ab attritione distincta, est materia cum confessione & satisfactione adeoque pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ, quæ quælo poterit ad Sacramentum pœnitentiæ mera attritio sufficere ? Ut forma nequit supplere quod deest ex parte materiæ, cum disparata sint, ita non potest absolutio Sacramentalis supplere quod deest ex parte contritionis; imo si contritio desit, absolutio Sacramentalis nihil operatur; sicut verba consecratoria in Missa nihil efficiunt si non sit materia sufficiens & idonea ad transubstantiationem. Nec potest urgeri locus Joh: xx, 23. cum ibi (si de eo ageretur) verbum absolutionis supponeret antè omnia non leviculam attritionem, sed solidam contritionem, sicut verbum consecrationis supponit panem triticeum non aliud. Et mira foret efficacia in verbo absolutionis si novo transubstantiationis genere posset rerum naturas mutare, & ex timore servili qui per se nihil prodest ad justificationem, timorem filialem efformare. Verum illi paradoxo refutando non est quod diutiùs immorer, quandoquidem in ipsa communione Pontificiâ damnatur à Scholasticis, qui in *Theol. Morali Jesuit. cap. 25.* ex professo rejiciunt tanquàm heterodoxum quod Jesuitæ docent in suis thesibus contra Episcopum Yprensem *cap. 2. art. 28.* solum metum pœnarum inferni absque ullo motu amoris Dei, sufficientem esse dispositionem ad Sacramentum pœnitentiæ ; Cum, inquit Sorbona, doceat tota Antiquitas timorem purè servilem, qui nihil includit amoris Dei, quique nihil præter pœnam spectat, ad veterem pertinens legem & conditionem mancipiorum, non posse sufficientem esse dispositionem ad percipienda Sacramenta legis gratiæ & amoris.

Num: 7. CONFESSIO peccatorum MORTALIUM in specie coram

IIII 3

Sacer-

Sacerdote facienda est IURE DIVINO, (quicquid reclament hæretici) Christus enim constituit Sacerdotes in Ecclesiâ iudices cum eâ potestate, ut sine ipsorum sententiâ nemo post Baptismum lapsus, reconciliari possit Deo. Matth: XVI, 19. *Tibi dabo claves, &c. cap. XVIII, 18. Quæcumque alligaveritis, &c. Ioh: XX, 23. Quorum remisieritis peccata, &c. 2. Cor: V, 18. Dedit nobis ministerium reconciliationis. Pro Christo legatione fungimur.* Atqui Sacerdotes non possunt rectè judicare de peccatis, nisi illa cognoscant: cognoscere non possunt, nisi pœnitentes illa aperiant: ergò tenentur ipsi jure Divino sacerdotibus illa aperire. Et verò etiam in lege Mosaicâ præceptam fuisse à Deo confessionem coram Sacerdote faciendam, constat ex dictis num. 3. ac nominatim Num: V, 6. *Vir sive mulier, &c. Et nonné ex Act: XIX, 18. ibidem citato expressum habes exemplum contentium Christianorum apud S. Paulum? & Iacobi V, 16. Confitemini alterutrum peccata vestra; Et nullo non tempore fuit hic usus in Ecclesiâ. Qui nisi esset à Deo, quomodo potentissimi Reges & Imperatores, adeoque & ipsimet Pontifices, tot jam sæculis sinerent se tam difficili lege constringi? Act: V, 38. Si est ex hominibus consilium hoc, dissolvetur; Si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere; & Matth: XV, 13. Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur.*

CENSURA. *Confessio peccatorum mortalium*) Jam satis hanc materiam suprâ excussimus, ut de ponte deijceremus illam confessionem auricularem, conscientiarum carnificinam, hamum aureum Jesuitarum, & crinem fatalem ex quo omnis eorum auctoritas suspenditur. Doctissimus ille Sorbonista Arnaldus qui in tractatu de freq. Comm. pœnitentiæ publicæ restitutionem urget, eo ipso judicat quam facilè possit Ecclesia illâ confessione privatâ & serupulosa carere, de quâ B. Rhenanus ad librum Tertull. de pœnit. sic loquitur; *Caterum Thomas ab Aquino & Scotus homines nimium arguti, confessionem hodiè talem reddiderunt, ut Iohannes ille Geilerius gravis ac Sanctus Theologus qui tot annos Argentorati concionatus est, apud amicos suos sæpè testatus sit, juxta illorum deuteroseis impossibile esse consueti.*

Iure divino) Non ita sentire Ecclesias Orientis, imò Glossatorem ipsum Juris Canonici, suprâ fuit observatum.

Christus enim constituit). Ministros Christus constituit qui annuncient Remissionem peccatorum in nomine suo sub conditione pœnitentiæ & fidei, non Magistratus & Iudices qui pronunciant absolutas Sententias à quibus nemini liceat provocare; Et

re ; Et neminem posse post Baptismum sine ipsorum sententiâ reconciliari Deo, non potest dicere Tirinus, qui *suprà* N. 5. per-
tendebat solâ contritione extrasacramentali veniam peccatorum ob-
tineri. Nemo equidem publicè lapsus publicequè ligatus per ex-
communicationem, potest reconciliari Ecclesiæ & dehuò admitti
ad communionem Sacramentorum, nisi accedat exercitium potestatis
Clavium, de quâ Matth: xvi, 19. xviii, 18. Sed in occultis,
de quibus, ut vulgò ajunt, non judicat Ecclesia, neminem posse
remissionem consequi nisi per Ministrorum sententiam, falsissimum
est. De locis Joh: xx, 23. 2. Cor: v, 18. *suprà* fusè diximus.

Atqui Sacerdotes) Potestas Clavium & Ministerium reconciliationis,
etiam ubi definitè debent exerceri, nihil minus exigunt quàm auricula-
rem illam confessionem, quæ obtinet apud Pontificios: Nam talis con-
fessio non prærequiritur in homine ligando, cum citrà ipsius confessio-
nem sola convictio scandali publici & obstinatio in illo eum excom-
municationi subjiciat; Ergò nec præquiretur in homine absolven-
do, eo minus quod etiam nolens & invitus absolui quis possit in Papa-
tu: Et licet revera publicè culpam illam propter quam ligatus
fuerat agnoscere & deprecari debeat, tamen non tenetur per id ad
specialem omnium suorum peccatorum enumerationem. Et cum
inter Pontificios pœnitens per potestatem Clavium consequatur re-
missionem etiam eorum peccatorum quorum non potuit meminisse,
non est cur potestatis illius exercitio necessariò substernatur con-
fessio & enumeratio peccatorum: Si enim possum absolutionem
etiam consequi eorum peccatorum quæ non fuerim confessus,
quod illorum nequiverim recordari post diligens scrutinium, cur
non potero quoquè obtinere absolutionem eorum peccatorum quæ
sigillatim confiteri noluerim, quod persuasum habuero talem enu-
merationem esse juris merè humani & Ecclesiastici, ac mihi sufficere
generalem professionem meæ peccabilitatis & miseræ? Adde ea
exempla absolutionis ex potestate Clavium quæ *suprà* retuli in Papatu
absquè hac confessione.

Et verò etiam in lege) Adductio pro hoc vel illo peccato erat realis
peccati istius confessio; Sed nihil minus obtinuit in Veteri lege
quàm

quàm scrupulosa illa confessio auricularis pro qua tam acriter pugnant adversarij, apud quos abiit in Scholam vitiorum, quę per horrendas interrogationes Confessariorum sæpè incautis obruduntur. Imò quę in sacrificijs offerendis fiebat confessio ea peragebatur non apud Sacerdotem à peccatoribus, sed eorum nomine apud Deum per ipsum Sacerdotem, uti constat ex Ritualibus Judæorum. Sanè Num: v, 6. ut suo loco visum spectatur potissimum dolosa proximi circumventio, quę reparari non potest citrà confessionem; *In hoc enim casu injuria & injustitia, ex lege hac* (inquit ibi Cornelius à Lapide) *& ex lege natura præscribitur restitutio.* Nec valet argumentum à confessione præstandâ ubi agitur de injuriâ factâ proximo, quę per idoneam restitutionem debet reparari, ad omnium omninò peccatorum enumerationem: A specie ad genus non est argumentandum: Et cum non fuerit confessio illa Sacramentalis, frustrâ adfertur in hujus subsidium.

Et nonne ex Act: xix, 18.) Fusè suprâ ostendi quam non faveat ille locus adversariorum praxi. Magis fuit illa confessio realis hominû ad sacrum Baptisma accedentium, instar eorû qui à Johanne baptizabantur in Jordane, quam verbalis; & cum Baptismû præcesserit frustrâ urgetur pro eâ confessione quę nemini perhibetur esse necessariâ nisi post Baptismum.

Et Jacobi v, 16. Confitemini) Hunc quidem locum solent etiam adversarij eo inflectere, sed perperam; cum Jacobus proponat officia mutux charitatis inter quoslibet fideles ut sibi invicem confiteantur quę perperam egerint quilibet contrâ proximum suum, quò condonatis utrinque offensis solida pax inter ipsos resarciatur: Jacobus enim illa duo officia simul conjungit, *Confitemini alijs alijs offensas, & precamini alijs pro alijs ut sanemini.* Nec potest Tirinus confessionem restringere ceu faciendam ad Sacerdotes, (sic enim, cum mutua præcipiatur, deberet Sacerdos etiam confiteri sua peccata ipsi pœnitenti) quandoquidem spectat officium commune omnibus præscriptum fidelibus de mutuis offensis condonandis, de quo Matth: vi, 14. xviii, 35. Eph: iv, 32. hîc nominatim; Estote, inquit Apostolus, alijs in alios benigni, misericordes, condonantes vobis mutuo sicut & Deus in Christo condonavit vobis: Nec debet urgeri ut fit à Lorino particula illativa *et*, quasi per illam connectatur

Statu hæc doctrina cum præcedenti, de Extrema, scilicet; uncti-
one, quandoquidem illa particula illativa non extat in textu Græco;
& perperam Jacobus post subministratum ægris remedium Extremæ
unctionis, illi adjiceret Confessionem Sacramentalem, quæ aliàs in
Papatu præmitti solet & debet. Si de hoc loco aliorum communi-
onis Pontificiæ judicium velimus, Rickelius sive Carthusianus & post
ipsum Titelmannus ita eum conantur inflectere ad graviorum pec-
catorum confessionem faciendam Sacerdoti, ut *minora* etiam *proximis*
familiaribus esse confitenda hinc colligant; quasi verò eâdem senti-
entiâ Confessio Sacramentalis & non Sacramentalis injungatur. Glos-
sator Gratiani ad C. *In pœnit. dist. 5. de Pœnit.* sensit illud Jacobi ad
Confessionem Sacramentalem non pertinere, sed ad summum *consilij*
fuisse *non præcepti*, quod eo Græci non teneantur: Et verè de hac
Jacobi sententiâ pronunciat Erasmus in *Annot. ad Iacob. Sentit de quo-*
tidianis offensis Christianorum inter ipsos quos continuò vult reconciliari: *Alio-*
qui si de Confessione sensisset quam dicimus partem Sacramenti pœnitentiæ,
non addidisset ἀλλήλοις id est vobis invicem, sed Sacerdotibus: *Ab hac*
sententiâ non dissentit interpretatio Bedæ, & ita palàm citat in Commentarijs
quos scripsit in caput quintum Epistola Iohannis. Cajetanus similiter *ad hunc*
locum; *Nec hîc est sermo de Confessione Sacramentali, ut patet ex eo quod dicit*
Confitemini invicem; Sacramentalis enim Confessio non fit invicem sed Sacerdoti-
bus tantû; Sed de Confessione quâ mutuo nos fatemur peccatores ut oretur pro nobis,
& de Confessione hinc & inde erratorum, pro mutuâ placatione & reconciliatione.

Et nullo non tempore) Viguit semper in Ecclesia quædam Discipli-
na circa scandala publica per Exomologesim solemnem reparanda,
juxta Pauli mandatum 1. Tim: v, 20. 2. Thess: III, 14. At falsò
asseritur semper viguisse Confessionem illam privatam & scrupulosam
quæ exigit omnium peccatorum etiam occultorum enumerationem
apud Sacerdotem, cujus aures ita fiant similes illis portis quarundam
olim urbium quæ inde maledictæ dicebantur, per quas non nisi lutum
& sordes & cadavera educebantur. Quæ fuerit origo Presbyteri
Pœnitentiarij ad privatas confessiones audiendas, quod odiosum vi-
deretur Sacerdotibus *tanquam in theatro audieme Ecclesia multitudine de-*
licta pronunciare, (cujus primi instituti restant rudera in Papatu, ubi

Kkkk

extat

extat quidam Magnus Pœnitentiarius in singulis Episcopatibus) quæ ejus postea abolitio per Nectarium in Oriente jam ante monuimus ex Sozomeno *lib. 7. Hist. Eccl. cap. 16.*

Qui nisi esset à Deo) Ridiculum argumentum; cum potius in eo se prodat Myſterium iniquitatis & efficacia erroris in illo, quod Reges ac Principes Christiani inebriati vino magnæ Meretricis, hoc capitrum sibi à Clero imponi patiantur; quâ ratione Sacrificuli & Papa per eos penetrant in Consilia Reipub. & se terribiles reddunt ijs quorum defectus ac vitia omnia habent in numerato, & irrepunt in familias ut loquitur Paulus 2. Tim: 111, 6. & captivas ducunt mulierculas cumulas peccatis, actas cupiditatibus variis: Quare non immeritò posset hæc Confessio primarium locum tenere pro Clero inter modos acquirendi & retinendi dominij, quem Pontifices sibi tam utilem nunquam ultrò sunt abjecturi: Et jure Marcus Antonius de Dominis eam annumerat Scopulis naufragij Christiani in libello de illis Italicè edito sub titulo *Scogli del naufragio Christiano p. 2. Scoglio secondo.* Et eo quod illa Confessio non sit opus Dei, utpote omnium illius autoritate destituta plerique in Europa ei nuncium solemniter remiserunt, & multis in locis hæc zizania revulsa est ex agro Domini; Nutat quoque valde in residuis partibus Pontificiæ communionis, per Jansenitas & Arnaldistas qui ejus vim elevant quantum possunt, dum leges publicæ pœnitentiæ satagunt restituere; ac tandem penitus extinguetur in finali Babylonis everfione quam hæctenus cœptam Dei verbo, meritò juxta ipsius promissiones expectamus, ut nullo jure ad istius Confessionis commendationem Tirinus loca Act: v, 38. Matt: xv, 13. trahere queat.

Num: 8. Instauratâ cum Deo amicitia & REMISSA CULPA peccati, & pœnæ æternitate, sæpè adhuc REMANERE DEBITUM luendæ Pœnæ TEMPORALIS seu in hæc, seu in futurâ vitâ; negant Calvinus, Melanchton, Kemnitius & quidam alij; sed probat mors filioli, & gladius Absalom, quibus 2. Reg: x11, 14. David puniendus dicitur etiam post impertitam veniam adulterij & homicidij admissi; rursus pestis illa quæ ob numeratum populum, etsi remissâ jam culpâ, punitur ejus regnum 2. Reg: ult. v. 15. Et scelera Manassis punita adhuc diu post ejus resipiscenciam, 4. Reg: xxi11, 26. Rursus Exodi xxx11, 14. ob preces Moyſis Deus peccatum

Calv. l. 3.

Inst. c. 4.

§ 31.

Melanch.

in locis cit.

de Satisfac.

tion. R. 2.

mit. sup.

us peccatum idololatriæ remittit populo, & nihilominus v. 27. promiscuâ cæde jubentur occidi tot millia. Num: xiv, 29. in pœnam murmurationis ac rebellionis, etsi reconciliato jam Deo, omnes, exceptis duobus, morti addicuntur, ipse etiam Moyses & Aaron Num: xx, 12. Sic 1. Cor: xi; 30. Ideo imer vos, ob indignam communionem, *multi imbecilles, & dormiunt multi*: quos tamen ante mortem resipuisse constat ex eo quod subditur, *A Domino corripimur ne cum hoc mundo damnemur.*

CENSURA. *Instaurata cum Deo*) Non possunt Pontificij tueri ordinem illum præposterum quo post absolutionem indultam pœnitenti illi tamen adhuc injungunt varias satisfactiones, quibus revera illigatur, quam per illud axioma quod hic Tirinus nobis propinare conatur, nempe culpâ remissâ remanere debitum luendæ pœnæ temporalis, seu in hac seu in futurâ vitâ: Verum illud nunquam extorquebit ab ijs qui non nesciunt quidnam importet remissio culpæ, præsertim apud Deum Patrem optimum qui veniam non solet dimidiare: Ea enim non est pœnæ diminutio vel commutatio, ut cum corporea pœna per leges infligenda moderante Magistratu Supremo in pecuniariam mutatur, sed indemnitas ab omni pœna Rom: viii, 1. Nec enim Deus duplicem exigit pœnam pro peccato, temporariam & æternam; sed unicam tantum inchoandam in hac vitâ, continuandam in alterâ; Et cum illi Christus plenè satisfecerit pro omni pœna nobis jure infligenda, non est tam iniquus exactor fingendus ut velit pro eodem debito duplicem exigere perfolutionem, unam à Christo expromissore nostro, alteram à nobis: Et ut doctiorum è Papatu consensus hic præteream relatum à nostro Drelincurtio *lib. 1. de Jubilæo cap. 6.* ex quo constat tunc tegere Deum peccata *quandò ad pœnam non reservat*, ut loquitur etiam Lombardus *lib. 4. dist. 18. litt. C.* id mihi imprimis ad hanc rem videtur dignum observatu, quod sicut pœna æterna debetur culpæ, eo quod licet actu transierit, moraliter tamen tamdiu censetur permanere quamdiu remissa non est, sic viceversa nulla pœna possit remanere pro culpa jam remissa, quoniam eo ipso quod remissa est pro non commissa habetur moralis æstimatione remittentis; Ut autem culpæ, quæ non amplius habetur pro culpa vel pro commissa eò quod remissa est, supersit aliquis

reatus tam absurdum est quàm absurdè diceretur accidens remanere sublato subjecto, vel adhuc lucère candelam postquàm extincta est: Cum Deus remittit peccata auertit faciem ab illis; *auertere autem faciem à peccatis*, inquit Lombardus V. S. *hoc est ea ad poenam non seruare*, quod & dixit Hieronymus ad *Psal: 32. Quibus Deus dimittit peccata tegit ne in iudicio reuelentur.* Imò, tantum abest ut remissâ culpâ remaneat debitum poenæ temporalis, ut è contrario ablata fuerit poena temporalis in Paralytico, Hæmorrhoiisâ & alijs quos Christus sanauit, eo ipso quod illis remissionem culpæ indulgeret; Sanguis ipsius nos lavat & ab omni peccato & à toto peccati, 1. Joh: 1, 7. Heb: 1, 3. Eph: 1, 7.

Sed probat mors filioli) Primùm nullo exemplo ex his quæ huc congeffit Jesuita, probatur poenam temporalem ullam luendam restare in altera vita, quod tamen valdè liberaliter hîc affirmabat Tirus Purgatorij fundamenta tuiturus. Secundò, ad hæc exempla uno verbo potest responderi, ex distinctione poenæ quam proponunt ipsimet aduersarij, dum aliam *medicinalem* aliam *satisfactoriam* faciunt, ut videre est apud Becanum *tract. 2. secunda partis Theol. Scholast. cap. 8. q. 2.* Nam Deus remissâ culpâ, poenam quoque omnem Satisfactoriam remittit, sed tamen jus sibi seruat infligendi poenas medicinales, quæ ad emendationem faciunt quia *καθήματα καθήματα*, non tamen ad satisfactionem: Hæ poenæ sũnt *νοθήσαι & κολάσεις*, non *τιμωρίαι*; quo referri potest locus Heb: XII, 6. 7. 8. 9. 10. 11. Nec aliter possent se pij solari in calamitatibus quas patiuntur, si haberent eas pro poenis iudicialijs non verò pro paternis castigationibus, quarum radix amara fructus dulces. Ita faciebat ad Davidis emendationem & poenam medicinalem, mors filioli per adulterium geniti & Absalomi rebellio, de quibus 1. Reg: vel Sam: XII, 14. ut sic disceret in posterum cautiùs mercari & tolleretur scandalum quod dederat suo peccato. Sic gravis fuit castigatio, in medicinam tamen salutarem non in iudicialiam satisfactionem ordinata, ea pestis cuius sit mentio 2. Sam: XXIV, 15. Sic quoque actum cum Corinthijs ob Sacræ Coenæ contemptum 1. Cor: XI, 30. quorum morbi & mortes eo certiùs poenis medicinalibus non satisfactionibus annumerantur, quod

quod expressè de illis subjiciat Apostolus com. 32. Dum judicamur, (licet enim poenæ medicinales non sint præcisè judicariæ, tamen justæ sunt & æquissimæ) à Domino erudimur ne cum mundo condemnemur. Ipse Tirinus *ibi* comprobatur quod dicimus; Dum enim, (inquit) *in presenti vita per morbos vel mortem judicamur, id est punimur, hac viâ corripimur à Domino, sicut filij à parente, ut tali castigatione respiciamus & pœniteamus de datâ culpâ, ut non damnemur æternum.* Quominus idem statui possit de Mose & Aaraone Num: xx, 12. nihil video quod obstet: Maximè cum etiâ hæc illis acciderint in typum, quo significaretur legem nihil adduxisse ad perfectionem. Sanè Cornelius à Lapide *ad eam locam* observat, Mosis hanc mortem, non tam supplicium quàm castigationem fuisse qua magis esset signum & significatio rei futura: allato ad id testimonio Augustini q. 53. in Num. Cum ambobus fratribus Mose & Aaron dicitur ut apponantur ad populum suum, patet non esse illos in ira Dei qua separat à pace societatis æterna; Vnde manifestatur non solum officia sed etiâ mortes eorum signa fuisse futurorum, non supplicia indignationis Dei. Nequè potest Tirinus hoc loco sibi fingere debitum poenæ temporalis luendæ æternâ remissâ, cum ipse statuatur *ibi* Mosem & Aaronem non nisi venialiter peccasse: Nequit autem remissa fuisse poena æterna in peccato veniali, quod juxta Pontificios poenam æternam non meretur. Israëliitarum in deserto, quorum quoque urget exemplum Jesuita, dispar potest esse ratio; Nam Exod: xxxii, 14. non remittitur simpliciter peccatum Idololatriæ toti populo, sed tantum non deletur ad internecionem, & uno quasi momento, ut comminatus Deus fuerat *ibid.* com. 10. & quo metus & exemplum ad omnes poena ad paucos perveniret, contentus fuit supplicio trium millium, prout in militia Romana integra legio quæ tumultuata fuerat decimatione puniebatur; Quinquàm etiâ remissio culpæ & poenæ à parte Dei, etsi absolute concessa statueretur, non potuit impedire Mosem quominus Magistratu suo ritè defungeretur, & illa strage per Levitas editâ, reliquis terrorem incuteret, ac eos in posterum à tam pravis consiliis abduceret: Ita solent rustici fugaturi cornices à suis fatis, unam ex illis occisam ex pertica suspendere, quo aliæ terreantur. Circâ locum Num: xiv, 29. observandum est, Deum equidem pepercisse

Kkkkk3

percisse

percussit genti & populo in communi considerato, ut eum non penitus extirparet uti comminatus fuerat com. 12. Sed nihilominus omnes illos rebelles & murmuratores qui ex *Agypto* prodierant sic ad interuersionem delevit in deserto ut eorum nemo in terram *Canaan* ingressus sit: Populo in specie erat reconciliatus Dominus, sed non individuus & singulis ex illo qui eius iram concitauerant, & qui etiam poenas ei dederunt, uti par erat: An verò eorum mors in deserto poena fuerit temporalis tantum, sic ut interea *Coelo* exclusi non fuerint, nostrum non est inquirere: Si ita sit, idem de eorum poena dicendum quod supra dicebat *Augustinus* de *Mosis* & *Aaronis* morte in eodem deserto, mortes eorum *signa fuisse futurorum, non supplicia indignationis Dei*: & prout omnia cedunt in bonum ijs quos amat, cessisse ipsis in saluberrimam medicinam hanc temporalem & momentaneam castigationem, quâ etiam cœteri sunt deterriti à peccato, ut ille qui patris sui exuviis vestitam sellam inter iudicandum occupabat à simili iniustitia revocabatur. Quantum ad scelera *Manassis*, cum ea Deus ultus sit demum post illius mortem 2. vel 4. Reg: XXI II, 26. non potest hoc exemplum ulla ratione favere *Tirino*; Nam calamitates immixtæ idèò populo postquam *decessisset*, non potuerunt ad ipsius poenam personalem spectare; multò minus esse satisfactoriæ pro poena temporali ipsi debita. Sed Deus irritatus criminibus in quæ rex ille præcipitaverat subditos suos, nec placatus pietatè & religione optimi successoris nempe *Josæ*, quod in *Judæis* plus valuisset impetus *Manassis* ad scelera & idololatriam, quam *Josæ* revocatio ad pietatem & reverentiam *Numinis*, prout facilis est descensus *Averni*, sed referre gradum & superas remeare ad auras, hoc opus hic labor est, suntque Principum exempla longè efficaciora ad malum quam ad bonum, tandem dilatam hæctenus poenam effudit iustissimè in populum, potius insistentem impietati *Manassis*, quam ejus resipiscentiam vel pietatem successoris imitantem.

Nota: 9. REATUM POENÆ hujus temporalis in hac vitâ luendæ, subinde non patitur ullo modo redimi Deus, ut jam vidimus in *Moyse*, *Aarone*, *Davide*, &c. sicut à morte corporali, quam in poenam peccati originalis inflixit Gen: II, 17. neminem vult eximi. Alias tamen poenas posse

ut pluri-

ut plurimum redimi, constat ex exemplo *Ninivitarum* Ionæ III, v. ult. *Nabuchodonosoris* Dan: IV, 24. & tam apertis Dei promissionibus 2. Paral: VII, 13. Jer: XVII, 7. Tob: IV, 11. &c. Pœnas verò in alterâ vitâ luendas postumus semper redimere, ut videbimus Contr. XXIX. N. 1. & 4. Redimere inquam partim bonis operibus, & his vel sponte susceptis, exemplo Iobi c. ult. v. 6. Davidis 2. Reg: XXI, 16. Achabi 3. Reg: XXI, 27. & 29. imò & S. Pauli 1. Cor: IX, v. ult. *Castigo corpus meum*, &c: vel à sacerdote iunctis, juxtâ illud Matth: XVII, 18. *Quemcumque alligaveritis*, &c. Partim patientiâ tolerantia pœnarum & flagellorum nobis immissorum, 1. Reg: III, 18. *Domini est, quod bonum est in oculis suis, faciat*: Partim indulgentijs, de quibus controversiâ sequenti.

CENSURA. *Reatum pœna hujus temporalis*) Perperam distinguunt Scholastici inter reatum culpæ & reatum pœnæ, cum ipse reatus formaliter nihil aliud sit quàm ex culpa nascens obligatio ad pœnam, cujus relaxatio est peccati remissio ejusque non imputatio, ut loquitur etiam Scriptura. Frustra autem hîc differit Jesuita de redemptione pœnæ temporalis post remissionem culpæ. Hac enim ab optimo patre impetratâ in sanguine Christi, nulla amplius pœnæ satisfactoria in foro poli restat nobis luenda; Sed supersunt pœnæ medicinales & castigationes paternæ quibus placet Domino suorum Sanctificationem promovere, ut remissione peccatorum eorum absolvit Justificationem: Eò spectare exemplum Moïsi, Aaronis & Davidis modò visum. Et qui vellet immunis præstari ab omni calamitate in hoc statu peccaminoso, ei foret similis qui in morbido statu vulgum pharmacum sibi vellet propinari. Suos quisque patitur manes; Sua cuique crux est imposita; Et pio bonum est affligi ut ediscat mandata Domini: Suntque ei tentationes & afflictiones in remedia certissima, vel prophylactica, ad morbos præcavendos, vel therapeutica, ad eos curandos. *Ceterum* (ut loquar cum Cypriano contra Demetrianum) *nullus hîc dolor est de incurstone malorum præsentium quibus fiducia est futurorum bonorum.* Denique *nec consternamur adversis, nec frangimur, nec dolemus, neque in ullâ aut rerum clade, aut corporum valetudine, missistamus; Spiritu magis quam carne viventes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus: Per ipsa qua nos cruciant & fatigant probati & corroborati nos scimus & confidimus.*

Sicut de

Sicut à morte corporali) Sanè hoc exemplum vehementer comprobabat quod volumus; Mors enim corporalis, quæ ex parte rei est peccati stipendium Rom: vi, 23. & pœna naturæ, tamen beneficio Dei pœna definit esse in piis & fidelibus, qui *ad immortalitatem sub ipsâ morte transeunt*, ut loquitur Cyprianus. Tunc enim ut idem habet, *Serm. de Mort.* est servus Dei pax, tunc libera & tranquilla quies *quando de istis mundi turbibus extracti sedis & securitatis aeternæ portum petimus, quando expunctâ hac morte ad immortalitatem venimus*: Scilicet noster Samson portas hujus Gæzæ revulsit, & quæ impij descendunt ad tartarum fideles & pij in Cœlum recipiuntur. Nec pij sæpè mortem anhelarent ut laborum suorum finem ac Cœli janitricem & quod sibi meliùs sit dissolvi & esse cum Christo, si mortem hanc putarent ijs pœnis temporalibus accensendam, quas amoliri, & ut loquitur noster Tirinus, redimere, ut pote Satisfactorias justitiæ divinæ, omni ope sit annitendum. Christi præsertim Martyribus Sanctis, quod non negabunt Adversarij, mors temporalis non in pœnam cessit sed in coronam: Equidem vult Deus remanere in omnibus hominibus mortalitatem illam quam invexit peccatum, quo etiam pijs omnibus constet quam acerbi sint transgressionis fructus, sed suis tamen mors quæ est pœna naturæ sit janua vitæ; Nec dubitari potest quin ipsâ mors corporalis ijs sit pœnis quoque accensenda quas nostro nomine pertulit Christus & à quibus nos sua morte liberavit; quæ licet necessitatem moriendi non induxerit, pœnalitatem tamen abstulit mortis & huic scorpionum suum revulsit aculeum. Quod si Christus à morte temporali ut pœna est satisfactoria nos non liberasset, nec possemus vi redemptionis suæ resurgere ad immortalitatem, quando ultimus ille hostis abolebitur, ut est apud Paulum 1. Cor: xv, 26.

Aliàs tamen pœnas) Hoc scilicet pertinebat ad magnæ Meretricis mercaturam, ut haberet omnia vœnalia, & post dispensationum & indulgentiarum nundinationes quibus vœnales fecit pœnas Canonicas in foro fori tenui redimendas ære, etiam de pœnis divinis redimendis in foro poli auderet differere. Hic tamen nullam aliam agnoscit Scriptura redemptionem quam quæ est in sanguine Domini nostri

noſtri Jeſu Chriſti 1. Pet: I, 19. 1. Cor: VI, 20. Act: x̄x, 28. Imò omnis alia redemptio diſertè rejicitur Pſal: XLIX, 8. 9. Et cum agnoſcant ipſi Scholaſtici juſtitiz commutativæ non eſſe locum inter Deum & homines, ut videre eſt apud Puteanum *ad 1. 2. q. 114. art. 1. dubit. 8.* non poteſt Deus fingi vœnales habere pœnas fontium quas ipſis offerat redimendas. Interea tamen fateor non quidem redimi propriè afflictiones & pœnas juſto Dei judicio hominibus vel inſiſctas vel infligendas, ſed denunciãtas præveniri, & incumbentes averruncari vel emolliri, ſeriã reſipiſcentiã & converſione ad Deum, quam piã deprecationes cum fide fuſæ & quorûmlibet bonorum operum exercitium comitentur: non quod pœnitentiã, fides, oratio, charitas, humiliatio habeant rationem lytri & pretij quo nos à pœna divina redimamus; ſed quod Deus eos quibus dat his ſanctis deſungi officijs, habeat pro ſibi reconciliatis & redemptis ſanguine Chriſti, illiſque ideo gratis indulgeat crucis & caſtigationis vel illatæ vel denunciatæ remotionem aut imminutionem. De Ninivitarum & Nebucadnetzaris exemplis quæ hîc proferit Tirinus, ut & de loco Tobizæ 1V, 11. diximus *ad Cont: xvii. N. 8. & 13.* Promiſſiones quas citat inſuper ex 2. Par: vii, 13. fortè voluit citare 2. Par: vi, 27. 29. & Jer: xviii, 7. nihil faciunt ad hanc redemptionem pœnarum temporalium ceu ſatisfactoriarum pro peccatis. Quæ enim promiſſiones factæ ſunt converſioni & precibus quæ fiunt ex fide, (nam aliæ nihil profunt) eas non faciunt vel meritorias, vel pœnales, vel ſatisfactorias pro pœna temporali nedum pro æterna, ut Cont: xv, xvi. & xvii. oſtendimus. Interea cum Tirinus alias pœnas faciat redimibiles alias non, deberet nobis catalogum ſpecialeſ utrarumque pertexere, & ſingulis ut in taxa Cancellariæ Papalis ſua diſtincta assignare peccata, ne dum laboramus in illis redimendis quæ redimi non poſſunt, perdamus occaſionem eas redimendi quæ poſſent redimi.

Pœnas verò in altera vita) Cùm beati ſint & quieſcant à laboribus ſuis qui in Domino moriuntur Apoc: xiv, 13. & verè dixerit Cyprianus *contra Demet.* *Quando iſtinc exceſſum fuerit nullus jam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus, nullæ pœnæ poſt mortem luendæ reſtant ijs qui culparum ſuarum in Chriſto remiſſionem fuerint con-*

L llll

ſecuti,

secuti, ut de illis redimendis debeat disputari. Studio quidem pietatis & bonorum operum, atque Sanctificationis sinè qua nemo Deum videbit Heb: xii, 14. debemus viam cœli insistere & vitare pœnas inferni quæ solæ restant luendæ post hanc vitam; sed de pœnis purgatorijs, quæ in Utopia demum sunt perferendæ, neminem tenet sollicitudo, nisi quem dementat superstitio, ut plenius videbimus *Cont. xxix, n. 1. & 4.* quòd nos Jesuita remittit. Hoc tamen ræoneo quod si semper possunt redimi pœnæ purgatorix, non debere pronunciare Adversarios tam districtè, omnibus purgatorium esse subeundum qui cum culpis venialibus moriuntur, ut fit à Bellarmino *lib. 2. de purgat. cap. 1.*

Redimere inquam partim) Frontem & conscientiam oportet perijisse Adversarijs, cum ad talia prorumpunt. Job xlii, 6. de suâ protestatur solemnî respiscentiâ etiam in sacco & cinere declarandâ, respectu culpæ quam admiserat, cujus remissionem & veniam à Deo deprecabatur, non respectu pœnæ temporalis aliàs luendæ in purgatorio, quam nec noverat nec metuebat. Davidis preces & jejunium 2. Sam: xii, 16. nec redemptoriæ fuerunt castigationis illius quam jam ei denunciaverat Nathan circa obitum infantis, *liquidem* mortuus est; nec eo ordinabantur directè & per se, sed ad morbum infantis quem in vivis lubens conseruasset parens optimus: nec ullo modo spectarunt pœnam temporalem post hanc vitam luendam, cum talis pœna infantem recens natum nulloquè actuali peccato inquinatum non maneret. De temporaria & hypocritica Achabi humiliatione dixi *Cont. xvii. n. 8.* Homo impius & nequam nequivit pro pœna temporali satisfacere, ceu jam liberatus æternâ, cui ex hypocriteôs suæ merito innexus remanebat: Et eos oportet insaniere qui Achabum putent jejunium suum ordinasse ad pœnas purgatorij, vel imminuendas vel evitandas post hanc vitam. De Pauli loco 1. Cor: ix, 27. dixi *Cont. ead. xvii. n. 11. & fufius tom. 1. Cont. ix. n. 10.* quòd Lectorem benevolum amandatum velim: Corpus peccati contundere & carnis lasciviam comprimere pertinet ad officium Sanctificationis sedulò continuandæ, non ullius satisfactionis præstandæ pro pœna temporali vel hujus vitæ vel alterius: Et
nihil

nihil planè habet Paulus quod ullâ verisimilitudine possit trahi ad Purgatorium.

Vel à Sacerdote injunctis) Potuissent cenferi satisfactoriæ Ecclesiæ & in foro fori pœnæ illæ Canonicæ quæ pœnitentibus olim vigente disciplinâ imponebantur, neutiquam satisfactoriæ Deo in foro poli, vel quoad vitam præsentem vel quoad futuram. Intereâ monemus I. Opera quæ *pœnalia* valgo dicuntur, & qualia solent suis pœnitentibus injungere Confessarij, sæpè inepta & ridicula, bonis operibus simpliciter non posse annumerari, cum destituantur & mandato & promissione Dei in sacris Scripturis. Et quis hæc petijt à manibus vestris? II. Cum nihil debeant Sacerdotes peccatoribus injungere quod non sit officij Christiani, officiorum debitorum præstationem, nec pœnalem debere esse homini pio, nec satisfactoriam cenferi pro pœna peccati; nec enim dispunguntur vetera debita ejus præstatione ad quod in præsentem tenemur. III. Potestatem ligandi & solvendi, hoc est, vel removendi homines scandalosos & publicè peccatores à Sacramentis, vel resipiscentes recipiendi, (ut taceam de alijs Ministerij partibus sub hac ligandi & solvendi potestate comprehensis) nullâ ratione complecti ejusmodi operum pœnalianum injunctionem quibus satisfiat justitiæ divinæ & in foro poli, pro pœna temporali hujus vitæ, nedum futuræ.

Partimpatienti tolerantia) Tam verum illud est quod patienter sit ferenda quæcunque castigatio vel afflictio nobis obveniat, quo spectat non tantum Heli exemplum I. Sam: vel Reg: III, 18. sed etiam dictum Davidis Psal: xxxix, 10. & Ecclesiæ Mich: vii, 6. quam id falsum patienti hac tolerantia satisfieri justitiæ divinæ pro expianda pœna temporali vel hujus vitæ vel futuræ. Cum enim illi patienti tolerantia detur locus cum pœnas exigit à nobis Deus, non quidem satisfactorias, sed medicinales & castigatorias nostrorum peccatorum, non potest illi pœnæ temporariæ redimendæ ea tolerantia inservire cui, si pœna talis foret, nec locus esset in animo piorum. Quid quod Ethnici ipsi patientiæ & fortitudinis in suis calamitatibus egregia quandoquæ edidère specimina, quæ tamen nullâ ratione satisfactoria dici possunt, utpote profecta ab hominibus qui

non erant in statu gratiæ?

Partim indulgentijs) Sed & nos de illis breviter ad sequentem Controversiam sumus dicturi. Pro Corollario subijciam Cassandri verba *Consult. art. 12.* Is postquam triplicem proposuisset poenitentiam ex Augustino *cap. 31. de poenit. mod.* tertiamque dixisset lubeundam pro illis peccatis quæ legis Decalogus continet, de quibus Apostolus Quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt, addit, *Atque hæc tertia sola nostri est institui, qua Ecclesiasticis Sacramentis numerari consuevit; quamvis uonnulli etiam ex ordine Scholasticorum non familiarem sive privatam poenitentiam, neque quamvis publicam, sed solemnem tantum Sacramentum dici affirmant; qua poenitentia in ejectione ab Ecclesia in cinere & cilicio peragi solet & à qua in Canonibus propriè poenitentes appellantur: ea est quam iterari non posse veteres scribunt, ut est apud Ambrosium: Quibus verbis hodierna, Jesuitarum de poenitentia doctrina planè evertitur.*

CONTROVERSIA XXIV.

De

INDULGENTIIS.

Respondente

ANTONIO PERIZONIO

Lippiaco-Westph.

a Contro:
xxiii,
n. 8.

NUM: I. INDULGENTIAM (cujus nominis meminit Esaias cap. LXI, I.) vocamus specialem remissionem poenarum temporalium, pro peccatis, alioqui debitarum, & quæ a Prælato Ecclesiæ, ex paternâ in filios lenitate subinde concedunt. Hanc autem potestatem penes illos esse (licet omnes hæretici negent,) constat ex Matth. XVI, 19. *Tibi dabo claves regni Cælorum, quodcumquæ solveris, &c. c. XVIII,*

18. *Quæcum-*

18. *Quaecumque solveritis*, &c. Ioh: xx, 23. *Quorum remiseritis peccata*, &c. Quibus locis datur Prælati Ecclesiæ potestas omnis necessaria & utilis ad ingressum cœli fidelibus plene aperiendum: ergo etiam potestas solvendi à poenâ temporali relicta post remissionem culpam & poenam æternam: nam & hæc quamdiu remissa non est, remoratur nos ab ingressu cœli. Hæc potestate utens S. Paulus 2. Cor: II, 10. indulgentiam impartivit incesuoso jam serio pœnitenti. Et Ecclesia semper hucusquæ usum hunc continuavit. *Sic nos existimet homo ut dispensatores mysteriorum Dei* 1. Cor: IV, 1.

CENSURA. *Indulgentiam cuius nominis*) Nisi depudiissent malignones magnæ meretricis non susciperent defensionem harum suarum futillum mercium, quarum occasione cœptum fuit reformationis opus Witebergæ per Lutherum, Tiguri per Zwinglium. Jam tum Thomæ tempore, ut patet ex *supplem. 3. p. quest. 25. art. 2.* non defuerunt qui dicerent has indulgentias esse *pias fraudes*, nec diffidetur Bellarminus *lib. 2. de indulg. cap. 17. auctores antiquiores non multos haberi, qui harum rerum mentionem faciant.* Et Prierias ipse, antagonista licet Lutheri in *Summa sua Sylvestrina*, ad vocem *Indulgentia*, sic loquitur; *Indulgentia per Scripturam nobis minime innotuit, licet producatur illud 2. Cor: 11. Si quid donavi vobis; sed nec per dicta antiquorum doctorum sed modernorum.* Imò antè Prieriam & Lutherum nollet Wessellus Groninganus satis liberè in Indulgentias dixerat & eas de ponte deiecerat, ut cæteros taceam qui prout crescebat Quæstoribus Pontificijs audacia, sese illis fortissimè opposuerunt. Varia contra Indulgentias Doctorum communionis Pontificiæ testimonia collegit R. D. Drelincurtius in egregio suo opere *de Iubileo p. 2. c. 8.* Origo istius erroris hæc fuit. In Ecclesia veteri poenæ & satisfactiones quædam canonicæ valdè austeræ peccatoribus publicis & ijs qui se ultrò accusabant imponebantur per canones pœnitentiales, quorum specimina videre est non solum in canonibus Concilij Elibertini, Ancyrani & Niceni, sed etiam in Decreto Burchardi, Yvonis & Gratiani: Cum autem austeritas illius disciplinæ & canonum severitas intolerabilis evaderet, ejus mitigandæ quæsitæ sunt varix rationes: Primò itum est ad Martyres in metallis, à quibus commendatitiæ epistolæ dabantur pœnitentibus ad suos Episcopos, ut mitius cum illis agerent & aliquid vel

LIII 3

de tempo-

de tempore vel de asperitate poenitentiae publicae remitterent: ut videre est apud Cyprianum *Epistolarum lib. 3. Epist. 15. 16. 17.* Deinde ipsimet Episcopi coeperunt, etiam in Concilijs, aliquid remittere de illa severitate & Canones poenitentiales mitigare, ut patet ex *Can. 11. Concilij Niceni, Can. 21. & 22. Concilij Ancyranj, 37. Concilij Agathensis & aljs*; Imò singulis Episcopis fas erat mitius adhuc agere cum Poenitentibus quam Canonibus erat constitutum ubi eorum seriam contritionem perspectam habuissent: quod patet ex Concilio Ancyrano *can. 5. & Niceno can. 5.* Postea Canonum Poenentialium jugum plerisque detrectantibus, introductae sunt satisfactionum canonicarum partim permutationes partim redemptiones; Sic enim, ut liquet ex Poenentiali Romano apud Burchardum, trium dierum Jejunium redimebatur recitatione 50. Psalmorum & alicujus egeni nutritione, vel tribus denariis ab eo qui Psalmos nesciret; & ita proportionaliter ad septimanas, menses & annos: Videatur Burchardi Decretum *lib. 19. praesertim à cap. 11.* nam priora capita ita spurca sunt ut sine horrore legi nequeant. Hac autem portâ redemptionem semel datâ, coepit undecimo demum saeculo sub Urbano 11. nundinatio indulgentiarum, quae ut pluris fierent varia sunt excogitata commenta de earum valore & efficacia non solum in foro fori & quoad poenam canonicam, sed etiam in foro poli & quoad satisfactionem praestandam justitiae divinae pro peccatis; excogitaturque thesaurus Ecclesiae ex quo distribuerentur; & omnes adhibitae technae per quas ex Indulgentiarum plumbo aurum purissimum fieret: Omnes recessus hujus mysterij iniquitatis eruere nihil attinet: Satis esto haec breviter in antecessu monuisse ut commodius expendi & refutari possint quae Tirinus hac de re annotavit. Ridiculum est quod nomen *Indulgentiae* repetat ex Esajae *LXI, 1.* cum ibi significetur non Indulgentia Papalis ad relaxationem poenarum temporalium, sed redemptio spiritualis per Christum ab omni poena, prout ipse sibi cum Esajae locum applicat *Luc: 14, 18.* & agnoscit illic Cornelius à Lapide quod Hebraicum *וירר* *deror* proprie significet libertatem cui *ἀφεσις* id est *dimissio captivarum* respondeat apud Lucam. Aliàs non negamus Indulgentiam cum Latinis, sonet non tantum mollem illam educationem quae *nervos omnes & mentis & corporis frangit*, ut est apud Quintilianum *lib. 1.*

de Orat.

de Orat. cap. 3. sed etiam in genere facilitatem & lenitatem oppositam severitati, posse eo ipso pro venia & condonatione usurpari. Hinc apud Spartianum in Antonino hic dicitur ad Indulgentias pronissimus fuisse. Hinc Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 1. citatus etiam Gratiano dist. 1. de pœn. can. 50. Nemo potest bene agere pœnitentiam nisi qui speraverit Indulgentiam; Sed hæc à solo Deo & speratur & conceditur; quem ideò Ambrosius sic introducit loquentem *ibid. cap. 11. Libenter ignosco, promptè indulgeo, misericordiam malo quam sacrificium, quia per sacrificium iustus commendatur, per misericordiam peccator absolvitur.* Eodem planè sensu dixit Leo Romanus scribens ad Theodorum Forojuliensem Episcopum *epist. 89. aliàs 91. ut refertur à Gratiano V. S. can. 49. Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentia medicinam, spes vita reparetur aeterna, ut qui regenerationis donum violassent proprio se iudicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent, sic divina bonitatis presidio ordinatis ut Indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.*

Vocamus specialem remissionem) Primum falsum est remanere pœnas ullas temporales Deo exsolvendas pro peccatis jam ab ipso remissis, ut suo loco ostendimus. Deinde etli tales pœnæ restarent, pœnes homines non esset aliquid in illis relaxare, aut minimum de jure Dei remittere; nisi fortè eò traxeris villici iniqui exemplum *Luc: xv 1, 6. qui de alieno corio liberalis tantum sibi gratiæ apud debitores sui heri conciliabat, quantum ex eorum syngrahis & debitis in ipsius dispendium detrahebat.* Verum non ausint id in rem suam vertere Indulgentiarum patroni, cum laudarit Dominus *non factum & furtum villici, inquit bene Tirus ad Luc: xvi, 8. sed industriam & ingenium illius; sicut nos ingeniosum facinus est iniquum subinde extollimus.* Neque potest illis Indulgentijs esse locus circa pœnas Canonicas in foro fori, cum canones pœnitentiales qui illas exigebant in desuetudinem abierint nec amplius sint in usu. Bellarminus *lib. 1. de Indulg. c. 7. negat per Indulgentias 1. nos solvi vel absolvi à reatu culpa ullius, id est nec lethalis nec venialis: 2. nos liberari à pœnis naturalibus: 3. tolli pœnas que in foro externo & contentioso sive Ecclesiastico sive seculari infliguntur:* Si ergo petas ab eo quænam ergo pœna tollatur per Indulgentias? Respondebit non aliam esse

aliam esse nisi quam debemus in foro secreto & pœnitentiali. Quod iterum explicat lib. 2. de Ind. cap. 1. Si non potest Indulgentia tollere pœnam quã Prætor aliquem multavit ob furtum, quanto minus tollere poterit eam quam Deus ipse alicui decrevit? Quam igitur inquires pœnam tollit Indulgentia? Illam quã in foro pœnitentiaro infligitur &c. Unde colligo re benè pensulatã nihil tolli per Indulgentias, licet plenaria remissionis Indulgentiã, maxime in Jubilæo, plerumque inscribantur. Si enim non tollunt pœnam quã ex parte Dei debetur peccatis, frustra Tirinus illas ad id genus pœnarum temporalium extendit de quibus supra dixerat Cont. 23. n. 8. cum ibi non alias quam divinas enumeraverit. Si nequidem etiam tollunt eas quã in foro externo Ecclesiã fuerint inflictã, frustra pro illis adfertur exemplum relaxationum quã olim pœnitentibus ad Martyrum instantiam concedebantur circa durationem aut asperitatem pœnitentiã publicã, quandoquidem spectabant illã relaxationes ad pœnas ab Ecclesia lapsis aliisque peccatoribus publicis inflictas in foro externo. Si denique non alias pœnas tollunt quam quã in foro pœnitentiaro infliguntur, nihil faciunt ad pœnas divinas evitandas, nihil ad ignem purgatorii; cum ejus poenã non infligantur in foro pœnitentiaro. Imò inferviunt duntaxat indulgentiã subruendo & evertendo Sacramento Pœnitentiã: Nam materia illius Sacramenti est contritio, confessio & satisfactio, ut dicebat Tirinus in Controversia sup. n. 3. adeò ut nisi hæc tria in illo reperiantur necesse est ut non sit, prout desinit res esse si aliquid essentiale ei desit; Jam autem Indulgentiã tollendo pœnam fori secreti & pœnitentialis, tollunt satisfactionem pœnitentialem, agnoscente Bellarmino lib. 1. de Ind. cap. 7. quod locum illius obtineant; Ergo vel accedente Indulgentiã loco satisfactionis pœnitentialis tollitur Sacramentum pœnitentiã de cujus essentia censeri debet satisfactio illa, vel hæc satisfactio non est de essentia & materia necessaria Sacramenti pœnitentiã, quandoquidem ejus locum Indulgentia supplere potest. Hoc etiam addo Indulgentias exigere semper ad sui fructum consequendum aliquid ejus quod in foro pœnitentiaro aliã imponitur, cujusmodi sunt peregrinationes ad loca sacra, templorum visitationes, recitationes tot Pater Noster & Ave Maria, pecuniarum distributiones in
usus

usus pios &c : Unde patet quod nec has fori pœnitentiarij pœnas tollant. Quid, quod inter pœnas has fori pœnitentiarij, jejunia & macerationes ac rerum alienarum restitutiones multum apud Adversarios commendantur? Si ergo eas pœnas tollunt Indulgentiæ, evértunt jejunia & macerationes; inò omnem restitutionem rei furtivæ aut aliàs male acquisitæ, quæ solent pœnitentibus imponi satisfactionis ergo. Neque video cui usui sit futura confessio & absolutio Sacramentalis ei qui consecutus sit Indulgentiam plenariæ remissionis: nec enim opus est ut aperiat peccator conscientiam suam Confessario auditurus ab ipso quam & qualem debeat satisfactionem præstare pro suis peccatis; quandoquidem Indulgentiarum beneficio jam consecutus est immunitatem ab ejusmodi omni satisfactione præstanda, quia Indulgentiæ *locum obtinent satisfactionis pœnitentialis*, ut loquitur Bellarminus. Deniquè quam sit incertus valor Indulgentiarum videre est apud Josephum Angles *Flor. Theol. in 4. Sent. quæst. de Indulg. art. 1. diff. 2.* ubi septem ea de re diversas opiniones recenset; necdum convenit inter Doctores qui differant Indulgentiæ *plena, pleniores & plenissima*: qua de re videtis Bellarminum *lib. 1. de Indulg. cap. 9.*

Hanc autem potestatem) Quando ex his locis Scripturæ potestatem largiendi Indulgentias Tirinus colligit, impingit gravissimè in suorum principia. Nam potestas ligandi & solvendi remittendi & retinendi peccata convenit quibuslibet sacrificulis. Quod si eadem involuit facultatem Indulgentias largiendi, non est quod Indulgentiæ demum ab Episcopis leviores, graviores ac pleniores à Papa debeant expectari. Deinde si illa potestas clavium ac ligandi & solvendi extenditur usque ad Indulgentiarum distributionem, cessabit Judicia illa Authoritas quam inde Tirinus exsculpebat pro suis in Controversia præcedenti: Nam Judices ordinarii, sicut olim Pedanei apud Romanos ad formulam adstringebantur, ita sunt legibus adstricti, ut penes eos non sit quicquam remittere de pœnis perlegem consuetutis: Quare cum Pastores revera ligare neminem possint nisi qui jure ligandus est, neminemque solvere nisi qui jure solvendus venit, ex ligandi & solvendi potestate colligi nequit facultas quic-

M m m m

quam

quam de pœnis aliàs debitis ullo modo remittendi. Et cum inter solutionem & absolutionem distinguant Adversarij, ac nominatim noster *infra n. 4.* ut locis hîc ipsi citatis *solvendi* verbo utraque simul non potest significari, sic ad Indulgentias simul solutorias & absolutorias trahi non potest potestas ea quæ potius spectat absolutionem à crimine quam debitorum solutionem. Et cum illi demum per potestatem factam Ecclesiæ ministris solvendi veniant qui prius ligati fuerint, ligatio autem omnis juxta Adversarios sit excommunicatio vel à jure vel ab homine (de qua distinctione nunc non disputo) non video cur potestas *solvendi* possit trahi ad Indulgentias, quando quidem teste Bellarmino V. S. Indulgentiæ non extenduntur ad pœnam fori externi Ecclesiastici, cujusmodi sunt censuræ, suspensiones, abstentiones, excommunicationes & interdicta, id est revera ligationes omnes illæ quarum solutio hîc speciatim committitur Ecclesiæ ministris; *Nihil enim tam naturale est quam eo genere quicquid dissolvere quo colligatum est; ff. de R. I. l. 35.*

Quibus locis datur Prælati) Datur quidem Pastoribus illis locis ministerium reconciliationis quæ latè patet; sed eo facere potestatem Indulgentias largiendi negarunt illi è Pontificiis qui cum Prieriate, Antonino, Rossensi, aliis, putarunt nihil quod ad Indulgentias spectaret in Scripturis haberi. Aliis clavibus quam ejusmodi Indulgentiarum (quæ semper procedunt *clave errante*) opus est ad cœlum peccatoribus aperiendum; cum è contrario januam aperiunt vitiis virtutibus claudant, eo ipso quod à fructibus poenitentiae edendis dispensent peccatores, eosque illiciant ad peccandum spe veniæ & remissionis plenariæ; maximè cum judice Navarro *Comm. de Indulg. & jubil. notab. 34.* valeant quoque Indulgentiæ quæ pro peccato futura concessæ fuerint.

Ergo etiam potestas solvendi) Nec verum est temporales poenas remorari nos ab ingressu cœli, cum & in genere afflictiones quibus Deus nos exercet in hac vita potius faciliunt nobis cœli ingressum, & illæ speciatim quæ dicuntur relaxari per Indulgentias, nempe satisfactiones poenitentiales constantes jejuniis, elemosynis, precibus, macerationibus, non retardandæ sed promovendæ saluti, etiam meritorie

toriè ex placitis Adversariorum inserviant; Nec debet magis convenire ministris Ecclesiasticis potestas nos liberandi à poenis illis temporali-
 bus, etsi fingerentur retardare nostram foelicitatem, quam facultas nos impeccabiles faciendi, eo prætextu quod cum illis competat omnis potestas removendi quicquid nos ab ingressu coeli remoratur, debeant ergo nos impeccabiles facere, cum peccata etiam leviora & quotidianæ incursionis longè magis nostram foelicitatem remorentur, quam ulla mala poenæ etiam gravissimæ; Nec denique illa potestas quam hic Ministris ecclesiæ vindicat posset illis tribui, quin dicantur habere facultatem liberandi omnes animas ex purgatorio, 'cujus poenæ dirissimæ remorantur eas ab ingressu coeli; at hanc facultatem ipsi non competere res ipsa loquitur; Aliàs non est credibile Pontificem & Episcopos ita misellis animabus defuturos, sed earum foelicitatem acceleraturos pro virili.

Hac potestate utens) De hoc Pauli loco 2. Cor: 11, 10. supra audivimus judicium Prieratis, videlicet in eo non posse fundari Indulgentias. Idem statuit Antoninus Archiepiscopus Florentinus *Summa Theol. parte 1. Tit. 10. cap. 3. de Indulgentiis.* Et ratio est in promptu; nam quod hic donavit Paulus incestuoso fuit absolutio ab excommunicatione: at jam supra audivimus Bellarminum negantem Indulgentias pertinere ad poenas inflictas in foro externo Ecclesiæ, cujusmodi inter alia est excommunicatio: Et excommunicatum resipiscentem ad communionem Ecclesiæ recipere & illi ex animo condonare quicquid scandali dederat, non est illi Indulgentiam plenariæ remissionis concedere: Ipse Tirinus *ad hunc locum* sic eum *ωαζαφφάζζζ*: *Q. d. Sicut congregatis vobis & meo Spiritu, jussi illum excommunicari, ita nunc me vobis adjungo, ut quod vos in persona mea condonatis, ego condonem, absolvendo eum ab omni viuculo excommunicationis omnique reliqua poena quam adhuc subire meruit deberet pro tam enormi scelere.* Ita S. Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus, S. Thomas qui cum aliis Theologis ex hoc loco rectè docent Apostolum poenitenti huic dare Indulgentiam id est remissionem poenæ temporariae adhuc restantis qua necdum fuerat ei remissa etsi poeniteret. Cum autem hæc excommunicatio & poena incestuosi decreta fuisset in foro externo Ecclesiastico per sententiam latam ab ho-

M m m m 2

mine,

mine, ut loquuntur Canonistæ, illius relaxatio per Paulum nihil habet commune cum Indulgentiis, quæ iudice Bellarmino, ad ejusmodi poenas non extenduntur. Quod vero Tirinus citat Chryostomum, Ambrosium, Anselmum, S. Thomam, partim verum est, partim falsum: Id quidem verum, docere eos relaxari huic homini jam pœnitenti excommunicationis vinculum, eumque pristino suo ordini inter fideles restitui ne nimiâ tristitiâ absorberetur; sed falsum est ullum eorum Indulgentias hinc colligere, cum nemo, ne quidem Thomas ipse *in commentario*, illarum meminerit; Quin Cajetanus hoc totum de remissione culpæ *ibi* interpretatur. Parum verò interest quo sensu illud ἐν ὁμοίωτι χριστο sumatur, sive *in conspectu Christi*, sive *in illius persona* & ejus nomine: Ex neutro enim sequetur, quicquid in contrarium Tirinus pertendat, hanc remissionem aliam spectasse pœnam quam fori exterioris coram Ecclesia; ad quam procedebat Apostolus & syncerè tanquam in conspectu Christi cordium scrutatoris & ex potestate sibi à Christo concessa; nam ut in nomine & autoritate Christi processerat ejus excommunicatio publica, sic eodem modo procedebat ejus restitutio & absolutio, quæ ipsi serio respicienti in foro interno conscientie magnam consolationem adferebat.

Et Ecclesia semper hucusque) Quam sint dissimillima quæ hac in parte nunc obtinent apud Pontificios iis quæ fiebant olim in Ecclesia supra indicavi. Debet semper vigere in Ecclesia ut severæ disciplinæ exercitium contra scandala, sic misericors & prompta serio respicientis receptio, ne, ut de incestuoso Corinthiaco loquitur ipse Tirinus *ad 2. Cor: 11, 11. omni solatio ac spe destitutus animum despondeat & abjectâ fide totum se peccatis immergat*: Hæc namque potestas ligandi & excommunicandi publicos peccatores data est Ecclesie Ministris ad ædificationem non ad destructionem; ad urgendam eorum respicientiam si pote est, non ad eos ex fumo in ignem præcipitandos: Verùm illa *pœnitentium* receptio absolutio & *reconciliatio*, uti dicitur etiam in Pontificali Romano *p. 3. fol. 254. & sequentibus*, nihil habet commune cum Indulgentiis Papalibus; & toto coelo differt ab ijs: Quam autem sit ineptus ad eas comprobandas alter

das alter hic locus ex 1. Cor. IV, 1. res ipsa loquitur, eo magis quod non ad mysteria Dei ministerio Evangelij dispensanda pertineant Indulgentiæ, sed ad mysterium iniquitatis & nundinas Babylonis; ut summæ id sit in Tirino inadvertentiæ, quod ad eum locum mysterijs Dei dispensandis, id est *mystica, arcana, divinaque doctrina* Evangelij & ei annexis Sacramentis, annectat Indulgentias aliasque gratias spirituales Ecclesiæ à Christo concessas v. g. *dispensationes in legibus, in penitentijs, in juramentis, in votis &c.* ut habet decretum Tridentinum: quasi vtro dispensatio Paulina sensu Canonistarum sit sumenda prout sonat legum & juris divini relaxationem, quam dum sibi Papa tribuit Antichristi personam palam agit: aut aliter quam œconomicè debeat intelligi, videlicet pro facultate Verbum Dei & Sacramenta ministrandi; agnoscente Cornelio à Lapide quod τὸ dispensare hic *distribuere non relaxare* significet. Quod enim nugatur Tirinus absolutam potestatem dispensandi divinos thesauros, qualem Christus concessit Ecclesiæ suæ (quamvis non absoluta ea sit potestas sed valdè restricta & limitata) includere *non solum potestatem distribuendi qua ab hero donata sunt (ut vult Kemnitzer) quod & minimo famulo committi solet, sed insuper etiam potestatem donandi condonandi & relaxandi debita quando ad honorem Domini vel utilitatem familiae ita expedire judicaverit œconomus*, perabsurdum est: Nam

1. Nullus est Dominus qui œconomus suo eam faciat potestatem;
2. Hinc sequetur prædicationem Verbi & administrationem Sacramentorum in Ecclesia esse res minimi momenti, quæ ad minimos quoslibet famulos pertineat;
3. Jus Majestatis supremæ hoc pacto Papæ & Episcopis asseritur in Ecclesia; nam gratiæ illæ spirituales, sic vitiosissimè dictæ, ut à prædicatione Verbi Dei & Sacramentorum administratione distinguuntur, nihil ministeriale & œconomicum sonant; eo magis quod *Ius absolvendi à Juramento*, ut de reliquis congeneribus taceam, ad *Regalia* pertinere meritò pertendunt Jcti & Politici, ut videre est apud Jacobum van der Graeff in *Syntagm. Juris publ. cap. 21.*
4. Ipse Apostolus in sua hac œconomia nihil aliud sibi tribuit quam potestatem distribuendi quod acceperat à Domino, 1. Cor. XI, 23. xv, 3. & eo quoque restringitur di-

M m m m 3

spensa-

spensatoris prudentis & fidelis munus à Christo Luc: xii, 42. Et nemo unquam veterum Papales Indulgentias & Dispensationes, ex dispensatione concessa Paulo & Ecclesiæ Ministris hæctenus collegerat.

Num: 2. THESAURUS unde Indulgentiæ depromuntur, conflatur ex meritis & satisfactionibus Christi. Ioh: xvii, 19. *Ego pro eis sanctifico meipsum.* Cum enim hæc sint maximo numero, & singula infinitæ virtutis seu efficacitæ, Cont. xiv. n. 14. sic nunquam adæquatè compensari, nunquam exauriri possunt; unde semper remanent in divinâ acceptatione (& hic est locus thesauri istius,) ut ex ijs continuò depromi possit quantum necesse vel utile est fidelibus. Accedunt huc etiam bona opera sanctorum. Nam quamvis hæc secundum rationem merendi quam habebant, sint plene compensata, non tamen quoad vim omnem satisfaciendi. Cum plerique sanctorum plurima bona fecerint, & plurima mala passi sint propter Deum: nec tamen nisi exiguâ satisfactione (v. g. Ioh. Baptista, Apostoli & Martyres,) vel etiam nullâ (ut Virgo Deipara) pro se egerunt. Residuum ergo istud, ut æquum est non perire, ita certum est in divinâ acceptatione remanere, ut in aliorum Ecclesiæ membrorum usus, ex implicitâ saltem eorumdem Sanctorum intentione, distribuatur.

CENSURA. *Thesaurus unde Indulgentiæ*) Agnosco verum & unicum thesaurum Indulgentiæ & veniæ apud Deum; Sed cum plenissima hæc & perfectissima Christi satisfactio ac verè infinita, nobis sufficienter applicetur in Verbo & Sacramentis, idque gratis, non est quod ulterius de Indulgentiis Papalibus ad id cogitemus. Imò eo quod iste thesaurus semper remanet in *divina acceptatione*, quatenus Deus semper admittit merita & satisfactionem Christi pro eo omni quod aliàs deberemus, patet 1. Indulgentiis opus non esse ad illum thesaurum referendum, sive procurandam nobis divinam acceptationem meritorum Christi, loco ejus satisfactionis quæ nobis aliàs præstanda incubisset; quandoquidem ipsa divina acceptatio omnibus Indulgentiis prior est. 11. Satisfactionibus nostris proprijs vel in hac vita vel in futura, nullum superesse locum per satisfactiones Christi, quæ in acceptatione divina nobis sunt pro sufficientissimo thesauro, in

ro, in quo tutò possumus ac debemus acquiescere : Curenim in-
 exhausto & amplissimo hoc fonte relicto ad cisternas contractas &
 putres nostrarum propriarum satisfactionum recurremus ? III.
 Christum satisfacisse non solum pro pœna æterna sed etiam pro tem-
 porali, quandoquidem ejus satisfactio per Indulgentias ad relaxati-
 onem pœnarum temporalium dicitur applicari. IV. Nullam subest-
 rationem cur Indulgentiæ omnem pœnam temporalem & in præterix
 tum & in futurum non auferant, quandoquidem vel minima portio e-
 satisfactionibus Christi *que nunquam adequatè compensari nunquam ex-
 hauriri possunt*, ut ait Tirinus, ad id sufficere possit. V. Non posse nobi-
 modo finito per Indulgentias, ut somniat Bellarminus *lib. 1. de Indul-
 gent. cap. 4.* satisfactiones Christi applicari, cum ille ut infinite sunt
 ita sint indivisibiles; ut qui de illis aliquid habet eas totas & in soli-
 dum, licet non totaliter & exclusivè ad alios, habere censendus sit.
 VI. Falli Bellarminum qui statuit *lib. 1. de purg. cap. 14.* nullam da-
 ri satisfactionem pro pœna temporali nisi nostram, nec eo extendi
 satisfactionem Christi.

Accedunt huc etiam bona opera) Scilicet Papa est valde frugi,
 qui nihil perire ex fragmentis hesternis patitur; Atqui il-
 lud est summè impium quod meritis & satisfactionibus Christi me-
 rita & satisfactiones sanctorum adjiciuntur, quo & illi nostri censean-
 tur *redemptores*, ut blasphematur Bellarminus *lib. 1. de Indulg. cap. 4.*
 Si enim ad Thesaurum Ecclesiasticum constituendum non sufficiunt
 merita & satisfactiones Christi, non debuit Tirinus modò illis vim
 infinitam & inexhaustam tribuisse; si sufficiunt hoc additamento non
 est opus, ut sanguis Galilæorum & Martyrum, propitiationis nostræ ac
 sue Sacrificio misceatur. Infinito enim ut nihil demi sic nihil addi potest.
 Taceo quod bonis operibus vim merendi & satisfaciendi simul tri-
 buit Tirinus, cum suo loco neutram illis convenire demonstrave-
 rimus; nec sane utraque simul potest consistere, cum debitoris sit
 satisfacere, mereri verò ejus qui præstat indebitum; Sed quid ab-
 surdus quam velle eos homines nobis imputari ad pœnæ coram Deo
 relaxationem merita & satisfactiones sanctorum, (quas si habuerunt,
 pro se habuerunt) qui rejiciunt quantum possunt imputationem me-
 ritorum

ritorum & Satisfactionis Christi ad Iustificationem nostram, licet non pro se sed pro nobis Christus satisfecerit? Quid iniquius, quam post sufficienter exhausta & plenè compensatâ Sanctorum merita præmio cælesti quod retulerunt, ex illis ad huc exprimere vim satisfactoriam pro alijs, per Indulgentias superstitionibus applicandam? Quid in Deum contumeliosius quam ipsum à Sanctis & nominatim B. Virgine plus exegisse pœnarum & satisfactionum quam debebant, Sanctosque Deo suos labores obtulisse acceptandos pro alijs & ipsis per Indulgentias applicandos, *ex implicita saltem aliqua intentione*, ut nugatur Tirinus? Cum veri Sancti nunquam intenderint satisfacere justitiæ divinæ pro seipsis nedum pro alijs: acquiescentes in vera, plena & perfecta Christi Satisfactione pro se & omnibus præstita, & absque qua neque ipsis salus patuisset, neque nobis: Injustus foret Deus ejusdem delicti duplicem persolutionem exigendo primùm à Christo, dein à Sanctis: Nam *bona fides non patitur ut bis idem exigatur*, inquit Gajus Jctus ff. de R. I. l. 57. Quid denique iniquius quam velle aliquid superfluere & redundare ex meritis & satisfactionibus Sanctorum quo cæterorum debita dispungantur, cum nequidem *condigna* sint passiones hujus seculi, quantumvis gravissimæ, futuræ gloriæ in nobis revelandæ Rom: VIII, 18? Profertur aliquando ab Adversarijs ad hanc rem locus Col: 1, 24. Verum frustra; cum passiones suas Paulus noluerit adjicere passionibus Christi, ut unà cederent nobis in redemptionis præteritum apud Deum; sed constanter perfererat quicquid pro Christo ejusque nomine patiendum adhuc illi restabat in hoc suo curriculo, juxta ipsiusmet Christi denuntiationem Act: IX, 16. ad Gentium Ecclesiam colligendam & perficiendam: Passiones ergo illæ Christi quarum reliquias explebat in sua carne, dicuntur illæ quæ pro Christo perferendæ incumbunt fidelibus, *Divinâ providentiâ sic disponente* (inquit ibi Tirinus) *ut quemadmodum in proprio naturali corpore Christus olim multa passus est, ita etiam in mystico suo corpore id est Ecclesia & in singulis membris suis id est fidelibus patitur; cum æquum sit membra capiti per omnia conformari*: Has autem passiones Christi sic dictas potiùs objectivè quam subjectivè, Paulus explebat quoad se alacriter pro Colossensibus & toto corpore Ecclesie, in-

fiat, intentione non satisfactionis apud Deum: pro alijs, sed tantum adificationis; unde non aliorum loco eas sustinebat, uti Christus tuas; sed tantum aliorum bono & commodo, ut ipse Titinus interpretatur. Quare Joannes à Gorcum ibi Paulum sic introducit loquentem; Multis laboribus, sudoribus & afflictionibus opus est ad Ecclesiam colligendam hominesque ad fidem vocandos & ad salutem perducendos, iti jam ego hac vincula patior in carne, ut ea qua desunt passionibus Christi in gentium conversione procuranda ego adimpleam, multaue patior pro corpore Christi, quod est Ecclesia, ut nimirum inter Gentes Ecclesia propagetur, crescat & perficiatur passionisque ac redemptionis Christi plane fiat particeps. Quid quod nihil magis incertum apud ipsos Pontificios quam hæc doctrina de thesauro isto, ex quo hauriant Indulgentias? Nam absolute eum negat Franciscus Mayronis in 4. dist. 19. quest. 2. & Durandus in 4. dist. 20. quest. 3. non censet eò spectare satisfactiones Sanctorum, ut agnoscit de utroque Becanus cap. 28. de Sacram. quest. 1. §. 1. Porro dum Titinus vult Indulgentiis distribui nobis bona opera Sanctorum non quoad vim meritoriam, sed tantum quoad vim satisfactoriam, non satis attendit ad Pontificale Romanum parte 3. fol. 1. 259. ubi Episcopus iam reconciliatis poenitentibus dans Indulgentiam, prout sibi placuerit sic manibus elevatis & supra illos extensis, ut habet rubrica, ipsos, affatur: Precibus & meritis Beata Maria semper Virginis; Beati Michaelis Archangeli, Beati Iohannis Baptista, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & omnium Sanctorum, misereatur vestri omnipotens Deus, & dimisis omnibus peccatis vestris perducatur vos ad vitam aeternam. Nam in hac Indulgentia Episcopali ut, quod impium est, nulla fit mentio meritorum & satisfactionum Christi, sic merita duntaxat & preces Sanctorum commemorantur, non verò satisfactio eorum; cum tamen juxta Titinum non merita sed satisfactiones illorum Indulgentiam faciant.

Non 3. VIVIS in statu gratiæ existentibus, & opera præscripta complentibus, applicatur INDULGENTIA per modum ABSOLUTIO-
NIS, seu juridicæ relaxationis debiti, factæ auctoritate Clavium Ecclesiæ. Patet ex verbis Christi, quibus Ecclesiæ suæ supra num. 1. concessit potestatem dandi Indulgentias. DEFUNCTIS verò in Purgatorio (quibus INDULGENTIAM prodesse posse videbimus CONTR. XXIII. n. 4.) non

N n n n

appli-

applicatur nisi per modum SOLUTIONIS, seu oblationis Lytri vel pretii, pro redemptione vel exsolutione debiti illorum requisiti. Cum enim defuncti non amplius subdantur Prælati Ecclesiæ, non potest etiam actus Iurisdictionis (qualis est absolutio,) in illos exerceri. Nequè Matth: XVI, 19. datur Prælati Ecclesiæ potestas nisi ligandi & solvendi super terram. Effectus tamen est æquè infallibilis: nam satisfactiones Christi, (quæ dispensationi Ecclesiæ relicte sunt, ut vidimus n. 1. & 2.) utriusque tanquam pretium condignum applicantur.

CENSURA. *Vivis in statu gratiæ*) Frustra disputatur de modo quo Indulgentiæ operantur, cum omni efficacitate careant, nec piæ solum fraudes sint, sed planè impiæ. Neque video quæ status gratiæ aut præstatio operum præscriptorum requiratur ad fructum Indulgentiarum percipiendum, siquidem verum sit quod affirmat Becanus *cap. 28. de Sacram. quest. 4.* absolutionem fore ratam, *si quis tempore Iubilæi absolvatur à casibus reservatis, & postea negligat persolvere quæ ad consequendam Indulgentiam necessaria sunt*: Nec etiam erunt plenissima Indulgentiæ; uti sæpè vocantur, si hominem nequeant in statum gratiæ, quod pœnitentia facit, restituere. Ideam Becanus *ibid. quest. 2. §. 2.* vult Indulgentiam esse absolutionem Judicariam quæ annexam habet *solutionem ex thesauro*: At noster Tirinus vult eam convenire vivis per modum absolutionis, non per modum solutionis; Utri credemus? Quin Becanus idem *ibid. §. 4.* multum infudat in hac absolutione comprobanda; quod eâ positâ Pontifex nullius Indulgentiæ possit esse particeps, quia non potest seipsum judicialiter absolvere: Unde magna difficultas inter Pontificios num Pontifex possit frui Indulgentiis; alijs affirmantibus, alijs negantibus. Et cum ad absolutionem Judicariam requiratur causæ cognitio per confessionem, difficile erit Jesuitis absolutionem Judicariam in Indulgentiis demonstrare, utpote quæ dantur generatim omnibus citra ullam cognitionem causæ in singulis. Et dum Becanus *V. S. §. 6.* absolutionem facit aliam particularem & absolutam, quæ requirat particularem cognitionem causæ, & dicitur *sententia ab homine*, aliam generalem & conditionatam, quæ non requirat causæ cognitionem nisi generatim, & dicitur *sententia à jure*, aded ut illa obtineat

obtineat in confessione Sacramentali hæc in Indulgentiis publicis, ostendit nobis quâ ratione potestas ligandi & solvendi exerceri possit citra peccatorum singularem enarrationem in aurem Sacerdotis, nempe promulgatâ illâ sententiâ à jure quæ generalem & conditionatam absolutionem contineat.

Patet ex verbis Christi) Nihil minus quam his verbis conceditur Ecclesiæ potestas Indulgentias concedendi : aliàs ea competeret omnibus omninò Sacerdotibus quorum Jurisdictio illo Christi dicto, ut volunt Pontificij, constabatur : Sed *Abbatibus, Parochi, & alij Sacerdotes Episcopis inferiores, jure communi non possunt concedere Indulgentias*, inquit Becanus, *ead. cap. q. 6. §. 2.* Unde patet eam facultatem non contineri sub potestate ligandi & solvendi quæ jure communi his omnibus tribuenda est.

Detentis verò in Purgatorio) Etiam hoc fuit summæ in Papis industriæ quod mortuos fecere vectigales suæ avaritiæ, dum illis apud superstites nescio quod levamen promittunt à flammis Purgatorij : Sed præterea quod Purgatorium est chimæra bombinans in vacuo, ut suo loco videbimus, concipi nequit quomodo eadem numero Indulgentiæ ab eadem Pontificia potestate manantes, sint & non sint actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ, duosque habeant respectus distinctos nempe Absolutionis & Solutionis. Deinde si juvant illæ defunctos *per modam solutionis, sive oblationis lytri vel pretij pro redemptione vel exsolutione debiti illorum requisiti*, habebant vim Sacrificij propitiatorij, majoris etiam quam Missa sit, in qua negabat suo loco Tirinus novum lytron vel Sacrificium offerri pro peccato. Tum divinandum esset cuinam per Indulgentias fiat hæc lytri vel pretij oblatio ; an ipsi Deo ut sublevet vi illius hos defunctos citra ullum actum suum, an ipsis defunctis ut per aliquem suum actum hoc lytron consequantur viventium beneficio quo se redimant apud Deum. Sciendum itidem foret quo jure Ecclesia in hos non suos profunderet thesaurum suum, commodiùs & certius expendendum in homines suæ jurisdictionis. Sed etiam mirum est quod cum tantum possit Pontifex ad sublevandos eos qui torquentur in Purgatorio, liberaliorem se hac in parte non præstet, per plenissimas quasdam Indulgentias,

N N N N N 2

simul

simul & semel omnibus inde liberatis. Nec consentiunt etiam in hoc Jesuitæ: Nami Becanus *ead. cap. 28. de Sacram. quest. 7.* duo adfert principia ex quibus probat Indulgentias prodesse etiam defunctis, quæ valdè vacillant. *Primum est fideles defunctos ita conjunctos esse cum fidelibus viventibus per vinculum fidei & charitatis, ut unam Ecclesiam & unum corpus efficiant.* Sed hoc nihil est: Nam 1. eo quod juxta nostrum hic *defuncti non amplius subdantur prælati Ecclesiæ,* unam cum viventibus Ecclesiam quæ prælati subdita est efficere nequeunt. 2. Propter hanc unionem æquè & magis deberent prodesse viventibus defunctorum labores & poenæ, ac defunctis viventium Indulgentiæ; ut non minus quæ illi patiuntur viventibus in absolutionem coram Deo per Indulgentias applicarentur, quam quæ faciunt viventibus circa Indulgentias consequendas dicuntur applicari defunctis in solutionem. Fundamentum Becani *secundum est defunctos posse juvari per preces & alia pia opera viventium, sicut membra unius corporis à se mutuo juvantur.* Sed nequè hoc convenit cum solutione & oblatione lytri, quam hic somniavit Tirinus, nec æquius est per preces & opera pia viventium, hominum cæteroquin peccatorum, juvari mortuos qui jam sunt extra peccandi aleam & periculum, quam viventes juvari per preces & satisfactiones talium mortuorum, quorum tamen utrumque negant Adversarij.

Effectus tamen est aequè Equalem utrobique effectū agnoscimus, id est nullum: nisi quod his artibus suis & loculis & poculis egregiè prospiciunt Ecclesiastici. Quo enim argumento constabit vel minimam animulam ejusmodi Indulgentiis fuisse ex Purgatorio liberatam, aut animas in illo exilijssè præ gaudio quoties audiverint sonum pecuniæ quæ in pelvi conjiciebatur ab ijs qui loca sacra visitabant Indulgentiarum gratiâ, ut aliquando dixere impudentissimi Quæstores Pontificij, quo Christianis illuderent & eos pecuniis suis emungerent? Sunt relictae Satisfactiones Christi dispensationi Ecclesiæ, non aliter tamen eas applicare potest Ecclesia quam per Verbum & Sacramenta, quæ ad defunctos non amplius pertinent, utpotè quibus nulla pars est eorum quæ fiunt sub sole Eccl: ix, 6.

Nam: 4. INDULGENTIA sine justâ seu rationabili causâ concessa, valet quidem ad tollendam obligationem satisfaciendi in FORO FORI externo (unde non teneris solvere pœnitentias, seu per confessarium, seu per Canones inunctas: hæ enim uti sunt juris humani, ita pendent ab arbitrio Prælatorum seu principum Ecclesiæ:) sed non valet ad tollendam obligationem satisfaciendi Deo in FORO POLI interno. Quia pœna post culpam condonatam reliqua (Cont. xxiii. n. 8.) debetur jure divino naturali. In talibus verò Pontifex non est Princeps vel Dominus, sed solum *dispensator*: 1. Cor: iv, 1.

CENSURA. *Indulgentia sine justa*) Si supponas tales Indulgentias sine justa & rationabili causa posse concedi à Papa, sanè suppones Papam quâ Papam errori esse obnoxium etiam in eo munere exercendo quo gregarios omnes Ecclesiæ Ministros longè superat: Neque potest distinguere Tirinus inter obligationem satisfaciendi Deo in *foro poli interno* & obligationem satisfaciendi in *foro fori externo*; nam si Sacerdos judex pro tribunali sedens inter Deum & nos hanc aut illam satisfactionem mihi proposuerit præstandam, non ultra ad illam teneor in foro poli interno, quam ad eam in foro fori externo fui condemnatus; præsertim ex axiomate Jesuitæ Coninck *disp. 23. de Sacram. dubio 12. §. 88.* quod *nec judex potest exigere à reo pœnam lege statutam, nec hic teneatur eam solvere antequam ejus crimen judici sit legitime probatum*; Atqui illud ipsum Judicium Sacerdotis & obligatio satisfaciendi quæ ab illo manabat jam tollitur per Indulgentias irrationabiles; Ergo etiam tales Indulgentiæ tollunt obligationem satisfaciendi Deo. Tum deberet nobis dixisse Tirinus an satisfactio ad quam quis obligatur in foro fori externo ex pœnitentia per Confessarium imposita non sit præstanda Deo: si enim præstetur tantum Ecclesiæ ad disciplinam tuendam, habemus quod volumus scilicet satisfactiones Canonicas & pœnitentiales præstari Ecclesiæ non Deo: si verò præstentur ipsi Deo, explicandum restat Jesuitæ quomodo ablata obligatione satisfaciendi Deo in foro fori externo, remaneat tamen obligatio satisfaciendi Deo in foro Poli interno; cum hæc non possit obligare peccatorem ad alias satisfactiones quam quæ vel per Canones pœnitentiales, vel per Confessarium in foro externo

N n n n 3

illi im-

illi imponebantur. Ita nempe oportebit peccatorem per Indulgentias vitiosas solutum esse eâ obligatione, quæ tamen restabit ad eandem speciem & numero satisfactiones ad quas desiderat obligari. Præterea cum juxta Bellarminum supra citatum, per Indulgentias etiam legitimas non alia tollatur pœna quam quæ debetur in foro secreto & pœnitentia, si etiam hujus præstandæ obligationem tollant vitiosæ Indulgentiæ, tantundem operabuntur ac legitimi. Et ad quas quæso angustias non rediguntur conscientiæ circa has merces? Quando enim vel quomodo mihi constabit Indulgentias has vel illas esse legitimas, & rationabili de causa concessas fuisse? Aut quid prodero, si tales non fuerint, vel meis parentibus in Purgatorio jam agentibus, vel mihi ipsi contra metum Purgatorij mercis inutilis sollicitâ coemptione? Imò quid ad salutem omnes illæ pœnæ & satisfactiones Canonice & pœnitentiales quæ à Confessariis imponuntur? Si enim ablatâ per Indulgentias obligatione eas præstandi, remanet obligatio satisfaciendæ Deo in foro poli & interno, etiam hæc eadem obligatio poterit remanere æquè post illas præstitas; cum earum actualis præstatio non majoris debeat esse efficacitæ quam legitima ablatio obligationis ad illas præstandas.

Quia pœna post culpam) Hoc *αὐτὸς ἑαυτοῦ* jam ante refutavimus; Sed si hæc pœna remanens debeatur jure naturali, non magis legitimis Indulgentiis tolli poterit quam vitiosis; quia jus naturale est immutabile; nec fideli dispensatori licet quæ Deo jure naturali debentur ullâ ratione inducere vel dispungere; Adhæc nequidem pœnitentiarum à Confessario impositarum & pœnarum Canonicarum persolutio, illam pœnam jure naturali debitam poterit auferre; cum debita istius generis & juris naturalis non extinguantur tam levi monetâ & quæ fuerit tantum juris positivi. Quanquam & hic video magnum imminere periculum Sacramento Pœnitentiæ, quod tanti fit apud Adversarios: Ejus enim pars essentialis statuitur satisfactio: Satisfactio verò consistit in pœnitentiis quæ per confessarium vel per Canones injunguntur: Quare si hæc statuendæ sunt juris merè humani ac pendent ex arbitrio Prælatorum & Pontificis, si in his Pontifex non solum est Dispensator sed Princeps ac Dominus, juris quoquè hu-

mani

mani censetur Sacramentum Pœnitentiæ & ad Dominium Papæ pertinebit. Multa sunt alia quæ possent observari de vanitate & absurditate Indulgentiarum, præsertim quod concedantur interdum ad multa annorum millenaria; Sed has sordes retractare nihil nunc attinet, satisquæ fuit impræsentiarum Tirinum nostrum quoad rem ipsam penitus ac plenè refutasse.

C O N T R O V E R S I A X X V .

De

E X T R E M A U N C T I O N E .

Respondente

H E N R I C O F A B R O , Hatzutmo-
Frisio-Orientali.

Nam:

I.



Acramentum esse novæ legis (contra omnes nostros hæreticos) constat ex Iac. ult. vers. 14. ubi symbolum habes externum, V N C T I O N E M O L E I cum O R A T I O N E : promissionem gratiæ, *Aleuiabit Dominus infirmum, & si in peccatis sit remittetur ei.* Institutio-

nem Christi (verisimiliter in ultimâ cœnâ, vel post resurrectionem Ioh: xx, 23. nam illa unctio Marc: vi, 13. non fuit nisi adumbratio huius Sacramenti, seu insinuatio, ut loquitur Tridentinum) colligimus ex constanti & absolutâ promissione Apostoli, quam ipse numquam faceret nisi sciret Christum sic instituisse. Ministrum, *Indu-*
cat Sacerdotes.

Trid. sess.
14. c. 1. de
extr. un-
ctiõne.

CENSURA. *Sacramentum esse novæ legis*) Olim etiam apud Ethnicos mos erat ut mortuorum cadavera oleo, quasi ad corruptionem arcendam, inungerentur: unde illud Ennij, *Tarquiniij corpus bona fœmina lavit & unxit*; nec non & istud Virgilij, *Corpasque lavant*

lavant frigentis & unguum : De Nasamonibus refert Alexander ab Alexandro *lib. 3. Gen. Dier. cap. 7.* solitos fuisse proximos defuncti corpus caldâ abluerè, deinde unguentis ungerè. Id ultimum *lavacrum* dixit Apulejus *Metam. 9.* Ac Plinius ideo *lib. 13. cap. 1.* monet honorem ex unguentis ad defunctos quoque pertinere : Alexander Sardus *de mor. & rit. gentium lib. 1. cap. 26.* Græcorum funus referens inter cætera dicit quod mortuum lavant & unguunt oleo. Idem fuit in usu apud Judæos, uti liquet ex 2. Chron: xvi, 14. & Joh: xix, 39. 40. Quapropter Christus ipse Mariæ unguentum, de quo indignabatur Judas, dicebat in diem funerationis suæ asservatum fuisse Joh: xii, 7. Nec dubium quin illa consuetudo primùm manarit ab Ægyptijs, quibus conditura corporum fuit in usu ab ævo, uti liquet ex Gen: ii, 2. & futè refertur à Diodoro *Sicula. Bibl. lib. 1. sect. 91. & seqq.* A Judæis verò & Ethnicis transijt ille ritus mortuos inungendi ad Veteres Christianos, qui etiam oleum superfundebant cadaveribus suorum mox sepeliendorum, uti liquet ex Authore *Hierarch. Eccl. cap. 7.* Et sicut Baptismo olim adjiciebatur unctio, non tantum quo fidelis sic lotus & unctus ad epulum sacræ Cœnæ deduceretur, sed etiam quo se strenuum Athletam Christi in hujus vitæ stadio exhiberet ; ita defunctos lavabant & ungebant in signum finiti certaminis ; unde & funus uniuscujusque suorum deducebant cum facibus & cereis, ceu Athletæ victoris & coronati, ut insinuat Chrysostomus *homil. 4. in ep. ad Heb.* Sed morem unguendi jam mortuos, Heracleonitè hæretici Valentinianorum proles, in morientes seu moribundos transtulerunt, eos oleo, balsamo & aquâ inungentes ; ut refert Augustinus *de hæres. ad Quod vult deum c. 16.* Simile quid tribuit Iræneus Valentinianis ipsis *lib. 1. cap. 18.* Verba Augustini de Heracleonitis, hæc sunt : *Feruntur suos morientes novo modo quasi redimere, id est per oleum, balsamum & aquam & invocationes quas Hebraicis verbis dicunt super caput eorum.* Bellarminus *de Extr. unct. cap. 6.* sentiens syncretismum suorum cum veteribus illis hæreticis merito objicià Chæmuditio, tria reponit ; Primùm eos mortuos suos ita anxisse non morituros ; sed Iræneus & Augustinus contrarium habent, quibus consentit E-piphanius *her. 36.* Secundò eos aquam oleo miscuisse, quod non fit in

fit in Papatu; at veteres in hæreticis non damnant mixtionem aquæ & olei, sed morientium unctionem. Tertio illos verba quædam horribilia Hebraica super capitibus eorum quos inungebant pronunciasse, cum sui prece simplici & apertissimâ utantur; sed æquè moribundis hodiernis ut plurimum inintelligibiles sunt formulæ Latinæ quibus utuntur Sacrificuli eos inungendo, ac Hebraicæ vel Syriacæ Heracleonitarum suis: Epiphanius hanc illis tribuit formulam, *Messia, Vphara, Marsda, Melchona, Nossam, Idag, Ecpharon, Tsenova, Iesu Nazareni*; id est interprete Danzo & ex eo Sculteto in *Medulla Pat. ad her. 36. Epiph. Vinctus & Radix, Turris, Rex, Spiritus, Sciens, Discooperiens, Præcipiens, Iesus Nazarenius*; quæ verba nihil sonant præter pia elogia Christi. Igitur cum Heracleonitæ ex mortuorum unctione superstitionosè fecissent unctionem morientium, placuit Pontificijs centonem ex hæresibus omnibus collecturis, & hoc ex istis imitari, ac ritum ineptum in Sacramentum novæ legis propriè dictum transformare, toti Antiquitati Catholicæ planè ignotum & omni fundamento in Sacris Scripturis destitutum, quod ex sequentibus apparebit. Corrasit equidem Bellarminus quicquid potuit ex Antiquitate huc trahi obtorto collo de *Extr. Vinct. cap. 4.* & ex illius lacunis hauserunt postea Suarez, Valentia, Coninck & alij, ad quos nos amandat Tirinus ad *Iac. v, 15.* Sed qui ad illa attenderit absque præiudicio, eorum infirmitatem agnoscat primo obtutu & quam nihil sit in illis præsidij pro adversariorum causa; & de eo plura inferiùs erunt dicenda.

Constat ex Iacobi ult. ver. 14.) Quàm locus hic parum faveat illi imaginario Sacramento, malim ostendere verbis Cajetani ibi quam meis. *Nec ex verbis, inquit ille, nec ex effectu verba hac loquuntur de Sacramentali unctione extrema unctionis; sed magis de unctione quam instituit Dominus Iesus in Evangelio à discipulis exercendam in agrotis. Textus enim non dicit Infirmitur quis ad mortem? sed absolute Infirmitur quis? Effectum dicit, infirmi alleviationem; & de remissione peccatorum non nisi conditionaliter loquitur; cum extrema unctio non nisi propè articulum mortis detur; & directè, ut ejus forma sonat, tendit ad remissionem peccatorum. Præter hoc quod Iacobus ad unum agrum multos Presbyteros tum orantes tum ungentes mandat vocari, quod ab extrema unctionis ritu alienum est.* Nec potest alia unctio

O o o o

comamen-

commendari Jacobo quam ea quæ à Christo suis Apostolis fuerat deman- data Marc: vi, 13. At hæc Sacramentalis non fuit, sed extraor- dinaria & miraculosa, solum ad sanitatem corporis ordinata, & quæ administraretur indifferenter baptizatis & non baptizatis, ut agnoscit Bellarminus *de Extr. Vnct. cap. 2.* & asserit etiam Becanus *cap. 27. de Sacr. q. 1. §. 2.* idque à Discipulis & Apostolis, qui ex aduersari- orum hypòthesi cum nondum essent Sacerdotes (tales enim demum sunt facti in ultima Cœna) non erant idonei Ministri Sacramenti Extremæ Unctionis. Ipse Tirinus *ad Marci vi, 13.* negat ibi agi de Sacramento Extremæ Unctionis, eo quod *istius Sacramenti minister so- lus est Sacerdos: Atqui Apostoli tunc necdum erant Sacerdotes; & Apostoli promiscuè quosvis agros ungebant, etiam non moribundos, non baptizatos.* Erasmus *in annot. ad eum Iacobi locum*, ejusdem est sententiæ cum Ca- jetano: *Hoc relictum erat ex precepto Evangelico quo Christus mandavit suis ut in quas ades essent ingressi sanarent aegros ungentes oleo; Nam con- sentaneum est quod legimus factum ab Apostolis jussu Domini factum fuisse, licet non legamus fuisse, jussos.* Ipseque Bellarminus agnoscit *de Extr. Vnct. cap. 2.* Bedam, Oecumenium & Theophylactum, in commenta- rijs Marci & Jacobi, utrumque de eadem unctione intelligere. No- ster Tirinus *ad Marc: vi, 13.* ijs jungit Lyranum, Rikelium & Fran- ciscum Lucam; Cum autem illa unctio apud Marcum fuerit iudice Tirino nuda caremonia, ad hoc solum adhiberi jussa à Christo ut congruo simbolo testatum facerent Apostoli, se missos à Messia seu à Christo id est uncto; vir- tutemque quæ agrorum corpora curabant, ab eo promanare quem unctis Deus oleo laticia præ consortibus suis; huic (inquit) caremonia pro illo tempore Christum annexam volebat miraculosam curationem morborum omnis generis, sicut postea varijs subinde Sanctis concessit, ut Sancta Genoveva (si fabulosis Legendis credendum) & alijs; non est cur alio loco unctio Jacobæa habeatur. Sed videamus quomodo Tirinus velit Jacobum in suas partes pertrahere.

Vbi Symbolam habes) Sed id non sufficit ad Sacramentum, cum & massa ficuum quam imposuit Esajas super ulcere Ezechiz, & lutum quo cæci oculos inunxit Christus in Evangelio, etiam symbola fue- rint miraculi futuri, nec tamen Sactamentum constituerint: Etiam

fuit

fuit Symbolica unctio illa Discipulorum Christi apud Marcum, quæ tamen Sacramentalis non erat. Nec fuit illa unctio olei apud Jacobum Symbolum remissionis peccatorum, sed tantum sanationis præstandæ ad presbyterij preces, quo tempore vigeant charismata illa extraordinaria & sanationum dona quæ paulatim Ecclesiâ jam constitutâ evanuerunt; & sicut caluo apud Phædrum *lib. 5. fab. 6.* frustra fuit quod in trivio fortè pectinem invenisset, cum depilatis pectine non sit opus, ita frustra sunt hodierni Pontificij in illa ægrotorum unctio commendanda postquam deserunt dona sanationum, quæ per illam symbolicè significabantur & exercebantur.

Cum oratione) Sed cum Tirinus ipse orationem hanc faciat formam hujus imaginarij Sacramenti *infra N. 2.* non potest oratio ad symbolum pertinere, quod materiam potius continet Sacramenti. Nec oratio accedens unctioi erat symbolica & cæremonialis, sed practica & impetratoria sanitatis quæ conferebatur ægro.

Promissionem gratia) Hæc gratia non promittitur Symbolo & ritui externo, sed precibus & invocationi Numinis: Tum promissio hæc directè & primariò spectat corporis levamen & valetudinem recuperandam; nec aliter ad peccatorum remissionem pertinet quam prout ea sanctis precibus potest obtineri & præsumi ex sanatione morborum propter peccata immissorum.

Institutionem Christi verisimiliter) Qui benè conjecerit, inquit ille apud Ciceronem, hunc vatem optimum perhibeto: Ariolantur enim Jesuitæ Christum hoc Sacramentum instituisse vel ante vel post resurrectionem; sed neutrum probant. Et hoc malunt divinare, quam in eorum é suis transire castra qui etiam ad extremam unctioem trahunt locum Marci VI, 13. quos inter fuit quoque ille Jesuita Leodienfis anonymus, sive is P. Roberti sit, sive P. Delbeck, qui ante octenium emisit Gallicè & Belgicè *Decem Rationes peremptorias* quibus volebat demonstrare Reformatos salutem æternam consequi non posse; quas paulò post refutavi edito scripto Latino quod inscribitur *Vindicia pro Salute Reformatorum*, quodque paucis ab hinc annis R. V. D. Everhardus Schuylius, Ecclesiæ Sylvæducensis Minister Senior, amicus noster summus, in linguam Belgicam transtulit; Nam is

Jesuita (qui non ausus fuit admordere præcedens meum opusculum quod vocatur *Salus Reformatorum asserta*) *Rationum suarum septimâ* probaturus nos quinque Sacramenta refecare ex septem institutis à Christo pro salute nostra, pertendit illa quinque tam *benè* esse in Scriptura ac duo alia quæ admittimus, & probat de Extrema Unctione citatis locis *Iac. v, 14.* & *Marci vi, 13.* Sed nasutiores ex adversarijs in Marco propter rationes supra allatas, nihil vident quod faciat ad hoc sum Sacramentum; Becano quidem *cap. 27. de Sacr. q. 1. §. 2. probabile est Marcum loqui de unctione Sacramentali*, quod ita sentiant Waldensis, Alphonsus, à Castro, Petrus Sotus & Maldonatus; Sed *§. 3. probabilius* habet contrarium, maxime quia *solum pertinuerit ad sanitatem corporis*. Primam tamen sententiam mordicè tuetur Puteanus *in 3. Thoma q. unicâ de Extr. unct. dubit. 1.* qui vult istius sui Sacramenti institutionem extare apud Marcum: Quare Concilium Tridentinum *sess. 14. can. 1. de Extr. unct. insinuandi* vocabulum adhibuit, non ausum hic illius Sacramenti institutionem, uti prius decreverat, figere. Quâ ratione id factum, refert Petrus Suavis Polanus, id est Patrè Paolo Venetus *Hist. Concil. Trid. lib. 4.* his verbis; *Quod si cuiquam mirum videatur cur primo capite doctrina de hoc Sacramento dictum sit Vnctionem Extremam à Christo Domino nostro apud D. Marcum insinuatam & per D. Iacobum promulgatam, cum verborum antecedentium & subsequenitium contextus requireret potius Institutum, quam Insinuatam, sciat principio sic quidem fuisse scriptum, sed monente quodam Theologo mutationem factam: Monuerat enim ille Apostolos quos D. Marcus ait unxisse infirmos, eâ tempestate nondum ordinatos Sacerdotes; Ecclesiâ Romanâ eam opinionem tenente Sacerdotium non nisi in ultima Domini Cœna in ipsos collatum; ideoque pugnare inter se hæc Vnctionem quam illi ministrabant esse Sacramentum, & solos Sacerdotes, eum esse Ministros; Et quamvis nonnulli & illam esse Sacramentum & à Christo tum temporis institutam credentes, responderent Christum quo tempore Apostolis imperaverat unctionis ministrationem eosdem Sacerdotes quoad hunc solum actum instituisse, perinde ac si Papa simplicem Sacerdotem Sacramentum Charismaticis ministrare jubens, Episcopum quoad hunc actum illum crearet; tamen quod ista assertio audax nimis & periculosa videretur, placuit in vicem verbi Institutum, subrogare Insinuatam; Quod quidem verbi quid in re simili possit significare cuique*

caræ cuique æstimandam relinquo qui & vocabuli vim intelligat & illud ad id quod ab Apostolis operatum ac simul à D. Iacobo imperatum, & iterum ad Decretum à Concilio factum, applicare dignabitur. Hæc Prudentissimus ille Scriptor qui ultimis hisce verbis satis insinuat Patribus illis aquam hæsisse, & ex mera mentis *arbitrio* vocabulum *Insinuatum* pro *Institutum* reposuisse; Manente per consequens adhuc hoc argumento in suo robore; Quod Iacobus mandat fieri est id quod insinuaturn factum ab Apostolis Marci vi, 13. Atqui hoc non fuit Sacramentum Extremæ Unctionis, ut fatentur Adversarij; Ergo neque Jacobi mandatum de Sacramento isto est accipiendum. Nequicquam etiam Tirinus Tridentinorum insinuationem per *adambractionem* explicat, quandoquidem unctio illa Apostolorum nec quoad usum, nec quoad effectum, nec quoad Ministrum, nec quoad objectum & personas cum Extrema Unctione Pontificiorum convenit. Illa corpus spectabat, hæc animam; ad illam morbi sanabantur, hæc est pro solis moribundis; illius Ministri erant Laici, hujus soli Sacerdotes; illa baptizatis & non baptizatis promiscuè conferebatur, hæc solum est baptizatorum & fidelium. Frustra etiam idem ad Marci vi, 13. vult hanc Apostolorum unctionem non fuisse Sacramentum, sed *typum seu figuram Sacramenti extreme unctionis*, ut Tridentinum insinuat, hac ratione fretus quod esset *sicut & Baptismus Iohannis nuda cæremonia*. Nam I. Baptismus Iohannis non typus fuit & figura baptismi nostri, sed re & essentia idem cum eo, ut suo loco fuit demonstratum. II. Ex hypothesi Adversariorum non potest esse eadem ratio unctionis Apostolicæ ad extremam unctionem quæ baptismi Iohannis ad nostrum: Nam baptismus Iohannis juxta eos nihil efficiebat, noster plurimum: at è contrario unctio Apostolica habebat multum efficaciz, (nam ei pro illo tempore Christus, juxta ipsum Tirinum, *annexam volebat miraculosam morborum curationem omnis generis*;) Extrema verò Unctio inanis est cæremonia quæ nemo restituitur in integrum, imo in nemine usurpanda si convaliturus crederetur. III. Cum *nullum in veteri lege Extremæ Unctioni respondere potuerit Sacramentum*, ut habet ex Sayro Barbosa in *Remiss. ad Conc. Trid. sess. 14. cap. i. de extr. unct. litt. a.* absurdè ejus typus & figura fingitur in Evangelio fuisse quando jam umbrarum & figura-

rum tempus præterierat, maximè quia non pertinuit unctio Apostolica ad statum aliquem intermedium inter Moſem & Christum, cuiusmodi fuit status Johannis Baptistæ, sed ad ipsiusmet Christi œconomiam cuius est gratia & veritas.

Colligimus ex constanti) Illa constans promissio Apostoli satis indicat unctiõnem eam quam commendat niti Christi institutione, quæ non aliunde potest haberi quam ex Marco: Nec constans est promissio de illo ritu, nisi pro ratione illorum temporum quibus adhuc perseverabant dona sanationum in Ecclesia; Et si constans hæc promissio spectaret Extremam Unctiõnem, convalescerent omnes quibus adhibetur in Papatu: Cum è contrario solis conferatur moribundis, quibus nec conferretur si certo argumento constaret ipsos ex eo morbo non morituros: Quod si Adversarij hujus promissionis constantiam restringunt ad spiritualia, dicam eam ergo spectandam in precibus quæ habent constantes & perpetuas exauditionis promissiones si fiant ex fide, non in eo ritu qui cessare debuit in Ecclesia cessante charismate illo extraordinario, cui significando adhibebatur. Porrò non est de nihilo quod Tirinus non hic ausus est retinere phrasim Concilij Tridentini, de hoc Sacramento *insinuato à Christo, promulgato à Jacobo*, etsi eam timidiusculè usurpet *ad Iac: 7, 15*. Nam 1. Promulgatio Sacramenti non insinuationem tantum illius indirectam, sed institutionem directam supponit in Evangelio. 2. Si nihil aliud promulgavit Jacobus quam quod insinuat apud Marcum, nihil minus promulgavit quam Extremam Unctiõnem. 3. Cum lex non obliget antequam promulgata fuerit, sequetur ad hoc Sacramentum usurpandum non priùs fuisse obligatam Ecclesiam, nec ei illud ante innotuisse, quam hanc suam Epistolam scripsisset Jacobus, id est minimum post annos xxvi. à morte Christi; quia ut habet Tirinus *in illius argumento, certum est Jacobum scripsisse post editam epistolam Pauli ad Romanos, id est, post annum à morte Christi 26*. 4. Mirum est Jacobo soli commissam fuisse hanc promulgationem, præterito præsertim B. Petro, cui quod caput esset reliquorum Apostolorum, ut volunt Pontificij, id potius debebatur.

Ministrum, Inducat Sacerdotes) At qui ad Extremam Unctiõnem administrandam

Arundam plures Sacerdotes non requiruntur, sed unus tantum; Nec quis Sacerdos illius est, juxta Pontificios, Minister idoneus; Barbosa enim in *Remiss. ad Conc. Tridentinum, sess. 14. cap. 3. de Extr. Vnct. litt. a.* multos citat authores qui resolvunt quod proprius Parochus est Minister hujus Sacramenti; & si simplex Sacerdos vel monachus sine licentia Episcopi vel Parochi hoc Sacramentum conferat est excommunicatus. Quare quamdiu nondum erant Parochi constituti per Apostolos, nullus adhuc erat idoneus minister hujus Sacramenti: Et cum quilibet æger uni duntaxat Parochus subesse possit, eum in singulari inducendum debuisset dicere Jacobus, non Presbyteros in plurali; quos Tirinus perperam transmutat in Sacerdotes contra fidem textus Græci & Vulgatæ Versionis auctoritatem. Presbyteros autem statuit Jacobus maximè evocandos ad illam unctionem, non quod ea Sacerdotium prærequirat necessariò, cum Apostoli necdum Sacerdotes apud Marcum eam contulerint, & teste Tirino V. S. Christus hoc charissima per unctionem morbos sanandi, *varijs subinde Sanctis concesserit, ut Sancta Genovena & alijs* qui nec fuerunt nec esse potuerunt Sacerdotes; sed quod potissimum Presbyteri & Seniores Ecclesiæ sub illius initijs ejusmodi charismatis instruebantur à Deo, quo major autoritas eorum doctrinæ & ministerio conciliaretur; prout potestas in dæmonia & donum Energumenos liberandi in veteri Ecclesia, non necessariò alligabatur Ministerio Ecclesiastico, sed tamen frequentius in Ecclesiæ Ministris quam in Laicis reperiebatur: Et cum Tirinus hos ministros vult esse Sacerdotes uti loquitur *ad Iac. v, 14. ab Episcopo ordinatos*, videtur innuere ipsum Episcopum non esse ad illud idoneum; ut taceam de Apostolis qui à nullo Episcopo Sacerdotes ordinati fuerant.

Num: 2. MATERIA remota est OLEUM olivarum, vel chrisma, ab Episcopo benedictum; propinqua est VNCTIO. FORMA, *Per istam unctionem indulgeat tibi Domine quicquid deliquisti per visum, audientem, &c: Deprecatoriam debere esse colligitur ex verbo, Orent super eum.*

CENSURA. *Materia remota*) Hic multa veniunt noranda. I. Et si foret Sacramentum, tamen unctio non posset magis dici proxima materia

materia illius quam panis porrectio vel manducatio materia proxima Eucharistiæ. II. Cum *olej* tantum meminerit Jacobus, nullo nixi argumento definiunt adversarij debere illud potius esse *olivaryum* quam nucum, vel lini, vel alterius alicujus generis. III. Cum vulgò distinguitur in Papatu inter Chrisma sive oleum Chrismale quod infervit inter cœtera ad Sacramentum imaginarium Confirmationis, & oleum infirmorum, quorum etiam distincta benedictio describitur in Pontificali p. 3. fol. 187. nullo jure ad extremam unctionem requirit Tirinus oleum vel chrisma ab Episcopo benedictum. IV. Nec opus erat statuere hoc oleum debere esse *benedictum ab Episcopo*, cum illius benedictionis præviæ Jacobus non meminerit: Apud Becanum cap. 27. de Sacr. q. 3. §. 1. Victoria negat benedictionem olei esse de necessitate Sacramenti, cui sufficiat oleum purum, ut baptifino aqua pura, Jacobo præcipiente ut infirmus ungetur *oleo*, nec adjiciente id debere fieri *oleo benedicto*: Alij tamen ad quos accedit ipse Becanus nixi auctoritate Concilij Florentini & Tridentini contrarium statuunt: unde sequetur Jacobum simul cum hoc Sacramento promulgasse rationem istius benedictionis qualis describitur in Pontificali cap. de officio feria quinta cum Chrisma & Olea consciuntur; quæ planè scenica est in suo apparatu, & blasphema in suo ritu: Ad apparatus requiruntur 12. Presbyteri, 7. Diaconi & 7. Subdiaconi; & ubi omnia sunt disposita, Archidiaconus stans apud Pontificem, id est Episcopum, dicit alta voce in tono lectionis, *Oleum infirmorum*: Illud statim it allatum è Sacristia unus è 7. Subdiaconis cum duobus Acolythis; Et ampullam certo ritu gestandam tradit Archidiacono qui eam collocat supra mensa coram Pontifice: Atque is tunc hoc ritu procedit; Primò illud oleum exorcizat hac formula; *Exorciso te immundissime Spiritus* (est enim etiam illi locus in Sacristia) *omnisque incurfio Sathane & omne phantasma, in nomine Pa tris & Fi lij & Spiritus Sancti, ut recedas ab hoc oleo, ut possit effici unctio spiritualis,* (non credo naturà, sed usu ut panis Eucharistiæ fit cibus spiritualis) *ad corroborandum templum Dei vivi, ut in eo possit Spiritus Sanctus habitare &c.* Quasi verò nequeat fidelis esse Templum Spiritus Sancti nisi extremam unctionem fuerit consecutus: Paulò post adjicitur Oratio benedictoria miri styli; *Emitte quasumus Domine Spiritum*

Spiritus Sanctum Paracletum de calis in hanc pinguedinem olivæ, (an ibi debeat esse per Transsubstantiationem an per Consubstantiationem, æstimandum relinquimus Lectori) quam de viridi ligno producere dignatus es, ad refectioem mentis & corporis, (quis fando audivit ad refectioem mentis pinguedinem olivæ productam esse à Deo) ut tua sancta benedictione sit omni hoc unguento cœlestis medicina peruncto, tamen mentis & corporis ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates omnemque agritudinem mentis & corporis (ex eo colligas nihil hanc unctionem operari in mente, cum nihil etiam eorum quæ hic commemorantur efficiat in corpore) unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas & Martyres tuos; (quamvis nunquam externa unctio fuerit istis adhibita) Sit Chrisma tuum nobis perfectum Domine à te benedictum permanens in visceribus nostris; in nomine nostri Iesu Christi. Quibus ultimis verbis videntur ineptissimi mortalium velle suum oleum ægrotis propinare hauriendum, non extrinsecè applicare per unctionem. v. Cum simpliciter præcipiat Jacobus infirmi unctionem, nullo jure Concilium Tridentinum definit septem debere esse unctiones, in oculis, in auribus, in naribus, in ore, in manibus, in pedibus & in renibus ob libidinem. Non vult tamen Rituale Romanum renes ungi in sexu sequiori, quâ ratione minùs consulitur Meretricibus Romanis quæ hac parte maximè & potissimum peccarunt. Nequè hîc consentiunt Doctores, quibusdam pertendentibus unicam unctionem sufficere ad valorem Sacramenti in quacunque corporis parte fiat ob necessitatem moribundi, alijs existimantibus plures necessariò requiri, saltem quinque illas quibus quinque sensus inunguntur, ut Thomas, Durandus, Bonaventura, Richardus, Paludanus & alij, quod videre est apud Becanum *cap. 27. de Sacr. quæst. 3. §. 4.* Quod si in extrema unctione partium earum sit habenda ratio quibus maximè peccatum fuerit, etiam ipsis pudendis consultum oporteret. Disputant insuper Scholastici apud eundem Becanum *ibid. §. 3.* num hæc unctio debeat necessariò fieri in figura crucis juxta praxim ordinariam, affirmantibus alijs, alijs negantibus, ad quos accedit Becanus hac ratione quod non ungetur tunc Christianus, ut in Confirmatione, tanquam Christi miles ad pugnam, sed per modum medicinæ ad recuperandam sanitatem.

P P P P P

Forma,

Forma, Per istam unctionem) Tam incerta sunt quæ de forma huius sui Sacramenti perhibent Pontificij, quam quæ de illius materia comminiscuntur: Mitto omnes ritus hîc adhiberi solitos qui repeti possunt ex Rituali Romano pag. 69. & seqq. nec non ex Pastoralis Ruræmundensis pag. 81. & seqq. & quæcunque ad illud spectant choragium, cujusmodi sunt crux, stuppa vel bombacium, candela cerea, & sexcenta istius generis; Mitto diversitatem magnam intercedentem circa hos ritus inter Rituale & Pastorale ante citata; Mitto cautelas & minutias varias hîc servandas à Sacerdotibus ne quid pereat de mysterio; Satis esto monuisse non consentire in hac formula quam proponit Tirinus omnes Ecclesias: Nam in Ecclesia Mediolanensi, iuxta Bonaventuram in 4. dist. 23. part. 1. art. 1. quest. 4. hæc formula est in usu; *Vngo te oleo sanctificato in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, ut more militis uncti*, (sed Becanus modo nolebat hanc unctionem esse militarem) *preparatus ad certamen aëreas possis superare potestates*. Et in Ecclesia Veneta, ut refert Michael Palatinus in 4. dist. 23. ex libro Sacramentali Venetorum à Leone x. approbato inquit Becanus cap. 27. de Sac. quest. 4. §. 1. hæc formula debet servari; *Vngo te oleo sancto ut hac unctione protectus, fortiter stare valeas adversus aëreas cateruas; In nomine Patris &c.* Et juxta Ruræmundense Pastorale, his verbis Parochus se accingit ad opus: *In nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti proficit tibi hac unctio olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis*, (æquè proficit ad utrumque, id est nihil) *ad omnium absolutionem culpærum* (quid ergo inferuijt quæ paulò ante præcessit absolutio Sacramentalis?) *ad munitionem ac defensionem contra fava jacula inmundorum Spirituum, custodiatque te Iesus Christus & perducas ad vitam æternam*. Et cum in formula Romanæ Ecclesiæ, id habeatur *Per istam sanctam unctionem & suam pijsimam misericordiam &c.* nescio an casu an datâ operâ hæc posteriora verba omiserit Tirinus quasi ea pro Sacramentalibus non habeat.

Deprecatariam debere esse) Neque hoc tam constans in Papatu quin Becanus neget V. S. quest. 4. §. 3. debere necessariò esse formam huius Sacramenti deprecatariam; vel urgere illud Iacobi, Orent super eum, quia *Sacramentorum forma etiam si per modum indicativum profertur*,

feratur, solet à SS. Patribus vocari oratio, quo pacto Leo Papa & alij multi *absolutionem Sacramentalem* vocant orationem Sacerdotis. Imò absurdè ex illis verbis *Orent super eum* colligitur forma hujusce Sacramenti, quandoquidem illa verba *In nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti*; non sunt de necessitate illius formæ, sed tantum de ejus solemnitate, ut Puteanus asserit ad 3. *Thoma q. unicâ de extr. unct. dubit. 3.* licet expressè Jacobus dixerit unguendum esse infirmum *in nomine Domini*; Et cum Tirinus ad *Iac. v, 14.* illud *Orent super eum*, interpretetur de oratione tum communi tum Sacramentali, satis agnovit nihil ibi latere quod ad strictam & præcisam formulam Sacramentalem spectaret: imò cum ipse Jacobus com. 15. se explicaturus adijciat *Et oratio fidei servabit laborantem*, eo ipso satis testatur se nihil minus quam orationem Sacramentalem cogitasse; sed proculdubio eandem intellexisse quam commendaverat cap. 1, 6. *Sed postulet cum fide nihil disceptans*: Et Titelmannus ipsoimet Lorino ibi agnoscente, interpretatur de oratione communi fidelium tam in ungentibus, quam in eo qui ungitur. Nugatur itaque Tirinus quando Orationem fidei interpretatur orationem certam & indubitatam, qualis est forma hujus Sacramenti operans certò & infallibiliter ex opere & operato: Etenim formulâ ad cujus pronunciationem & efficientiam nulla fides nullaque pietas requiritur in pronunciante, *εὐχὴ τῆς πίστεως* dici nequit. Nec alio sensu sumi potest illa oratio fidei, quam quo veru immediatè sequenti Apostolus commendat fidelibus ut orent alij pro alijs quo sanentur, cum multum valeat deprecatio justii.

Nam: 3. EFFECTUS generalis, (& communis omnibus Sacramentis) est gratia sanctificans cum remissione peccatorum vel reliquiarum peccati, si quæ adsint. Specialis, ALLEVIARE INFIRMUM, id est, expellere torporem, moerorem, anxietatem Spiritus, excitare ad fiduciam, roborare luctantem, &c. Denique SALVARE, id est; sanare corpus infirmi, si ita expedit animæ salutii.

CENSURA. Effectus generalis) Neque hîc consentiunt Scholastici; Nam apud Becanum *V. S. quæst. 5. §. 1.* Bonaventura, Richardus, Durandus, Johannes Major, Almaynus, Carthusianus,

PPPPP 2

Alensis,

Alensis, Altisiodorensis, Abulensis, Navarrus statuunt effectum præcipuum hujus Sacramenti esse remissionem peccatorum venialium, ad quam, non mortalium, primariò institutum sit; Sed Tirinus; ejus efficaciam facit generalem & communem omnibus Sacramentis, quæ non venialia modo delicta spectat, sed mortalia quoque, & hæc primariò; Deinde quod de reliquijs peccati addit Tirinus est valde ambiguum; Etenim, ut monet nos Puteanus *V. S. dubit. 4.* inter Thomistas non convenit, *quid nomine reliquiarum peccatorum significetur; nam sunt qui putent nomine reliquiarum significari omnia peccata quæ sunt in ægroto, & non fuerunt sublata per Pœnitentiam aut alia Sacramenta suscepta ab isto ægroto: neque item deleri possunt medio Sacramento Pœnitentia eo quod ægrotus nequeat ista deducere ad forum pœnitentia ob imbecillitatem corporis quæ tanta est ut nec verbo possit peccatum mortale in quo agit adaperire; Alij denique per reliquias peccatorum intelligunt infirmitates & debilitates relictas per peccata unà cum pœnis temporalibus eorundem: Varias de his reliquijs sententias refert etiam Becanus cap. 27. de Sacram. quæst. 27. §. 1.* Nec habent adversarij in quo tutò consistant. Noter Tirinus *ad Iac. v, 15.* omnium liberalior videtur; statuit enim quod quæcunque demum peccata remittentur infirmo illi *ritè disposito saltem per præviam attritionem; remittentur & pœna peccatis ante remissis debita;* quod postremum adjicit credo ne dubitetur de effectu absolutionis Sacramentalis, quæ in ægroto hanc unctionem præcesserit. At non videt eâ ratione confici neminem eorum qui extremam unctionem perceperint descendere in Purgatorium, utpote jam per illam remissis omnibus pœnis temporalibus ad quas aliàs tenebantur, si præsertim obtineat, quod *ibid.* idem subjicit; *Extrema enim unctio ad hoc peculiariter est à Christo instituta & hic per Iacobum promulgata ut sub finem vita removeat omnia impedimenta* (ergo & omnem reatum pœnæ temporalis) *quæ animam mox à corpore emigraturam ab ingressu cæli remorari possunt; unde nulli est negligenda vel prætermittenda cum haberi potest.* Cum ergo omnes remoræ glorificationis tollantur hac extremâ unctione, necesse est animam uncti mox ac egreditur ex corpore in cœlum recipi. Sed his missis uno verbo monemus remissionem peccatorum non unctioni promitti sed orationi quæ fit in fide,

prout

prout quotidie debemus dicere, Dimitte nobis debita nostra.

Specialis, alleviare infirmum) Parum secum contentit noster Tirinus; nam hîc alleviationem Jacobzæam intelligit spiritualem, saluationem verò corporalem; At contra in Commentario illud *Saluabit infirmum* spirituali sensu sumit de gratiæ collatione, alleviandum vero eum dicit *tam corporaliter quam spiritualiter*. Sed I. Si verum sit quod *ibid.* habet Tirinus ex Alberto, Sylvestro, Canisio & alijs, quos citat & sequitur Suarez 3. p. tom. 1. disp. 18. sect. 3. nempe etiam B. Deiparam inunctam fuisse, aliquis alius effectus est excogitandus ad quem in B. Virgine extrema unctio destinata fuerit; Non enim potuit ei inservire ad remissionem culpæ vel pœnæ; cum juxta adversarios omni labi careret, nihilque daretur quod posset remorari ingressum ejus in regnum cœlorum; non ad valetudinem cõporis cum obierit; non denique ad expellendum torporem, mœrorem, anxietatem Spiritus, fiduciam excitandam, vel roborandam luctantem, cum eam in cœrore & anxietate torpuisse aut diffidentiâ in extremis laborasse vel aliquam sensisse graviorem luctam probabile non sit. II. Nulla ratione potest ordinari Extrema unctio ad corporalem sanitatem, si quod ante dicebat Tirinus ad hoc peculiariter à Christo sit instituta, *ut sub finem vite removeat omnia impedimenta quæ animam mox à corpore emigraturam ab ingressu cœli remorari possint*. Nam quo intenditur animæ mox à corpore emigraturæ receptio sine mœra in cœlum, id sanè non ordinatur ad sanitatis corporeæ recuperationem, per quam anima remaneret hospes comæque corporis, ejusque emigratio & scœlicitas per consequens retardaretur. III. Cum Sacramenta agant ex opere operato juxta Pontificios & hoc quoque deberet infallibiliter hos effectus suos sortiri, nominatim egrî alleviationem tam corporalem quam spiritualem: Sed cum rarissimè corpus sublevet & sanet, inde colligendum relinquitur quam parum proficiat ad mentis torporem discutiendum & animæ salutem confi-ciendam: Si enim non efficit quod minus est, non est credibile operaturum quod majus est: Sed de his operationibus internis liberius philosophantur adversarij, quod quales sint in homine moribundo nemini innotescere possit. IV. Evertit Tirinus mentem Apostoli, qui non nisi conditionaliter & secundariò in hoc suo mandato respi-

PPPPP 3

cit ad

cit ad remissionem peccatorum, sed primariò & absolutè ad valetudinè corporis : Nam illud $\kappa\acute{\iota}\nu\chi\eta\tau\eta\varsigma\ \pi\acute{\iota}\sigma\tau\omega\varsigma\ \sigma\acute{\omega}\sigma\eta\ \&\ \kappa\alpha\mu\acute{\iota}\nu\iota\alpha$, & $\epsilon\gamma\gamma\epsilon\acute{\iota}\ \alpha\upsilon\tau\acute{\omicron}\nu\ \acute{\omicron}\ \kappa\acute{\upsilon}\rho\iota\omicron\varsigma$, non nisi violenter potest trahi ad animæ salutem, cum de laborantis & ægrotantis erectione & restitutione debeat intelligi, quam consequeretur sensus & persuasio remissionis peccatorum, quod effectû cessante sublata causa videatur : Lorinus Jesuita ad eum Jacobi locum, sic loquitur ; *Salus hac per se ad corpus pertinet ; ergo & verbum Alleviandi ;* Et paulò post ; *Editio Syra valetudinem corporalem sive sanitatem expresst participiò מַחֲלֵמָה Machalma : Apud Marcum quod legimus v, 25. Impone manum super eam ut salua sit & vivat, de salute corporea sine dubio intelligitur. Est autem ibi סַבִּיחַ ac מַחֲלֵמָה Teibtheaclemi.* Nec plus ponderis in verbo alleviandi, quòd ipse Lorinus putat itrepsisse pro verbo allevandi ; Nam allevatio est doloris imminutio. Et perinde est, inquit idem Lorinus, sive allevandi, sive alleviandi sumas verbum, satisque probabile videtur hoc membrum non differre à priore, sed pertinere ad eandem corporis valetudinem, ut intelligatur infirmus aut allevari aut alleviari ne penitus prostrata jaceant vires, sed aut omninò aut aliqua ex parte melius habeat. Augustinus Triumphus de Potest. Eccl. quæst. 58. art. 3. interpretatur de alleviatione infirmitatis corporalis. Quinimò Beccanus cap. 27. de Sact. q. 8. dicit certum esse sanitatem corporis aliquando conferri per hoc Sacramentum, ut colligitur ex Jacobò Oratio fidei saluabit infirmum. Ex quibus duo habeo ; I. De salute corporea intelligendum esse Jacobum. II. Non posse aliquando conferri per extremam unctionem, ut Sacramentum est ; sanationem corporis, quin id efficiat modo Sacramentali ex opere operato ; at ea ratione idem semper deberet operari in non ponentibus obicem, contra quam quotidianà docet experientia.

Numi 4. Capaces hujus Sacramenti sunt soli infirmi, baptizati, & ratione aliquando usi. Infirmitas quis ex vobis, inducat, &c. Jac. ult. vers. 14.

CENSURA. *Capaces sunt soli infirmi*) Addi deberet, juxta Pontificios, solos moribundos & de vita periclitantes, esse capaces istius Sacramenti : nec illis adhibetur sub spe aliquà valetudinis recuperandæ, sed

dæ, sed cum jam pro conclamatis habentur; & quando nihil aliud superest quam ut eorum inungantur ocreæ ad discessum: Hinc Sacramentum *exeuntium* dicitur in Concilio Trident. *sess. 14. cap. 3. de extr. unct.* Miris autem perplexitatibus hîc implicantur Adversarij: Querunt enim an infantibus, & amentibus debeat administrari; item an citra culpam possit omitti nec ne; item num possit repeti, & quomodo; In eodem morbo posse iterari affirmat Puteanus *V. S. dubit. 6.* negant plurimi apud Barbosam in *Remiss. ad Conc. Trid. cap. 3. de Extr. unct. sess. 14. litt. d.* Querunt etiam num possit administrari *condemnis ad mortem*; negativam quidem hac in parte plurimi tuentur apud Barbosam *V. S. litt. 7.* Sed non video cur si habeat rationem Sacramenti ad finem spiritualem ordinati in gratiam moribundorum & exeuntium, illis potius debeat denegari quam Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ; cum nulli certius sint exeuntibus & moribundis annumerandi & viatico instruendi quam qui ducuntur ad paribulum. Scilicet his tricus implicari debuere homines, qui ritum extraordinarium & non nisi ad tempus retinendum in Ecclesia ac ordinatum ad sanationem miraculosam ægrotorum, quæ etiam sæpè peragebatur solâ manuum impositione, ut agnoscit Lorinus, *quia talibus signis ut & miraculis alijs confirmanda erat Ecclesia*, in Sacramentum perpetuum & usus spiritualis voluerunt commutare, atque cum Valentianis & Heracleonitis, qui poterant æquè se tueri autoritate Jacobi ac hodierni Pontificij, usitatz antea mortuorum unctioni, substituere unctionem moribundorum. Hæc est vera origo illius imaginarij Sacramenti, quod non nisi testibus & testimonijs subleſtæ fidei, ex Antiquitate student comprobare: Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccl. lib. 5. cap. 10. n. 6.* observat Patres & Concilia peccatori moribundo non nisi hæc duo commendare remedia, pœnitentiam qualemcunque & viaticum corporis Christi, & Vetustiores nunquam meminisse Extremæ unctionis: Bellarminus *de extr. unct. cap. 4.* provocat ad eos Patres, qui dicunt *verba Jacobi ad nos pertinere*; Sed inde non exculpitur hoc Sacramentum; cum adhuc hodiè citra unctionem illam miraculosam, sint ad ægros evocandi Ecclesiæ Ministri ut eos consolentur & precentur pro illis: Multa citat Apocrypha legitimis

gitimis destitutus testibus ad rem suam. Istius generis est *Canon 69. Concilij Nicæni, ex Arabica versione; cum certum sit nonnisi 20. Canones conditos fuisse in Concilio Nicæno, teste Theodoro lib. 1. Hist. Eccl. c. 8. Gelasio Cyziceno Act. Concil. Nic. lib. 2. & ipsomet Concilio Carthaginensi 6. ut observatum ab Ampl. Justello statim initio notarum suarum ad Cod. Can. Eccl. Vni. Videatur & Cocus in Censura Patrum pag. 241. Ejusdem sunt furfuris quæ urget ex Augustino in Speculo, in tract. de visitat. infir. in serm. 215. de temp. quæ omnia esse pseudepigrapha constat ex Riveto Critici sacri lib. 4. cap. 16. imo ex ipso Bellarmino de primo tract. de Script. Eccl. observatione 2. ad tom. 9. August. & de secundo ipso cap. 4. de extr. unct. Quædam etiam profert Concilia particularia; ut Cabilonenſe 11. Wormatiensē, Meldensē, Aquisgranensē 11. Moguntinum sub Rabano; Sed omnia illa sunt recentiora, quippe celebrata post annum Christi 800. quam ut antiquitatem hujus ritus adstruant. Neque sequioribus illis sæculis cœpit commendari aliter quam in typum & symbolum efficaciz sacrarum precum ab Ecclesiasticis Ministris fusarum pro ægrotis, uti patet ex Victore Antiocheno ad 6. Marci. Oleum, inquit, quod in sacra unctio-
ne adhibetur & Dei misericordiam & morbi sanationem & cordis illuminationem denotat; dici tamen potest orationem hac omnia efficere, oleum autem eorum quæ sunt externum tantum symbolum esse. Tum ex Concilijs quæ citantur à Bellarmino, Meldensē cujus laudat *Can. 75. nihil habet hac de re, Wormatiensē nullum extat in corpore Conciliorum Eccl. Gall. à Sirimundo Jesuita collectorum: Moguntiacum Can. non 26. ut citatur Bellarmino, sed 27. præcipit presbyteris ut sub sigillo custodiant chrisma & nulli sub prætextu medicina vel maleficii donare inde præsumant, sed de oleo infirmorum ne quò quidem: Solum Cabilonenſe 11. celebratum anno 813. Can. 48. statuit infirmos à presbyteris ungendos oleo quod ab Episcopis benedicatur, & Aquisgranensē 11, anno 836. cap. 2. Can. 8. vult ut non ampliùs negligatur per omnes Civitates ab Episcopis, sicut nunc usquē (inquit) neglecta est, illa unctio sancti olei in quo saluatio infirmorum creditur; Sed nullum est ex Concilijs Bellarmino citatis quod illam unctioem vocet Sacramentum: Neque aliter privati Doctores qui ex media antiquitate ab eo proferuntur;**

Et si

mino; Et si qui Sacramenti nomine hinc sunt usi, id factum catachresticè, & errore eo jam gliscente quo credebatur tum in Occidente, tum in Oriente, vis mèdica contra morbos benedictione episcopali illi oleo instillari: Et sanè posterioribus etiam temporibus sancti viri similibus usi sunt unctionibus, vel sacri olei ab Episcopo benedicti, vel alio miraculosè alicundè scaturiente, ad miracula patranda, non tanquam Ecclesiæ Sacramento: De Eutychio Constantinopolitano Episcopo narrat Eustathius apud Surium *tom. 2, die 6. April.* illum solitum fuisse oleo ægros ungere illis solis verbis prolatis *In nomine Domini Nostri Iesu Christi;* & iisdem verbis aliquando infantes mortuos unxisse & ad vitam revocasse; Sed in eo nihil est quod Sacramentum Extremæ Unctionis vel sapiat vel stabiliat. Præcipuum itaque columen causæ suæ Bellarminus & cæteri post ipsum collocant in Innocentio I. *Ep. 1. ad Decentium cap. 8.* ut mirum sit Tirinum *ad Iac. v. 15.* tantoperè irasci Calvino quod *Inst. lib. 4. cap. 18. sect. 21.* videatur Innocentio I. tribuere istius unctionis institutionem, quam tamen Polydorus Virgilius *lib. 5. de invent. rerum cap. 3.* adscribit potius Fœlici IV. Sed nec in Innocentio quicquam est præsidij; Nam 1. Hinc hæc unctio *Sacramentum* non dicitur, sed tantum diminutivè *genus Sacramenti*. 2. Hoc oleum illi distinctum non est à chrismate fidelium; appellat enim illud sanctum oleum *chrismatis*, quod ab Episcopo conficitur. 3. Negat *pœnitentibus* istud infundi posse, quod de sua extrema unctione non dixerint Pontificij. 4. Statuit (atque illud est quod annotaverat Calvinus) quod eo oleo *non solum sacerdotibus sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate ad ungendum*: unde patet Innocentium de ea agere unctio, quam exercere & administrare non sit solorum Sacerdotum sed omnium Christianorum in se & in suis. Denique cum Extrema Unctio vel eodem in morbo repeti queat, iudice Puteano, unctio illa apud Innocentium juxta Yuonem Carnotensem *Epist. 255.* ceu *publica pœnitentia Sacramentum* non magis repetenda est quam baptismus.

De

ORDINATIONE.

Respondente

JACOBO de DAVID, Catvicensi Batavo.

Luth. de Num:
cap. Bab. I.
c. de ordi-
ne. Illyr.
in Confess.
Antwerp.
l. II.
Kemnit.
suprà disp.
de ordine.
Melanch.
in locis
1536. 52. 58. & Apologâ August. Confess. art. 13. Calv. l. 4. Inst. c. 14. §. 20. & c. 19. §. 31.



Acramentum esse (negant Lutherus, Illyricus & Kemnitius, affirmant Melanchton, Augustana Confessio, & Calvinus:) probatur, quia Primò, RITUM & symbolum externum habes manuum presbyterij impositionem, 1. ad Tim: IV, 14. *Noli negligere gratiam que data est tibi cum impositione manuum presbyterij.* 2. Tim: 1. 6. *Resuscites gratiam que in te est per impositionem manuum vocarum.* & Epist. 1. c. v. vers. 22. *Manus nemini cito imposueris, &c.* Secundò, PROMISSIONEM & annexionem GRATIÆ habes ibid. *Noli negligere gratiam, resuscites gratiam, &c.* Tertiò MANDATUM & institutionem Divinam colligis ex Luc: XXI, 19. *Hoc facite, &c.* & Act: XII, 2. *Segregate mihi Saulum & Barnabam; &c.* Act: XX, 28. *Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, &c.* Eph: IV, 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios pastores.*

CENSURA. *Sacramentum esse negant Lutherus*) Quoniam plerumque ex ijs que hâc movet Tiranus, jam alibi à nobis fuerunt agitata, erimus breviores; Melanchton in *locis Comm. de num. Sacr. & in Apolog.* patitur ut Sacramentis in generali suâ significatione Ministrorum Ecclesiæ ordinatio & vocatio annumeretur; sed nunquam venit illi in mentem ex eo fabricari Sacramentum strictiùs usurpatum & ejusdem generis cum Baptismo & Cœna; Neque Calvino alia mens lib. 4. Inst. cap. 14. §. 20. *Impositionem manuum (inquit) quâ Ecclesia Ministri in suum munus iniciantur, ut non invitus patior vocari Sacramentum, ita inter ordinaria Sacramenta non numero.* Similia sunt quæ habet lib. 4. cap. 19. §. 31. *Augustana Confessio art. 14. nihil habet huc faciens; sed tan-*

sed tantum neminem debere *in Ecclesia publice docere aut Sacramenta administrare* nisi ritè vocatum. Cur autem pro Sacramento propriè dicto non sit habendum varia efficiunt argumenta. I. Sacramenta sunt communia omnibus fidelibus, Ordinatio spectat ad solos Ministros. II. Impositio manuum ritus est sacer, sed non est ejusmodi elementum substantiale quod ad Sacramentum requiritur. III. Sic obli-gnatur ordinato sua vocatio ad sacrum ministerium, non remissio peccatorum suorum. IV. Cum plures ordines faciant Pontificij, quidam septem alij novem, de quibus fusiùs in nostro *Exorcista*, plura quoquè erunt Pontificijs Sacramenta quàm septem, sed tredecim aut quinde-cim. V. Sacramenta non se debent mutuò expellere, ut Ordo & Ma-trimonium quæ in eodem subjecto incompatibilia censentur.

Probatur quia primò ritum) Agnosco hunc ritum in ordinatione ser-vandum ex locis quæ hîc citantur à Tirino; Hunc enim morem ut multa alia ex Judaismo desumpta in Ecclesiam Christianam intro-duxerunt Apostoli; nam ut Sacerdotum inaugurationem taceam, etiam per impositionem manuum Doctores sive Rabbinî creabantur; undè Rabbi Judæ Ben Babæ cognominatus fuit *רבי* id est *χερσότης*, quod *absquè eo fuisset*, inquit Thalmudistæ apud Scaligerum in *Elencho Trihar. cap. 10. perierant in Israël tam criminalium judicia, quàm manuum impositio*. Ita Deo addicitur & consecratur Minister atque hoc symbolo de sua vocatione confirmatur, ut inde discat & in munere suo con-stantiam ac fidelitatem præstare & opem ac benedictionem Numi-nis tanquàm legatione pro ipso fungens expectare cum fiducia. Gra-vissimè itaquè errant Independentes, qui nolunt ad restitutionem Ministerij in Ecclesijs Pastoribus ac Rectoribus suis destitutis con-currere operam Ecclesiarum & Pastorum è vicinia, sed id omne vindicant promiscuæ multitudini credentium, cujus sit sibi suos Pasto-res & instituere & destituere ad libitum. Etenim etsi ad Ministerij exercitium in aliquo cœtu requiratur illius cœtus *χερσότης*, quo-mocunquè fiat, tamen jus exercendi Ministerij debet conferri per *χερσότηας* sive impositionem manuum ab alijs qui jam sunt Mi-nistri & Presbyteri. Fœdissimè quoquè errat Independentium Cau-sidicus, Anonymus author *Grallarum* contra Apollonium, qui ad Mi-

nisterij exercitium nihil præter dona requiri statuit, (quasi verò præter dona non requiratur etiam ad Magistratus Politici functionem solemnem electio & inauguratio) & omnem ordinationem quæ fit per manuum impositionem naso suspendit adunco; Ita conveniebat statuere hominem qui Pastores Ecclesiæ habet potius pro vicarijs Magistratus in opere quod præstant quàm pro Christi Ministris 1. Cor. IV, 1. & qui in memoriam Cl. Vedelij eo ipso iniurius est, quod dum simulat eum defendere, nihil aliud habet in votis quàm totum Ministeriũ Ecclesiasticum evertere; ejusdem furfuris homo, annon fortè idem, cum eo qui paullò ante emiserat libellum Erotematicum inscriptum *Ad legem & testimonium*, cui nostram diatribam *de Honore & usu Sacri Ministerij* opposuimus: Nam eodem collimat utrumque scriptum hoc & ipsdem nitatur principijs: An verò mentem illius bene fuerimus assequuti & fideliter statum Controversiæ in illa nostra diatriba assignaverimus Judicium esto penes Lectores. Dum enim ille Tenebrioso emissio aliquot linearum programme contentus est id negare, quo liberaretur labore sua propugnandi, nec mentem suam magis vult renudare; nihil aliud quàm imitatur scenicum Capitaneum Italarum, qui postquàm egregiè vapulavit redit ad alteram partem Theatri, & clamat *Victoria, victoria*. Ubi ipse statum quæstionis formaverit ac rationibus quibus potuerit firmaverit suam sententiam, & novas suas cogitationes Orbi literato circa Syncrētismum omnium partium inter Christianos aperuerit, fortè magis perspicuè in ejus mentem penetrabimus; Neminem interea eruditum reperisti putem, qui aliò spectare Erotematica ejus arbitretur quàm quò dixi, aut alium fingere possit controversiæ statum. Quanquàm nec mirum foret si ego ipsum non intellexissem, cum nec fortè ipse se satis intelligat, dignus qui ad suos agnatos remittatur. Totius Christianismi pacem mediantanti parum convenit atrocitas & acerbitas illa conviciorum quæ in utròque suo programme in nos effudit; cum ego præsertim mitissimè cum ipso egerim, nec inquisiverim quis esset, ater an albus, Sed id obiter. Interea Tirinus trifariam hinc labitur. Nam I. Citatione loci 1. Tim: IV, 14. jus ordinationis vindicat Presbyteris, contra quam vult ipse tum *inf. n. 3.* tum *Cont. VIII, n. 3.* Quod enim

πρεσβυτερων

Ποτέριον sive cœtum Presbyterorum, vult intelligi de cœtu Episcoporum, id quidem verum est quatenus negatur discrimen inter Episcopos & Presbyteros, sed supposito illo discrimine subsistere nequit; cum nulla ratione possint Episcopi toto ordine à Presbyteris discreti Presbyterorum nomine intelligi. II. Videtur in hoc ritu impositionis manuum totam ejus Sacramenti essentiam collocare; cum tamen inter suos variæ de eo extent sententiæ, ut videre est apud Becanum cap. 26. de Sac. q. 4. Nam Dominicus Soto in 4. dist. 24. art. 4. Gregorius de Valentia q. 1. de Sac. ord. puncto 5. & quidam alij, inquit Becanus §. 2. statuunt solam porrectionem instrumentorum esse materiam essentialem hujus Sacramenti. Alij ibid. §. 3. volunt non solum instrumentorum porrectionem, sed etiam manus impositionem esse materiam essentialem. Ita Petrus Soto lect. 5. de Sacrament. ord. Mart. Ledesma in 4. q. 36. a. 4. ad 1. Hofius in Conf. Polon. cap. 50. Bellarminus de Sac. ord. cap. 9. Henriquez de Sac. ord. cap. 6. Quibus favet D. Thomas in 4. dist. 25. q. 1. Bonaventura, Scotus & Paludanus in 4. dist. 24. & Altisiodorensis in 4. parte sum. Theologica. At ipsi Becano §. 6. impositio manuum videtur esse materia essentialis hujus Sacramenti & à Christo instituta, porrectio verò instrumentorum videtur esse accidentalis & ab Ecclesia introducta: Ita consentiunt isti Cadmæi fratres; Interim Becanus hoc suo asserito non solum secum pugnat, nam initio ejusdem cap. §. 5. ordinationum quarumlibet materiam in genere dixerat esse id per cujus traditionem confertur ordo; V. G. inquit, materia Sacerdotij est porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hostia &c. sed insuper videtur potestatem consecrandi Eucharistiam id est missificandi, quam §. 5. statuerat conferri porrectione instrumentorum, facere accidentalem Ministerio Ecclesiastico & institutionis humanæ; nihilque divini & institutionis Christi in eo agnoscere præter potestatem absolvendæ à peccatis, quam ait ibid. conferri impositione manuum. III. Pro materia Sacramenti, nobis non suppeditat elementum aliquod, sed nudam ordinantis actionem, quæ Sacramentalis esse nequit. Cur enim impositio hæc manuum potius erit Sacramentalis in Ordinatione, quàm in Absolutione, aut in Confirmatione, aut in Extrema unctione, aut in publica Reconciliatione pœnitentium, in quibus omnibus idem ritus observatur? Aut cur magis erit Sacramentalis

in ordinatione quàm tonsuræ, unctiones, vestes variæ & Texcenta istius generis ex Pontificali repetenda, quæ ibidem adhibentur? Et cum minimùm septem sint ordines, gradu, effectu, officijs & essentiâ distincti, poteritne hic unus idem titus habere rationem materiæ proximæ in singulis?

Secundo promissionem) Agnosco in ordinato per manuum impositionem juxta Dei verbum, obsignari promissionem auxilij divini & donorum necessariorum ad eunus illud ad quod evocatur, si modo diligenter & bona cum conscientia in eo versetur; prout solet Deus in hominum infirmitate virtutem suam perficere; Sed hæc promissio potius pertinet ad gratiam gratis datam, ut vulgo loquuntur, id est ad Charismata Spiritus Sancti bono Ministro necessaria in usum publicum Ecclesiæ, quàm ad gratiam gratum facientem, sive ad gratiam justificantem quæ in Sacramentis propriè dictis obsignatur. Ipse Paulus qui hoc charisma fuerat consequutus ut ritè si ullus suo ministerio defungeretur, exinde tamen non putabat se justificari; Nullius inquit rei mihi sũ conscius & tamen per id non justificor, 1. Cor. iv, 4. *Quin Tirinus ad 1. Tim. iv, 14.* Charisma sive donum collatum Timotheo per impositionem manuum Presbyterij interpretatur, tum *ipsum ordinem Sacerdotalem & Episcopalem*, tum *varias gratias quæ muneris Episcopali ritè obeundo necessaria sunt*: Sed in eo peccat 1. Quod has gratias vocat donum *gratum faciens*, cum possint cadere etiam in hominem cæteroquin impium & hypocritam qui dextrè fabricetur arcam Noë ex quâ ipse interim excludatur; tales erant illi de quibus Paulus Phil. i, 15, 18. qui etiam per invidiam & contentionem Christum prædicabant, sic tamen ut perindè esset Apostolo, dum quovis modo *ἵτι προφάσει ἵτι ἀληθεία* Christus annuntiaretur; quia inquit ibi Tirinus et si id à malo auctore & malo sine procederet, ipsa tamen doctrina in se bona esset. 2. Quod statuat eas gratias infundi in Sancti ordinis susceptione; Si enim eas conferret Ordinatio ex opere operato, Sacrificuli Pontificij meliores & doctiores à suis ordinibus redirent, contra quam fit. Quare Ambrosius & Chrysostomus quibus adhæret Johannes à Gorcum, hoc *χάρισμα* interpretantur paulò strictiùs, officium Episcopale munus & authoritatem docendi: Et licet nomen

χάρισμα

χάρισμα quandoquē pertineat etiam ad gratiam gratum facientem, ut Rom: IV, 15. VI, 25. tamen frequentius de gratia gratis grata, & in Scriptura & in Patribus usurpatur I. Cor: VII, 7. XII, 4. Eodem sensu præcipitur Timotheo 2. Tim: 1, 6. ἀναλωπυρέν τὸ χάρισμα τῆς θεῆς, quod in ipso erat per χειροθεσίαν Pauli: Quod quidem nolim de solo munere externo ad quod ordinatus fuerat intelligi, sed etiam de donis quibus ad illud unā divinitus instructus fuerat; quæ oratione fovere & exercitio acuere & vigilantia custodire debebat: Verum hoc χάρισμα tribuitur manuum impositioni, significativè potiùs quam efficienter; Nec præterea χειροθεσία nostra ad ordinationem externam Ministrorum ejusdem efficaciz debet censerī cum Apostolica quā conferebantur etiam sensibilibiter charismata extraordinaria Spiritus Sancti, Act: VIII, 15. 18.

Tertio mandatum & institutionem) Est sane ministerium Ecclesiasticum ad Evangelij prædicationem & administrationem Sacramentorum, institutionis divinæ; & absurdè per hodiernos Enthusiastas, quales Apollonianus *Grallator* & meus *Erotematicus*, id negatur de Ministerio quod viguit post Apostolorū & Apostolicorum Virorum obitum; cum Ministerium à Christo institutum in usum perpetuum Ecclesiæ suæ atque sic duraturum usque ad consummationem sæculi Matt: xxviii, 19. 20. à θεοπνεύσις Apostolis commissum hominibus non θεοπνεύσις nequiverit θεοπνεύσις & Apostolico planè modo propagari; sicut Sacerdotium Leviticum θεοπνεύσις per Mosem Aarōni ejusque filijs collatum, medijs deinceps humanis ac infirmioribus conservari & progari debuit; Mansit munus in se quod Apostoli primis illis Episcopis & Pastoribus à se ordinatis commiserant, sed modus qui postea ad muneris istius continuationem debuit adhiberi, non est per omnia infallibilis & Apostolicus; Et longè angustiori modo Apostolici illi Episcopi primi à Spiritu Sancto constituti dicebantur Act: xx, 28. quam eorum successores; quia etiam personæ illæ immediate à Spiritu Sancto erant designatæ ad id munus; quo spectat dictum Pauli de dono dato Timotheo in ipsius χειροθεσία per Prophetiam I. Tim: IV, 14. Interea tamen & eorum Successores in hodiernum usque diem, dici possunt sed sensu aliquo diminuto, constituti

tuti sunt in Episcopos à Spiritu Sancto, trifariam; 1. Quia munus ipsum est institutionis divinæ. 2. Quia Spiritus Sanctus etiam ordinario huic Ministerio benedicit, & suam per illud exerit efficaciam ad propagationem regni Christi & regenerationem fidelium. 3. Quia idem Spiritus, licet non eâ mensurâ quâ olim in Apostolis, cooperatur quoq; ordinationi eorum quibus hæc sacra munera committuntur, saltem hætenus ut perpetuum maneat Evangelij Ministerium in Ecclesia. Sed quamvis habeat Ministerium Ecclesiasticum *mandatum & institutionem divinam* ex locis hîc Tirino citatis (quorum tamen is qui desumitur ex Act: XIII, 2. parum est ad rem, quia ibi Saulo & Barnabæ non committitur per ordinationem jus exercendi Ministerij quod jam habebant, sed exercitium juris illius ad opus speciale destinatum) non tamen inde sequitur Sacramentis Ecclesiæ Ordinationem ad sacrum Ministerium esse annumerandam. Omnia enim Sacramenta debent esse institutionis divinæ; at quicquid est institutionis divinæ Sacramentum non est.

Num: 2. Et id quidem de ORDINE EPISCOPALI & SACERDOTALI, (quæ nomina initio Ecclesiæ sæpè pro iisdem usurpabantur; licet Episcopus jure Divino semper major fuerit ad Philip: I, I.) constat ex locis jam dictis n. I.

De DIACONIS habes Act: VI, 6. *Orantes imposuerunt eis manus;* & 1. Tim: III, 8. & Philip: I, I. & ad Tit: I, 7. semper Apostolus *Diaconos* conjungit cum *Episcopis*. Et sub nomine *Diaconorum* comprehenduntur etiam *subdiaconi*. De MINORIBUS ORDINIBUS nihil habemus ex Scripturis, sed ex traditione, ut & de *materia* & de *forma* singulorum.

CENSURA. *Et id quidem de ordine Episcopali*) Qui modo Presbyteri modo Episcopi in Scripturis dicuntur, generali nomine Pastorum veniunt Eph: IV, II. quorum munus institutionis esse divinæ agnoscimus: Ut autem 1. ordinem Sacerdotalem non agnoscat Scriptura, ut visum suo loco; 2. nec potest distingui ordo Sacerdotalis ab Episcopali, quin multiplicentur ordines supra vulgarem sententiam, & pro septem octo minimum constituantur; Ita jure divino nihil esse discriminis inter Episcopum & Presbyterum (qui *Sacerdos* absurdè vocatur) vel inde liquet quod juxta Scripturam nomina Presbyteri & Episcopi sunt Synonyma, uti patet ex loco Phil: I, I. quem

quem hinc citat Tirinus & ejus ibi commentario; Quod enim habet simplices Sacerdotes semper fuisse Episcopo inferiores ut jurisdictione ita & dignitate ac potestate, eo quod non possent vel Ordines sacros conferre, vel Confirmationis Sacramentum administrare, qua jure divino solis Episcopis proprie dictis conveniunt, continet meram petitionem principij & pro confesso assumit quod ex Scripturis probandum fuerat. Nos enim suo loco probavimus tom. 1. ad Contr. viii. n. 8. nullum jure divino discrimen esse inter Episcopos & Presbyteros, eos videlicet qui laborant in verbo; nam quoad illos qui spectant tantum *κωβήρισιν* Ecclesie, cujusmodi sunt nostri seniores, alia est ratio: adeoque & Ordinationem & Chrismatis unctionem, non minus convenire Presbyteris quam Episcopis, quos inter, Hieronymo teste in Epistolam ad Titum, sola consuetudo non jus divinum discrimen fecit. Ipse Paulus monet 1. Tim: iv, 14. à toto Presbyterio manus impositas fuisse Timotheo. Ipsi Ignatio, quem primum adsciscunt suæ dignitatis patronum Episcopaturientes (sed cujus Epistolas supposititias esse Salmasius & Blondellus noster nuper in suo erudito opere de Episcopis & presb. non sine causa statuunt) *ἐπιθεβήριον* dicitur *σύστημα ἱερῶν, συμβεβητοὶ & συνδεδιωται τῷ ἐπισκόπῳ*: Sacerdotus, consiliarij & assessores Episcopi, in Epist. ad Trall. Ideo etiam Episcopatu jam discreto à Presbyterio, tamen Concilium Carthaginense iv. (de cujus veritate & autoritate nihil nunc dico) statuit ut in ordinatione Presbyteri Episcopo eum benedicente & manus super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui presentes sunt manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant, uti refertur in Decreto dist. 23. Can. Presbyter. Et Ambrosius in 4. Ephes. ait quod in Agypto Presbyteri consignant si non sit Episcopus. Ipse Tirinus ad Phil: 1, 1. agnoscit quod olim nomina Episcopi id est inspectoris & Presbyteri id est senioris communia erant omnibus sacerdotibus, quorum etiam communi consilio & sententiâ regebantur Ecclesie; quin & in Concilijs aliquamdiu cum ipsis Episcopis confederunt & sententiam dixerunt; Quod apertissimum est æqualitatis argumentum. Et quantum illi æqualitati patrocinati sint Jesuitæ dum docuerunt falsum esse quamlibet Ecclesiam particularem egere Episcopo; posse Galliam, Hispaniam & Angliam carere Episcopis; Monachis, ut Confessiones audiant, non esse necessariam approbationem Episcopalem; unctionem Confirmationis

R r r r r

posse

posse committi non solum Presbytero sed & Diacono, quam etiam olim administrarint absque speciali commissione, ex sola potestate quam habent baptismum conferendi, patet testimonijs hęc prolatis in *Theologia Morali Jesuitarum*, ex ijs quę Johannes Floydus Jesuita Anglus partim sub nomine Danielis à Jesu, partim sub nomine Hermannii Lomelij emisit, in libellis qui inscribuntur *Anglis, Quæritoria &c. Apologia Sanctæ sedis &c.* Item ex Celsio de *Hierarchia*, item ex Sirmundo in duob. *Antivreticis adversus Aurelium*. Nec alia fuit ratio Petro Aurelio (qui revera fuit Johannes Vergerius Hauranmius Abbas Sancyranus) grande suum opus emittendi *de jure Episcoporum* (quod tanto cum plausu Cleri Gallicani fuit exceptum ut ejus publica autoritate recusum fuerit,) quam ut Episcopalem dignitatem contra has & similes assertiones Jesuitarum tueretur; quod tamen per Jesuitarum factionem non fuit illi impune.

De Diaconis habes) Quod Diaconi semper Episcopis conjungantur in Scriptura argumento est certissimo inter Presbyteros laborantes in verbo quibus subsunt Diaconi & Episcopus nullum esse discrimen, & authorem Epistolarum quę Ignatij nomen ferunt, multum à stylo Scripturę & doctrina Apostolorum recedere, dum ex illis duobus ordinibus tres facit Episcopatum, Presbyteratum & Diaconatum: Nisi Presbyteri illi intelligantur qui præsunt quidem cum Pastoribus, iisque assident in gubernatione, sed interim in verbo non laborant. Hypodiaconatus non occurrit in Scriptura, inò admodum recentis esse institutionis ostensum à Blondello in *Apol. pro Hier. de Episc. & Presb.* & si ordinem specialē constituit ut voluit Pontificij, non magis potest in Diaconatu intelligi, quam Diaconatus in Presbyteratu. Porro Diaconi quorum fit mentio in Scripturis non erant ordinati, vel ut *aquam ad Ministerium altaris præpararent & pallas altaris & corporalia abluerent &c.* ut hodie Subdiaconi ordinantur ad id traditione *calicis vacui cum patena superposita*, item *urceolorum cum vino & aqua ac bacili cum mansuetergio*, ut videre est in Pontificali p. 1. fol. 12. & 13. vel ut *ibidem fol. 14. & seqq.* videmus ordinari hodiernos Diaconos *per stolam candidam & dalmaticam* & traditionem libri Euangeliorum, ad ministrandum altari, baptizandum & prædicandum cum potestate *legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis*; sed primū illi Diaconi ordinati

ordinati fuerunt ut mensis ministrarent, ijs scilicet ad quas deferebantur
 nammi & cibi in subsidium pauperum & usum Agaparum, eorumque
 omnium curam specialem haberent, ne hac sollicitudine Apostoli avo-
 carentur à verbi divini prædicatione, uti patet ex Act: vi, 2. & prout
 jam ante monuimus *ad Cont. XIX, n. 5.* Nec sane vocati erant ad spiri-
 tualia sed ad βιωτικά, quod agnoscente Tirino *ad Act: vi, 2.* cen-
 fuerunt Durandus *in 4. dist. 24. q. 2.* Cajetanus *tom. 1. episc. tract. 11.*
 & Synodus Trullana *can. 10. apud Balsamonem*: Etenim præfecti fue-
 runt τῆς διακονίας τῆς καθήμερας com. 1. hoc Apostolorum consilio com.
 2. quod æquum non esset ut ipsi relicto sermone Dei mensis mini-
 strarent: quare volunt septem illos præficere ἐν τῆς χειρας ταυτης, ut
 ipsi interea in precibus & administratione sermonis perdurent. Quæ
 omnia manifestè testantur temporalia duntaxat committi ibi Diaconis,
 Spiritualia sibi reservantibus Apostolis; Si enim inter has men-
 sas etiã Eucharistica fuisset, sanè Apostoli illis mensis servire nun-
 quam detrectassent. Et cum ministerio mensarum opponant orati-
 onem & administrationem verbi, sub qua oratione vult Tirinus ibi
 intelligi *Sacrificium Missæ*, hinc liquet nihil illis Diaconis fuisse commune
 cum Ministerio Eucharisticæ vel missarum: Postea à βιωτικῶς translati
 fuere ad πνευματικά, & prout monet Paulus 1. Tim. III, 13. Diaconos
 qui benè ministraverint gradum sibi bonum acquirere, ita primi illi
 septem videntur brevissimè transcendisse ad ministerium sacrum, uti
 liquet exemplo Stephani & Philippi: quo deinceps factum ut etiã
 Diaconis jure positivo & Ecclesiastico concederetur pars aliqua
 administrationis sacræ, & tandem eousque processerint, quod ex
 Canonibus varijs liquet quibus ægrè potuerunt in ordinem cogi, ut
 ipsi Presbyteris antestare & præferri vellent: Sanè Oecumenius di-
 fertè dicit *in Act: 6.* ab Apostolis creatos fuisse *Diaconos non juxta gra-
 dum qui nunc est in Ecclesia, sed ministros qui omni cum diligentia & non
 neglectim distribuere viduis simul & orphanis ea qua ad alimentum pertine-
 bant.* Et quam parum ex hac impositione manuum facta super septem
 Diaconis, Sacramentalis Diaconatus Pontificiorum colligatur à Tirino,
 qui videlicet jus prædicandi & baptizandi & ministrandi altari im-
 portet, dicat pro nobis Petrus Lintrensis *ad Act: vi, 6.* *Non planè li-
 quet quem*

quet quem totalem effectum habuerit hac Apostolorum & manuum impositio. Illud non est dubium quod fuerint praefecti ministerio illi aëconomico, distribuendis aequaliter bona communia & eleemosynas in viduas & alios pauperes, & consequenter Apostolos pro ijs Dominum orasse ut ad hoc officium diligenter, fideliter, amanter, patienter & industrie exercendum gratiam ipsius suam donaret, ac manuum impositione ipsius benedixisse (sicut & Dominus Matth. 19. parvulis manus suas imponens ijs benedixit) & in officio isto ipsos constituisse, sicut facturos se dixerant vers. 3. ibi Quos constituamus super hoc opus; Sed illud queritur an praeterea hoc loco & tempore Apostoli istos septem ordinauerint Ministros sacri altaris seu sacrificij Christiani: Id quod nonnulli existimant quia audiunt hic Impositionem manuum; Quod argumentum non concludit, eo quod non semper aliquod Sacramentum fuisse collatum significetur ubicunque dicuntur manus fuisse alicui impositae, ut patet ex loco proxime allegato Matth. 19. Vide & infra cap. 9. vers. 17. & cap. 13. vers. 3. Sed & ex his qua ad vers. 3. dicta sunt merito aliud videtur existimandum; nec enim ullo modo credibile est Apostolos qui quotidie sacrificabant usque ad hoc tempus caruisse Ministris altaris, Diaconis sacris qui illis sacrificantibus assisterent; unde ariolatur vel omnes hos septem vel saltem aliquos eorum jam antea fuisse Diaconos primquam huic aëconomico muneri nunc adhiberentur. Sed potius inde colligerem Diaconatum per se & uti hic legitimus institutum nullâ ratione ad Ministerium Eucharisticum nedum ad Choriagium Sacrificij Missatici, quod ignorabant Apostoli, pertinuisse, sed ad sola spectasse Civilia, sic ut impositio manuum, ad illius quidem institutionem, non verò ad sacramentalem ejus rationem pertinuerit: Quod verò χειροτονία non adhibemus in Diaconorum nostrorum ut nec in Seniorum ordinatione causa est fontica, quoniam videlicet hic ritus videtur restrictus per Apostolum ad solum Ministerium verbi 1. Tim: v, 22.

De minoribus ordinibus) Quod de his confitetur etiam ad Subdiaconos æquè ignotos in Scripturis est referendum. Nec ratio subest ulla cur Subdiaconi Minoribus ordinibus non accenseantur: imò necdum satis constat quid distinguat Majores à Minoribus; aut cur illi censeantur sacri hi vero non: Si enim petas à Pontificijs cur majores sacros vocent, respondebunt id se facere quia majoribus cœlibatus

cœlibatus annectitur ; at si iterum inquiras cur cœlibatus illis potius annectatur quam minoribus , respondebunt id ideo fieri quia majores sacri sunt non minores: De his minoribus fusiùs egi in meo *Exorcista* : Et quamvis videatur noster tum Subdiaconatum tum Minores ordines Sacramenta quoque facere , tamen Bellarminus *de Sacr. ord. cap. 7. & 8.* hoc duntaxat censet *probabile* , & minus adhuc probabile de minoribus quam de Subdiaconatu ; negant vero absolute Lombardus , Gratianus & Martinus de Ajala apud Coninck *p. 2. de Sacram. quest. 20. dubio 6. n. 42.* hac maximè ratione , quia cum in Scripturis sola fiat mentio Sacerdotum & diaconorum reliqui ordines videntur ab Ecclesia instituti ; Ad eandem sententiam quoad minores accedunt ibidem Navarrus , Medina , Soto & alii . Et cum quilibet Laicus quotidie Diaconi officio defungatur in Missa respondendo Sacerdoti Missificanti , cœteraque munia Ostiariorum ad templum aperiendum , Acolythorum ad cereos accendendos & nolas impellendas , Lectorum ad cantandum , Exorcistarum ad fundendam aquam in ministerium Baptismi (nam ipse Coninck *V.S. dubio 3.* ad ista extendit minora hæc ministeria) exequantur passim vilissimi æditimi , nullis ordinibus vel majoribus vel minoribus initiati , inde sequetur vel nullo speciali caractere per ordinationem ad illa præstanda opus esse , vel æquè sine Sacramentali ordinatione Missam posse celebrari ac solent à non ordinatis impleri munia Diaconatus , Subdiaconatus & minorum ordinum . Et cum omnia Sacramenta novæ legis debeant habere suam institutionem apertè in Evangelio , unde tantopere solliciti sunt Pontificij circa extremam unctionem , ut saltem ejus insinuationem isthuc reperiant , quâ fronte Subdiaconatus & minores ordines annumerantur Sacramentis , quandoquidem nihil ad eos spectans reperitur in Scripturis ? Sed neque ex traditione possunt isti minores ordines , ut nec Subdiaconatus , infallibiliter colligi . *Sub nomine Diaconorum comprehenduntur etiam Subdiaconi* , inquit noster Tirinus : Quare ordinem distinctum non constituunt . Pseudo-Dionysius *Ecl. Hier. cap. 5.* tantum numerat tres ordines , scilicet Pontificum , sive Episcoporum , Presbyterorum , & Diaconorum ; Sed tamen etiam *cap. 1.* meminit Anadochi pœnitentem ad Hierarcham deducens.

ducenti. In Canonibus vulgò dictis Apostolorum, *Can. 42.* vel juxta alia exemplaria 43. fit mentio tantum Subdiaconorum, Lectorum & Cantorum. Ignatius *ep. ad Antioch.* salutatur Hypodiatonos, Lectores, Cantores, Ianitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores; Ubi ad marginem Mestruus sic annotavit; *Varij Clericorum in Ecclesia ordinatos.* Et in suis notis ad eum locum, *Laborantes Sandapilarios* interpretatur vel *Copistas* quorum munus erat corpora defunctorum ad sepulturam deferre, laudato de ipsdem Epiphaniij testimonio. In ipso Pseudepigrapho Concilio Carthaginiensi *IV. Can. 10.* Psalmistæ sive Cantores à Lectoribus distinguuntur: nec juxta Pontificale ipsum, alijs lectoribus locus deberet esse in Ecclesia quam Diaconis, qui creantur traditione codicis sacri, cum his verbis, *Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis*; Et cum Ostiarij creantur traditione clavium, videntur eo ipso omne ministerium Ecclesiasticum consequi, præsertim cum illis dicat Episcopus; *Stradete etiam ut sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperitis & clauditis, sic & invisibilem Dei domum corda scilicet fidelium distis & exemplis vestris claudatis Diabolo & aperiatu Deo, ut divina verba qua audierim corde retineant & opere compleant.* Lectoribus vero videtur & prædicatio verbi committi; his verbis, *Lectorem siquidem oportet ea legere qua prædicat, & lectiones cantare & benedicere panem & omnes fructus novos.* Exorcistæ olim uti fusiùs docuimus in nostro *Exorcista*, non constituebant ordinem specialem in Ecclesia, nisi quatenus metaphoricè id nomen usurpabatur, quod frequens est apud Veteres, pro Catechistis; nec video quid cum hoc nomine habeat commune quod ordinandis in Exorcistas dicitur ab Episcopo; *Exorcistam enim oportet abjicere Demones & dicere, Vi qui non comunicat det locum* (cum Missæ sine communicantibus sint frequentissimè in Papata) *& aquam in Ministerio fundere.* Eadem ratio nominis Acolythi. *Acolytum etenim, inquit Pontificale, oportet cerofervarium ferre, luminaria Ecclesie accendere, vinum & aquam ad Eucharistiam seu ad ministerium sanguinis Christi ministrare.* Nam præterea quod hac in parte Acolyti munus coincidat cum Subdiaconatu, longo tempore opus fuit ad Episcopi pedisequum qui ipsum quocunque iret sequeretur, (unde ἀκόλυθος à verbo ἀκολουθῶ dicitur) in ordinem

narium Ecclesiæ Ministrum, à Christo quod magis est institutum, commutare : Addo hæc omnia munia Acolythi , Exorcistæ , Ostiarij , Lectoris , Subdiaconi & Diaconi in Papatu , nemini conferri seorsim ad exercitium , sed haberi tantum pro dispositionibus prævijs ad Presbyteratum , prout tinctorum solent viliori colore pannos eos imbuere quos purpurâ & murice inebriare volunt. Quare minores ordines non suscipiuntur seorsim , sed omnes simul , nec quisquam promovetur ad Diaconatum vel Subdiaconatum solum , (nisi forte inter Cardinales) sed postquam est in minoribus continuo tenore sit primùm Subdiaconus , dein Diaconus , & pro colophone Presbyter ; ut nullus detur sacrificulus qui hac omnia non sit simul Sacerdos , Diaconus , Subdiaconus , Acolythus , Exorcista , Lector , Ostiarius ; adeoque qui non possit in scena Missæ septem hæc personas distinctè sustinere ; mirè stigmatizata est istorum sacrificulorum anima tot distinctis characteribus inusta , quot olim requirebantur sigilla in solemnibus testamentis.

Num: 3. EFFECTUS est duplex : Primus, potestas spiritualis perpetua, in cuius signum character imprimetur, de quo Coſt. xv. n. 8. Secundus, gratia gratum faciens, quâ possint ordinati ritè suo munere perfungi. 2. Tim: I, 6. Resuscites gratiam, &c. MINISTER est Episcopus. ad Tit: I, 5. Reliqui te Creta, ut constituas per civitates Presbyteros, &c.

CENSURA. *Effectus est duplex : primus potestas*) Id quidem verum est per impositionem manuum conferri ordinato potestatem annuncianđi Dei verbum & administrandi Sacramenta atque disciplinam Ecclesiasticam exercendi ; Sed I. Per minores ordines nullum Ministerium à Christo institutum demandatur suscipientibus illos. II. Speciatim qui creantur Exorcistæ, non possunt instrui ullâ potestate ad Energumenos liberandos ; cum hoc charisma ad gratias gratis datas spectans, immediatè conferatur à Deo cui vult, & nulli ritui humano, imo nulli Sacramento externo, alligetur. III. Ministrorum verbi potestas est perpetua non propter imaginarium illum characterem, quem suo loco refutavimus, sed quia ex vocationis suæ natura necessitas ipsis incumbit evangelizandi & vix illis nisi evangelizent,

gelizent; 1. Cor: IX, 16. Debet tamen hæc potestas intelligi *perpetua* secundum quid, nisi videlicet ea excidat Minister suo vitio & depositionis à suo munere justam pœnam incurrat. IV. Illi suæ doctrinæ de potestate perpetua per characterem indelebilem collata Ministris Ecclesiæ, repugnat præter auctoritatem veterum Canonum, in quibus nihil frequentius circa delicta Ministrorum Ecclesiæ, quam eorum suspensio, exauctoratio, depositio, relegatio ad Laicam communionem, ipsorummet adversariorum praxis, qua agunt etiam in sacrum ordinem per censuras, suspensiones, irregularitates, excommunicationes, interdicta, imo & degradationes, quæ nihil operabuntur si hæc potestas semel collata non sit auferibilis & maneat adhuc in inferno. V. Ridiculè dicitur character in illius perpetuæ potestatis *signum* imprimi, cum signi naturam habere nequeat, quod à nemine sentiri vel cognosci potest. VI. Cum videatur Concilium Tridentinum *sess. 23. can. 4.* Characteris impressionem ad *sacram* ordinationem restringendæ eam denegare minoribus ordinibus, non debuisset Tirinus hunc characterem ordinationi in genere etiam non sacræ assignare.

Secundus gratia) Supra de hoc diximus, & monuimus *charismata* per impositionem manuum etiam Apostolicarum collata, ad gratiam justificantem pertinere non posse. Sed præterea velim scire quæ gratia gratum faciens conferatur v. g. ostiario cum illi traduntur claves materiales quibus templum aperiat: & sic de cæteris.

Minister est Episcopus) De eo disputavimus *tom. 1. Cont. VIII. n. 8.* In loco quem hic citat Tirinus parum est præsidij pro sua causâ; Quod enim ibi fingit Titum à Paulo in insula Creta non *Episcopum* modo sed *Archiepiscopum* relictum fuisse, ut tum *Episcopos* in majoribus urbibus, tum in minoribus *Sacerdotes parochos* constitueret, merum est somnium febricitantium, sive commentum hominum τῆς ὑποβίσεως δολίωεν quocunque modo paratorum. Nam 1. Mirum est hodiernos Jesuitas Archiepiscopatus & Episcopatus somniare eo in loco, ad quem Hieronymus, Sedulius & Anselmus observarunt, Pauli & Titi tempore, nullum fuisse discrimen inter Episcopum & Presbyterum:

rum: Unde Cornelius à Lapide ad Tit. 1, 5. §. 26. notat cautè legendum esse hìc S. Hieronymum; Ait enim (inquit) Olim idem erat Presbyter qui Episcopus & propter schismata consuetudine potius quam Dominica institutione factum est ut Presbyteris præstent Episcopi. Similia (inquit Cornelius) habent Sedulius & Anselmus. II. Archiepiscopum fingere Titum est per absurdum, cum dignitates Metropolitanorum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, nonnisi diu post Apostolos natæ sint in Ecclesia, & postquam cœpit regnum Ecclesiasticum ad ideam regiminis Politici in imperio exigi & componi, uti à S. almasio, Blondello & alijs fuit demonstratum. III. Nec oppidatim sive $\kappa\tau\eta\ \pi\acute{o}\lambda\iota\upsilon$, id est in singulis urbibus mandasset Paulus ordinari presbyteros, si in unaquaque urbe unus tantum Episcopus fuisset constituendus; cum quò majores essent urbes, eò pluribus egerent Ministris & presbyteris in verbo laborantibus. Et benè monet ibi Cajetanus non adverbali sacris eloquijs plures in una civitate appellari tunc temporis Presbyteros seu Episcopos ut patet Act: 20. Imo Theodoretus hoc argumento motus quod in unaquaque civitate non Episcopos multos, sed Presbyteros esse mos est, hinc colligit Presbyteros, Episcopos appellari. IV. Quamvis eum in finem Titus ibi fuerit relictus, non tamen sequitur ejus solius fuisse Presbyteros oppidatim constituere & ordinare: quandoquidem ipsumet Timotheo manus fuerant impositæ à toto Presbyterorum cœtu; & obtinet ea sententia inter Pontificios ipsos, quod, ut loquitur Coninck disp. 20. dubio 9. §. 82. ab ipsis Apostolorum temporibus ut aperte colligitur ex 1. Tim. 1v, 14. & expresse docet Anacletus epist. 2. fuerunt necessario requisiti tres Episcopi ad unius consecrationem; unde videtur omninò consequens hoc à Christo fuisse institutum & consequenter esse essenziale; Quod etiam aperte confirmat Anicetus Papa in sua Epistola post initium &c. Quapropter ibid. §. 83. Cardinalis Bell. c. 4. de notis Eccle. cap. 8. ante medium, & P. Vasquez hìc disp. 243. c. 6. n. 63. docent Episcopum ordinariè omninò invalide ab unico Episcopo consecrari. Ex quo axiomate sequitur aut non solum Titum has ordinationes fecisse, aut nullum Episcopum potuisse ab eo ordinari. V. Cum Titus in Creta ad tempus demum & ad hanc rem fuerit relictus, debuit id præstare non ex propria & Archiepiscopali authoritate, sed ex delegata potestate per Apostolum; quod & illa

sssss

verba

verba satis innuunt *ὡς ἐγὼ σοι διατάξαι μιν*: unde colligitur nequidem sensu Pontificio necessariò debuisse esse Episcopum, ut presbyteros oppidatim ordinaret; Si enim presbyter *ex commissione summi Pontificis* possit *ordines minores conferre*, juxta praxim Ecclesiæ & Tridentini Concilij decretum *sess. 23. cap. 10. de Ref.* quo hæc facultas fit quibusdam Abbatibus ex Pontificis privilegio, ut monet Coninck *V. S. §. 77.* Si ex eadem commissione simplex Sacerdos possit conferre *omnes ordines excepto Episcopatu*, ut statuunt *ibid. §. 78. Glossa in cap. Pervenit, 95. dist. & Angelus in Summa v. Ordo 2. n. 2. & quidam alij*, aut saltem juxta reliquos, diaconatum vel subdiaconatum; Si olim Chorepiscopi, qui nihil aliud erant quam Presbyteri, poterant Presbyteros & Diaconos ordinare modo id non facerent *preter conscientiam Episcopi*, ut habet Concilium Antiochenum *can. 10.* Annon potuerit Titus manens presbyter & citra insulam Episcopalem ex commissione Pauli Apostoli, illam ordinationem presbyterorum facere in Creta, quæ Ecclesiæ illic firmandæ & constituendæ post jacta illius fundamenta prædicatione Pauli, necessaria erat? VI. Non fuit Titus vel Episcopus vel Archiepiscopus Cretensis: Sic enim non debuisset ad tempus relinqui in Creta, sed fixos in ea lares habere & *constanter residere*; necdum noverant illa tempora hæc nomina fastuosa & discrimina periculosa quæ sequior ætas invexit; sed quolibet Episcopo & Archiepiscopo major fuit (ut etiam Timotheus,) Evangelista scilicet ex eo ordine cujus meminit Paulus Eph: 1v, 11. Evangelistæ enim ibi dicuntur distinctè tum ab Apostolis, tum à Prophetis, tum à Pastoribus & Doctoribus, *Lxx. discipuli*, inquit Cornelius à Lapide, & *similes qui Apostolis subserviebant in predicando Evangelio &c. sicut presbyteris subserviunt diaconi & sicut Catechista subserviunt concionatoribus*: Ita Theodoretus *ad eum Pauli locum* distinguit Evangelistas quos inter nominat B. Philippum unum ex septem à Pastoribus & Doctoribus, quod *hi in civitate & in pago erant deputati & segregati*, illi verò *obremtes predicabant*: & quamvis videatur Chrysostomus qui etiam *Evangelizantibus inferiores* facit Pastores & Doctores, *qui habitando quieti circa unum duntaxat locum occupabantur*, Timotheum & Titum his potius quam illis annumerare, qui tamen observaverit utrumque hinc inde

inde sæpè missitatum ab Apostolo, utrumque etiam sæpè itinerum & periculis ipsius comitem fuisse, facile patietur eos annumerari Evangelistis; ut minus mirum sit eorum hoc nomine operâ usum fuisse Apostolum ad primos in Ecclesiis quas colligere incœperat Ministros ordinandos, ac nominatim eo fine & cum hac autoritate relictum fuisse Titum in Creta, ad Paulum qui eum Nicopoli præstodabatur hoc opere peracto, rediturum uti patet ex Tit: III, 12. Unde liquet etiam quam falsò dicatur Titus in subscriptione addita huic epistolæ τῆς Κρητῶν ἐκκλησίας πρῶτος ἐπίσκοπος χειρολόγησις; sed de his satis.

Num: 4. De COELIBATU sacris ordinibus annexo, non divino sed Ecclesiastico præcepto, dixi *Controv: VIII. n. 9. & 10.*

CENSURA. *De Calibatu Sacris ordinibus*) Sed & nos ibidem hanc materiam fusè tractavimus; Et cum lege tantum Ecclesiasticâ non divinâ hoc jugum Ministris Ecclesiæ impositum fuerit, deberent Pontifices meminisse illius apophtegmatismis quod Pio II. tribuit Platina in ipsius vita; *Sacerdotibus magna ratione sublatis nuptiis, majores restituendas videri.*

SSSS 2

CONTRO-

CONTROVERSIA XXVII.

De

MATRIMONIO.

Respondente

MICHAELE WOLFERDO,
Bremenſi.Num:
I.

Contractum civilem viri cum feminâ ad propagandam & educandam prolem primitivè institutum, evectum esse à Christo in SACRAMENTUM novæ legis, seu in signum vel ritum externum cui sit annexa promissio gratiæ justificantis, negant hæretici nostri; sed probatur ex Eph: v, 32. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ.* Vbi hoc, id est, conjunctio viri cum feminâ vinculo adeo indissolubili, ut nullâ de causâ se jungi ab homine possint, dicitur esse Græcè *Mysterium*, Latinè *Sacramentum*, id est, symbolum seu signum alterius nobilissimæ conjunctionis, nempe Christi cum Ecclesiâ, non solum per naturæ conformitatem, (quomodo Christus toti humano generi jungitur;) sed etiam per spiritualem charitatem, quâ ut sponsus sponsam complectitur. Talis autem conjunctionis signum esse non potest, nisi præter civilem contractum includat etiam unionem spiritualem animorum, & consequenter gratiam; sine quâ unionem istam habere non potest. Habes ergò hic signum externum à Christo institutum (Matth: xix, 6. *Quod Deus conjunxit homo non separet,*) habens annexam infallibilem gratiam. Quam 1. ad Timoth. II, v. ult. distinctius explicat Apostolus, cum quatuor bona enumerat matrimonij Christiani, contra quatuor mala, quæ sine gratiâ Dei in matrimonio vitari non possunt: *Salvabitur*, inquit, etiam *per filiorum generationem* (id est, in statu matrimoniali, ubi filij procreantur) *si permanserit in gratiâ*, dum jungerentur, accepta, putâ *in fide mutuo datâ, in dilectione, in sanctificatione, in sobrietate*: quibus tunc reddentur à perfidiâ, odio, immunditiâ & intemperantiâ.

CENSU-

CENSURA. *Contractum civilem viri*) Ut collocandis in tuto bonis Ecclesiasticis multum infervit Cœlibatus Cleri, cujus respectu Conjugium Sacrilegium est, ita ampliandæ Ecclesiasticæ jurisdictioni plurimum prodest Matrimonium haberi pro Sacramento, quo sic omnes causæ Matrimoniales, utpote Sacramentales ad forum Ecclesiæ trahantur. Attamen ægrè admodum potuit id inter ipsos Scholasticos obtinere. Nam Magister sententiarum qui primus numerum septenarium in Sacramentis inexit, ita Conjugium annumerat cœteris *lib. 2. dist. 2. litt. A.* ut tamen ejus nullum usum agnoscat quoad gratiam, sed illud in *remedium* tantum institutum velit; sed qui post sequuti sunt Doctores id non satis tutum judicarunt; ideo annotatur ad marginem, *Non tenetur hic Magister.* Durandus in *4. dist. 26. q. 3. art. 2.* negat matrimonium esse *proprie dictum Sacramentum* ut refert Coninck *disp. 24. de sacr. dub. 2. n. 5.* & quamvis dicat Coninck contrarium statuere omnes alios Catholicos, tamen apud Becanum *cap. 44. de sacr. q. 4. §. 6.* idem cum Durando itatuunt & *docent multi Canonista*, hoc potissimum argumento, *quia licitè sit pactum de Matrimonio contrahendo, etiamsi certa summa pecunia numeretur. Hoc autem non fieret licitè si matrimonium conferret gratiam, quia tunc gratia Dei emeretur pecunijs, quod est simoniacum.* Nec potest tam constanter asseverare noster Tirinus conjugium à Christo Domino demum evectum esse in *Sacramentum novæ legis*, cum Lombardus disertè asserat fuisse conjugium ante peccatum institutum non utique propter *remedium*, sed ad *Sacramentum & ad officium*. Nec desunt Catholici, inquit Becanus *V. S. §. 5.* qui asserunt *Matrimonium in Veteri Testamento fuisse etiam Sacramentum; ac proinde à Christo non tam institutum esse, quam confirmatum, neque esse proprium novæ legis.* Ita Alph. à Castro *lib. 11. contr. baref. v. Nuptia, her. 3.* Petrus Sorus *lect. 2. de Matrimonio & Catharinus apud Henriquez lib. 11. cap. 2.* Et probant primò quia Deus benedixit conjugia *Adami & Evæ; ergo videtur gratiam adjunxisse signo externo: secundo quia Leo Pontifex Epist. 92. ad Rusticum, dicit nuptias ab initio sic institutas ut haberent in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum.* Idem cum Leone docere B. Augustinum *lib. 1. de nuptijs & concupisc. cap. 21.* & alios communiter Patres agnoscit Coninck *V. S. n. 11.* Adhæc necdum constat in Papatu quodnam Matrimonium sit Sacramentum; Num illud solum quod

S s s s s 3

contrahitur.

contrahitur in præsentia Sacerdotis, ut placet Melchiori *Cano Locor. lib. 8. cap. 5. ad 3.* an quodlibet aliud legitimè aliàs contractum. Num item conjugium solorum fidelium, ut statuit noster *Tirinus infra n. 4.* an etiam infidelium & gentilium, quod Sacramentum quoque suo sensu dici non diffitetur *Coninck V. S. n. 12. ut aperte habetur*, inquit, *C. Gaudenus 8. de Divitijs*: quia cum eorum legitima Matrimonia sint, ex primava institutione Dei in paradisiæ suam modo significat unionem Christi cum Ecclesia. Nec discrimen facit quod addit, *Perfectius tamen hoc convenit Matrimonio Christianorum, quia hoc est magis insolubile*, tum quia plus & minus non variant speciem, tum quia jure ipso æquè est insolubile conjugium gentilium ac Christianorum. Quod si ratio Sacramentalis conjugij Christianorum ab ejus insolubilitate sit arcessenda, necesse erit Sacramentum hoc in vinculo conjugali consistere; At hoc non sapit palato Jesuitarum; Unde *Coninck V. S. n. 11.* hanc conclusionem ponit *Matrimonium sumtum pro ipso vinculo nec jam est nec fuit unquam propriè dictum Sacramentum.* Uno verbo non potest esse Sacramentum Ecclesiæ Christianæ propriè dictum, quia I. Fuit institutum etiam ante peccatum & priusquam egeremus gratiâ Christi, cum omnia sacramenta N. T. primam suam arcessant originem ab institutione Christi. II. Apud Gentiles & idololatrias est verum & legitimum conjugium, penes quos tamen nemo dixerit ullum esse Sacramentum propriè dictum Ecclesiæ Christianæ. III. De hujus Sacramenti materia, forma, ministris, effectu, nihil habent certi ipsimet Pontificij, ut deinceps annotabimus. IV. Sacramenta Ecclesiæ non sunt incompatibilia inter se, prout sunt apud Adversarios Ordines sacri & Conjugium. V. Absurdè ex firmissimo contractu quò duo sunt in una carne fit ritus & ceremonia quædam externa, cujusmodi est Sacramentum. VI. Cum Sacramenta non sint nisi ex ministrorum intentione, juxta Jesuitas, restabit conjugibus prætextus plausibilis divortiorum, ex hac doctrina dicendo se cum illa muliere velcum illo viro contraxisse & consuevisse non intentione Sacramenti conjugalis, sed solius concubinatus & voluptatis suæ explendæ gratiâ: adeo ut potius laxetur quam adstringatur vinculum Matrimonij eo placito quo Sacramentum statuitur. Denique ut nulla gratiæ justificantis promissio per se annexa

nexa

nexa est conjugio, ita nescitur quæ gratia sit per illud conferenda, prima - ne an secunda, an habitualis vel actualis, an excitans vel adjuvans, an præveniens vel concomitans. Quin etiam quando virgo existens in statu gratiæ contrahit matrimonium potius damnum gratiæ majoris patitur, quam illius augmentum consequitur: Excidit enim virginitatis gratiâ, quæ juxta Pontificios longè major est gratiâ conjugali, ex loco Pauli perperam intellecto 1. Cor: VII, 38.

Sed probatur ex Ephes: v, 32.) Quod si Sacramentum propriè dictum novæ legis debet intelligi quoties vel in Vulgata Versione vel in Veterum scriptis aut Ritualibus Pontificiorum, id nomen occurrit, næ excreset in infinitum numerus Sacramentorum. Mysterium Evangelij Sacramentum dicitur in V. V. Ephes: I, 9. IIP, 2. 5. Col: I, 27. Item Christi in carnatio 1. Tim: III, 16. Item mystica septemstellarum significatio Apoc: I, 20 Imò suum quoque magnæ Meretrici tribuitur Sacramentum Apoc: XVII, 7. Apud Veteres latè admodum patere nomen Sacramenti nemo sanus negaverit, agnoscente ipso Coninck V. S. (ne extra hanc materiam quæramus - exempla,) sæpè Patres accipere Sacramentum lato modo, pro quovis signo rei sacra, & hinc fieri quod etiam dicunt Matrimonium in lege natura simili modo fuisse Sacramentum. In Rituali Romano tit. de Benedictionibus, proponitur ritus servandus in benedictione vel si mavis in baptismo novæ campanæ; Ibi vero præcipitur ut post salis & aquæ distinctas exorcisationes & benedictiones sal in aquam per modum crucis conjiciatur cum his verbis; *Hac commixtio salis & aqua efficiatur salutare Sacramentum, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Eadem extat formula in Pontificali parte 2. folio 178. Similiter in Missali in Dominica in Palmis proponuntur ritus quibus benedicit sacerdos ramis olivarum eo die gestandis; ubi hæc oratio inter alias legitur; *Petimus, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deum, ut hanc creaturam oliva quam ex ligni materia prodire jussisti, quamque columba rediens ad arcam proprio pentulit ore, benedi tere & sancti tificare digneris ut quicumque ex ea receperint, accipiant sibi protectionem anima & corporis, fiatque Domine, nostra salutis remedium, tuoque gratia Sacramentum.* Omne quidem Sacramentum propriè est $\mu\upsilon\varsigma\ \eta\pi\iota\omicron\nu$, unde apud Justinum. *Apol. 2. σύμβολον ας. μυστήριον* æquipollent, sed tamen viceversa non debet

debet omne *μυσήριον* statui Sacramentum. Hoc præsertim loco, ubi mysterij nomen non tribuitur conjugio humano ut igno mysticæ unionis Christi cum Ecclesia, sed ipsimet unioni mysticæ; ut quemadmodum magnum pietatis mysterium vel ut habet V. V. *Sacramentum* dicitur Incarnatio Christi I. Tim: III, 16. ita & magnum mysterium vel Sacramentum hoc loco dicatur ipsum spirituale in matrimonium Christi cum Ecclesia. Nec enim dicit Apostolus hoc magnum esse mysterium inter virum & uxorem, sed inter Christum & Ecclesiam; quò disertis expressisque verbis illud refert; τὸ μυσήριον τῆτο μίγα ἐστίν: An respectu conjugij corporei? Neutiquam; ἰγὼ δε λέγω ἐις χριστόν & ἐις τὴν ἐκκλησίαν. Sed etsi demus hoc Mysterij nomen propter relativum τῆτο potius spectare præcedentia quam subsequencia, quod tamen Pontificij nolunt concedere in verbis Christi, *Hoc est corpus meum*, nec de mysticæ unionis Christi cum Ecclesia debere sumi, inde tamen non exculpant Pontificij Matrimonium esse Sacramentum; cum possit id, nominis, ut factum ab Hieronymo *lib. 3. in Epistolam ad Ephes.* intelligi de æp̄sis verbis ab Adamo prolatis *Propterea deseret homo Patrem & Matrem, & erunt duo in carne unq̄*: Laudat etiam Hieronymus *ibid.* iudicium Gregorij Nazianzeni sibi dicere soliti, *Vide quantum istius capituli Sacramentum sit, ut Apostolus in Christo illud & in Ecclesia interpretans, non se ita asserat; ut testimonij postulabat dignitas expressisse, sed quodammodo dixerit Scio quia locus iste ineffabilibus plenus sit. Sacramentis & divinum cor quærat interpretis: Ego autem pro pusillitate sensus mei in Christo interim illud & in Ecclesia intelligendum puto, non quo aliquid Christo & Ecclesia minus sit, sed quod totum quod de Adam & de Eva dicitur in Christo & in Ecclesia interpretari posse difficile sit.* Dicam amplius: Etsi mysterij elogium ipsi conjugio humano tribueretur, quatenus est signum sacrum conjugij spiritualis, quod Christo intercedit cum Ecclesia, ut etiam Salmasius visus est ita accepisse *lib. de Transf. pag. 35.* non tamen ideo Matrimonium deberet annumerari Sacramentis propriè dictis Novi Testamenti, cujusmodi sunt Baptismus & Cœna; quia 1. Non omne id quod mysticam habet significationem rei sacræ, illicò debet censerì Sacramentum novæ legis. 2. Ea significatio mysticæ competit Matrimonio non minus Gentilium quàm fidelium, ut supra ex Coninck au-

ninck audivimus; non minus etiam Israelitarum sub veteri lege quàm Christianorum sub nova. Hinc Tirinus benè monet Psalmum 44. Hebræis XLV. esse epithalamium seu carmen nuptiale Christi & Ecclesia desponsata Christo in incarnatione : Eadem mystica unio Christi nobiscum sub eadem conjugii figura describitur in Cantico Canticorum & Hoseæ II, 19. ut nullo jure id speciale possit dici Novo Testamento. 3. Cornelius à Lapide ad Eph: v. 32. n. 213. post rejectos eos è suis (licet iis faveat, ipso iudice, Concilium Florentinum, quod mirum est) qui Pauli dictum volunt demonstrare Matrimonium de quo præcessit, non Ade aut alicujus in particulari, sed in genere quodlibet, modo sit legis novæ, pertendit pronomen Hoc primo & propriè demonstrare Matrimonium Adami & Evæ, vel potius Matrimonij in connubio Adami & Evæ institutionem; ut sit sensus, Hæc prima Matrimonij in Adamo & Evæ institutio, omneque deinceps Matrimonium magnum est Sacramentum, id est, ut Græca mysterium, & ut Syrus arcanum, allegoria, typus rei sacre, scilicet conjunctionis Christi & Ecclesiæ. Quod si ipsius Adami & Evæ conjugio & exinde omni ab ævo matrimonio hoc convenit Apostolicum elogium, ut sit magnum Sacramentum, nulla ratio potest excogitari cur propter dictum Apostoli, ex matrimonio Christianorum faciamus speciale Sacramentum Ecclesiæ. Nec valet commentum Tirini ad hunc Pauli locum, Matrimonium Adæ & cæterorum veteris legis fuisse signum futura illius conjunctionis Christi cum Ecclesia; Matrimonium novæ legis esse signum ejusdem conjunctionis jam factæ, ideoque à Christo institutum propriè dictum Sacramentum conferens gratiam & mutuum conjugij amorem. Nam I. Supponit non probat Christum voluisse Sacramentis Evangelicis adjicere conjugium; ex nullo enim loco Scripturæ id potest demonstrari. II. Plus inesse efficacix conjugio post incarnationem Christi, quàm ante ad mutuum conjugum amorem excitandum, gratis dicitur: neque putem plus inesse gratiæ vel amoris in ullius Christiani conjugio quam fuit in Matrimonio Adami & Evæ vel Saræ & Abrahami. III. Ut æquè erant Sacramenta quæ obtinebant sub V. T. respectu Christi exhibendi, ac ea sunt quæ videntur sub Novo respectu Christi jam exhibitæ, ita non potest hoc discrimen inter Christum exhibendum & exhibitum efficere in Matrimonio ut potius sit Sacramentum sub Novo quàm sub

T t t t

V. Testa-

V. Testamento. IV. Quemadmodum omne conjugium etiam Gentilium ante Christum exhibitum, erat signum futuræ illius conjunctionis Christi cum Ecclesia, sic post Christum exhibitum omne conjugium etiam infidelium debet esse signum illius conjunctionis jam factæ, adeoque verum Sacramentum. Quid plura? Cajetanus Cardinalis ingenuè agnovit in hoc Pauli loco nihil esse præsidij pro Sacramento Matrimonij; *Sacramentum pro Mysterium, hoc magnum est: Non habes ex hoc loco prudens lector à Paulo conjugium esse Sacramentum. Non enim dicit Sacramentum sed mysterium hoc magnum est. Et verè mysterium horum verborum magnum est. Continent enim & indivisibilitatem conjugij ut Dominus explanavit apud Mattheum. Continent & jus natura horrendi conjugij cum Patre & Matre. Continent & officium debitum à viro plus uxori quam Patri & Matri. Continent & hoc quod modo Paulus declaravit; Vxorem esse carnem mariti: Vnde verè mysterium hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & Ecclesia pro in Christum & Ecclesiam. Accumulat Paulus magnitudini mysterij secundum sensum litteralem, magnitudinem secundum sensum spiritualem referendo hæc ad Christum & Ecclesiam.*

Non solum per natura) Non consentiunt hæc cum ijs quæ habet Tirinus ad Eph. v, 32. scil. conjugium esse signum rei sacræ *representativum* Christi & Ecclesie seu conjunctionis Christi cum Ecclesia factæ in incarnatione, quæ Christus visus est quasi reliquisse Patrem suum, postea etiam matrem suam Synagogam, ut sponsa sua Ecclesie Christiana adhereret; Ibi enim videtur totum hoc mysterium referre ad incarnationem Christi, quæ alter Moses nostram Æthyopiassam duxit, ut scitè Origenes, id est nostram carnem intimè sibi conjunxit. Sed id parum facit ad hanc rem. Nam at Christus non est sponsus Ecclesie solum per identitatem naturæ assumptæ, sed in super *per spiritualem charitatem qua ut sponsus sponsam complectitur*, ita in quolibet conjugio vir non est suæ uxoris maritus per conformitatem tantum naturæ, sic enim quilibet esset vir cujuslibet mulieris, sed per specialem eum contractum quo fiunt una caro. At cum hoc conveniat cuilibet Matrimonio tam ante tempora Evangelica quam post illa, tam inter Gentiles quàm inter Christianos, inde nihil potest haberi pro Sacramento Matrimonij sub lege gratiæ inter fideles. Estto fidelibus nunc suum conjugium in *actu exercito*, signum
eximium

eximium conjugij spiritualis Christi cum Ecclesia, tamen id ipsum quoque obtinebat in conjugio piorum sub V. T. & etiam num obtinet in actu signato in conjugio hominum aliàs infidelium.

Talis autem conjunctionis) Absurdè distinguit hïc Iesuita inter *civilem contractum & unionem spiritualem animorum*. Cùm nec merè civilis strictè loquendo sit contractus Matrimonialis, quandoquidem nuptiæ juris naturalis sunt censendæ, vel ipso Justiniano auctore *Instit. de jure nat. gen. & civil.* Hinc, nempe ex jure naturali, descendit *maris atque femina conjunctio, quam nos Matrimonium appellamus*; (quo sensu autem Imperator *Instit. de Nupt.* justas nuptias ad cives Romanos restringat, alij explicarunt) nec desit in contractu matrimoniali spiritualis animorum unio, cum illius forma mutuo contrahentium consensu soleat definiri; quo pertinet illud Ulpiani tantopere decantatum *ff. de R. I. l. 30. Nuptias non concubitus sed consensus facit*; eò quoque spectabat vetus formula ipsis Romanis Ethnicis usurpata, *Vbi ego Cajus tu Caja*. Quod si omnes ritus nuptiales Veterum ex Tiraquello & alijs huc liberet excutere, videremus eos non corporum modo sed animorum præsertim conjunctionem in nuptijs requisivisse. Plutarchus *in quest. Rom. 7.* inquirens in rationes legis quæ donationes conjugum inter se prohibebat, hanc adfert inter alias, quod tam arcta debeat esse inter virum & uxorem conjunctio, ut illis duobus vocabulis *Meum & Tuum* inter ipsos non sit locus. Adhæc, si *spiritualis* animorum unio per *gratiam* det Matrimonio ut sit Sacramentum I. Sacramentum fuisset Matrimonium piorum sub V. T. verbi gratia Abrahami & Saræ, aut Zachariæ & Elizabethæ, inter quos spiritualem intercessisse animorum unionem adstrictam fibulâ gratiæ, nemo ibit inficias. II. Desineret Christianorum conjugium esse Sacramentum, quoties veniunt separandi etiam auctoritate Magistratum, saltem quoad thorum, propter dissensiones & rixas immedicabiles quas sovent inter se, aut etiam quoties, licet in hæbitent, per gravia peccata desinunt esse in statu gratiæ. III. Matrimonium ratum & non consummatum, in quo potest esse summa animorum consensio per gratiam, æquè foret Sacramentum ac Matrimonium consummatum, contra quam docet Coninek V. S. ex Innocentio

centio III. cap. *Debitum s. de Digamis.*

Habes ergo hic signum) Christus Matth: XIX, 6. non instituit primum indissolubilitatem conjugii, sed eam ex primæva Dei institutione suo loco restituit, ut supra etiam monebat Cajetanus. Ipso jure semper fuit æquè indissolubile Matrimonium, quamvis de facto per Divortiorum licentiam, quam ibi carpit Christus & nunquam Deus approbavit, dissolveretur. Agnoverunt ipsimet Ethnici hanc indissolubilitatem, eo quod ab ipsis Jcis Nuptiæ sive Matrimonium definiatur, *Viri & mulieris conjunctio individuum vitæ consuetudinem continens, Instit. de pat. potest. §. 2. vel Conjunctio maris & femina & consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio, juxta definitionem Modestini l. 1. ff. de ritu Nupt.* Et refert Gellius *lib. 4. Noct. Att. cap. 3.* per annos quingentos nullum divortium fuisse cognitum inter Romanos. Hinc Tertullianus *Apolog. cap. 6.* carpens Romanos quod à majorum suorum institutis plurimum descivissent, ita loquitur; *Vbi est illa felicitas Matrimoniorum, de moribus atque prosperata, quæ per annos fermè sexcentos ab Vrbe condita nulla repudium demus scripsit.* Ipsemet Titinus quam hic adstruit sententiam destruit ad Matth: XIX, 6. his verbis; *Quod ergo Deus conjunxit coniuges, id est conjugavit seu in unum jugum copulavit (unde & conjugati dicuntur) homo non separet; id enim esset & contra institutionem Dei & contra naturam, perinde ac si unam carnem, unam personam, divideres in duas personas inquit S. Chrysostomus. Ex quibus patet monogamiam & insolubilitatem Matrimonij esse juris natura sic à Deo (omnium auctore & Domino) instituta ad hoc ut major esset conjugum amor & commodior prolium educatio. Quod verò subdit dispensante Deo & jus natura quasi remittente licuisse polygamiam ad tempus & libellum repudij, falsissimum est (licet eundem errorem errare videatur Voetius in operoso opere *Disp. suarū p. 430.*) cum Deus non dispensaverit ab hac lege quæ est immutabilis & indispensabilis ipsi met Deo, ut bene statuit Becanus *Deum non posse dispensare in ulla lege naturali Theol. Schol. p. 2. tom. 1. tract. 3, c. 3. quæst. 4. §. 5.* sed tantum ejus violationem ad tempus toleraverit & dissimulaverit permissione facti non juris quæ rem permissam licitam non facit in foro Poli & conscientię. Præterea hoc Matthæi loco in quo perperam multi Pontificij si-*

cij figunt institutionem hujus Sacramenti per Christum, ut Scotus uterque, Victoria, Vivaldus, quam tamen mavult Viguierius *Instit.* c. 16. §. 7. v. 1. querere in nuptiis Cana, nullam videmus adungi promissionem gratiæ justificantis insolubili conjugio. Et ipsis Romanis uti modo vidimus diutissime permanerunt Matrimonia insolubilia de facto, ut semper & ubique talia sunt de jure, non minus inter Ethnicos quam inter Christianos, absque gratia justificante que in solo Christo obtinetur. Ipsum tunc conjugium Adami in statu Innocentiæ eam insolubilitatem habuit quam hic urget Christus; Unde Tirinus *ad Matth.* xix, 8. Christum sic introducit loquentem; *Desidero enim ut quemadmodum initio natura recte à me instituta, ita & deinceps Matrimonium typus sit insolubilis unionis hypostatica divina persona mea cum humana natura, utem nuptialis conjunctionis meae cum Ecclesia mea, ac proinde ut sit indissolubile.* Jam autem sicut insolubilitas primæva conjugij illud non faciebat Sacramentum novæ legis, ita nec eadem insolubilitas vindicata per Christum illi dabit esse Sacramentale. Et cum asserat Coninck V. S. *Matrimonium sumtum pro ipso vinculo nec jam esse nec unquam fuisse proprie dictum Sacramentum*, hæc maxime ratione quod juxta Florentinum Concilium *omne Sacramentum est institutum ut suo usu ex opere operata sanctificet*, neque id faciat vinculum, non capio quæ insolubilitas Matrimonij rationem ejus Sacramentalem constituat, quandoquidem nec est utilis, nec si esset posset tamen suo usu ex opere operato sanctificare. Præterea Coninck V. S. n. 24. c. 21. duo nobis proponit axiomata ex quibus colligo insolubilitatem conjugij nihil facere ad Sacramentalem illius rationem. Primum statuit *Christianum ex dispensatione Pontificis contrahentem cum non baptizato non suscipere Sacramentum, quia altera pars est incapax Sacramenti*; Attamen tale Matrimonium ex dispensatione Pontificis debet esse indissolubile. Deinde asserit *Matrimonium contractum inter infideles nunquam posse fieri verum Sacramentum, etiam si postea baptizentur.* Ita, inquit, Petrus Ledesma de *Matrim.* quæst. 59. art. 2. ad 3. asserens esse plurimorum discipulorum D. Thomæ. Nemo tamen dubitat horum Matrimonium cum jam fideles sunt facti & Christiani dissolvi non posse, cum ne quidem ex parte fidelis sit dissolubile conjugium ipsum cum infideli, quamdiu hic ei vult cohabitare 1. Cor. vii, 12. 13. 14. 15. 16.

centio III. cap. Debitum 5. de Digamis.

Habes ergo hic signum) Christus Matth: mùm indissolubilitatem conjugii, se institutione suo loco restituit, ut sup Ipso jure semper fuit æquè indissolubi facto per Divortiorum licentiam, q quam Deus approbavit, dissolver hanc indissolubilitatem, eo quod monium definiatur, Viri & muli dinom continens, Instit. de pat. pot & consortium omnis vita, divi definitionem Modestini l.

4. Noct. Att. cap. 3. per ann gnitum inter Romanos.

Romanos quod à major ita loquitur; Vbi est prosperata, quâ per anno mus scripsit. Iplema ad Matth: xix, 6. hvi est conjugavit seu homo non separet naturam, perins personas inquit litatem Matrinituta ad hoo

Quod verè

polygamiã

rorem erit

Deus ne

bilis ipse

ulla le

tum esse

ne

co

missio non fit in-

no potest ceteri

ditione si per-

ti piz & fi-

sed ad

locum

Mola-

tin

at
es ur-
perfeverent
atter intellexit
proquitti mulieri
obam educationem at-
non permiseris se exemplo
, sed permanseris constans cu-
ermaneam (nam in Gracu est
a fide Christi, in dilectione Dei
orum; cum adjuncta sobrietate, iusta
erantia & cupiditatum continentia, inquit
s. Ita sibi constat Jeluita.

2. MATERIA Sacramenti hujus sunt personæ ipsæ contrahentes, hæ ipsæ sunt etiam MINISTER seu causa effectiva Sacramenti, quibus assistit ut testis qualificatus. FORMA sunt externa consensus expressiva, vel consensus signis expressus.

(Materia Sacramenti) Quanta sit hic inter Pontificiarum, dum nodum quærunt in scirpo & Coninck in conjugio, videre est apud Coninck *act. dubio 3. per totum & Becanum cap. 44. lib. 8. de locis Theol. cap. 5. ad 3.* vult materiam Sacramenti, verba Sacerdotis Canonistæ communiter *cap. Tua* 20. ac Sylvester Prierias *V. Matrimonii* sumesse materiam, verba quæ dicitur in *Major in 4. dist. 26. q. 1.* docent verba, consensum formam, quod docent. Vega *lib. 6. Summa, casu 117.* aureum *1. p. de matr. n. 17.* & alii statuta esse materiam, alterius vero verba *1. tom. 3. disp. 23. sect. 3. §. Ad primam, Lopez* *Matrim. Scotus in 4. dist. 2. q. 1. a. 6. §. Ad* *ob. 1. de Matrim. cap. 6.* perhibent utriusque consensus expressum mutuo sibi sub diversa ratione esse materiam. Eandem varietatem opinionum videas referre Fernandez de Moure *in Examine Theol. Moral. p. 3. cap. 1.* & ipse tuetur sententiam penultimam, & ideo statuit materiam hoc contractu nec certam nec determinatam esse, eo quod non sunt signa externa ad declarandos mutuos consensus in illo non sint certa & determinata. Becanus & Coninck, qui omnes quas retuli opiniones refutant & rejiciunt, paulò propius accedunt ad eam quam Titinus nunc proponit, non tamen sine variarum distinctiuncularum involucribus, ut planè nesciant quid certi statui possit. Coninck vult personas contrahentes esse materiam circa quam hujus Sacramenti, sed intrinsecè componi ex mutuo consensu signis

Quam 1. Tim. 11, vers. ult.) Aequè primò hæc promissio non sit indissolubilitati conjugij, sed piis conjugibus. II. Non potest censeri promissio gratiæ justificantis, quæ alicui sit sub hac conditione si *permanerit in gratiâ*. III. Hæc eadem promissio facta mulieri piæ & fidei viventi in conjugio, non propter insolubilitatem illius, sed ad eam consolandam contra grammas suæ conditionis, habuit etiam locum pro sanctis mulieribus V. T. quævis earum conjugium non insolubile, juxta Tiritum, nec Sacramentum fuerit: habuit & locum in conjugio eorum qui Apostolorum tempore antea in infidelitate conjugati transibant ad Baptismum & fidem Christi, licet juxta Jesuitas eorum Matrimonium non esset Sacramentum: Quinimò nulla est mulier fidelis conjugata viro infideli & sic delectata Matrimonii Sacramento, quæ tamen eandem promissionem sibi applicare non possit. Porro mira est & insolens depravatio loci Paulini per Jesuitam, qui audet tribuere Apostolo quod agat de conjugibus permanentibus *in gratia dum jungerentur accepta, puta in fide mutuo data, in dilectione, in sanctificatione, in sobrietate, quibus tui reddantur à perfidia, odio, inmundicia & intemperantia*; Etenim Paulus non agit de gratia collata conjugibus cum jungerentur, cum plerique fidelium tempore Pauli, jam conjugati fuissent ante fidem susceptam; nec fidem hic intelligit conjugalem, nec dilectionem, sanctificationem & sobrietatem commendat simpliciter ut officia relativa status conjugalis; sed has virtutes urget ut propria piæ matronæ, & ab ea ac suis exigit ut perseverent tum in illis officiis tum in fide semel data Sanctis: Nec aliter intellexit ipse Tiritus ad 1. Tim. 11, 15. Dicit enim factum promitti mulieri conjugatæ per generationem filiorum eorumque probam educationem atque in pietate & bonis moribus instructionem, & si non permiseris se exemplo Eva prima per Satanam seduci & a recto deduci, sed permiseris constans curamque quantum in se est, ut filij sui permaneant (nam in Græcis est *μεινωσιν* in plurali numero) in suscepta fide Christi, in dilectione Dei & proximi, in sanctitate vitæ ac morum, cum adjuncta sobrietate, casta continentia, id est illicetiarum temperantia & cupiditatum continentia, inquit S. Chrysostomus & Theophylactus. Ita sibi constat Jesuita.

Num. 2. MATERIA Sacramenti hujus sunt personæ ipsæ contrahentes. Et hæ ipsæ sunt etiam **MINISTER** seu causa effectiva Sacramenti: Parochus assistit ut testis qualificatus. **FORMA** sunt externa quælibet signa consensus expressiva, vel consensus signis expressus.

CENSURA. *Materia Sacramenti*) Quanta sit hic inter Pontificios discrepantia sententiarum, dum nodum quarunt in scirpo & Sacramentum propriè dictum in conjugio, videre est apud Coninck *V. S. nempe disput. 24. de Sacr. dubio 3. per totum & Becanum cap. 44. de Sacr. quasi. 5. & 6. Canus lib. 8. de locis Theol. cap. 5. ad 3. vult verba contrahentium esse materiam Sacramenti, verba Sacerdotis formam, Parochum ministrum. Canonistæ communiter cap. Tu nos; de Sponsal. & Navarrus in Men. c. 22. n. 20. ac Sylvester Prierias *V. Matrimonium 1. n. 1.* statuunt mutuum consensum esse materiam, verba quibus consensus exprimitur formam. Joannes Major in *4. dist. 26. q. 1.* docet è contrario, materiam esse verba, consensum formam, quod consensu secluso verba nihil efficerent. Vega *lib. 6. Summa, casu 117. Victoria n. 242. Candelabrum aureum 1. p. de matr. n. 17. & alii statuunt verba ab uno prius prolata esse materiam, alterius verò verba esse formam. Suarez 3. p. 1099. 3. disp. 23. sect. 3. §. Ad primam, Lopez 2. p. Instructory cap. 85. de Matrim. Scotus in 4. dist. 2. q. 1. a. 6. §. Ad dubium, Bellarminus lib. 1. de Matrim. cap. 6.* perhibent utriusque consensum signis externis expressum in utroque sibi sub diversa ratione esse materiam & formam. Eandem varietatem opinionum videas referri ab Antonio Fernandez de Moure in *Examine Theol. Moralip. 3. cap. 19. §. 3.* qui & ipse tuetur sententiam penultimam, & ideo statuit materiam in hoc contractu nec certam nec determinatam esse, eo quod verba seu signa externa ad declarandos mutuos consensus in illo non sint certa & determinata. Becanus & Coninck, qui omnes quas retuli opiniones refutant & rejiciunt, paulò propiùs accedunt ad eam quam Titinius nunc proponit, non tamen sine variarum distinctiuncularum involucri, ut planè nosciant quid certi statui possit. Coninck vult personas contrahentes esse materiam circa quam hujus Sacramenti, sed intrinsecè componi ex mutuo consensu signis*

signis externis, expresso quatenus habet rationem traditionis tanquam materiam, quatenus verò habet rationem acceptationis tanquam formam; juxta quam sententiam hæc materia & forma entia duntaxat rationis erunt. Becanus eandem tuetur opinionem de Matrimonio in fieri, sed illius in facto esse dicit materiam *ex qua* esse contrahentes, formam conjunctionem seu unionem contrahentium, quæ ex mutua obligatione oritur. Et quamvis ipsa diversitas opinionum sufficiat huic Sacramento evertendo tamen lubet paucis expendere eam quam hic Tirinus proposuit, idque per partes.

Persona ipsa contrahentes) Ut qui recipiunt Sacramentum, sicut ipsi pars essentialis Sacramenti & ejusdem simul administri, capi non potest. Et quamvis fiat in conjugio mutua illa traditio corporum quam urget etiam Paulus I. Cor. VII, 4. tamen Becanus & Coninck hæc Tirini sententiam, quam adscribunt Paludano, Petro Soto, & Coarruviz, hoc argumento rejiciunt, quod *in cæteris contradi-*
bilibus, ut in emptione, locatione & commutatione, inquit Becanus, non potest
res vendita, locata, commutata, dici materia ex qua conficitur contractus, sed
tantum dicitur materia circa quam versatur. Coninck aliam addit rationem, nempe communem suorum Theologorum sententiam esse, quod omnia Sacramenta, exceptâ Eucharistiâ, consistant in actione transeunte: adeoque non posse hoc collocari in re permanente, cujusmodi sunt personæ contrahentes.

Et hæc sunt etiam Ministri) Quamvis Melchioris Cani sententia de Sacerdote Ministro hujus Sacramenti passim ab aliis Pontificiis explodatur, tamen militat ei praxis publica Ecclesiæ Romanæ; nam non censentur legitimæ nuptiæ ad quas non accesserit benedictio Sacerdotalis: Et in Rituali Romano, *capite de hoc sacram:* hac formulâ utitur Parochus cum benedicit nuptiis: *Ego conjungo vos in matrimonium in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, Amen: vel istâ: Et ego ex parte Dei omnipotentis & Apostolorum Petri & Pauli & Sanctæ Mariæ Ecclesiæ vos matrimonio conjungo & istud Sacramentum inter vos firmo; in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti Amen: Ipsismet Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. de Ref. eousque requirit ad conjugium, præsentiam Parochi vel alterius alicujus Sacerdotis de ipsius parochi seu ordi-*
narij

matrimonij contractus, ut eâ deficiente nullum & irritum contractum conjugalem pronunciet : unde colligo ad essentiam hujus Sacramenti pertinere Sacerdotis ministerium, cum aliàs non sit in potestate hominum annullare & irritum facere divinum Sacramentum, ad cujus constitutionem omnia essentialia, materia, forma, minister, citra talem præsentiam concurrunt. Quod si personæ contrahentes essent sibi invicem ministri istius Sacramenti, primò peccarent mortaliter, uti loquuntur, ratione ipsius ministerij contrahentes in peccato mortali, sicut peccant mortaliter aliorum Sacramentorum ministri, si ea administraverint in peccato mortali existentes : at illud negant Scholastici apud Fernandez à Moure *Theol. mor. p. 3. cap. 19. §. 5.* Deinde cum statuat Becanus *Man. Controv. lib. 5. cap. 13. n. 2.* citatis profe Azorio, Sanchez & aliis, Matrimonia Catholicorum suorum cum hæreticis in Germania licita esse, debet hæreticus cenferi in suo conjugio & recipere & conferre Sacramentum, licet firmissimè credat conjugium falsò Sacramentis Ecclesiæ Christianæ annumerari. Quid igitur? Frustra se fatigant Adversarij in assignandis materia, forma, ministro, Sacramenti quod non est.

Parochus assistit) Jam monuimus juxta ipsammet praxin Adversariorum, aliud officium sibi tribuere Parochum in nuptiarum celebratione, quàm meri testis : Et decretum Concilij Tridentini præter Parochum aut Sacerdotem, requirit præsentiam duorum vel trium testium, ut planè alium in finem quàm simplicis testimonij Parochus ad id requiratur. Præstitisset dicere Parochum vel Ministrum Ecclesiæ requiri ad hierologiam sive benedictionem nuptialem, quæ partim jure Ecclesiastico sive Canonico, partim etiam jure Civili sive Politico, ad solemnitatem matrimonij & præcavendas clandestinas nuptias requiritur. Eò spectant inter alia *Canon Nullus, causa 30. q. 5.* & *Canon Nulli, causa 35. q. 2.* & *Capitularium lib. 7. cap. 300.* & *Harmenopuli lib. 4. tit. 4. in Schol.* Multa eo spectantia congeffit in unum Johannes Filescus *Select. lib. 2. cap. 1.* Præluxit Deus huic ordini suo exemplo Gen: 1, 28. & apud Judæos & Gentiles ab ævo semper tale quid obtinuit, quò Matrimonium honorabilius redderetur Heb: XIII, 4. Quos Deos Deasque nuptijs suis invocarent

V u u u u

Genti-

Gentiles refert Augustinus *de C. D. lib. 4. cap. 11. & lib. 6. cap. 9.* Ut mirum sit Independentes hodiernos in Angliã solennem Nuptiarum in cœtu fidelium benedictionem, ceu rem ad conuentus sacros nullatenus spectantem, respuere; ac Pontificios eam recusare secundis Nuptiis, ut disertè statuitur in Rituali Romano *pag. 218.* Interea tamen potest fieri ut auctoritas & interventio publica Magistratus (prout obtinet erga Pontificios & Anabaptistas in Belgio Fœderato) suppleat locum *hierologie* (sic dicitur Balsamoni) Ecclesiasticæ pro ijs qui detrectant eam admittere. Nam cum sit Matrimonium fori maximè Politici, supremi quoque Magistratus est definire de solemnitatibus quæ illi essentielles esse debent.

Forma sunt externa) Sed cum distinguant Pontificij inter conjugium quâ contractus est civilis, & quâ Sacramentum est spirituale, non potest forma conjugij ut contractus est, esse ejusdem conjugij forma ut est sacramentum. Et cum in Gentilium etiam conjugio requirantur *externa quadam signa consensu expressiva, vel consensu signis expressus*, id nequit statui forma sacramentalis in conjugio, quod est forma essentialis ipsiusmet conjugij non sacramenti. Quanquam non video quâ hęc sit forma necessaria Matrimonij ullo modo, *si vera sit* imaginatio Jesuitæ Coninck *disput. 25. de Sacram. dubio 4.* posse Deum efficere duos vere conjuges etiam invitos.

Luth. in
propositio-
nibus de
Bigam-
miã Episc-
coporum
anno 15

Num: 3. POLYGAMIAM plurium simul uxorum, post sufficientem generis humani propagationem, non reliquit nobis liberam Deus (ut vult Lutherus & Anabaptistæ) sed prohibet lege naturæ & Evangelicâ: nam dispensationem omnem revocavit Christus Matth: XIX, 5. & 9. *Quicumque dimiserit, &c. Erunt duo in carne unâ, &c.* Et Apostolus Rom: VII, 3. 1 Cor: VII, 10. apertissimè dicit, uxorem vivente marito non posse alteri nubere: Ergo nec maritus vivente conjuge, cum in his par sit jus utriusque 1 Cor: VII, 4.

2 8. *propos. 65. & 66.*

CENSURA. *Polygamiam plurium simul*) Mens & sententia hac in re Martini Lutheri partim excusatur, partim explicatur à Johanne Gerhardo, *Loco de Conjugio §. 202. 203. & 204.* Sed constans est omnium

est omnium Protestantium, etiam eorum qui Lutherani volunt dici, sententia polygamiam esse omnibus Christianis illicitam & institutioni primæ conjugii ad quam Christus suos revocat Matth: XIX, 6. advesari, ut apud Aretium, Amesium, Bezam, Brochmannum, Danæum, Gerhardum, Tarnovium, Zanchium & alios videre est. Hinc refutatus à Beza Bernardinus Ochinus Italus qui ejus patrocinium susceperat, & improbatum semper nostris Anabaptistarum furores, qui eam de facto per Johannem Leydensem Monasterij, Johannem Wilhelmum in agro Cliviensi & similes excetras annexi sunt revocare. Sed furor ille paulò post defævit, & hodierni Anabaptistæ habentes quod agant cum una, plures uxores non appetunt. Imo neque Judæis inter Christianos degentibus polygamia conceditur *ex l. 7. Cod. de Judæis.* Equidem varii agitantur casus de Ethnicis polygamis ad fidem conversis, num illis permittendæ sint plures quas ante suam conversionem duxerint uxores; item de Christianis qui per mulieres Turcicas vel Saracenicis sub data fide conjugii in libertatem fuerunt asserti, num eas legitimis suis uxoribus quas domi reliquerant, possint super inducere; item de eo qui instar Principis illius in Germania (quod Luthero à Jesuitis exprobratur) fuerit ita succi inexhausti, quales triorches dicuntur esse, ut ejus uxor palam profiteatur se non posse illi sufficere, & petat sibi dari consortem thori ac voluptatum conjugalium quibus ipsa par non sit; Variæ quoque proponuntur quæstiones circa resolutionem conjugiorum, quando conjugum alter vel recusat malitiosè debitum conjugale, vel illius reddendi per infirmitatem capax non est, vel in morbum contagiosum & incurabilem incidit; Sed nihilominus id constans & fixum debet manere I. Christianis non licere esse polygamis; ut ut initio Christianismi tolerati fuerint qui jam polygami fidem admittebant; unde speciatim exigitur in Ecclesiæ Ministris ut sint Monogami: siquidem ut ait Augustinus *Multa tolerat Ecclesia qua non probat.* II. Christum polygamie legem non fixisse præsum, sed sancitam in ipsis mundi natalibus duntaxat revocasse, ut meritò polygamiam prohibitam *Lege natura & Evangelica* statuatur Tirinus; contra quam sensere Durandus & Cajetanus, qui negant uxorum pluralitatem jure divino fuisse

V V V V V 2

prohibi-

prohibitam; Eandem insanie insaniam Hugo Grotius ex Socinianorum clanculariâ disciplinâ *lib. 2. de jure Belli & pacis cap. 5. n. 9.* Profert quidem Patriarcharum exempla; sed legibus vivendum non exemplis, nec approbavit Deus in sanctis quicquid in illis abreptis universalis consuetudine Orbis sui dissimulavit & toleravit. In Lege autem præcepta quedam dantur his qui plures unâ habeant Deut: xx 1, 15. non quò probetur polygamia, sed quò homini jam ad eam delapso modus & fibula ponatur; Sic & dimittere uxorem volenti modus certus præscribitur, non in divortij ceu legitimi approbationem, sed in rei malæ & tantum toleratæ propter duritiem cordium moderationem. Davidi verò Deus imputat quod uxores ei complures & quidem illustres dederit 2. Sam: xii, 8. non tam respectu connubij quam dominij. Fit in conjugio mutua corporum traditio 1. Cor: vii, 4. ut non minùs solius hujus mulieris qui eam accipit debeat vir esse, quam quæ accipitur debet esse illius unius viri. Nec duas uxores Deus stitit Adamo sed unam, & lege primævâ connubij duo debent esse in carne una: Et primo polygamia auctori stigma inuritur à Mose Gen: iv, 19. unde Tertull. *lib. de exort. castitatis cap. 5. Numerus conjugij à maledictio viro incæpit; Primus Lamech duabus maritatus vires in unam carnem effecit.* Nec possunt una caro esse nisi duo; Et in ipso Veteri Testamento non defunt satis perspicua testimonia contra polygamiam. Sunt quidam Interpretes, ut Junius, qui ad monogamiam trahunt locum Levit: xviii, 18. *Mulierem unam ad alteram ne assumis;* quod alij de duabus sororibus non ducendis intelligunt: Regi prohibetur ne multiplicet sibi uxores Deut: xviii, 16. 17. quo scilicet suo exemplo alijs ad monogamiam & temperantiam præluceret; Nam quod Salomon Jarki & alij Rabbini apud Wilhelmum Schickardum *De jure regio Heb: cap. 3. theo. 9.* volunt licuisse Regi saltem octodecim ducere uxores, eorum delirij debet annumerari. Imò Malach: ii, 14. 15. palam reprehenditur is omnis qui perfidè agendo contra uxorem pubertatis suæ alias ei superinducebat, maximè cum Deus ex duobus ad semen quærendum unum effecerit. Germani laudantur Tacito *de moribus Germanorum*, quod prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti essent. Romani semper monogami fuere & diutissimè divortio abstinuerunt; & apud eos Prætoris

toris edicto notabatur infamiâ qui binas nuptias in eodem tempore confitutus habuisset, l. 1. ff. de his qui not. inf. & l. 2. C. de jnc. & jnut. nupt. Cecrops Atheniensium ἀφύης fuit dictus, Athenæo teste, quod *μίας ἑνὶ ἕξειν*, unam feminam uni marito attribuit: Animalia adducta sunt ad Noam per paria, quod uni mari una fœmina ad propagationem & conservationem speciei sufficere debeat. Obest enim prolificationi illa diffusa in varias mulieres luxuria; *Nec regna socium ferre nec tæda sciunt*, inquit Seneca in *Agamemnone*. Una potest esse adjumento, plures nocumento. Multo plura huc congeri possent eodem facientia, sed insolubilis unius cum una copula fortissimè astringitur locis ex Novo Testamento hîc Tirino citatis Matt: XIX, 5. 9. Rom: VII, 3. I. Cor. VII, 10. Nec potest excipi disparem esse conditionem viri & mulieris, & hanc quidem plurimis nubere non posse, illum verò plures posse ducere domum: Nam licet turpius sit juxta Augustinum de *Bono conjug.* c. 17. unam mulierem esse multiviram quam multarum mulierum unum virum esse, tamen quoad fidem, vinculum & debitum conjugale parem esse viri & uxoris conditionem docetur expressè I. Cor: VII, 4. Interim ut hoc benè observatur contra polygamiam Judæorum, Turcarum, Barbarorum, Anabaptistarum, nonnullorum in Angliâ Independentium à lege naturæ desectentium, ita duo errores ueniunt hîc notandi in Tirino: . Primus est, quod videatur statuere liberam fuisse polygamiam ante generis humani propagationem; Siquidem lege naturæ ad quam Christus nos revoca, in ipsomet initio propagationis generis humani, ea fuit interdicta: Et magis quidem sumpuosa est viris, sed minus fructuosa; Fœcundiores longè reperias familias Christianorum unâ uxore contentorum, quam Mahumetistarum qui plures alunt: Nec unquam liberum fuit, quod lege naturæ semper illicitum fuit. Alter est quòd velit dispensatum fuisse cum Judæis ut plures possent habere uxores, sed has dispensationes Christum revocasse. Etenim id olim propter *σκληροκαρδίαν* hominum potius fuit toleratum quam permissum; Neque sic erat ab initio, uti rationes supra allatæ satis evincunt: Abusum ergò corrigit Christus & legem suo loco restituit, non verò aufert dispensationes, quæ rem naturâ suâ turpem, ceu lege naturæ prohibitam, licitam & honestam

V N N N N 2

fecerint.

fecerint. Quid quod Bellarminus probabile putat has dispensationes, quibus patrocinator cum multis alijs, jam cessasse ante Christi adventum *de Sacram. Matr. cap. 11.* Quin statuit Coninck *disp. 26. de Sacr. dub. 2. num. 28. sine ulla dispensatione in lege naturæ, potuisse Deum concedere Antiquis libellum repudiij & polygamiam.* Sed ita solemne est Jesuitis in omnibus dissentire. Sic enim idem Coninck *ibid. n. 29.* ex suo Sanchez asserit, posse Deum concedere citra legis naturæ violationem, ut una mulier pluribus viris simul nubat; Sed Bellarminus V. S. moderatiùs statuit posse quidem Deum *dispensare circa Polygamiam unius Viri cum pluribus uxoribus, non autem unius uxoris cum pluribus viris:* Et sanè cum ita naturâ sit comparatum ut vir sit caput mulieris, mulier quæ plures haberet simul viros esset monstrum multiceps: sed quia plures Jesuitæ unâ interdum fortè utuntur, hinc Coninck & Sanchez excogitarunt subtiles rationes per quas arbitrentur licitè id posse fieri.

Num. 4. MATRIMONIUM INFIDELIUM, cum non sit Sacramentum, solvi potest etiam quoad vinculum, si qui ad fidem convertitur, velit alteri jungi. I Cor: VII, 12. Cæteris ego dico non Dominus, &c. MATRIMONIUM FIDELIUM consummatum solvi non posse, ne quidem ob fornicationem seu adulterium, (etsi id velint Græci, Lutherani, Calvinistæ, & Anabaptistæ) patet ex Matth: v, 32. Marc: x, 11. & Luc: xvi, 18. & Rom: vii, & I Cor: vii, 11. suprâ.

CENSURA. *Matrimonium infidelium*) Primum non fequeretur matrimonium hoc esse solubile idèò quia non est Sacramentum: Nam nec Sacramentum, est, juxta adversarios, conjugium eorum qui ambo accedunt ad baptismum & simul fiunt Christiani: Et tamen hoc eorum conjugium ubi sunt ambo baptizati pro insolubili est habendum: Deinde ex naturâ rei & ipso jure etiam Matrimonium infidelium est insolubile, sive æstimetur ex primariâ matrimonij institutione, sive ex illius restitutione per Christum, quæ juxta ipsosmet Adversarios omnes nunc omnino homines obligat; ita ut jam (inquit Bellarminus *de Matr: cap. 11.*) *non solum Christianis sed etiam alijs Gentibus omnibus polygamia sit prohibita.* Eodem pertinent hæc duæ conclusiones,

elusiones, Egidij Coninck *disp. 26. dubio 1. n. 2. & 3.* Matrimonium ex primæ suæ institutione requirit ut sit unius cum unicâ, ita ut invalidè quis contrahat cum secunda priore vivente; Item, Eodem modo hoc vinculum & ex prima sua institutione & jam post legem Evangelicam est insolubile. Quod si ergo vinculi illius insolubilitas constituit Sacramentum Matrimonij omne Matrimonium etiam infidelium Sacramentum erit.

Si qui ad fidem convertitur) Absit ab Evangelica doctrina ut bellum inferat naturæ, & fidelibus licentiam faciat divertendi à suis conjugibus & vinculum illud quod nexuit Deus petulanter resolvendi. Procul ab ea imaginatione erat Petrus Apostolus 1. Petr. III, 1. 2. cum mulieres volebat esse propriis viris subditas in omnibus, (inquit ibi Tirinus) *qua conjugale jus exigit aut permittit, ut & mariti, siqui nondum credunt verbo Evangelij, per mulierum gratiosam conversationem & molles in animum influxus etiam sine verbo prædicationis lucrifiant, & Christo & Ecclesie adjungantur, considerantes castam & innocentem conversationem uxorum cum timore, reverentia, amore & cultu non Dei tantum sed & maritorum suorum.* Sic Natalia lucrifecit Christo Adrianum, Cæcilia Valerianum, Martha Marium, Gorgonia Vitalianum, Monica Patricium, Clothildis Clodoveum. Neque hoc suggeritur mulieribus Christianis ab Apostolo per modum consilij sed per modum præcepti, eò expressius quod Ethnici calumniabantur Doctores Christianos quasi subditos à dominis, servos ab heris, matronas à conjugibus suis abducerent. Cum Petro paria facit Paulus Eph: v, 21. Col: III, 28. Unde etiam Lorinus *ad 1. Petr. 3.* hæc duo loca Paulina conjungit cum dicto Petri ceu æquipollentia & eodem spectantia. Quis Paulus idem regulam generalem nobis proponit, quæ non minus infidelium & Israelitarum ante Christi tempus connubia spectat quam Christianorum sub Evangelio, videlicet lege devinctam esse uxorem viro quamdiu ille vivit Rom: VII, 2. 1. Cor: VII, 39. Neque ab illo axioma discedit Paulus ibidem 1. Cor. VII, 12. ut imaginatur Tirinus, unde ibi & *ad com. 15.* colligit infidelem conjugem, nolentem converti, volentem tamen in conjugio permanere, posse dimitti à fidei & huic facultatem fieri ad nova vota transeundi; Citat equidem Jesuita in eam sententiam

sententiam Augustinum *lib. 1. de Adult. conjug. c. 13. & 19.* Jus Canonicum *Can. Si infidelis, causa 28. q. 2. & capp. Quanto, & Gaudemus, de Divortijs, nec non Canonem 61. Concilij IV Toletani.* Sed non eadem fide hæc omnia citantur. Canon *Si infidelis* ex Gregorio desumptus potest restringi ad casum quem ponit Paulus si infidelis discedat & abrumpat prior vinculum cōjugij. Canon Concilij IV Toletani relatus à Gratiano *causa 28. q. 1. Can. Indai*, ipsi Glosfatori tam durus visus est dum præcipit conjugij fidei à Judæo discedere, ut statuat id corrigi & revocari *Extra: de Divortijs, Quanto.* Imò Tirinus ipse censet hoc decretum ad solam Hispaniz provinciam pertinuisse & solum Judæorum respectu; quod (inquit) *experientia doceat Judæos ut sunt perveraces in suis erroribus, ita solere suos conjuges in eosdem importunius pertrahere. Quod cum in Ethnicis seu Paganis ut plurimum non habeat locum, idcirco nihil simile de his usquam decretum.* Jam vero decretum merè particulare, ex zelo & odio adversus Judæos profectum, regulæ Apostolicæ, de qua postea, opponi non debet. Quod ad duo capitula Decretalium *de Divortijs*, ut caput *Quanto* est obscurius, ita caput *Gaudemus* plus obest Tirini causæ quam prodest. Eo enim statuit Innocentius III. juxta lemma capitris, quod *pagani juncti in gradu prohibito lege canonica tantum, non separantur*, hoc argumento, quod *Sacramentum conjugij apud fideles & infideles existat quemadmodum ostendit Apostolus dicens, Siquis frater infidelem habet uxorem &c. & per consequens, fideles hujus modi matrimonialiter copulari liberè possunt & licitè remanere conjuncti, cum per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia sed crimina dimittantur.* An credemus Jesuitis Patres antiquos citantibus, cum tam malâ fide proferant jus suum Canonicum? Augustinum quod attinet, videtur quidem in ea esse sententia Dominum non prohibuisse fidelem ab infidele discedere, sed tamen id ab Apostolo prohiberi, ut quod magis expediat, disertè asserit. *Quia enim (inquit cap. 13. lib. 1. de adult. nupt. ad Pollentionem) conjunx fidelis relinquere conjugem licitè potuit infidelem, hoc non Dominus sed Apostolus prohibet: Et paulò post; Tibi autem videtur infideles quoque dimitti à fidelibus non licere, quia hoc vetat Apostolus, cum ego dicam licere, quia hoc non vetat Dominus, non tamen expedire, quia hoc ut non fiat monet Apostolus*

Solum. Sed his missis præjudiciis videamus quæ mens sit Apostoli. Primò disertè monet fidelem conjugem, ut quamdiu infidelis consentit ei cohabitare non discedat : nec fideli facit facultatem emanendi nisi infidelis prior discesserit. Quâ fronte ergo volunt Jesuitæ inde colligere jus fuisse fidelibus ultrò suos conjuges deserendi, & ad alia vota transeundi ? II. Cornelius à Lapide ad 1. Cor. 7. n. 162. perterritus quod juxta *Romana, Plantiniana, aliaque correctissima Biblia*, post τὸ *Nam cæteris ego dico non Dominus*, sit ponendum punctum, sicque illa verba à sequentibus distinguenda, ut pertineant ad superiora : *Cæteris scilicet Matrimonio non junctis, & non nuptis, non Dominus præcipit* (τὸ enim præcipit, subaudiendum relinquit ex antithesi versus præcedentis, ubi sic ait, *Iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, cæteris autem id est non junctis matrimonio Dominus non præcipit*) *sed ego dico & consulo id quod paulo ante dixi & consului vers. 8. scilicet, Bonum est si sic permaneant, puta inuupti.* Quam sententiam multis conatur confirmare, etiam ex analogia versus 25. ex qua & alijs n. 163. colligit non posse probari Christum fideli permisisse dimittere uxorem infidelem. III. Etiam hanc clausulam ad sequentia trahendo non obtinebit juxta Jesuitas alios sententia Tirini : Imò (inquit idem Cornelius *ibid.*) *Thomas Sanchez tom. 2. de Matrimonio disp. 73. n. 7. qui legit sine puncto, ut S. Augustinus ad sequentia hac referendo, tantum vult hinc præcisè evinci Christum fideli conjugii permittere thori divortium, non autem matrimonij cum infideli initi dissolutionem.* Quin idem Cornelius *ibid. n. 172. & seqq.* fusè disputat contra Henriquez qui *lib. 11. de matr. c. 8.* ex Paulo & quibusdam Canonibus, quos ex eodem Henriquez antea citabat Tirinus, voluit colligere licere fideli infidelém conjugem deserere & ad alia vota transire, ac pertendit Paulum & citata jura Canonica tantùm exprimere casum quo infidelis ipse discedat, nec Glossis attendendum, quæ *subinde Aurelianenses sunt & textui deformes ac reformanda, maximè cum constet fuisse verum matrimonium quod conjuges infideles contraxerunt, nec constet per conversionem alterius conjugis illud solvi, eo quod nec jus divinum nec Ecclesiasticum exstet quod illud solvat, aliàs naturâ suâ insolubile.* Imo suo Sanchez negat Ecclesiam jam fideli converso vetare ne maneat cum infideli, asseritque id ipsum negare Navarrum & alios. IV. Constructionem ordinariam textus

X x x x x

retinea-

retinendo, Paulus tamen loquutus fuerit non per modum consulentis in re libera, dum suadet ut fidelis maneat cum infideli quamdiu hic consentit ei cohabitare, sed per modum præcipientis in re necessaria juxta ipsiusmet Pauli principia Rom: vii, 2. I. Cor: vii, 39. Emanuel Sâ post Theodoretum illud *Sed ego dico*, interpretatur per *præcipi*. Nec aliter Cajetanus & multi alii. Non negat itaque Paulus esse Domini præceptum, sed ejus promulgationem sibi eeu Domini Apostolo tribuit; eo quod Dominus, utpote circumcissionis minister, id tantum pronulgaverit quod Judæos poterat spectare, Paulo ut Gentium Apostolo relictis iis quæ ad Gentiles propius & magis directè spectarent. Ita nostrorum plerique, Belgæ, Gevenenses, Parzus, Deodatus, Marloratus, Martyr, Calvinus, Musculus & alii. Nempè id à Christo fuerat immediatè quod antè dixit, *Vxor à viro ne se separato; Quæ si se separaverit maneat innupta aut viro reconciliator, & vir uxorem ne dimittito*, uti patet ex collatione hujus Paulinæ sententiæ cum Matth: vi, 32. & xix, 5. 6. 9. Sed illius regulæ generalis exceptio, ut parti fideli per infidelem malitiosè desertæ liberum sit ad alia vota transire, non vero necessitas incumbat extra nuptias vivendi, demum ab Apostolo non sine Spiritus Sancti ductu traditur. Illud itaque, *Ego dico non Dominus*, non pertinet per se ad id quod ratum & firmum ex institutione Dominica supponitur nempe; *si quis frater uxorem habet infidelem qua consentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittito, & uxor qua habet virum infidelem qui consentiat ad habitandum cum ea, ne eum dimittito*; Sed demum ad id quod extat com. 15. & videtur utcunque repugnare ei quod jam dixerat com. 11. *Innupta maneat, viro reconciliator, vir uxorem ne dimittito*. Nempè *At si infidelis sese separet separatus esto, non est servus tui subjectus frater aut soror in ejusmodi rebus*. Quanquam etiam tunc prudenter fidelis desertus debeat omnem lapideum movere, priusquam ad extrema deveniat, eo quod Deus nos, ut addit Apostolus, ad pacem vocaverit, cujus retinendæ & resarciendæ in omnibus quoad fieri potest, debemus esse solliciti. Nec illâ pacis ad quam vocati sumus consideratione Apostolus incitat fidelem conjugem ad divertendum ab infideli, quæ *paacificè vivat*, ut fingit ibi Tirinus, sed potius ad concordiam & pacem cum illo in conjugio sectandam & retinendam, quantum.

quantum salva conscientia & incolami religione licebit.

Matrimonium fidelium consummatum) De consummato Matrimonio loquitur hic Tirinus, quia videt discrepantes suorum sententias de Matrimonio rato, sit ne insolubile nec ne, quas refert Coninck q. 26, *dubio 3. n. 31.* aliis affirmantibus posse Papam ita dispensare cum Matrimonio rato, ut uterque aliud inire possit, qua in acie stant Rosella, Prierias, Angelus de Clavasio, Antoninus, Navarrus, Cajetanus, Henriquez, Suarez, ipse Coninck; aliis id negantibus cum Scoto, Victoria, Paludano, Soto, qui asserunt omne matrimonium esse indissolubile jure naturæ, in quod nihil Papæ concessum sit. Quod si obtineat sententia affirmans, ut pluralitate suffragiorum jam obtinet, estque in praxi apud Pontificios, non video quæ indissolubilitas, etiam quoad vinculum, spectet ad hoc Sacramentum; cum vinculum matrimonii rati, quod etiam est Sacramentum æquè ac consummatum, sit solubile & de facto sæpissimè solvatur per Pontifices. Ad hæc si causarum matrimonialium cognitio etiam quoad vinculum sit fori merè Civilis, nihil erit Sacramentale in illo vinculo; at prius sustineri à Jesuitis nominatim à PP. Rabardeau & Bauny observat Author Theologiæ moralis Jesuitarum, *cap. de Matr. p. 35.* atque *ibidem* Jesuitis universim vitio vertit quod magno molimine faverint Principis alicujus consiliis (is fuit Lotharingus) pro Matrimonii sui dissolutione; adeo non est illis matrimonium ita insolubile, ut vulgo præ se ferunt. Sanè Coninck ea recensens in quæ consentiunt contrahentes *disp. 23. de Sac. dub. 4. n. 40.* negat eos consentire *necessario in vinculum absolute perpetuum.* Nec video quæ tam insolubile statuatur à Pontificiis hoc vinculum, quibus frequens est & solemne conjugatos quoad thorum & habitationem separare; unde Jctis justa nata ratio Canonistas traducendi, quod apud ipsos Matrimonium individuum non sit.

Ne quidem ob fornicationem) Si lex Julia non dormiret inter Christianos, quod dolendum, vix foret locus huic controversiæ. In hac tamen sententia non soli Græci nobiscum sentiunt, sed etiam omnes Jcti & inter veteres Hieronymus qui *ad c. 19. Matt.* longiùs proventus existimat, *adulterum non posse nec debere retineri;* quod spectant in jure Canonico multi Canones, ex Chryostomo & aliis desumpti, *Causa 32.*

Xxxxx 2

q. 1. Ita

q. 1. Ita *Canone Sicut*, pronunciat *fatuus & injustus qui retinet meretricem. & Can. In conjugio*, dicitur fornicatione uxor sic coinquirari, *ut jam non sit viro suo licita*, & *Can. Si quis*, triennij pœnitentiâ ei indicitur *qui uxorem suam scit adulteram & non vult dimittere eam*. Imperatorum Christianorum Leges Divortium permittentes propter adulterium, extant *lege 8. & 11. C. de Repudijs*, & in *Novella Iust. 117. cap. 8. & 9.* quas nunquam tulissent, si id juri divino repugnare intellexissent. Sanè ipse Christus hanc dimittendi causam esse legitimam statuit *Math: v, 32. & xix, 9.* Dum enim omne divortium censet vitiosum *παρὰ τὸς λόγους πορνείας, & εἰ μὴ ἂν πορνεία*, illud licitum pronunciat quod fit propter adulterium, quod revera directè & adversa fronte cum conjugii natura, forma & lege pugnat. Huic quæstioni fusè inhaerere nihil attinet, quam operosè admodum more suo tractavit Johannes Gerhardi *9. 564. & seqq. loci de Conjugio*. Satis esto quod Tirinus *ad Math: xix, 9.* nihil aliud quam seridè ineptiat, dum statuit in casu fornicationis (ubi vult etiam subaudiri aliud gravius crimem; adulteria enim pro levioribus criminibus habentur à Pontificiis) divortium fieri licitum à Christo, *non quoad vinculum matrimonij, quod, inquit, ex natura sua, quam fornicatio non immutat, hætenus probatum fuit esse insolubile, sed quoad thorum seu cohabitationem; qua in distinctione ex Bellarmino & aliis desumpta triumphum canit, his verbis: Atque ita corrumpit Achilles Græcorum & nostrorum hæreticorum, item Catharini, Cajetani & Erasmi, qui volebant ex hoc loco probare licere in casu fornicationis & adulterij ad alias nuptias devolare.* Sed ad hæc, multa paucis veniunt annotanda. I. Qua fronte Catharinum Cajetanum & Erasmus, omnes inter suos magni nominis, hæreticis conjungat, viderit Jesuita: Certè Sixtus Senensis *lib. 6. Bibl. Sancta annot. 81.* ait quod in illa *Cajetani sententia plerique veterum Patrum fuisse putantur*, quorum etiam refert testimonia, *partim à Catholicis, partim ab hæreticis, ad confirmationem hujus dogmatis usurpata*, ex quibus num feliciter se extricaverit iudicium esto penes lectores. Videantur *Causâ 32. q. 7. Canones Vxor à viro. & Quædam cum fratre. & Concubivisti*, quibus parti innocenti post separatam nuptias ad alias transire conceditur. II. Cum vinculum Matrimonij rati non sit ita firmum, quin dispensatione Papali possit resolvi, nulla subest ratio cur

tio cur in Matrimonio etiam consummato, non possit à Magistralu solutum pronuciari, ubi per adulterium non luxatum modo sed reipsa ruptum fuerit. III. Nec Christus aliud intellexit divortium licitum, quam ejus generis, quod tunc promiscuè nimis obtinebat inter Judæos; at illud non erat tantum quoad thorum sed quoad vinculum. IV. Hac ratione magna injuria fieret parti læsæ, ut si nequeat continere cogatur cum infamia publica & probro suæ familiz in sinu suo fovere adulteram, vel iis subesse periculis & tentationibus Satanz quæ ustiōnem & incontinentiam comitantur. V. Ipse Hugo Grotius (quem Scurra quidam sub nomine *Iusti Pacij* nuper contra Nobiliss. Salmasium tanquam columnam Catholicæ suæ religionis & ad eam propensissimum aggressus est defendend.) ad *Matth. v, 32.* observat Tertullianum non uno loco ostendere solitos suo tempore ad Matrimonium alterum admitti, qui ob adulterium uxorem dimisissent. Idem (inquit) suo tempore à quibusdam Episcopis permissum narrat Origenes. Sed & serius Concilijs Eliberino, Aurelianensi, & Arelatensi primo decretum est id licere, quod nunc quoque Graci observant. Vide Chrysostrum oratione altera de his qui cum Iudæis jejunabant circa finem; Etiam Lactantius dixit, Adulterum esse qui à marito dimissam duxerit, & eum qui præter erimen adulterij uxorem dimiserit ut alteram ducat. VI. Nihil obest causæ huic quod Marci x, 11. & Luc: xvi, 18. hæc exceptio adulterii non adjiciatur, cum veniat supplenda per se ex *Matthæo*, nec malè moneat Grotius tales exceptiones ex aequitate naturali venientes tacitè inesse legibus quamvis generaliter pronuciatis. VII. Quod dicitur Rom: vii, 2. & 1. Cor: vii, 39. ad divortiorum quæstionem non pertinet, cum nihil aliud sibi velit Paulus, maxime posteriori loco, quam ultra mortem mariti conjugale vinculum non extendi, ac proinde licitas esse secundas nuptias; manet uxor viro obligata, quamdiu vivit, & similiter vir uxori, nempe quamdiu illa hujus uxor hic vir illius manet, at si deserit ille vir esse hæc uxor per legitimum divortium, perit obligatio. VIII. Locus 1. Cor: vii, 11. non magis favet huic sententiæ: nam præterea quod Author *Commentariorum in Paulum* quæ Ambrosio tribuuntur ad eum locum, inde colligit, disparem esse sortem in divortio viri repudiantis propter adulterium & mulieris repudiatæ, ut illi fas sit aliam ducere uxorem

XXXX 3

re uxorem

re uxorem, huic nefas alteri nubere, Interpretes multi ut Chrysoftomus, Theophylactus Oecumenius, Ambrosius, Primasius, ad Pauli dictum *Vir uxorem ne dimittito*, censent subintelligendam ex ipso Christo exceptionem fornicationis, quâ positâ tantum juris est parti offensæ ad alia vota transeundi, quantum parti fidei quam infidelis malitiosè deseruerit, ex com. 15. Sic Fabiola priori marito repudiato ob libidines alteri publicè nupsit, ut patet ex illius *Epitap. apud Hieronym.* Res autem ipsa loquitur, id quod dicit Apostolus, *Si discesserit vel viro reconciliator vel maneat inupta*, spectare ad discessionem alterius generis ab ea quæ fiat fornicationis causâ, prout levi de causa sæpè & ob aliquod jurgium offensæ utrinque animis, olim divortia fiebant; Vult autem Apostolus ut mulier quæ ex animi aliquâ impotentiâ maritum deseruerit ad ipsum revertatur & admittat reconciliationis consilia, quæ si admittere noluerit, hac multatur pœnâ quod inupta debeat manere; An tamen eum qui ab illa iniquè deseritur & animum ostendit pronum ad reconciliationem & eam recipiendam, eadem maneat pœna merito dubitetur; Ut & de illo, num adulterium solum sit *causa legitimi* divortii, cùm Imperatorum Christianorum leges quædam *crimina* analogæ ei conjungant, & de similibus simile videatur nonnullis ferendū iudicium, quod tamen nolim universaliter affirmare. Sed nihilominus Apostolus I. Cor. VII, 15. ad causam illam à Christo positam, aliam adjecit nempe malitiosam desertionem, (cui tamen plerumque & prior causa accedit nempe adulterium) in qua utriusque sexus jus est æquale, ut liceat malitiosè & infideliter desertæ non minùs quam deserto ad alia vota transire, postquam decollavit omnis spes reconciliandi sibi desertorem & eum ad meliorem frugem traducendi. At tamen nonnullis videtur in causa adulterii potiore esse rationem viri quàm uxoris, ut hæc repudiari propter suam fornicationem possit, ille non; licet jure Romano par esset utriusque conditio: Nam minus damni & injuriæ patitur uxor à viro fornicatore, quàm vir ab uxore adultera, propter crimen falsi & partus suppositionem, & quod viri *familiz* ac nomini inferit semen alienum, & alterius prolem ei tradit alendam & educandam. Apud Hebræos divortii jus soli marito competeat, non uxori; Hinc viri scortantis uxorem eam ob causam discedere à matrimonio

trimonio non potuisse, observatum perpetuo inter Christianos notant Græci ad *Canonem Apostol.* 48. & *Basilii responsio* 9. ut monet Grotius, qui idem colligit in Occidente obtinuisse ex Concilio Elibertino *can. 9.* Quibus addo dictum commentatoris Epistolarum apud Ambrosium ad *1. Cor.* 7. *Non permittitur mulieri ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit* (quæ ratio procul dubio movit Fabiolam ad pœnitentiam publicam post secundi sui viri obitum) *aut apostasia, aut si illicitè impellente lasciviâ usum quarat uxoris, quia inferior non omnino hac lege vitatur quâ potior;* Item; *Et virum uxorem non dimittere: Subauditur autem exceptâ fornicationis causâ. Et ideo non subiecit dicens sicut de muliere, Quod si discesserit, maneat sic; quia viro licet ducere uxorem si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita lege constringitur sicut mulier; caput enim mulieris est. Quin adulterium uxoris juxta Jctos latius patet adulterio viri. Illa enim incidit in illud crimen sive se permiserit soluto sive conjugato; At hic non censetur propriè adulter si innuptam polluerit, ut statuit cum multis aliis nec planè improbabiliter Antonius Matthæus de Criminibus ad *L. Iuliam de adult. cap. 1. §. 12.* Sed de his fusè differere aut hæc omnia dubia resolvere non est hujus loci.*

NUM. 5. MATRIMONII IMPEDIMENTUM DIRIMENS non est reclamatio parentum (*Dimittet enim homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ, Marth: XIX, 5.*) sed primò **VOTUM CASTITATIS** si fuerit solemniter emissum ante contractas nuptias. In tali enim voto non est simplex promissio, & quasi sponsalia inita cum Deo, (ut in voto simplici, quod proinde non dirimit, si vota societatis Iesu excipias, sed impedit tantum;) sed est insuper traditio sui ipsius de præsentî, à Christo per ejus ministros acceptata, atquè ita quasi conjugium de præsentî. Secundò, **CULTUS**, seu religionis **DISPARITAS**, nempe si alter conjugum sit infidelis. *I. Cor: VII, 39. Cui vult nubat, tantùm in Domino. 2. Cor: VI, 14. Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Tertio, **CONSANGUINITAS & AFFINITAS**; non omnis aut sola in Levitico cap. XVII. expressa, (ut volunt hæretici,) sed usque ad quartum gradum, ut ibid. ostendi. De cœteris impedimentis vide Sanchez.

CENSURA. *Matrimonij imped. dir. non est*) Sed reclamabunt huic sententiæ

sententia nec immeritò ipsi Jcti qui statuunt, ut est apud Justinianum *Inst. de Nuptiis*, quod tum demum sint legitima nuptia, si filij familiarum consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt; nam hoc fieri debere & civilis & naturalis ratio suadet. Debet quidem homo patrem & matrem relinquere ut adhærescat suæ uxori, sed id debet fieri ex parentum consensu & dispositione; cum illud sit primum mandatum cum promissione, Honora patrem tuam & matrem tuam.: Hinc servus Abrahami Rebeccam petijt uxorem pro herili filio à puellæ parentibus, & Samson consensum impetravit suorum ad nuptias quas in Timnah animo meditabatur, & ipse Adam suam conjugem accepit à Deo tanquam à primo parente; Et ipsismet Concilium Tridentinum clandestina Matrimonia pro nullis vult haberi, *sess. 24. cap. 1. de Ref.* etsi anathemate percussat eos qui consensum parentum requirunt ad validitatem Matrimonij, ut & illos qui matrimonia clandestina rata & vera esse negant, quamdiu Ecclesia irrita ea non fecerit. Imò Sorbonicæ tribuunt Jesuitis in *Theol. Morali Jesuit. pag. 24.* ac nominatim P. Rabardeau quod statuant Matrimonium filiorum familiæ nullum esse etiam quoad vinculum, si absque consensu parentum ineatur. Mynsingerus quoque *ad tit. 10. lib. 1. Inst. in pr.* monet multis viris doctis non satis laudabile videri hoc Romanorum Pontificum institutum adversus leges civiles, quo parentum consensum de honestate tantum, non vero de necessitate requirunt ad liberorum suorum nuptias: undè subdit; Illud sanè vetus est quod Pontifex Evaristus (qui à Christo nato, annis circiter 112. temporibus Trajani Imperatoris Romana præfuit Ecclesia) in quadam sua ad Ecclesiam Africanam epistola complexus est, nempe legitimum non esse conjugium nisi uxor ab his petatur in quorum est potestate & à parentibus vel propinquis desponsata publicè copuletur & benedicatur à Sacerdote cum precibus & oblationibus. Et cum hac sententia quæ parentum consensus in contrahendis nuptiis requiratur, proxima sit quarto Decalogi præcepto, Honora patrem & matrem, pie tenenda est quicquid à plerisque in contrarium disputetur. Illa quidem Evaristi Epistola decretalis Mynsingero citata, est supposititia; sed id quod habet hac in re desumptum est ex veteribus Canonibus, præsertim 22. Concilij Aurelianensis IV. & 6. Concilij Parisiensis III. Quod verò hodie tam rarè irriten-

irritentur nuptiæ clam parentibus ab eorum liberis contractæ, id fit quod multum decesserit nostris moribus patriæ illi potestati quæ apud Ethnicos Romanos obtinebat, soleantque in hoc casu parentes ut plurimum de suo jure ultrò remittere, & in rem jam factam consentire quam tamen infectam maluissent.

Sed primò votum castitatis) Hac de re diximus sufficienter *tomo 1. Contr. ix. ad n. 7. præsertim pag. 400. & seqq.* ubi ex ipsomet Tirino ostendimus & novum esse & contrarium judicio Apostoli ac totius Antiquitatis praxi & sententiæ, ex voto hoc virginitatis & castitatis facere impedimentum dirimens nuptias; quale Tirino fatente & ex Augustino comprobante non fuit introductum nisi *posterioribus demum sæculis*, nec sancitum in universum nisi *sub Innocentio III. circa annum Domini 1139. in Concilio Lateranensi.* Paucula tamen hîc veniunt annotanda. I. Debuisse Tirinum reddere rationem cur votum *simplex* apud Jesuitas sit majoris efficacix, quàm apud alios ordines: Hoc ad Jesuiticum pertinet supercilium, ut Jesuitarum votum *simplex* æquetur voto *solemni* aliorum. II. Nec est cur plus virtutis insit voto *solemni* quàm *simplici*, cum *solemnitas* nihil addat ad voti obligationem, essentiam & vinculum, ut docet Cœlestinus III. *cap. Rursum, Qui clerici vel votentes.* nihilquè per eam ei accedat præter declarationem publicam. III. Tirino hic contradicit suus Coninck qui *disput. 31. de Sac. dubio 6. n. 66. & seqq.* negat I. Essentialiter distingui vota *simplicia* à *solemnibus*, cum omne votum sit *essentialiter promissio*. 2. Ullum votum sive *solemne* sive *simplex intrinsecè continere traditionem, qua specie differt à promissione*. 3. Per professionem fieri *talem traditionem*, qualem hîc Tirinus comminiscitur, aut *novum Deo acquiri dominium* in profitentem, aut hunc tradere Deo *singulare sui dominium*. 4. Alio jure quàm *solo Ecclesiastico*, professionem in religione dirimere Matrimonium; citatis in eandem seculum sententiam Rosellâ, Angelo, Richardo, Scoto, Bellarmino, Lessio. Quod si non jure naturæ sed solo jure Ecclesiastico, *solemne* votum prius emissum dirimit nuptias contractas, non solum cessat illa sui traditio quam hîc Tirinus sibi fingit, sed etiam jus tribuitur Ecclesiæ dirimendi ac separandi quod Deus conjunxit, contra

Yyyy

contra

contra scitum Christi. IV. Coninck *ibid.* n. 71. statuit religiosos Societatis Jesu, per vota simplicia fieri *verè ac propriè* religiosos, non fecus ac professos, & tamen manere *capaces Domini*, (quod pertinet ad mysterium iniquitatis in illa Societate) & *etiam fuisse capaces matrimonij* ante Bullam *Ascendente Domino*, à Gregorio XIII. emissam, quia *Pontifex dicit se illorum matrimonia illà Bullà irritare & annullare*; Ergo, inquit Coninck, *talis traditio nec ad verum perfectumque statum religionis requiritur, nec videtur possibilis*: Sed dicam ego, Ergo cessante Bullà Gregorij potest quis esse *verè & propriè* Jesuita, & tamen esse conjugatus; quia non magis repugnat ex natura rei voto Jesuitico esse conjugatum, quàm rerum suarum dominium retinere; cum votum religiosum æquè se extendat ad paupertatem ac ad castitatem. v. Becanus *Theol. Schol. p. 2. trakt. 3. cap. 6. q. 10. §. 4.* sic loquitur; *Religiosus ex sola natura voti non fit inhabilis ad matrimonium*: Probatur, quia constat *Matrimonia post professionem à religiosis contracta, mansisse aliquando firma & rata*: quod ait patere ex *Innocentio 1. in Epist. 2. Decretali cap. 12. & ex Leone 1. in Epist. 2. Decret. cap. 12. & ex varijs Concilijs apud Gabrielem Vasquez. disp. 165. cap. 7.* Postea verò hæc subjicit quæ jugulum Titinianum hinc petant; *Vices religiosus per votum solemne perfectè tradit corpus suum Deo & religioni, ergo per matrimonium non potest alteri tradere, quia repugnat eandem rem integrè esse sub dominio duorum.* Respondeo, non repugnat ex natura rei, sed tantum ex dispositione humanà; 1. Quia ut dictum est eadem est natura voti simplicis & solemnis; at non repugnat ex natura rei ut aliquis post simplex votum castitatis accipiat uxorem; ergo idem est de voto solemni. Secundò quia potest aliquis post consummatum Matrimonium ex consensu utriusque partis facere professionem in religione: Ergo una traditio non facit inhabilem ad alteram: Simile est in eo qui uni tradit se per servitutem & alteri per matrimonium: Et ratio à priori est, quia traditio voti nihil aliud est quàm alligatio ad continentiam servandam ex virtute religionis: Hac autem obligatio non reddit votentem inhabilem ad contrahendum matrimonium. Ita Jesuitæ inter se conveniunt. VI. Cum votum ex natura rei non dirimat nuptias quæ illi succedunt, (de simplici consentit Tirinus, de solemni alij) Jesuitarum esset nobis explicare quâ ratione Sacramentum Matrimonij verè & propriè dictum queat consistere cum Sacrilegio, cujus reos peragere

peragere volunt eos qui post votum nuncupatum veras & ratas nuptias contrahunt. VII. Si ne quidem votum simplex dirimit nuptias, multò minus eas dirimet ordinatio Sacerdotalis; cum ordinandi communiter nullum votum emittant, sed tantum interpretativè censeantur vovere eam continentiam quæ videtur ex recepta consuetudine ordinibus sacris annexi: Unde etiam disputatur in Papatu num ad continentiam teneatur qui ordines suscepit nesciens votum continentiam illis annexum esse, aut intendens non vovere. VIII. Tantum abest ut votum castitatis debeat dirimere Matrimonium contractum & inhabilitatem ad illud addere voventi, contrà quam olim constanter obtinebat in Ecclesia, ut ne quidem debeat in foro conscientiam impedire Matrimonium contrahendum, utpote temerè nuncupatum, de re quæ in nullius est potestate, & contra Pauli sententiam, Præstare nubere quàm uri: votum enim temerarium, illicitum ac propriè saluti detrimentosum, non obligare certum est; juxta ipsius Emanuelis Sà dictum in *Aphorismis voce Votum §. 18. Vovens religionem, graviter deceptus, non voturus si scivisset, non tenetur.* Nec esse illa votorum vincula adamantina patet ex praxi Pontificum qui in illis solent, si ita visum fuerit, dispensare, quanquàm dubitetur à multis in Papatu num in jure naturali vel divino dispensare possint; Unde sequetur, juxta hos; votorum istiusmodi obligationem nec juris esse naturalis nec divini.

Secundò Cultus seu Religionis) Ex ijs quæ antè disputavimus de infirmitate conjugij fidelis cum infideli, quamdiu hic fideli cohabitare consentit, satis liquet cultus disparitatem impedire quidem matrimonium contrahendum, quo spectant loca Tirino hic citata ex 1. Cor: VII, 39. & 2. Cor: VI, 14. & quæ fusè eadem de re post alios annotavit noster Molinæus in sua *Consult. de Conjug. disparibus*, quæ quàm subindè periculosa sunt & privatim & publicè tot hoc sæculo funesta docent exempla, non tamen dirimere jam contracta; sive innocenter contracta fuerint utroque conjuge adhuc manente infideli; sive etiàm contrahantur inter eos qui jam sunt cultu dispares, licet non sine grandi culpa illius qui fidem & veritatem profitetur, sive deniquè postquam fuerint contracta ambobus conjugibus fidelibus, alter

¶ ¶ ¶ ¶ ¶

eorum

eorum deficiat à puro & vero Dei cultu ; Nam his tribus casibus semper manet regula Apostoli 1. Cor: VII, 12. *Si quis frater conjugem habet infidelem qua consentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittito, & uxor qua habet virum infidelem, qui consentiat ad habitandum cum ea, ne eum dimittito* ; Si quidem eo usquè conjux infidelis in parte fideli hactenus ita sanctificatur, ut qui ex eo conjugio nascuntur liberi, sancti sint & fœderati ; nec aliud restat conjugii fideli, sive suâ culpâ, sive innocenter ejusmodi nuptijs innexo, quàm honestâ, piâ & sanctâ conversatione alteram partem demulcere & si potest eam lucrari Christo. Atque mira hîc est ἀβελεία Jesuitarum. Filius vel filiafamiliâs non contrahit in Domino, cum se subducit patriæ potestati, & se alteri in conjugium tradit nescientibus vel invitis parentibus ; Et tamen juxta Adversarios hoc matrimonium ratum est ; licet propriè talis non sit sui arbitrij, nec dominium plenum habeat sui corporis, ut illud tradat cui velit ; Cur ergò ex natura rei irritum erit Matrimonium, quod init pars fidelis cum infideli, licet illud non contrahat, uti par fuisset, in Domino, & juxta illius voluntatem ? Grave quidem est illius peccatum qui se eidem submittit jugo cum infideli & bovem alligat asino ad idem aratrum ; sed hoc peccatum quod illius officium personale attinet ad naturam & essentiam intrinsecam Matrimonij non spectat, quod æquè firmum ac validum est inter fideles ac infideles. Hinc Coninck *disp. 31. de Sacr. dubio 3. n. 41.* statuit *Matrimonium fidelis cum infideli non esse irritum jure natura, quia diversitas fidei ex natura sua nullam habet repugnantiam cum ipso Matrimonio ejusque usu ; nec etiam divino, quia nullum tale jus divinum extat præsertim in lege gratia, in qua etsi Matrimonium fidelium sit elevatum ad esse Sacramenti, quatenus tamen habet rationem meri contractus civilis relictum est prima sua institutioni.* Quod si violorum Scripturæ hîc Tirino citatorum, irritum esset conjugium quod init fidelis cum infideli, nequiret Pontifex cum fideli & baptizato dispensare ut contrahat cum non baptizato, quod tamen penes eum esse statuit idem Coninck *ibid. n. 45.* Et Becanus *cap. 49. de Sacr. q. 3. sect. 6.* *Matrimonium, inquit, inter fidelem & infidelem non est irritum jure naturali aut divino aut Ecclesiastico scripto, sed tantum ex consuetudine populi Cbr-*

puli Christiani vim legis obrinente ; Hac autem consuetudo non fuit tempor⁶ D. Augustini, quia tunc passim contraherant fideles cum gentilibus, neque putabatur hoc esse peccatum, teste eodem lib. de fide & oper. cap. 19. Ratum procul dubio & legitimum fuit conjugium B. Monicæ matris ipsius Augustini, quæ tamen nupserat viro infideli, ut Esthera fidelis Afuero pagano Regi, & Eunices mater Timothei, Judæa licet, viro Græco, id est, Ethnico. Ita & Cornelius à Lapide ad 1. Cor: vii, n. 175. & 258. agnoscit Matrimonium quo fidelis nubit infideli non à Paulo sed ab Ecclesia postea irritatum fuisse; quod annon sit medicina morbum & modum excedens, separando quod Deus conjunxit, viderint adversarij. Nec favet doctrinæ Jesuiticæ exemplum Israëliitarum Esdræ ix, 3. & seqq. dimittentium uxores peregrinas quas sibi conjunxerant post reditum captivitatis; Nam cum Deus Exod: xxi, 32. xxxiv, 12. Deut: vii, 2. districtè admodum suis prohibuisset omne conjugium & fœdus quodcunque cum septem illis populis quos anathemati devoberat, (sic ut hæc prohibitio ad cœteras omnes nationes non debuerit extendi, uti patet exemplo Salomonis filiam Pharaonis ducentis & Samsonis Philistæam sibi exposcentis Jud: xiv, 3.) specialis fuit ratio cur conjuges sumptæ eorum reliquias, uti patet ex Esd: ix, 1. 11. expellerentur; ut pote nominatim, speciatim & expressâ Dei lege, inhabiles factæ ad omne cum Israëlitis connubiun: Non valet autem ratio à particulari ad universale, ut irrita censeantur omnia connubia imò omnia fœdera cum exteris & alienigenis, eo quod Deus irrita voluerit esse speciali de causa Israëliitarum connubia cum septem his gentibus. Ideo Judæi reduces non modo mulieres istas à se abigunt, sed una cum illis omnem earum prolem, ut partus ventrem sequeretur; Unde liquet eos non usos fuisse tantum jure divortij sibi concesso, ut putat Tirinus ad 1. Esd: x, 3. cum divortium regulariter liberorum abdicationem secum non trahat, sed strictiori aliquo jure, à speciali illa Dei interdictione repetendo. Quod si tamen obtineat Tirini explicatio ibi quæ rejectâ eorum sententiâ qui putant legem Exod: 34. & Deut: 7. qua prohibet Matrimonia cum alienigenis fuisse legem irritantem atque ita matrimonia illa omnia fuisse jure irrita & nulla, quoad se probabilius cen-

bilis cenſet cum Cajetano & alijs, non fuiſſe irritantem ſed ſolum *vetantem*, nec alio jure fuiſſe ſoluta omnia illa Matrimonia quam privilegio libelli repudij *Judæis* permiſſi, eo validiùs evertetur ipſius hæc doctrina. Nam nulla ratione poſſet demonſtrari non *vetantem* modo ſed etiam irritantem eſſe legem Apoſtolicam, *Nubat ſed in Domino, & Noluit jugum ducere cum infidelibus*; aut ſolubilia eſſe nunc Matrimonia contra illam legem inita à Chriſtianiſ quibus illud privilegium (uti dicitur non fatiſ bené) libelli repudij conceſſum *Judæis* ablatum eſt, ut eo privilegio ad talem conjugiorum diremptionem, ſicut factum fuit tempore *Eſdræ*, uti nequeant. Ita cenſurâ notantur, non irrita & nulla pronunciantur, conjugia filiorum Dei cum filiabus hominum de quibus *Gen: vi, 2.* id eſt; *Sethi* poſteriorum cum poſteritate *Caini*; id enim ad promiſcuos concubitus & inceſtuosos referre, ut fecit Hieronymus *Vecchietus Florentinus* ab *Ægypto*, grandis ſui operis *Chronologici lib. 3. cap. 2.* qui ſibi admodum plaudit in eo commento, nimis coactum eſt & planè alienum ab uſu *Scripturæ*, ut filij Dei ijdem dicantur reſpectu rationiſ, & hominum corporiſ reſpectu. Porro de hoc impedimento *diſpariſ cultuſ*, non idem ſentiant *Adverſarij*; *Quidam* enim id ſolum reſtringunt ad Chriſtiani cujuſlibet cum non Chriſtiano conjugium, nec patiuntur impedimentum hoc ceu dirimens habere locum in conjugio Catholici cum Hæretico, quod licitum pronunciant, ut *Becanus V. S.* Imò quamvis ipſe *Becanus* hoc proponat axioma, *Matrimonia fidelium cum hæreticis baptizatiſ ſunt quidem illicita non tamen irrita*, & *Cornelius à Lapide* ad *1. Cor: vii, n. 258.* ſtatuat eſſe peccatum mortale contrahere cum hæretico vel hæretica, tamen & ipſi & ex illiſ noſter *Tirinus* ad *1. Cor: vii, 39.* molliùs judicant de ſuorum Catholicorum connubijs cum noſtriſ Proteſtantibus & Reformatiſ, quæ licita & permiſſa ſtatuant, ſaltem ubi permiſſi vivunt, ut in *Polonia, Gallia, Germania, Anglia, Hollandia &c.* Ita *Cornelius à Lapide* & *Tirinus V. S.* nec non *Becanus* in *Man. Com. lib. 5. cap. 15. n. 2.* qui nititur etiam autoritate *Azorij, Sanchiſ & Navarri*, & quod magiſ eſt cenſet tale Conjugium eſſe verum Sacramentum; quod ut fortiùs ſtabiliat parum abeſt quin omnes *Proteſtanteſ & Evangelicòſ* in *Germania* abſolvat ab hæreſeòſ

hæresis labe. Quin Tirus eò propendet ut firmum & insolubile statuât conjugium Catholici cum Anabaptista, licet hic careat Baptismo qui tamen est aliorum Sacramentorum basis: Nam ad 1. Cor. vii, 12. sic loquitur; *Notandum infidelitatem tempore S. Pauli, nec fuisse impedimentum dirimens matrimonium cum fideli contractum, nec impediens seu contrahendum seu contractum si fideli non erat periculum perversionis &c.* (cur ergo hoc impedimentum dirimens vult nunc ex Paulo accessere?) *Progressu autem temporis inducendum in Ecclesiam ut infidelitas dirimat matrimonium à fideli contrahendum cum infideli. Hoc tamen quia multis locis odiosum & onerosum (& versatilis admodum, in his debet esse sua Theologia) viri quidam Docti censent restringi posse ad infideles propriè dictos, id est, qui non credunt ullo modo in Christum, sed colunt Idola, quales non sunt nostro tempore Anabaptista, qui etsi necdum baptizati sunt volunt tamen ac parati sunt baptizari, sed baptismum differunt in adultam aetatem & subinde valde provestam; profitentur interea fidem Christi ut plures alij hæretici, & passim etiam nonnisi hæretici vocantur & habentur; Unde & putant ydem saluo meliori iudicio, sentiendum in hoc negotio de his Anabaptistis, ut de cæteris hæreticis, id est, non esse hic impedimentum irritans aut dirimens contractum matrimonij, sed impediens tantum.* Alij tamen longè rigidiores pari loco habent hæreticos & infideles, & eos eodem fasce involuunt, ut conjugum Catholici & Hæretici par sit ratio quæ Fidelis & Infidelis; Ira Coninck disp. 31. dab. 3. n. 44. Ubi etiam se opponit suo Sanchez qui dixerat lib. 7. de Mat. disp. 72. n. 5. licitè Catholicos cum hæreticis contrahere, ijs in locis ubi Catholici mixti cum hæreticis palam habitant, & hoc ibi sicut alia negotia permitti. Imo prodijt ante deccennium quasi Antwerpiâ apud Johannem Knobbarum, cum approbatione P. R. A. Phil. V. A. id est, Philippi Reverendi Archiepiscopi Philippensium, Vicarij Apostolici, nominis & hominis fatis noti in Fœderato Belgio, huc totus spectans impudentissimus liber sic inscriptus; *Reverendi Domini Clarissimi Viri Francisci Dusseldorpij Lugdunensis, Tractatus de Matrimonio non ineundo cum his qui extra Ecclesiam sunt; Hic enim scelestissimus nebulo (nec alio nomine dignus est qui in Belgio contra Belgium tam petulanter scribit) omne Reformatorum in Belgio Fœderato conjugium habet pro aperta fornicatione, parti. 3. cap. 9. n. 2.* Et suos ineuntes conjugia cum nostris eaque curantes in sacris

coetibus no-

bus nostris celebrari statuit non vero conjugio copulari, sed fornicatio coitu tam seipsos quam universam suam prolem deturpare, parte 3. cap. 5. n. 5. Et toto illo opere nihil aliud intendit quam ostendere jure natura divinoque tum sub veteri tum sub nova lege hæc eousque prohiberi matrimonia, ut nullo alio loco quam damnatorum in æternum habeat suos Catholicos qui ea contraxerint cum nostris, vel in illis jam contractis perfliterint; Nec enim, inquit, parte 1. cap. 13. corpus Christi esse potest qua hæretico copulata & hæretici corporis compagem ingressa costa ejus effecta est; nec Christi hominem se nominare potest qui corpori suo agglutinatum de diaboli corpore costam habet. Et cum non possit consequi ut in odium & detestationem hæreseos obtineat Canon 72. Concilij Quini-sexiti quo irritæ pronunciantur nuptiæ catholicorum cum hæreticis contractæ, saltem optaret p. 3. cap. 14. n. 1. & 2. suos quoad thorum hinc separare; quod ut facilius procedat statuit, in odium hæreseos cum ob illam thorus separatur non requiri aliquam sententiam judicis specialem, præter illam qua ipso jure lata est in hæreticos quæ omnes Catholici liberantur ab obligatione fidelitatis & obedientiæ quæ quovis modo fuerant obstricti hæretico. Totum ex scribere librum deberem si similes flosculi plures essent proponendi meo lectori; Et hoc hominis monstrum nititur suis Canonibus quos densé admodum profert ad hanc rem; eosdem scilicet quos Becanus V. S. asserit vel non esse receptos in Germania vel certè per contrariam consuetudinem abrogatos Nec unicus Dusseldorpius hoc statuit, Congregatio ea quæ Romæ dicitur Congregatio Concilij ad sess. 24. cap. 1. de Reform. Concilij Tridentini, uti videre est ibi in Declarationibus Cardinalium ex ultima revisione Johannis Gallemari, consulta circa formam matrimoniorum qua in partibus Hollandiæ, Zelandiæ & Frisiæ contrahuntur, censuit Hæreticos, in quorum parochia decretum Concilij, de parochi præsentia necessaria fuit publicatum, teneri præscriptam formam observare, & propterea ipsorum matrimonia absque forma Concilij, quamvis coram Ministro hæretico vel Magistratu loci contracta esse, NVLLA. Et in Declarationibus ad cap. 5. ejusd. sess. statuitur quod etiam legitimo impedimento cessante Catholicus cum hæretico contrahere non potest, sintque partes Ordinarij talia matrimonia irrita & nulla declarare. Hæc paulò fufius referre debui quo præmoneantur nostri quid

quid censendum habeant de hac versatili Theologia Jesuitarum, qui quamdiu utile rebus suis judicant, licita, rata, insolubilia pronunciant suorum Catholicorum conjugia cum nostris, parati contrarium statuere, imo omnia Reformatorum conjugia pro nullis habere in hoc Belgio, si fieret talis rerum conversio in qua usibus suis hæc paradoxa possent inservire: Quia enim omnia jam ad probabilitates reduxerunt, & statuunt posse desereri probabiliorem sententiam & quæ verior creditur ad minus probabilem amplectendam, & probabilem faciunt sententiam quæ saltem duobus doctoribus, quandoque & uni tantum arriserit, ut de illis monet Author *Theologia Mor. Jesuit. statim ab initio*, citatis in eam rem Vasquesio, Valentia, Sanchez, Henriquez, Lessio, Emmanuele Sà & alijs, videntur datâ operâ in omnibus rebus dissentire, ut prout fors feret eam opinionem maximè urgeant quam rebus suis conducibiliorem videbunt.

Tertio Consanguinitas & Affinitas) Ut de omnibus impedimentis tum obstantibus Matrimonio contrahendo, quo minus legitimè procedat, tum dirimentibus contractum ceu vitiosum & eo ipso nullum, hic agam fursus, hujus mei instituti ratio non patitur; Quod si luberet inquirere in *cognitiones Spirituales*, quæ scilicet: ex Baptismo & Confirmatione contrahuntur, si in *affinitates* quas statuunt Canonistæ per fornicationem contrahi, quarum non puduit Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 2. & 4. de Reform. Mat.* & quæ non alio fine excogitata sunt quam injicendi vincula nova conscientijs, multiplicandi Pontificias dispensationes, & Curie Romanæ tum Avaritiæ inexplebili, tum Ambitioni tyrannicæ satisfaciendi, in longum mea excurreret oratio: Satis esto hîc paucis pressisse Tirini vestigia, eo quod his solis insistens, cætera pro derelicto habere videatur: Et quia nos amandat ad caput 18. Levitici, dum negat vel omnes vel solos illos gradus affinitatis & consanguinitatis prohiberi qui ibi commemorantur, prius quam eo accedamus, monendum censemus Lectorem Concilium Turonense *IL. Can. 21.* qui est, *de adulterinis & incest. conjunctionibus*, se intra circulum illius Capituli quod integrum recitat hætenus continere, ut præter consobrinorum nuptias nihil habeat illicitum quod Levitici *xviii.* vel expressè vel per evidentè consequentiam non

Z Z Z Z

prohibe-

prohibeatur. Quod omnes illi gradus qui in Levitico exprimuntur sint jure naturæ prohibiti, & per consequens indispensabiles, patet ex dicto Dei, quod omnes illas abominationes quas isthæc prohibet suo populo commiserint homines illius terræ in cujus possessionem tunc mittebatur Levit: xviij, 27. Quæcunque demum rationes illarum legum excogitentur à Mæmonide & referantur à Grotio *lib. 2. de jure belli & pacis cap. 5. §. 13.* satis est eas esse honestatis perpetuæ, & naturæ humanæ sive rationali jam propagatæ apprimè convenientes; Et dictum illud celebre, Deseret homo patrem & matrem atque uxori suæ adhærebit, non tantum abducit hominem à patre & matre in linea recta, ut censuit Cajetanus, sed etiam & ab ijs qui parentum loco habentur, cujusmodi sunt patruus & amicus, & in linea transversa à fratribus & sororibus qui in patris & matris domo æquæ sunt ac nos. Ut autè κατ' ἀναλογίαν par debeat esse ratio affinitatû in iisdem gradibus, res ipsa loquitur. Nec valet in contrariû instantia Tirini *ad Levit: xvij, 16.* desumpta ex Deut: xv, 5. ubi frater fratri defuncto semen tenetur suscitare. Radulphus & nonnulli alij ideo censent Levitici legem de fratria intelligendam esse fratrem adhuc vivente, quomodo interpretantur censuram Herodis per Baptistã: Alij verò volunt illam legem de fratria non ducenda esse juris æterni, perpetui & indispensabilis; quod putarunt quoque Henricus viij. Angliæ Rex & Theologi qui secundum ipsum pronunciarunt cum Catharinam Austriacam ideo repudiavit quod Arturo fratri suo nupsisset; qua de re nos alibi diximus: Hoc verò posito dicendum putem cum Calvino, in lege Deuteronomij nomine fratris superstitis qui demortuo debebat semen suscitare, non intelligendum fratrem vel germanû, vel uterinum, vel consanguineum, sed proximum illius cognatum, cujusmodi fuit Boos ad Ruth, intra gradus ad conjugium licitos, prout & virgo ἐπίκληρος tali suo consanguineo nubere debebat, Num: xxxvi, 8. Fuit itaque aliquod vitium in extensione & applicatione legis Deuteronomij cum ad fratres germanos & propriè dictos traducta est, uti factum intelligimus ex Mat: xxi, 25. prout jam ante legem latam, ex præposterâ imitatione eorum quæ tunc vigeabant communiter inter Canaanæos, obtinuit sed malo eventum in familia Judæ Gen: xxxviii, 8. Sed quamvis Deus ut supremus naturæ Dominus in eo casu dispensaverit

CUM

cum Israëlitis speciali de causa, nunquam tamen sequetur inde in eo & cœteris transverse lineæ gradibus posse per Ecclesiam dispensari, ut vult Tirinus; cum non sit par autoritas Ecclesiæ quæ Dei. Divinat itaque Tirinus cum afferit non nisi jure positivo prohiberi in Levitico nuptias 1. Nepotis ex fratre cum amita; 2. Nepotis ex sorore cum matertera; 3. Nepotis cum uxore patris; 4. Soceri cum nuru & generi cum socru; 5. Fratris cum fratria; 6. Vitrici cum filia privigni vel privignæ; 7. Cum sorore uxoris adhuc viventis; Nam 1. Amita, matertera & uxor patris, sunt mihi instar matris vel aviæ, sicut patruus & avunculus instar patris vel avi, quod nomina ipsa satis indicant. Quare, eo ipso quod conjugij ergo debeant relinqui pater & mater, & in linea ascendente quicquid eo nomine venire potest, hi quoque quibus filialis reverentia debetur, cum suis neporibus copulari nequeunt. Quod enim statuit Tirinus ne quidem jure positivo legali prohibitas fuisse nuptias neptis cum patruo vel avunculo, falsum est, judicibus Ambrosio Epist. 66. Lyrano, Abulensi, Bonfrerio ad 18. Levit. cum par sit ratio proximitatis neptis ad patruum vel avunculum quæ est nepotis ad amitam vel materteram; At horum nuptiæ incestæ pronunciantur Levit. xviii, 12. 13. 14. Imo quod dicitur *Nuditatem patris tui ne revegesis*, non minus intelligi potest de nepte ad patruum quam de nepote ad patris uxorem: Hinc ipsimet Eghnici tales nuptias ceu incestas, idest, cum naturali jure & pudore non convenientes, rejecerunt: *Sororis proneptem*, inquit Paulus Jctus ff. de ritu nupt. l. 39. *non possum ducere uxorem, quoniam parentis loco ei sum.* Et Gregorius Tholosanus *Synt. juris lib. 9. cap. 11. n. 13.* refert Coccejum Nervam legem tulisse ne fratris filiam uxore ducere fas esset, nec non Diocletianum & Maximum Cæsares statuisse, nemini licere contrahere *matrimonium ex latere cum amita, matertera, sorore, sororis filia & ex ea nepte, praterea patris tui filia, & ex ea nepte.* Et cum Claudius Cæsar ut Agrippinam Germanici fratris filiam duceret, id sibi curasset imponi à Senatu, lege latâ ut tales nuptiæ deinceps incestæ non censerentur, neminem habuit imitatorem præter libertinum quendam & alterum primipilarem, ut videre est apud Suetonium in *Claudio cap. 26.* & Tacitum *Annal. 12.* Eadem nuptiæ ceu sceleratæ prohibentur in legibus Salicis tit. 14. §. 12. Idem Tholosanus *ibid. n. 22.* putat ex juris Canonici Glossato-

Zzzzz 2

re, in

re, in hoc gradu ita illicitas esse nuptias ut nequidem hinc dispensari queat, quo quis sororem vel neptem in uxorem habere possit, quia Deus prohibuit turpitudinem sororis & filia ejus revolare Levit. 18. *Filiam filia ejus non sumas quia una caro sunt*; Et si, inquit, illa verba intelligantur in descendantibus, certè nec in collateralibus in secundo gradu Pontifex dispensare potest. Et paulò post; *At inter collaterales in linea inequali & in linea ascendentium submovet Panormitanus omnem dispensandi facultatem, cui & ego subscribo.* Exempla Nachoris & Abrahami quæ in contrarium profert Tirinus, non magis evertunt hanc legem, quàm polygamiam adstruit aut pellicatum comprobatur Agaris ad Saram superinductio per Abrahamum; Vivendum enim legibus non exemplis, præsertim cum hi conjugia sua celebrarint dum adhuc inter idololatrias versarentur. & eorum moribus depravatis obsequerentur: Quantum ad me malim negare Sarai fuisse Abrahami neptem, cum id non satis apertè colligatur ex Gen: xi, 29. ubi soror Melcham Ischa dicitur, quam cum Paro *ibi* statuere tales nuptias nequidem lege Mosaicâ Levit: 18. prohibitas fuisse. Jocabedam verò matrem Mosis fuisse neptem Amrami mariti sui, Tirinus ex Bellarmino falsò statuit: Cum vox וַיִּתֵּן quæ extat Exod: vi, 20. potius significet *amitam*, ut habent Junius, Belgæ, Geneveses, Arias Montanus, Abulensis & alij, quàm neptem: Et talem revera fuisse oportuit si fuerit filia ipsius Levi, ut colligunt isti Interpretes ex Exod: 11, 1. & Num: xxvi, 59. Jam autem nepotis eum amita conjugium lege Leviticâ prohibitum fuisse certum est: Ego tamen assentire potius Cornelio à Lapide *ad Exod: 11, 1.* Jocabedam dici filiam Levi, id est, ex stirpe Leviticâ, fuisseque non amitam Amrami sed ejus patrualem sive consobrinam, ut habet V. V. & adstipulantur non solum Vatablus, Pererius & alij Christiani, verum etiam LXX. Interpretes, qui τὸ ἄδελφὸν τῆς μητρὸς αὐτοῦ Exod: vi, 20. Ipse noster Tirinus in Chron. cap. 17. sic habet ad annum à morte Josephi 53. *Amram Levita filius Caath: in uxorem accipit Jocabetham, Exod: vi, 20. ubi vocatur patruelid seu cognata germana Amram, nempe filia patris illius Gersenis vel Merari. Quod ergò Num: xxvi, 59. vocatur filia Levi mediatè exponendum est, sicut Ephraim & Manasse dicuntur filij Jacob Gen: xlviii, 5. & Christi-
sus voca-*

filii vocatur filius David Matt. 1, 1. Itaque parum superest præsidij pro his conjugijs in Judæorum praxi, quam item urget Tirinus & quod usque hodie usitatissimum istud sit apud eos. Absit enim à Christianis ut ex verparum moribus honestatem naturalem metiantur: Vigent & inter illos divortia, quæ tamen naturæ conjugij repugnare certum est. II. Cum focer ad nurum, & gener. ad focrum, se habeant per affinitatem ut pater ad filiam & filius ad matrem, miror quâ fronte talia conjugia solâ lege positivâ prohibita statuatur Tirinus: Cum tamen ibi annotet hoc etiam Romanis turpe visum teste Tiraquello; & omnes Interpretes Judæ concubitum cum Thamare incestuosum faciant. III. Eadem debet esse ratio vitrici cum filia privigni vel privignæ: Cum enim statuatur Tirinus *jure naturæ* vetari conjugium vitrici cum privigna, ut privigni cum noverca, unde damnatus incestus Rubenis qui patris sui cubile conscenderat ejusque stratum polluerat Gen: XLIX, 4. & Corinthiaci qui patris uxorem incestando tale crimen commisit quod ne quidem inter gentiles nominatur 1. Cor: v, 1. eodem jure debet prohiberi conjugium vitrici cum filia privigni vel privignæ: Ut enim per conjugium suum illius pater factus est, sic eo ipso hujus avus censeri debet. IV. De fratris cum fratriâ connubio jam dixi: Cum sororis habeat rationem, æquè debet mihi esse intactâ ac mea soror; quandoquidem, consentiente Tirino, jure naturæ vetatur conjugium *Fratri cum sorore, sive ex utroque parente, sive ex altero tantum progenita.* Eadem est ratio nuptiarum cum duabus sororibus, etsi locum Levit: XVI 11, 18. generalius intelligeremus de duabus uxoribus simul non habendis: Nam sicut non potest una mulier duobus fratribus successivè nubere, sic neque possunt duæ sorores uni viro. Jacobi exemplum nihil facit ad rem, cum ex illo pariter possit adstrui polygamia, quam tamen jure naturæ prohibitam esse certum est. Talia Deus etiam in Sanctis toleravit non approbavit: vel ut loquuntur ipsimet Scholastici, *impunè facta sunt, non licitè*: Neque inficiantur apud Bellarminum *lib. de Matr. cap. 27.* Bonaventura, Richardus, Paludanus, alij ex Scholasticis, quodam saltem sensu juris esse naturalis omnes illos gradus qui in Levitico exprimuntur, vel per analogiam in expressis intelliguntur. *Quamvis nolim statuere, omnium*

Z Z Z Z Z 3

illorum.

illorum parem omnino fuisse rationem, cum par non sit pœna peccantium in illos uti patet ex Levit:xx. Perabsurdè verò Tirinus statuit eodem gradus, quos ille fecit juris positivi, etiamnum hodie vetari in Ecclesia Christiana, non quod legibus illis ceremonialibus obstringantur, quas constat abolutas, sed quod Ecclesia novis legibus eadem omnia inbibuerit; Nam primò illæ leges cæremoniales censeari non possunt quæ ad honestatem moralem spectant, ut hæ: Deinde quamvis disputetur inter Scholasticos num omnes illa leges graduum Levit: 18. sint juris naturalis, saltem haberi debent juris divini positivi, cujus obligatio in moralibus est perpetua; adeoque præstat nos eò adstringi jure divino, licet positivo, quam jure merè humano quale est jus Ecclesiasticum mille mutationibus obnoxium, & quod instar nasi cerei huc illuc trahi potest. Neque ex jure Ecclesiastico est, sed divino κατ' ἀναλογίαν necessarium, quicquid somniet Tirinus in contrarium, quod non permittatur conjugium neptis, abneptis, vel proneptis cum patre vel avunculo, quia illi est loco parentis; item fratris cum fratria, etsi frater sine liberis defunctus fuerit, aut cum sorore uxoris defunctæ; quia & fratria etiam post sui mariti obitum, & soror uxoris, sororis loco venit, eo quod vir & uxor in unam carnem coaluerint. Quod verò hi soli gradus in foro conscientie obligent, (manente tamen Magistratui suo jure legibus suis si consultum judicaverit, alia adhuc impedimenta ponendi conjugii & quo affinitates magis propagentur) nec Ecclesie fas sit libertatem Christianam amplius coarctare, sintque leges illæ quibus vetatur conjugium non solum in secundo gradu ut olim, sed etiam ad quartum gradum inclusive uti defuitum (verba sunt Tirini ad Levit: 18.) sub Innocentio 111. in Concilio Lateranensi, & habetur cap. Non debet. De consang. & aff. non solum plane novæ sed etiam tyrannicæ, nec alio fine excogitatæ quàm ut fiam frequentiores dispensationum nundinæ, vel ex eo liquet quod patruales & consobrini qui jure Canonico in secundo sunt gradu, cum jure Civili quartum demum constituent (qua de diversitate præter alios agit Julius Pacius à Beriga in Anal. Inst. lib. 3. tit. 6.) possint inter se contrahere nuptias, uti olim anno 1629. Molinæus & ego nominatim super hoc casu ex Hollandia consulti Sedani respondebamus, meæ ac juniore responsum conscribente, his maxime moti argumentis;

Quod

Quod hic gradus non fuerit expressus Levit: 18. Quod Theodosij legē hęc conjugia vetantem, uti patet ex Ambrosio *Epist. 66. Beza de Rep. & div. pag. 75.* Marco Antonio de Dominis *lib. 5. Resp. Eccl. cap. 11. n. 72.* Grotio *lib. 2. de jure belli & pacis cap. 5. n. 14.* ejus filij Arcadius & Honorius (quos illam tulisse perperam censebat Molinæus) revocarint *Cod. de Nuptijs l. 19.* Quod jure Justiniano (post habitâ Theophili paraphrasi Græca quæ negativam habet,) hęc conjugia statuuntur licita *Inst. de Nuptijs §. 4.* quibus addunt J Cti *l. 18. §. filiam, ff. ad Trebell. & l. 19. Cod. eod. tit.* Quod eo faciant inter alia, exemplum Isaaci Rebeccam ducentis Gen: xxiv, 48. Jacobi Rachelem Gen: xxix, 12. Hothonielis Haslam Jud: 1, 13. Quod illius gradus prohibitio Papalis eum spiritū indicet de quo Paulus 1. Tim: iv, 3. Quod Ecclesiæ Reformatę in Gallia semper ea Matrimonia pro licitis habuerint; unde etiam Reges Galliæ per Articulos secretos, uti vocantur, additos Edicto Nannetensi *art. 41.* in illa consentiunt sub Diplomatis sive litteris suis. provisionalibus in Cancellaria obtinendis. Quibus argumentis ulterior prohibitio necessariò corrui; quapropter etiam Reformati in Gallia non nisi in eo consobrinorum gradu (cæteris planè neglectis) ad auctoritatem Regiam, ut Pontificij solent ad Papalem, tenentur confugere. Uno verbo cum lex Dei quæ honestati naturali si illa abundè prospexit intra gradum quartum exclusivè secundum J Ctos constititerit, nullo jure potuerunt Pontifices suas prohibitiones extendere duplo longius & usquè ad quartum gradum inclusivè juxta Canonistas.

De cæteris impedimentis vide Sanchez) Ut de alijs difficultatibus ad causas Matrimoniales spectantibus consulantur Theologi & J Cti per melicet. Sed nemini author sim ut opus spurcissimum Thomæ Sanchez Jesuitæ *de Matrimonio* sumat ad manus; cum talem foetorem in ipsa Italia excitaverit ut Resp. Veneta illud publicè distrahi prohibuerit: Non referam hic quanta cum indignatione & eloquentia Author Veritatum Academicarum pro Univeritate Parisiensis contra Jesuitas *cap. 5. N. 6.* invehatur in illud opus, ex quo, inquit ille, Caligolæ, Neronis & Heliogabali, possent discere quod libri Elephantiaci non continebant; Sufficiat quod monet Author *Theol. Moral. Jesuitarum pag. 35.* horrendum in modum Sanchez violasse sanctitatem Matrimonij, quæ-

nij, *questionibus infamibus & diabolicis qua ipsam impudentiam in ruborem dare possint.* Sed hæc sunt Jesuitarum deliciae, his se nutriunt imaginationibus, in similibus suas morosas delectationes sectantur.

CONTROVERSIA XXVIII.

De

ANIMARUM IMMORTALITATE, CORPORUM RESURRECTIONE ET EXTREMO JUDICIO.

Respondente

JOACHIMO BORGESIO,

J.F. Groningano.

Nam:

1.



NIMARUM humanarum IMMORTALITATEM
contra Sadducæos & Atheos probant

Primò, omnia Prophetarum oracula, omnis Christi & Apostolorum doctrina, omnes sacræ & profanz historiz.

Secundò, reditus & apparitio tot animarum, v. g. Samuelis, 1. Reg: xxvii, 15. & Eccli: xlvi, v. ult. Oniaz Pontificis & Jeremiz Prophetæ 2. Mach: xv, 12. Moysis unà cum Eliâ, Marth: xvii, 3. & Luc: ix, 30. Et omnes historiz, etiam Ethnicorum, scitent ejusmodi exemplis.

Tertiò, vis cognitiva & appetitiva in homine prorsus illimitata, & animi capacitas atque amplitudo tanta, ut nullis terrenis opibus, nullis dignitatibus, nullis voluptatibus in hac vitâ satiari possit. Ps: xvi, 15. *Sauabor cum apparuerit gloria tua.*

Quartò, contemptus mortis, & facilis jactura vitæ præsentis: 1. Mach: ix, 10. & 2. Mach: vi, 26. & c. vii, 2. & c. cum, si moreretur anima unà cum corpore, mortem extremè horreret ac defugeret.

Quintò, studium virtutum & fuga sordidarum voluptatum, etiam duce natura.

turâ. Ecclesi: 1, 1. *Vanitas vanitatum, &c:* Cum alioqui summum ejus bonum in his consisteret, ut illi ajunt Sap: 11, 6. & Es: XXII, 13. *Comedamus & bibimus, cras enim moriemur.*

Sextò, appetitus laudis, magni nominis & bonæ famæ etiam post mortem fovendæ. Eccli: XLIV, 15. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebis tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni, &c.* 1. Mach: IX, 10. &c.

Septimò, afflictio piorum in hac vitâ, & è contrario prosperitas impiorum. Vnde inulta scelera manerent multa, & pietati ac justitiæ non esset præmium vel fructus: Vnde ulterius sequeretur, nullam esse Numinis providentiam, nullum universi rectorem, nullum Deum. Ps: LXXII, 11. *Quomodo scit Deus? & si est scientia in excelsis? vide totum Psalmum.*

Octavò, resurrectio mortuorum, de quâ n. 2.

Nonò, argumentum Christi Matth: XXI, 1, 32. quo convincit Sadducæos.

CENSURA. *Animarum humanarum immortalitatem*) Duo sunt genera hominum qui hanc veritatem impugnant & ratione suâ utuntur ad se ipsos bestiis exæquandos; Alij enim Scripturas divinitus inspiratas non admittunt; & hi aliunde sunt convincendi, quod factum egregiè à Plessæo *Verit. Relig. Christ. cap. 14. & 15.* Pacardo *Theologia Nat. lib. 3. per totum*, Buchananano *de anima*, Vossio Belgij Varrone *lib. 1. de orig. Idol. cap. 10.* & multis aliis. Nec planè contemnendum Cartesij argumentum, quo à sui cogitatione animæ rationalis contra Scepticos existentiam & spiritualitatem demonstrat. Imò tot rationibus in Scholis physicis hæc veritas adstruitur, ut licet Charronæus Sorbonista, & ille ex quo hausit Michael des Montagnes, nihil universaliùs credi nihil minùs probari quam immortalitatem animæ stant, Theologia tamen Christiana non tam id suscipiat demonstrandum lumine rationis, quam assumat pro indubitato & demonstrato: Alij vero Scripturas Sacras saltem in speciem recipiunt, ut quondam Sadducæi & hodierni Sociniani, quibus præluxerunt Patrum nostrorum memoriâ Psychopannychitæ, contra quos Calvinus scripsit tractatum eruditum *in opusculis*, & Anabaptistæ quibus doctè se opposuit sanctus Christi Martyr Guido de Brez ad calcem operis sui contra Anabaptistas. Hic fuit error Arabum illorum quorum meminit Eusebius *lib. 6. Hist. Eccl. cap. 30.* contra quos tam fœliciter in congregatione quorundam-Episcoporum Origenes fertur disputasse ut multi statuentes

AAAAAA

et statuētes animam unā cum corpore interire & cum eo resurrecturam, ad saniorē mentem redierint. De his Arabicis agit Augustinus ad *Quadragesimam* cap. 83. Idem sensit quondam Johannes XXI. Papa Romanus, ut observatum Calvino *Instit. lib. 1v, cap. 7. §. 28.* & Dressero *Milten. 6. cap. 2.* nec difficile esset ostendere ex Ockami *Dialogis & Compendio errorum Iohannis* maximè *har. 2.* Videantur Nicolaus Gillius *tomo 2. Annal.* & Gaguinus *Hist. lib. viii.* Eundem errorem de animarum somno ex ore revocavit quidam Matthias Devajus Ungarus, ut monet Kemnitiſ in *par. 3. Exam. Conc. Frid. de Venerat Sanct.* Ea fuit quoque sententia Serveti, ut patet *ex art. 28. errorum ipsius* apud Calvinum, nec non Socini, in quo *mens privata* Serveti surrexit, sicut *Eriphorus in Pythagora renatus esse perhibetur*, ut de Vigilantio Joviniani respectu loquitur Hieronymus. Socinianos enim etiā mortalitatem animorum defendere patet ex authore *Breviſ disquisit. An & quomodo vulgo dicti Evangelici Pontificios solide atque evidenter refutare queant.* Nam *is cap. 8.* tanquam absurdum dogma nobis affingit quod dicamus mortuos vivere eorumque animas ante resurrectionem frui Dei gloriā. Patet idem ex Smalcio in *Exam. centum Err. errore 81.* ubi negat animam ullius operationis, vel sensus, vel voluptatis capacem esse extra corpus. Similia habet Volkeliſ *lib. 3. de Vera Relig. cap. 11. & lib. 5. cap. 16. & 25.* Et proculdubio ex putidis Socini & Socinianorum lacunis hauserant Geyſerani fratres, Alkmariani Ministri, quorum Johannes in Synodo Nationali Dordracenā rogatus an Anima post mortem hominis maneat essentiā immortalis, respondit, *Animas esse in manu Dei iudicis, verum quomodo, vive-ne an mortuæ, mortales an immortales, quandoquidem de modo queritur quo ibi sint, fatetur se ignorare.* Contra similes excetras valent potissimum pleraque ex argumentis quæ hic congeſſit Firinus ex Scripturâ sacrâ desumptis; quamvis non sint omnia ejusdem ponderis & valoris.

Primo omnia Prophetarum) Argumentum ab Historiis profanis est longiusculè petiſum, nisi quantum ex illis vel constat universos populos de immortalitate animorum esse persuasos, & quod anima restet post animal, uti etiā ostensum fuit post Christianos à Menasseh Ben Israel Judzo in libello Hispanico *De la resurreccion lib. 1.*

cap. 9.

cap. 9. vel eorundem dicta aut facta innotescunt qui de illa veritate videntur fuisse persuasi atque cum Propertio dixisse *lib. 4. eleg. 7.*

Sunt aliquid Manes lectum non omnia finit.

Taceo quæ ex Platone, Trismegisto, Pythagora, Zoroastro, Plutarcho, Strabone, Cicerone, Maximo Tyrio & aliis Ethnicis ad hanc rem annotarunt alii, & nominatim Pacardus *Theol.nat. lib. 3. c. 3.* Sed eandem veritatem & supponunt & confirmant omnia oracula Prophetica & Apostolica Vet. ac N. T. cum sit basis religionis & cultus divini, finisque futuri omnium hominum miserimi si in hac solum vita speremus in Christo, teste Paulo 1. Cor. xv, 19. Argumenta ad hanc rem ex Pentateucho, Prophetis, Hagiographis idem Menasséh Ben Israel *ibid. profert cap. 10. 11. 12.*

Secundò reditus & apparitio) Spectrorum apparitiones, quarum etiam haud rarò meminerunt Historiæ Ethnicorum, intersunt ad probandum dari naturas intelligentes, spirituales & incorporeas cujusmodi animæ statuitur, non tamen ad demonstrandum animas defunctorum vel circa sua cadavera vagari, vel ad homines subinde redire eorumque rebus interesse, contrarium statuente Salomone *Eclesi. 1x, 6.* Omnem quidem lapidem movet Martinus Delrio ut illas animarum apparitiones, quibus putat Purgatorium valde confirmari, aliquâ ratione comprobet *lib. 2. Disq. Magic. q. 26. sect. 1.* & grandiloquentiam suam explicat non solum in nostros, sed etiam in homines suæ communionis, Magium, Choppinum, Tiraquellum, ejusmodi apparitiones vel superstitioni credula, vel malis genijs ascribentes; sed parum promovet: Etenim quæ de manibus, larvibus, larvis apparentibus crediderunt Ethnici, impatis debentur spiritibus hoc falso præjudicio superstitione captas mentes ad artes illicitas necyomantia traducentibus, quod etiam Porphyrius & Jamblichus agnovère: Possunt quidem Angeli vel boni vel mali quædam assumere corpora œconomica in quibus appareant, at animas defunctorum suo loco jam receptas vel felicitatis in celo vel tormentorum in inferno, sibi fabricari corpora alia ab ijs ad quæ sunt naturâ suâ destinata, ut modo hac modo illâ formâ illudant mortalibus

AAAAAA 2

talibus

talibus & rebus nostris interfiant, nimis *επιλόδοποι* esset statuere; unde cogitur Delrio se ad apparitiones *imaginarias* recipere, prælocente ei suo Thyrazo *de apparit. Spirit.* ut revera tacitè fateatur omnia hîc esse imaginaria & verè pergulam pictorum in qua veri nihil omnia fi-cta. Id cum sensisset Jacobus Gaffarellus *Curiost. inaudit. cap. 5. §. 10.* maluit dicere defunctorum umbras quæ in cœmiterijs quandoque conspiciuntur, nihil aliud esse quam figuras naturales corporum ibi fultorum (non vero eorum animas vel genios) eodem modo quo Chymistæ demonstrant in plantarû cineribus remanere semina formæ & figuræ earundem, quâ exhibent plerumque in suo lixivio glâcie concreto,

Secret dont on comprend que quoy que le corps meure

Les formes sont pourtant aux cendres leur demeure.

De apparitione Samuelis non est quod fufè differamus; Absit ut credamus animas piorum carminibus Magicis posse vocari; aut Deum qui noluerat antea respondere Sauli neque per somnia, neque per Urim, neque per Prophetas, subinuisse tamen illi Samuelem; aut verum Samuelem potuisse dicere Sauli *Cras tecum eris, cum non ad Prophetam Saul desperabundus abierit, sed ad personatum Samuelem se transformantem in Angelum lucis: & cum hoc spectatum apparuerit Sauli instar viri senis amicti pallio, quod ridiculè Tirinus ad 1. Sam: xxviii, 19. vult fuisse pallium Propheticum quale dudum lacerarat Saul cap. xv, 27* eo magis verum Samuelem non fuisse liquet, quod nemo sanus ausit dicere Prophetam in corpore & anima, iisdem indutum vestibus quas gesserat vivus, rediisse per artes necromanticas. Quapropter Tirinus *ibi, sic loquens, Dabitare an verus fuerit, Samuel, saltem secundum animam, parè temerarium jam putarim*, eo ipso agnoscit saltem totum illud phantasma non fuisse Samuelis. Negat equidem id arte magicâ evenisse, sed vult *solum virtute & imperio Dei id factum, præveniente Deo comatus muliercula*; verum non videt Deum sic fuisse responsum Sauli per Prophetam, quod tamen noluit 1. Sam: xxviii, 6. & disertè 1. Chron: x, 13. dicitur Saul mortuus in suo peccato quod Pythonissam consuluerit; nec præventa fuit Pythonissa, sed quicquid erat suarum artium exeruit, & per illas cognovit Saule esse à quo consultebatur. Nec quicquam

quicquam præsidij est adversarijs in Syracide cap. XLVI, 23. quia author est Apocryphus cujus error vel inde retegitur. Hinc Loyherius de spectris lib. 4. c. 1. multis & solidis argumentis, quæ per merum *εκπαυλισμὸν* conatur Delrio elidere, demonstrat spectrum hoc fuisse arte Demonis excitatum non verum Samuelem; quæ est quoque sententia Justini, sive Authoris *Qq. & Resp. ad Orthod. quæst. 52.* Tertulliani de anima, cap. 57. Augustini lib. 2. ad Simpl. q. 3. & in quæst. ex V. T. si modo sint Augustini quæst. 27. cujus etiam verba relata sunt in Decretum causa 26. q. 5. can. Nec minus, Procopij & Eucherij 1. Reg: 28. Isidori lib. 8. Etymol. cap. 9. & aliorum citatorum Ioanni Gerhardi loco de Morie, n. 174. Quam variè homines communionis Pontificiæ hac de apparitione sentiant videre est apud Carthusianum ad 1. Sam: 28. ubi plerique quos citat & ipsemet eò inclinant ut statuunt hoc quodcumque fuerit arte demonis factum fuisse; Nec diffitetur Puteanus ad 3. Thoma q. 5. de indulg. p. 2. membro 1. dubio 3. esse Catholicos qui statuunt non verum Samuelem sed phantasma tantum ejus apparuisse; quod etiam censuerunt inter Judæos R. David Kimchi ut agnoscit Delrio, & Isaac Abravanel apud Menasseh Ben Israel in 2. parte Conciliat. q. 16. §. 5. Quamquam non multum tribuendum Judæis hac in parte, cum nonnulli eorum nugentur Samuelem putasse, cum sentiret se evocari, quod instaret dies judicij, & ideo petijse ac obtinuisse ut Moses secum resurgeret, quod Carthusianus V. S. refert & refutat. Oniæ & Jeremiz apparitio 2. Macc: xv, 12. fabulis Apocryphis, pro ingenio hujus scriptoris, debet annumerari: nec describitur tanquam sensibilis apparitio per visionem factam vigilanti Judæ quæ animarum istarum præsentiam indistantem poneret, sed tanquam in somnium ejus generis quod Macrobio lib. 1. in som. Scip. c. 3. dicitur *χρηματισμὸς* vel oraculum, cum in somnijs parens vel alia sancta graviusque persona seu Sacerdos, vel etiam Deus, aperte eventurum quid aut non eventurum, faciendum vitandum - ve denunciat. Nec certior aut verior datur mortuorum apparitio eâ quæ describitur Moysi & Eliæ cum Christo Matth: xv 11, 3. Luc: ix, 30. ex qua constat eos vivere in gloria & operationum vitalium esse capaces. Sed tamen non facit ad veram apparitionem spirituum, quandoquidem, ut Tirinus ibi affirmat cum Tertulliano, Origene, Hieronymo &

AAAAAA 3

Ireneo

talibus & rebus n
de cogitur Delict
ei suo Thyrazo
esse imaginaria
&ta. Id cum sent
maluit dicere de
conspiciuntur, ni
pultorum (non vs
mista demonstra
gure earundem,

Secret domi

Les formes

De apparitioni
damus animas
qui noluerat;
Urim, neq
verum Sannu
ad Prophe
nuelem se;
apparuerit:
ad 1. Sam
laceratas J
quod ne
dem ip
necrop
tate
ruina
non
vul
ca
P

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

pè in futura se ingerit; atque etiam in eo benè dixerunt
 ὅς τὰ μικρὰ τῆ θανάτου μυστήρια. At omnis spes
 est resurrectio mortuorum, et demum in illa die
 sona justitiæ: Sed quamvis homo in corpore &
 veniat beandus, id non impedit quominus potior
 in spe anima, statim post suum hinc discessum ad
 mittatur; hinc mors veteribus dicta *transitus*, & dies
 in *natalis* eorum appellatus: Ideo Jacob morituro
 ait Jehovæ Gen: XLIX, 18. & Simeon se præparans
 confidebat se in pace dimissum iri Luc: II, 29. & Ste-
 phan mortis novacula enixè petebat ut Dominus Jesus
 acciperet Act: VII, 59. Nempe, sicut *Ultima semper
 dies homini dicitur beatæ*

in nemo supremaque funera debet,
 in à morte inchoatur fœlicissimus ille status cui colo-
 rum imponet resurrectione mortuorum. Unde Cyprianus
 marty. cap. 12. *Clauduntur oculi in persecutionibus terra, sed
 minatur Antichristus, sed Dominus Christus tuetur; mors in-
 mortalitas sequitur; occiso mundus eripitur, sed restituito pa-
 uper; vita temporalis extinguitur, sed aeterna reparatur: Quan-
 tum & quanta securitas exire hinc latum, exire inter pressuras &
 periosum, claudere in momento oculos quibus homines videbantur &
 aperire eosdem statim ut Deus videatur & Christus? Tam fœliciter
 tanta velocitas? Terris repente subtraheris ut in regnis cœlestibus re-
 Quid Christianos profero doctores, aut Scripturæ ora-
 culummet oraculum Chaldaicum quondam celebre fuit in*

σα

καὶ σπεύδειν πρὸς τὸ φῶς καὶ πατρὸς αὐγὰς
 ἔντα ἐπέμψθη σοὶ ψυχὴ πολλῶν ἰσοαμίνων.

idum ad lucem & splendores patris, unde tibi missa est anima mul-
 tita mentem. Quem locum Psellus ita interpretatur; ἐπειδὴ

οὐ σπερμάτων ἢ ψυχῆ τὴν ἰσότησιν ἔλαβεν, ὅθεν ἐν ζωματικαῖς ὑφέσει
 εἶσι, ἀλλ' ἀνωθεν ἀπὸ θεοῦ τὴν ὑπάρξιν ἔχει, πρὸς ἐκεῖνον καὶ ὁπισπέρθη.
 Quidam existentiam anima non habet à semine neque existit in cor-
 poreis

B b b b b

poris

Irenæus, apparuerunt in proprijs corporibus, non acëris, ut censent Thomas, Lyranus, Abulensis, Salmeron & Delrio, cum deceret in tam splendido testimonio omnia solida esse & sincera; neque potest adferri a Pontificiis pro existentia animæ post mortem, quandoquidem fingunt, de Elia saltem, eum adhuc corpus mortale gestare & in loco dispensationis extra cœli gloriam & gaudia asservari ad pugnandum, ut quidam volunt cum Mose, quidam cum Enocho, adversus Antichristum, à quo etiam sint trucidandi. Sed de eo dixi tom. 1. *Cont. vi. n. 13.* Saltem ex eo quod hic cum Mose apparuit in gloria constat eum non amplius viatoribus, sed beatis & comprehensoribus, ut vulgo loquuntur, esse annumerandum.

Tertiò vii cognitiua) Nempe infinitus ille appetitus sciendi & habendi inditus mentibus nostris à natura quæ nihil frustra facit, & quem explere & satiare nequeunt bona hujus vitæ, de quibus verè dicas, *Quo plus sunt pota plus sitiuntur aqua*, argumento est firmissimo animam ad majora & meliora factam esse, quam quæ hic obtineri possunt, quorum adeo fruitionem non ante queat consequi quàm ex hoc corporis ergastulo liberata fuerit; Aristotele & Theophrasto confidentibus hominem nunquam in hoc mundo consequi quod ipsi palmarium est & quod maximè appetit. Et Socrates in *Phædro* Platonis hoc ipso atitur argumento, nempe omnes homines naturâ appetere scientiam quam tamen hic nequitiam consequuntur; nam scire nostrum nihil est; Ergo ne frustraneus sit ille appetitus sciendi, necesse esse ut expleatur post hanc vitam, quod proculdubio fiet cum Deus erit omnia in omnibus 1. *Cor: xv, 28.* Nec extra ipsum quæri debet vel obtineri potest vera satietas gaudiorum *Psal: xvi, 11. xvii, 15.*

Quartò contemptus) Emicuit ille mortis contemptus in omnibus Martyribus Christi qui gravissima tormenta tam alacriter nunquam pertulissent, nisi persuasissimum habuissent melius sibi fore dissolvi & esse cum Christo *Phil: 1, 23. 2. Cor: v, 1. 2.* ac sub ipsa morte ad immortalitatem transiri, ut loquitur Cyprianus. Imò quotquot inter Ethnicos fortes se præstiterunt in morte ejusque tela irriserunt, hac persuasione fuerunt imbuti, nihil illi virium esse in animam cui tantum

tantum pandat januam ad libertatem. Demosthenes & Cato Uti-
censis Phadonius Platonici lectione se ad extrema pararunt, & eodem lecto
Cleombrotus se de muro præcipitavit in mare; Et cum mors, fini-
tore Aristotele sit terribilium terribilissimum, ac quodlibet animal
sui esse conservandi sit studiosissimum, nemo sanus imperterritè
mortem subiret, ut fit à plurimis, nisi anima sibi suæ immortalitatis
conscia foret.

Quintò *studium virtutum*) Quousque hæc possit natura sibi relicta
nunc non disputo: saltem recta ratio docet virtutem licet laboriosam
esse potiùs sectandam quam vitium voluptatum illecebris cinctum.
At nisi anima foret immortalis præstaret genio indulgere & in diem vi-
vere, ac fieri cum Epicuri de grege porcis vile voluptatis mancipium.
Quo argumento utitur Apostolus 1. Cor: xv, 32. citato etiam eodem
locò Isaia xxii, 13.

Sextò *appetitus laudis*) Id certum omnes homines appetere immor-
talitatem, instar illius pictoris qui se æternitati pingere profitebatur:
alii eam quæruni in libris quibus nomina sua consecrent posteritati;
alii in liberis in quibus ut phoenix ex suis cineribus sibi renasci videntur;
alii, ut Trajanus, qui inde *herba parietaria* dictus, in ædificiis quibus
sperant nomina sua semper mansura inscripta; Vehemens autem
illud immortalitatis desiderium tam altè animæ nostræ infixum de ejus
immortalitate evidenter testatur; Nam ut ait ille *ὄντων ἕνεκα ἀθάνα-
τον οἶδε*: *Nulli natura mortali immortalitatis natura cognita est.*

Septimò *afflictio piorum*) Necessè est enim ut tandem aliquando verta-
tur folium quo bonis benè sit, malis malè: Id namque exigit iustitia
Dei æquissima Rom: 1, 32. 2. Thess. 1, 6. 7. expectandumque est
aliquod iudicium post hanc vitam, ne aut insignis improbitas sine pœ-
na, aut magna virtus sine solatio præmioque maneat. Neque boni-
tas vel iustitia Dei patitur id diu differri post mortem aut usque in diem
resurrectionis, quod forte somniarent Sociniani: Nam beatitudo &
quies promittitur morientibus in Domino Apoc: xiv, 13. Et in pa-
rabola Lazari & Epulonis Christus ostendit illicò post mortem sequi
iudicium quo bonis gaudium & refrigerium impiis pœna & supplicium
assignatur Luc: xvi, 25. Nemo quoque pius est qui sub ipsa morte
in manus

in manus Domini, uti par est, commendans suum Spiritum, non au-
 diat idem quod latro conversus in ultimo agone, *Hodie mecum eris in Pa-
 radiso* Luc: xxiii, 43. Certum enim est non deferri à fidelibus terreſtre
 hæc tabernaculum quin illicò domicílio cœleſti ſuperinduantur 2. Cor:
 v, 2. *Quamprimum viam emenſi ſunt patriam conſequentur, &
 quia hi dat qui cito dat*, ut ait Seneca, Deus ſimulac laboris nobis
 impoſiti penſû abſolvimus, confert etiam mercedem & præmium, cum
 ipſe Levit: xix, 13. nolit apud nos mercenarij mercedem pernoctare
 ad matutinum uſque. Nec optaſſet Balaam mori morte juſtorum
 Num: xxiii, 10. niſi certò ſciviſſet benè eſſe juſtis poſt mortem &
 ubi defecerint recipi in tabernacula æterna Luc: xvi, 9. Quod enim
 clamant Sociniani nullius operationis capacem eſſe animam extra
 corpus, eſt falſiſſimum; cum aliæ ſint operationes animæ aliæ ani-
 malis, & nobiliſſimæ hominis functiones ſint inorganicæ nec pendeant
 à corpore: & tum ecſtaſes tum inſomnia, quibus anima interdum
 quaſi ſoluta hoc ergaſtulo extra illud rapitur, indicio ſunt eam ad per-
 fectiſſimas ſuas operationes ſenſibus & organis corporeis non indige-
 re. At abſurdè dixeris mortuos vivere: Fateor, ſi eos vivere dicas
 quâ mortui ſunt; ſed cum mors non ſit animæ extinctio, ſed tantum
 ejus à corpore ſeparatio, (illo in pulverem recidente, hac ad Deum
 redeunte Eccleſ: xii, 7. unde non vult Chriſtus eos timeri qui cor-
 pus quidem poſſunt occidere, animam non Matt: x, 28. & Pallas benè
 dixerit *Ὅταν ἐξελάθῃ τὸ σῶμα ὡς ἂν δὴ δεισμῶν τὸ θάνατος, φύγι
 πρὸς Θεὸν ἀθάνατον*) nihil eſt abſurdi dicere etiam eorum qui mortui
 ſunt ac deſierunt eſſe in vivis animas vivere & gaudere felicitàte æter-
 nâ aut torqueri in inferno. Vivunt ergo quoad animam & meliorem
 ſui partem qui mortui ſunt reſpectu compoſiti; & vita quam animâ
 dabat compoſito in actu ſecundo, ipſi remanet indivulſè in actu pri-
 mo, juxta illud Phocylidis, *Ψυχὴ ἢ ἀθάνατος ἢ ἀγνητὴ ἢ διὰ πά-
 ρτος*. At ſomno, piorum mors sæpè confertur: Ita eſt, non ut ceſ-
 ſet omnis operatio animæ animali jam extincto, ſed è contrario ut ja-
 cente corpore in ſepulchro anima dulciſſimâ fruatur ſimul & æternâ
 quiete in cœlo; prout etiam ubi ſomnus omnes noſtros ſenſus ſuo falſi-
 mô illigavit, mens tamen non deſiſtit à ſuis operationibus, ſed recolligit præ-

git præterita & sæpè in futura se ingerit; atque etiam in eo benè dixerit Menander ὅσους τὰ μικρὰ τῆ θανάτου μυστήρια. At omnis spes Christianorum est resurrectio mortuorum, et demum in illa die reddetur nobis corona justitiæ: Sed quamvis homo in corpore & anima tum demum veniat beandus, id non impedit quominus potior hominis pars, nempe anima, statim post suum hinc discessum ad cœlestia gaudia admittatur; hinc mors veteribus dicta *transitus*, & dies mortalis martyrum *natalis* eorum appellatus: Ideo Jacob moriturus expectabat salutem Jehovæ Gen: XLIX, 18. & Simeon se præparans ad mortem, confidebat se in pace dimissum iri Luc: II, 29. & Stephanus sub ipsa mortis novacula enixè petebat ut Dominus Jesus suum Spiritum reciperet Act: VII, 59. Nempe, sicut *Vltima semper*

Expectanda dies homini dicitur beatus

Ante obitum nemo supremaque funera debet,

ita etiam statim à morte inchoatur fœlicissimus ille status cui colophonem Deus imponet resurrectione mortuorum. Unde Cyprianus *de exhort. ad Martyr. cap. 12.* *Clauduntur oculi in persecutionibus terra, sed patet cœlum; minatur Antichristus, sed Dominus Christus tuetur; mors infertur, sed immortalitas sequitur; occiso mundus eripitur, sed restituto paradisu extribetur; vita temporalis extinguitur, sed aeterna reparatur: Quanta est dignitas & quanta securitas exire hinc latum, exire inter pressuras & angustias gloriosum, claudere in momento oculos quibus homines videbantur & mundus, & aperire eosdem statim ut Deus videatur & Christus? Tam fœliciter migrandi quanta velocitas? Terris repente subtraheris ut in regnis cœlestibus reponaris. Quid Christianos profero doctores, aut Scripturæ oracula? Ipsummet oraculum Chaldaicum quondam celebre fuit in hæc verba*

ἢ σπεύδειν πρὸς τὸ φῶς καὶ πατρὸς αὐγὰς
ἢ τὰ ἐπιφθνη σοὶ ψυχὴ πολλῶ ἰσαμίνῃ νῦν.

Festinandum ad lucem & splendores patri, unde tibi missa est anima multam induta mentem. Quem locum Psellus ita interpretatur; επειδή ἡ δὲ δὸν σπευδῶν ἡ ψυχὴ τὴν ἰσάμισον ἔλαβεν, ἢ δὲ ἐν ζωματικαῖς ὑφέσῃ κρᾶσει, ἀλλ' ἀνωθεν ἀποθεῖ τὴν ὑπάρξιν ἔχει, πρὸς εἰκόνος καὶ ὑπερέφθω.

Quando quidem existentiam anima non habet à semine neque existit in corpore

B b b b b

poris humoribus, sed deorsum à Deo existentiã habet (id est originem,) *ergo etiam ad ipsum reuertatur*; non utique ut in Deo tanquam in prima causa suum esse ideale & potentiale consequatur, sed ut sit illi ces amplissima Gen: xv, 1. & ad ejus deliciarum fluvium inebrietur Deus sua merin ævum.

Octavo resurrectionis mortuorum) Nempe hæc duo sibi mutuam scœnantur lucem, animæ immortalitas & mortuorum resurrectio: nam positã animæ immortalitate colligitur resurrectio mortuorum, eo quod anima separata à corpore habeat entitatem incompletam & propendat semper ad illud animandum; Sicut enim materia appetit formam quã perficiatur, ita forma hæc substantialis determinata ad actuandum & perficiendum animal, censetur semper appetere primam suam materiam, quam actuet & in qua operetur; prout maritus peregrè profectus & domo absens, retinet tamèn adhuc animum ad suam conjugem & optat illi restitui; Huc pertinet visio quæ describitur Apocal. vi, 10. quæ que per elegantem prosopopœam illam animæ separatæ inclinationem nobis ponit ob oculos. Viceversa resurrectio mortuorum ponit animæ immortalitatem; Nam ut idem numero homo resurgat debet eandem numero formam specificam retinere: non foret autem eadem numero formã specificam resurgentis quæ fuerat primum viventis, si morte penitus interiisset.

Nono argumentum Christi) Hoc vero argumentum tam firmum est ut nisi pudoris prostituti fuisset Cardinalis Perronius, nunquam conatus fuisset illud elevare, cum patrocinator impiæ suæ thesi de Scripturarum insufficientia, pertendebat nihil in libris Mosaicis extare quod animarum immortalitatem sufficienter comprobaret. Et qui hodie Francisci Veronis vestigia premunt eo impudentiæ cum illo delabuntur ut pariter elevent hoc Christi ratiocinium, quo questionem concludit partim ex Scripturæ dicto, partim ex lumine naturali, ne cogantur usum similitum consequentiarum ex Scripturis deducendarum adversus semetipfos admittere. Quamvis enim non simus Christo vel Apostolis æquandi in consequentiarum deductione, tamen certum est Sadducæos Christi discursu fuisse convictos, non quod illius autoritatem revererentur ipsumque pro infallibili haberent,

haberent, sed quod consecutionis ab ipso factæ evidentiæ & firmitati nequirent obstrepere; quam aliàs si Veronis & Gontherij frontem induissent & artem didicissent, exhibilare tanquam inconsequentem in promptu fuisset. Habet autem hoc argumentum plus in recessu quam prima fronte apparet. Nam primò & directè probat animarum immortalitatem, eo quod cum Deus tamdiu post obitum Patriarcharum se vocet eorum Deum, eos adhuc vivere oporteret ipsi Deo, ut habetur Lucæ xx, 38. id est animæ respectu in ipsius gloria; hoc axiome quod cum non entis non sit accidens, & de eo quod non est nihil possit prædicari, Deus quoque non sit Deus mortuorum & eorum qui nullo modo sunt, sed viventium: nec est quisquam qui mortuorum brutorum ultra dicatur Deus & dominus. Secundò & indirectè probat corporum resurrectionem de qua controvertebatur, eo quod, ut benè monet Tirinus ad *Matth. xxii, 32. anima naturaliter requirit conjungi corpori ut comparti sua*; Etenim naturalis ille amor corporis quem in anima omnes deprehendimus, ostendit eam esse substantiam incompletam, quæ corpus perficiendo simul ipsa perficiatur finis sui adeptione: Quæ ratio movit multos Philosophos ex Pythagoræ disciplina, cui hac in parte etiamnum hodie Judæi adhærent, ut *μεινωσαμεν σώεις* comminiscerentur; Positâ ergo animæ immortalitate, cujus respectu Athenagoras vitæ humanæ *διαμων* tribuit, sequitur ex se contra Sadducæos corporis resurrectio, quæ nulla alia de causa à Sadducæis vel alijs negatur, quam quod immortalitas animæ non credatur. Deniquè probat æternùm victuros Patriarchas & sic resurrecturos ad gloriam, eo quod fœdus cum illis à Deo pactum æternum fuerit, juxta quod & non obstante corporeâ morte, Deus semper sit futurus Deus ipsorum; Nec enim fœdus Dei cum alterâ tantum parte hominis initum est, sed cum toto homine, erga quem totum Deus qui æternus est se in æternum *ειργητεω* juxta pactum illud salis debet exhibere. Itaque dicant licet profani homines cum Poeta profano, magis ex voto quam ex sensu & reclamante illâ ipsâ conscientia quam gestant in pectore testem,

*Esse aliquos manes & subterranea regna,
Et contum & Stygio ranas in gurgite nigras,*

B b b b b 2

Atque

*Atque unâ transire vadum tot millia cymbâ:
Nec pueri credunt nisi qui nondum are lavantur ;
manebit tamen illud verissimum ,
An dubium est habitare Deum sub pectore nostro
In cælumque redire animas cæloque venire ?*

Num: 2. CORPORUM RESURRECTIO contrà eosdem probatur
Iob: XIX, 26. *Rursum circumdabor pelle meâ , &c.* Ezech: XXXVII, 3. *de ossibus
avidis , &c.* Ioh: V, 28. *Omnes qui in monumentis sunt , audient vocem filij Dei , &
qui audierint vivent.* Matth: XXIV, 31. *Mittet angelos suos cum tubâ , &c.* 1. Thess:
IV, 15. *Mortui qui in Christo sunt , resurgent , &c.* Apoc: XX, 13. *Mare dedit mor-
tuos suos , &c.* Et plurimis argumentis eandem probat Apostolus 1. Cor:
XV, Et nonne constat, toties mortuos ad vitam revocatos ? *Filium vidue
Sareptanae per Eliam , 3 . Reg: XVII, 22. filium Sunamitidis per Elisæum , 4. Reg:
IV, 35. & alium solo ossum Elisæi contactu , c. XIIII, 21. & solo iussu Christi
filiam Iairi , Marc: V, 42. filium vidue Naim , Luc: VII, 15. & Lazarum qua-
triduanum. Ioh: XI, 44. Tabitham in Ioppe à Petro , Act: IX, 40. & ali-
um adolescentem à Paulo , c. XX, 9. Et multa corpora sanctorum qui dormierant sur-
rexerunt , & exeuntes de monumentis post resurrectionem Christi , venerunt in sanctam
ciuitatem & apparuerunt multis* Matth: XXVII, 52.

CENSURA. *Corporum resurrectio*) Etsi ea videatur ultrò
colligi & efflorescere ex capite præcedenti, (quanquam illam conne-
xionem philosophi non viderint, unde Stoici & Epicuræi Athenien-
ses. naso Paulum suspendebant adunco, quod Ἰησοῦς καὶ τὴν ἀνά-
στασιν ipsis annunciaret Act: XVII, 18. videreturque de dijs peregrinis
eo ipso sermonem facere, quare etiam raptus fuit ad Areopagum) at-
tamen non male fecit Jesuita quod paucis illud ipsum caput saltem
quoad τὸ ὄτι voluerit. comprobare, quo veritas religionis Christia-
næ maneat in vado, & eorum ora obturentur qui illi audent ob-
streperere. Interea non opus illi erat tot loca coacervare, cum hic fi-
dei nostræ articulus in dubium nequeat vocari ab ijs qui in Scriptura-
rum autoritate & documentis acquiescere voluerint. Possibilitas
illius demonstratur omnibus ijs exemplis resurrectionis particula-
ris, quæ hîc collegit tum ex Veteri tum ex Novo Testamento; in-
ter quæ hoc est discriminis quod cum cæteri omnes resurrexerint ite-
rum mori-

rum morituri, illi soli quorum fit mentio Matt: xxvii, 52. 53. resurrexisse videantur ad gloriam æternam, Christum in suo triumpho quadantenus comitaturi, ut cives olim ab Imperatore liberati ejus currum triumphalem pileati comitabantur; quod etiam apud Tirinum *ibi*, qui & ad illos accedit, senserunt Origenes, Epiphanius, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Hieronymus, Anselmus & reliqui pœnè omnes. Quod si illa exempla utpote ex nostris Scripturis desumpta, Philosophus mundi, animal gloriæ, respuerit, ijs poterit urgeri quæ apud ipsosmet Philosophos Ethnicos reperiuntur. Nam Plato *lib. 10. de Rep.* Erj Armenij sive Pamphylij militis commemorat exemplum, qui, ut habet Macrobius *lib. 1. in Somm. Scip. cap. 1. cum vulneribus in prælio acceptis vitam effudisse visus, duodecimo demum die inter cæteros una interemptos ultimo esset honorandus igne, subito seu recepta anima seu retenta, quicquid emensis inter utramque vitam diebus egerat viderat - ve tanquam publicum professus indicium humano generi nuntiavit.* Meminit hujus historiæ Valerius Maximus *lib. 1. cap. 8. exemplo extern. 1.* Item Plutarchus *Sympos. ix. 5.* Platonis quoque testimonium retulit Eusebius *preparat. Euangel. lib. 11. c. 35.* Alia exempla ex Heracleide Pontico, Aristæo, Herodoto, Plinio, Plutarcho & alijs commemorat & fusiùs explicat Grotius *lib. 2. de Verit. Rel. Christ. cap. 7. & in notis suis ad eum locum.* Quæ exempla sive vera sint sive falsa, demonstrant viros sapientes Ethnicorum non duxisse simpliciter impossibilem mortuorum reviviscentiam sive restitutionem ad vitam: Qui enim primum hominem ex luto creavit, eum iterum ex suis cineribus potest excitare. Et eum aurifices possint in ære Corinthiaco metalla sæcernere, Deo non erit difficile in die judicij singulorum cineres & ossa separare, ut cuique restituat quod suum fuerit. Æquum enim est ut corpus quod cum anima peccavit etiam præmij vel pœnæ fiat consors cum illa; Nec aliter fierent pij conformes Christo, qui prior morte devictâ resurrexit ad gloriam. Futuritionem vero nostræ resurrectionis, quam Judæi perperam ad homines suæ gentis restringere videntur, probant omnia illa testimonia Veteris & Novi Testamenti quæ hic per saturam Tirinus retulit, quibus addi possent insuper ex Veteri ea omnia quæ fusiùs enotavit Menasseh

Ben Israel Judæus *lib. 1. de la Resurr. cap. 1. 2. & 3.* quæ quomodo quæ-
 drent Judaicæ & Pythagoricæ metempsychosi sive animarum de corpo-
 re in corpus transmigrationi, ipse viderit: Saltem nequit esse univer-
 salis resurrectio juxta hanc doctrinam, quia sic tandem multo plures
 deprehenderentur homines vixisse, quam animæ rationales extiterint;
 siquidem unica anima plura successivè corpora informare debuerit.
 Sed tamen hic recutitus surget in judicium contra Socinianos & eos
 condemnabit, quod ex Mose & Prophetis luculenter probaverit re-
 surrectionem mortuorum, quam impuri isti hæretici statuunt nusquam
 expressè in Veteri Testamento commemorari, ut omni ope demon-
 strare conatur Volkelius *lib. 3. de Relig. Christ. cap. 11.* Quasi frustra
 Christus dixerit Sadducæis eam negantibus, ideo illos errare quod
 nescirent Scripturas & virtutem Dei Marc: xii, 24. aut non satis
 expressa & evidens fuerit probatio quam ipse tunc protulit ex Mose
 Exod: xii, 6. cujus vim supra annotavimus: Si nihil expressè huc fa-
 ciens extabat in sacris literis, non potuit ignorantiz sacrarum li-
 terarum adscribi Sadducæorum error, inò nec talis error potuit esse
 in illis culpabilis; cum de mysterijs rationis humanæ captum *superan-*
tibus nemo amplius credere teneatur quam sibi in verbo Dei *revela-*
tum fuerit. Ecquid quæso magis expressum protestatione Jobi xix,
 25. 26. 27. quâ ita statuit novissimum super terram suam Redempto-
 rem constiturum, ut se evigilante etiam postquam factus fuerit ver-
 mibus esca, sit ejus beneficio Deum in sua carne visurus & potitu-
 rus cœlesti gaudio? Quamvis enim Menasseh Ben Israel *V. S. c. 3.*
 contentus xxv. alijs testimonijs ante à se citatis, neget hunc Jobi
 locum ab ullo Judæorum intelligi de resurrectione, tamen non im-
 merito dixit Hieronymus *ad Pamm. de error. Iob. Hieros.* Nullus tam
apertè post Christum quam iste ante Christum de resurrectione loquitur; de qua
 etiam eundem locum & Paraphrastes Chaldæus & interpretes Ale-
 xandrini intellexerunt, ut in illius doctis vindicijs ostensum à Coc-
 cejo *in Iobum pag. 276.* Quid expressius Ezechiele xxxvii, 3. 11. 12.
 liberationem Israelitarum sub imagine resurrectionis sibi *visæ* eo
 potiori jure comprobante, quod de illa ideo dubitabant Israelitz quia
 & hanc non videbantur satis firmiter credere? Annon ejusdem effi-
 caciz est

cacia est quod continetur Es: xxvi, 19. Psal. xvii, 15. Osee vi, 2. ubi disertissima sit resurrectionis ex pulvere mentio quam sequetur bonorum foelicitas & gloria? Sed omnem cavillandi ansam istis tenebrionibus præripit Daniel xii, 2. qui resurrectionem mortuorum ex pulvere, aliorum quidem ad vitam æternam, aliorum vero ad opprobrium & contemptum æternum, ita graphicè describit ut ejus quasi verba usurpare Christus voluerit cum eadem de re loquutus est Joh: v, 29. Nec aliunde quam ex Socinianis, imò ut palam agnoscit, ex Porphyrio Religione Christianæ inimico, Hugo Grotius conatur tenebras illi luci offundere & de temporali liberatione Judæorum captivorum atque humi in pulvere jacentium, luculentissimum vaticinium explicare; Quasi vero liberatorum ex Israël alij ad vitam, ad contemptum alij liberari censendi fuerint. Patebit autem juxta observationem Amplissimi Launæi *ad eum Danielis locum*, quonam spectent hæc verba, si particula conjunctiva *Et* causaliter pro *nam* initio illius commatis sumatur, atque sic piorum animi contra persecutionem Antiochi ad perseverantiam & mortem alacriter subeundam firmentur, hac ratione quod perseverantibus ad mortem, aut metu mortis prævaricantibus in Dei scedere, sua tandem vel corona vel pœna rependatur in resurrectione mortuorum. Nec debet esse Volkelio & Grotio vocula *multi* in petram scandali; ut negent ibi agi de resurrectione quæ futura sit omnium non multorum: nam præterea quod à nonnullis observatum vocem illam multorum sæpè potiùs extensivè sumendam quam restrictivè, & omnes absolutè videatur denotare Rom: v, 19. ne cavilletur Volkelius textum habere *multos de ijs qui dormiunt*, non *multos dormientes*, præstat dicere vocem רבים quæ est in textu pro multitudine esse sumendam; ut dicatur multitudinem eorum qui in pulvere dormiunt, suo tempore excitatum iri à Domino. Quasi autem parum fuisset Socinianis negare fideles sub Veteri Testamento quicquam habuisse explorati de resurrectione mortuorum, etsi præter loca quæ jam enotavimus, fidem voluerit Deus facere suis hac in re varijs illis resurrectionis exemplis quæ Tirino hîc commemorantur, ulterius progrediuntur. Nam i. non aliam videntur admittere resurrectionem quam justorum; cum tamen vivi & mortui sint judican-
di.

di à Christo & alij à dextris alij à sinistris ipsius collocandi Matth: xv, 32. et disertè Christus loquatur Joh: v, 29. de resurrecturis alijs ad vitam alijs ad condemnationem, unde & Deo tribuitur potestas & corpus & animam projiciendi in gehennam Matt: x, 28. Omnium quoque resurrectio & iudicium sic describitur Apoc: xx, 12. ut ex illis qui resurrexerint sint conjiciendi in stagnum ignis & sulphuris omnes ij quorum nomina scripta non fuerint in libro vitæ ibid. 15. Et satis apparet ex Marci ix, 44. 46. 48. quod desumptum est ex Esajæ Lxvi, 24. impiorum mortem æternam pœnam futuram non damni tantum sed etiam sensus, quò spectat quoque locus Matth: xxv, 46. licet in contrarium ex obliquo nitatur Volkelius *lib. 3. de Relig. cap. 33.* Nec est quod dicant ergo impios non morituros, sed victuros in æternum: Nam eorum pœna erit viva mors, nihilque proderit ipsis vita quam recipient, nisi ut se sentiant mori. 2. Negant eadem illa corpora quibus nunc circumvestimur resurrectura in die iudicij; In eo multus est Volkelius *lib. 3. de Relig. t. 35.* Cum tamen credamus resurrectionem hujus carnis juxta symbolum Nicenum & hoc corruptibile debeat incorruptibilitatem induere 1. Cor: xv, 53. & quisque in suo corpore sit relaturus quod fecerit boni vel mali 2. Cor: v, 10. Nec aliter satisfaceret æquissimæ justitiæ divinæ, juxta quam ea corpora quæ crucem Christi sustinuerunt in terra debent coronari in cœlis & fieri isthic Tempa Dei per gloriam postquam hic fuerint Tempa ipsius per gratiam 1. Cor. vi, 15. 19. Neque aliàs conformes fieremus Christo in resurrectione, contra dictum Pauli Philipp. III, 21. cum ille in sua idem ex sepulchro retulerit corpus quod tumulatum fuerat, in quo & ascendit in cœlos, & inde descensus est ad iudicium universi; Hinc Job confidebat se in sua carne visurum Job. xix, 27. Gloriam quidem Christus nostris dabit corporibus, illis tamen non auferet naturam; qualitate mutabuntur ut fiant spiritualia & à spiritu Dei plenè regantur, non vero essentiâ desinant esse corporeæ naturæ: nec aliter different à se ipsis qualia nunc sunt, quam prout stella stellarum lumine superat & gloriâ. Simile Pauli 1. Cor: xv, 31. 38. à grano quod nudum feritur id, tantum notat quod altera resurrectura sint nostra corpora non

alia:

alia : Nec posset hoc corpus se habere instar seminis ad illud quod tunc recipiemus, si diversæ planè sint essentiæ & naturæ: Etiam in morte Christi hoc granum frumenti ferebatur Joh: XII, 24. nec tamen aliud essentiâ vel numero corpus recepit in resurrectione quam quod ceciderat. Ventrem & escas Deus abolebit 1. Cor: VI, 13. non quoad esse sed quoad usum, quoniam filii resurrectionis erunt hæcenus similes angelis, quod neque nuptiis egebunt ad conservationem speciei, neque cibis ad conservationem individui Matth: XXII, 30. Denique caro & sanguis non possidebunt regnum cælorum 1. Cor: XV, 50. quia videlicet nec cælo potiemur nisi deserimus vivere secundum desideria carnis & sanguinis, ut exponit Augustinus *Epist. 146. qua est ad Consentium*, nec corpus quale nunc est mortale, infirmum & caducum, quod circumferimus in hac vita, potest cælum subire antequam corruptibilitatem suam deposuerit, prout explicant Theodoretus & Theophylactus. Cæterum tamen caro substantialiter debet esse quod resurget, etsi non ampliùs caro infirma, siquidem vera sit & certa omnium Christianorum fides de resurrectione carnis & vita æterna.

Num: 3. De extremo & UNIVERSALI IUDICIO habes Dan: VII, 9. Ioël III, 2. Matth: XXIV, 30. & c. XXV, 31. 1. Theff. IV, 15. Rom: XIV, 9. & Phil: II, 10. denique Apoc: XX, 4. & c. Sap; V, 1. & c.

CENSURA. *De extremo & universali*) Ut Scripturæ sacræ hoc iudicium certo futurum prædicant, ita evidens ratio exigit vel à perditissimis impiorum ut illi subscribant veritati; cum nitatur iustitiâ Dei & ejus judiciariâ potestate quam nec deferere nec ab dicare potest. Illius quoque diei mentio aliqua pervaserat olim ad Ethnicos, unde illud Ovidii *Metam. 1.*

Esse quoque in fatiis remiscitur affore tempus

Quo mare quo tellus correptaque regia cæli

Ardeat & mundi moles operosa laboret.

Ut mirum non sit quod Fœlix homo Ethnicus auditâ Pauli dissertatione de temperantia & iustitia & futuro iudicio planè contremuerit Act:

CCCCC

XXIV, 25.

xxiv, 25. Utin varias quaestiones quæ hic movent Theologi Pontificii me immergam nihil attinet, quandoquidem earum nullam tangat hic Tirinus: Id solum moneo doctrinæ huic de iudicio universalis repugnare ipsos adversarios, qui, ut suo loco visum, isti iudicio sisti nolumus eos infantes quos absque Baptismo mortuos Limbo adjudicant. Inter loca etiam quæ Tirinus hic congeffit, nihil facit ad rem quod adfertur ex Philonis Sapientia v, 1. ubi tantum comparatio instituitur inter pios & impios Dei respectu. Ipsemet similiter locum Apoc: xx, 4. interpretatur non de iudicio universalis, sed de gloria & felicitate martyrum per tyrannos extinctorum *incipiendo, ab Apostolis & Discipulis Christi usque ad ultimos heroes qui per Antichristum erant occidendi. Horum enim omnium anima etsi in terris despecta & quasi una cum corporibus sepulta & oblivioni tradita sint, coram Deo tamen perpetuo vixerunt, non otiosa, vel dormientes, vel in antris quibusdam delitescentes, sed palam & in oculis totius cælestis curia jam inde à martyrio suo sederunt cum Abrahamis & una cum Christo regnaverunt; licet tamen Ecclesiæ militanti non præfuerint, ut ibidem nosse imaginatur: Nam præesse Ecclesiæ militanti solius est Christi, ceu unici ejus capitis tum influentis tum dirigentis. Neque ad iudicium universale præcisè spectat locus Phil: 11, 10. cum jam ab eo tempore quo omnium potestas data est Christo in cælo & in terrâ Matth: xxviii, 18. etiam flectatur illi omne genu: Et cum Tirinus ad Phil: 11, 10. trahat id Pauli dictum ad homines qui degunt in terris, ad angelos qui in cælo, ad eos qui sunt in limbo & purgatorio, nequit eo ipso intelligi de iudicio universalis, cui incolæ limbi non sistentur & quo purgatorium vacuum fiet & desinet esse. Imò nec facit expressè ad iudicium universale dictum Pauli Rom: xiv, 9. quandoquidem de eo agit dominio, cujus Tirino *ibi iudice, exercitium plenum statim post mortem accepit, & quod obtinet jure redemptionis suo sanguine in omnes pios, sive adhuc superstites sive jam ante mortuos. Quinetiam non debet necessariò huc trahi dictum Joëlis 111, 2. quod de particularibus Dei iudiciis exercendis in hostes suæ Ecclesiæ posset intelligi. Sed quamvis ibi expressè ageretur de iudicio universalis, non tamen inde certò sequeretur prope Hierosolymas & in loco qui dicitur vallis Josaphati, iudicium**

dicium universale esse celebrandum, cum sermo sit allegoricus, significans quod sicut eo loco in Hierosolymorum conspectu tempore Josaphati fusi fugatique sunt à se mutuo hostes Israelitarum & maxima clade affecti, ipsismet Israelitis cessantibus & solum ad prædam convenientibus 2. Chron: xx. per totum, ita etiam Christus esset olim in conspectu suæ Ecclesiæ, ipsamet quiescens, eam ab omnibus suis inimicis liberaturus, eorumque spolia illi distributurus & solemniter perditurus omnes operarios iniquitatis; ut hinc nihil habeatur certi de loco ultimi judicii, & tam ineptiant Pontificii illum ex isto vaticinio Joëlis definientes, quam serio insaniverunt nuperi illi Independentes in Anglia, qui sese ingerentes in ea quæ non viderunt ac tempus & locum ultimi judicii audaculè determinantes, cœperunt res suas convalescere & iter in Judæam meditari, quò primi omnium occurrerent Christo descendenti in convallem Josaphati ad ultimum judicium; non animadvertentes quod talibus in occursum sponsi procedentibus antequam significetur eum prodire, possit illud applicari, *Non amo nimium diligemus*. Properabat proculdubio Timæus ad finem sui Indicis, cum in tanta sylva locorum Scripturæ de extremo judicio agentium non adhibuit delectum prudentiorem eorum quæ eo maximè & magis directè faciebant. Nobis vero sufficiat hanc materiam finire verbis Hieronymi ad Helioderum; *Veniet dies illa veniet in qua corruptum hoc & mortale induat incorruptionem & immortalitatem: Beatus ille servus quem inveniet Dominus vigilantem; tunc ad vocem tube pavebit terra cum populis, & tu gaudebis. Iudicaturus Domino lugubre mundus immugiet & tribus ad tribum pectora ferient: Potentissimi quondam reges nuda latere palpabunt. Exhibebitur cum prole sua Venus; tunc ignitus Iupiter adducetur & cum suis stultus Plato discipulis; Aristoteli argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus & pauper exultabis & dices, Ecce crucifixus meus, ecce iudex qui involutus pannis in præsepio vagiit; hic est operarij & quæstuaria filius; hic qui matris gestatus sumus Deus homo fugit in Egyptum; hic vestitus coccoino; hic sentibus coronatus; hic magus, demonium habens & Samaritanos. Carne manus Judææ quas fixeras, carne laurus Romane quod foderas, videta corpus an idem sit quod dicobatis clam nocte sustulisse discipulos.*

NUM. 4. De PARTICULARI cujusque IUDICIO, quod in ipso loco mortis statim atque anima separata est à corpore, dum adhuc corpori præsens assistit, exercetur (Eccl: XI, 29. *In fine hominis denudatio operum ejus,*) figuram habes Zach: III, 1. exemplum autem Luc: XVI, 22. *Mortuus est dives & sepultus in inferno.* Poena autem non irrogatur ante latam sententiam. Porro omnes judicari à Christo non est dubium, cum ipse *constitutus sit à Deo iudex vivorum & mortuorum*, Act: X, 42. & *Pater omne iudicium dedit Filio*, Joh: V, 22. Christus tamen verisimilius exercet iudicium hoc per *angelos*, ut dixi Zach: III, 1.

CENSURA. De *particulari cuiusque iudicio*) Verè dictum ab Apostolo Heb: IX, 29. omnibus hominibus statutum esse semel mori & postea sequi iudicium. Observant enim viri docti & nominatim Jacobus Cappellus *ad eum Pauli locum*, Macedonas mortem appellasse *θάνατον* teste Plutarcho *de Poëtis audiendis*, ab Hebræo מן quod iudicium significat, quia in morte cuique suum pronuntiatur irrevocabile iudicium, quod demum promulgabitur coram omnibus in consummatione sæculi: Sentiunt anima se ad illud Dei iudicium citari in morte, unde illi agones, illæ anxietates, quibus tunc premitur conscientia, nisi eam Christus soletur Spiritu adoptionis, & ita respergat sanguine suo ut statuatur nihil sibi à destructore metuendum. Anxietatum illarum specimen Adrianus Cæsar exhibuit illà suâ cycneâ cantione quam refert Spartianus:

*Animula vagula, blandula,
Hospes comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut soles dabis jocos?*

Et quia mors est momentum ex quo pendet æternitas vel præmiorum & gaudii, vel pœnarum & doloris, (nam quocumque ceciderit arbor sive ad austrum sive ad aquilonem ibi manet Eccles: XI, 3.) hinc fit teste Platone *de Rep. lib. 1.* quod *ἡμετέραν τις ἐγγυς ἢ τὴν οἰοῦμαι τελιωτέσθαι, εἰς ἐγγύτητά μιν φόβος καὶ φροντίς, ἀλλ' ἂν ἐν τῷ πρόσθιν ἐκ εἰσῆς. Cuius jam prope est ut quis moriturum se putet, tunc metus eum ac sollicitudo subit, de quibus ante non instituerat cogitare;* Ut valde conducatur facere dum vivimus

vivimus quod vellemus factum cum moriemur. Interea hic paucula circa nostrum Tirinum veniunt annotanda. 1. Nimis audacter definit hoc judicium exerceri in ipso loco mortis statim atque anima separata est à corpore & dum adhuc corpori præfens assistit. Si enim adversariorum legendis attenderemus, diceremus sisti Deo animas morientium in cælo, atque ibi discuti earum causam & sententiam tandem ferri vel vitæ vel mortis. Verumenimvero non debemus hic imaginari processum aliquem judiciale per eas formalitates quæ servantur in foro humano; cum hoc omne judicium particulare in executione consistat, eo quod anima statim ac separatur à corpore suo, vel per Angelos transfertur in sinum Abrahæ, vel per dæmonas rapitur ad gehennam, uti liquet ex parabola Lazari & Epulonis Luc: xvi, 22. Etenim ut qui credit in Christum non veniet in judicium Joh: v, 24. sic qui non credit jam judicatus est & ira Dei manet super ipsum Joh: iii, 18. 36. Quare ut jam antequam separetur à corpore anima pia aliquem habet per Spiritum adoptionis gustum & sensum instantis gloriæ, sic vice versa pœna impiorum incipit ante mortem illis conscientiæ horroribus & torminibus quæ sunt animæ peccatrici præludia supplicij ad quod illicò est rapienda. 11. In loco Syracidis Apocryphi parum est falis; Sic habet textus originalis, *κακωσις ὧρας ἐπιλησμονην ποιεῖ τρυφῆς καὶ συντέλειαν ἀνθρώπου ἀποκάλυψις ἔργων αὐτοῦ*: quid enim hoc sibi velit quod revelatio operum hominis con summationem ejus faciat, haud facile est assequi, & multum abest hoc dictum à Latinâ versione, *in fine hominis demutatio operum ejus*. 111. Locus Zachariæ iii, 1. nonnisi violenter huc potest trahi; cum illa visio partim denotet Dei cum Ecclesia sua reconciliationem per Christum remissis ei suis peccatis, non obstantibus Satanz in contrarium conatibus, partim contineat mysticam significationem Jesu Christi summi nostri Sacerdotis comparentis coram Deo pro nobis, & reatum nostrum ac Satanz conatus & mortis sustinentis in cruce, & peractâ propitiatione nostrâ eoque devicto qui habebat imperium mortis nempe Diabolo Heb: ii, 14. gloriâ & honore præ Angelis coronati. 1v. Particularis quidem judicij exemplum proponitur Luc: xvi, 22. Sed ibi V. V. perperam legit quod Epulo fuerit sepultus in inferno; cum ha-

beat textus Græcus quod sit mortuus & sepultus, καὶ ἐν τῷ αἵματι τῆς ὀφθαλμῶν αὐτῆ ὑπαρχῶν ἐν βασάνοις &c. Consentit Syrus interpres & agnoscente Emanuele Sà ita quoque legit Augustinus *lib. 12. de Gen: cap. 33.* ut quæ de animæ istius sepultura in inferno Tirinus monet sint planè ἀπορροδιόνυσα. v. Etiam hoc particulare iudicium doctrinam purgatorii evertit, cum nequeat esse nisi cum dæmonibus in inferno qui non regnat cum Christo in cælo: Iudicium hoc est peremptorium, vel absolutionis & receptionis in cælum, vel condemnationis & projectionis in infernum; nulli sententiæ dilatoricæ vel interlocutoricæ locus est, quâ animæ tantisper mittantur in purgatorium.

VI. Iudiciaria hîc potestas uni Christo competit ex locis Act: x, 42. Joh: v, 22. quos benè citat Tirinus; nec eam potestatem Christus delegat Angelis, cum sibi ceu Mediatori ex officio speciali conveniat incommunicabiliter; licet Angelorum ministerio utatur ad iudiciorum suorum executionem Heb: 1, 7. Quapropter metæ nugæ sunt quæ habet Tirinus ad Zach: III, 1. *Omnes Ecclesiæ causas adeoque & animarum iudicium immediatè à morte cuiusque hominis S. Michaeli tanquam iudici delegatas esse à Deo.* Nam Angelus ille Jehovæ coram quo stit Jehoschuah quasi ei ministraturus apud Zachariam, est Angelus Creator & Jehova, nempe Christus summus ille noster Michaël, qui Ecclesiæ causam, cujus personam Jehoschuah sustinebat, adversus Satanam agit coram Deo; ut hic Michaëlem Angelum creatum imaginari eo minus liceat quod soli Christo Angelo foederis conveniat esse simul advocato & iudici Ecclesiæ; Neque hoc somnium de sancto Michaelē delegato ad iudicium particulare omnium, (quod Tirinus non certi ori inædificat fundamento quam revelationis factæ B. Johanni de la Cruz, quæ non ita pridem desijt esse in vivis, necdum quod sciam Canonizata est,) ita constans est adversariis, quin apud eundem Tirinum Bartholomæus Sibylla *in speculo parogr. quæst. decade 1. cap. 2. quæst. 6. velit particulare iudicium per Angelum cuiusque custodem exerceri.* Cum tamen Angeli non iudices sint sed apparitores & lictores summi iudicis, qui ejus sententiam statim mandant executioni. Sed non aliunde potest probari doctrina hæc Tirini quam ex *Gorgia Platonis* apud quem Rhadamantho & Æaco tribuitur iudicium animarum, spectatore

ſpectatore cum ſceptro aũreo Minoe qui ſolus ſedet, apud Eufe-
bium *de prepar. Evang. lib. 12. cap. 2.* At mirum eſt Pontificis Ange-
lis tribuere judiciariam poteſtatem in homines, cum tamen Apoſto-
lus Sanctorum & fidelium id annumeret prærogativis 1. Cor: vi, 3.
quod ipſos Angelos ſint judicaturi, *bonos quidem* (ut ibi Tirinus
interpretatur) *judicio approbationis, laudis & glorificationis: malos vero*
judicio exprobrationis & condemnationis; idque proculdubio in Chriſto ca-
pite ſuo & per ipſum; qui *unicum eſt omnium caput, princeps & judex*, ut
ibidem monet Tirinus.

CONTROVERſIA XXIX.

De

PURGATORIO ET INFERNŌ.

Reſpondente

LAMBERTO ZACHÆO SCHYRINGA,
Leovard-Friſio.

Num: **P**URGATORIUM vocamus locum in quo animæ juſto-
rum quæ in hâc vitâ non plenè purgatæ ſunt, poſt hanc
vitam purgantur & fatiſpaciuntur. Cum enim certum
ſit, eſſe quædam peccata tantum venialia, & ſolâ
temporali pœnâ digna (ut vidimus cont. XII. n. 3.)
quibus cum omnes obnoxij ſimus (ibidem, & controv.
xiv. n. 18.) ſæpè contingit, adhuc obnoxios ex hâc vitâ demigrare, vel
ſubitò abripi: Cùm item certum ſit, remiſſis peccatis, non ſemper om-
nem pœnam temporalem ſtatim remitti (contr. XXIII. n. 8.) nec pro hâc
omnes in hâc vitâ ſemper plenè fatiſfacere; ſequitur debere in alterâ
vitâ locum eſſe in quo ab his peccatorum ac pœnarum debitis expurgan-
tur. Nequè enim congruum eſt divinæ juſtitiz ut aliquid *coinquatum*, et-
ſi minimâ labeculâ, intret regnum cœlorum, Apoc: XXI, 27. Vel aliquis
obnoxius

obnoxius alicui debito exeat é carcere, donec solverit *novissimum quadrantem*, Matth: v, 26. multò minus congruit divinæ misericordiæ, ut ejusmodi minutia plectantur pœnis æternis. Luc: xii, 48. *Qui non cognovit, &c. & fecit digna plégis, vapulabit paucis.* Igitur statuendus locus in quo temporaneis pœnis talis post hanc vitam plectantur & deleantur.

Et colligitur ex receptâ Ecclesiæ consuetudine orandi pro mortuis; Tob: iv, 18. *Panem tuum & vinum super sepulcrum justi conlittue, &c. & 2. Mach: xii, 43. Iudas Machabæus duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolyman offerri pro peccatis mortuorum sacrificium. Et additur vers. 46. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* 1. Cor: xv, 29. *Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis?* Et cur latro in cruce orabat Luc: xxiii, 42. *Memento mei cum veneris in regnum tuum?* Nonné Matth: xii, 32. insinuat Christus, quædam peccata remitti in altero seculo? Et quando alioqui vel ubi reddemus *novissimum quadrantem?* Matth: v, 26. Nonné S. Paulus disserit affirmat 1. Cor: iiii, 13. *in die domini arsurus igni quorundam opera, & ipsos detrimentum passuros, salvandos tamen, sed quasi per ignem.*

CENSURA. *Purgatorium vocamus locum*) Platonem, Ethnicum Philosophum, primum fuisse Architectum istius commentitij Purgatorij, liquet ex illius *Phadone & Gorgia.* Triplex enim ei hominum genus; Optimis & sanctis Elysios campos assignat; desperatè malis, quos vocat *ἀνιάρως ἔχοντες*, Tartarum; mediocribus pœnas purgatorias. Istorum ergo animæ ubi solutæ sunt suis corporibus, juxta Platonem & Virgilium ex eo *Æneid. 6.*

Exercetur pœnis, veterumquè malorum

Supplicia expendunt; alia panduntur inanes . . .

Suspensa ad ventos, alijs sub gurgite vasto

Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Nofter Plestæus lib. 3. de *Sacrif. Missæ cap. 8.* putat in Alcorano *Azora-ra 10.* purgatorium reperiri. Sed ibi Mahometes differit de *Araf,* quem medium facit locum inter paradysum & infernum, in quo sunt relegandi illi, qui nec plus boni fecerint quàm mali, sic enim paradyfus eis aperiretur, nec plus mali quàm boni, sic enim detruderentur in infernum: at in eo loco, quem nuperus interpres Gallus Alcorani Ryerius *Limbo* appellat, præter quod excluduntur Paradyso, nullam pœnam, nullumquè dolorem sentiunt. Quin idem Ryerius, qui præfixit Alcorano compendium eorum quæ Mahometani

hometani

hometani credunt, hoc inter cætera habet; Deum precantur pro defunctis; suos invocant sanctos, quorum magnam habent Legendam; at tamen Purgatorium non credunt, & plurimi ex illis putant animas & corpora una manere in sepulchro usque ad diem judicij. Sed et si Mahometani eo accederent parum referret, imò si cum Mahometanis in superpondium adjungerentur & Judæi, uti eos in Pontificias partes pretrahit magno conatu Grotius *Annot. in Cassand. tit. de Sacrificio corporis & sang. Christi*. Cui tamen opponi possit Menasseh Ben Israel *probl. de Creat. 21.* ubi ex professo id sumit sibi probandum, quod præter duo illa loca præmij & pœna, quæ Paradysum vocat & Infernum, non sint ea quæ vulgò dicuntur *Limbus & Purgatorium*; maxime quoniam in sacris literis nullum vestigium eorum locorum reperire est, & quod *Gentiles qui loquuti sunt de præmio & pœna animarum, non plura posuere loca quàm Infernum & Paradysum, quorum hunc vocarunt campos Elysios, illum Tartarum*. An tamen bonâ fide agat recutitus valdè dubitem; si attendatur ad ea quæ de Judæis commemorat Buxtorfius *Synag. Iud. cap. 1. & 35.* debere filium per solidos undecim menses recitare pro patre ex purgatorio liberando præcatiunculam illam quæ ~~vrp~~ dicitur, sed impios ex sua gente per integros duodecim menses isthic hære, & qui paulò magis pij sunt citius egredi. Nec desunt etiam Judæis suæ apparitiones ac fabellæ Papisticis simillimæ ad hoc commentum stabiliendum, quavis illa quam ibi refert Buxtorfius ex Thalmude, de cujusdam anima occurrente R. Akibbæ cum grandiore fasce lignorum quàm equo vel asino imponi soleat, cujusmodi similem quotidie debebat in purgatorium deferre, ut eo propter sua peccata exureretur. Ut similia maginentur sibi homines qui Christi beneficia & redemptionem in ejus sanguine ignorant, minus mirum est; At Christi nomen professis & ab ipso edoctis id demum est admiratione dignum, quod equiora sæcula Ecclesiæ in Occidente tam avidè arripuerint & in eam suam converterint Platonicum illud dogma, quod hætenus Orientales & Græci constanter rejecerunt. Extat etiamnum hodie Nili Thessalonicensis Archiepiscopi liber *contra ignem purgatorium*, qui extat recusus ad calcem libri Nob. Salmasij *de Primatu*. Sic & Marcus Iphesinus in sua pro Græcis Apologia oblata Concilio Basiliensi Purgatorium

gatorium rejicit ostendens veteres patres Græcorum de eo nihil credidisse: & Rossensis contra Lutherum ad art. 18. *Depurgatorio* (inquit) *apud præcos illos nulla vel quam rarissima fœbat mentio; sed & Græcis ad hanc usquẽ diem non est creditum purgatorium.* Author *Tradit. Cathol. quæst.* 16. ex Alvaresio pertendit Abyssinos nec pro mortuis precari, nec credere purgatorium: Et revera cum sanguis Christi nos purget ab omni peccato, 1. Joh: 1, 7. imo fecerit per se ipsum purgationem peccatorum nostrorum Heb: 1, 3. id est, illa plenẽ expiaverit, quod nulla inera creatura poterat præstare, teste Tirino *ibi*, adeo ut nulla amplius superfit condemnatio iis qui sunt in Christo Jesu Rom: VIII, 1. Cum fideles confidant se dissoluto hoc corporis tabernaculo fore cum Domino & ædificium cœlestem consequuturos 1. Cor: 7, 1. 2. 3. 4. Phil: 1, 23. idquẽ *statim à morte*, ut Tirinus habet ad 2. Cor: 7, 1. Cum non sit cujuslibet fidelis conditio infra conditionem latronis cui in ipso mortis articulo dictum est à Christo, *Hodie mecum eris in Paradiso* Luc: XXI, 43. Cum beati pronuncientur quotquot in Domino moriuntur, quoniam quiescunt à laboribus suis Apoc: XIV, 13. quod ipse Tirinus *ibi* non de solo martyrio, sed etiam quocunquẽ alio mortis genere cum Beda, Primasio, Richardo & aliis censet exponendum: quod autem vult eos quiescere à laboribus suis quos in hac vita exalarunt, sed non ab iis quos debeant adhuc sustinere in purgatorio, vix ullam meretur responsonem; quoniam hîc ipsis gratissima illa quies promittitur de qua Heb: 12, 13. & quam Tirinus *ibidem* cœlestem, solidam & æternam interpretatur; nec requiescere censeri possent qui ex fumo hujus vitæ in ignem purgatorii incidissent; unde stylo Pontificio illa pars Ecclesiæ dicitur *κατ' ἐργον laborans in purgatorio*; imo eo quod quies hæc promissa illis qui in Domino moriuntur, opponatur fumo tormentorum quæ patiuntur impii, non nisi solida & æterna potest esse; Cum denique divina Scriptura duplicem tantum viam nobis proponat in hac vita Matth: VII, 13. duplicemquẽ exitum, vel ad gaudia cœlestia & sinum Abraham, vel ad tormenta gehennæ & ignem inferni Luc: XV, 22. Ultrò volunt insanire qui adhuc puerili credulitate doctrinæ de purgatorii terribilitatis assentiuntur. Absit ut viam emensis patria non concedatur; Absit ut fingat

ut fingatur Deus crudelior Busride, qui innocentium deleatur tormentis, & gravissimis exercent supplicii eos quibus tamen reconciliatus est per Christum, etsi nullam amplius habeant culpam correctione & emendatione dignam; Absit ut ea injustitiæ labes æquissimo judici aspergatur, quod duplicem pœnam pro eadem exigat culpa, & peccata in Christo sufficientissimè vindicata iterum severissimè puniat in purgatorio. Si quæ apud Veteres Ecclesiæ scriptores huc facientia Pontificii putent se videre, ea sanè vel de igne conflagrationis universi sunt intelligenda, ut de plerisque agnoscunt Bellarminus *lib. 2. de purg. cap. 1.* & fusiùs Sixtus Senensis *lib. 5. Bibl. Sanctæ annot. 170. 171. & 202.* Vel ex Platonicis desumpta proponuntur à suis authoribus non *δωγματικῶς* & assertivè tanquam exploratæ veritatis, sed conjecturaliter & *εἰρησικῶς*, ut videre est nominatim apud Augustinum *lib. 21. de civit. Dei cap. 26.* ubi disertè hac utitur formulâ, *Forssitan verum est: Videantur de eo Danxi annotationes ad cap. 67. Enchir. ad Laurent. §. 2.* & Forbesii *Instruct. Historico-Theol. lib. 13. cap. 7.* Vel ab hominibus hæreticis Montano, Tertulliano, Origene hausta fuerunt, ut idem Forbesius *ibid.* ostendit *cap. 2.* Ipsiusmet Augustini & aliorum Patrum contra purgatorium Pontificium testimonia plurima ex eodem Forbesio *ibid. cap. 6. & 8.* possunt repeti; Satis mihi esto ea proposuisse Patrum axiomata quibuscum purgatorium nequit consistere, ut videlicet; *Quod non sit ullibi ullus locus medius ut possit esse nisi cum Diabolo qui non est cum Christo*, ut ait Augustinus *lib. 1. de pecc. merit. & remis. cap. 28.* Tertium, inquit Author *Hypog. lib. 5. penitus ignoramus, imo nec esse in Scripturis invenimus. Quod quando isthinc excessum fuerit nullus jam sit penitentia locus & nullus satisfactionis effectus*, inquit Cyprianus contra Demetr. & Chrysostronus *hom. 2. de Lazaro, Cum hinc discesserimus non est in nobis situm penitere nequè commissa diluere*; similia habet Ambrosius *de Bono mortis cap. 2.* *Quod sub ipsa morte transeat ad immortalitatem*, ut habet Cyprianus contra Demetr. & *serm. de mortal.* Hoc enim est *cavearum tempus & luctarum & certaminum, illud coronarum & retributionum*, inquit Chrysostronus *hom. 5. in Genesim. & hom. 70. ad popal. Anshio.* agens de funerum deducendorum inter Christianos ritu suo tempore, *Quid ardentes queso lampades sibi volunt? Nonnè tanquam athletas*

eos comitiamur? Quid autem hymni? Nonne glorificamus Deum & illi gratias agimus quia jam defunctum coronavit, & de incertitudine sublatum penes se retinet? Quod denique exempto reatu (qui tollitur in Baptismo) eximitur etiam pœna, apud Tertullianum de bapt. & ita aboletur peccatum in remissione ut ne vestigium appareat, juxta Chrysostrum serm. 3. de penitentia. Generaliora mitto in quibus Christum purgatorium nostrum vocant, ejusque sanguini & misericordiae divinæ omnem peccatorum purgationem esse tribuendam profitentur. Imò si paulò penitiùs inquiremus in media per quæ hoc dogma tandem adolevit in Papatu, deprehenderemus non aliis suffultum fuisse tibicinibus quam Apparitionum, Somniorum & Revelationum, quam otiosi Monachi eò libentius fingebant quod ex illo igne sentirent fervere cacabos & ollas suarum culinarum. Qui vel *Legendam* quam vocant *auream* (*ferream* vel *plumbeam* judicibus *Vive* & *Cano* meliùs dixeris) inspicere voluerit, præsertim cap. 49. in vita S. Patricii, vel evoluat *Purgatorium S. Patricij* quod describit nobis Thomas Messinghamus in *Sanctis Hyberniæ*, habebit quod affatim rideat, ubi viderit visas quondam in purgatorio *animulas* alias frigeri in sartagine, alias veribus suffixas ad ignes affari, alias in rota uncinis ignitis suspensas circumvolvi, aliarum per serpentes & bufones viscera extrahi igneis aculeis, alias ignis torrentes & flumina super ponticulis ex glacie recens concretis, non sine ingenti liquationis formidine, ægrè superantes: Sexcenta ejusdem commatis extant apud Gregorium Dialogistam, Gregorium Turonensem, Petrum Damianum, & alios similes fabulones, ex quibus tamen non puduit Bellarminum demonstrativa argumenta fabricari in purgatorij gratiam *lib. 1. de purg. cap. 11.* Sed audiamus quid de Purgatorio noster Tiranus sit dicturus.

Post hanc vitam purgantur) At cum animæ illæ post mortem, utpote quæ stolam suam laverunt & dealbarunt in sanguine Christi Apoc. VII, 14. nullas amplius habeant sordes vel maculas, nihil quoque habent quod purgetur: Reatus enim pœnæ temporalis, quo adhuc dicuntur teneri, sordibus & maculis expurgandis annumerari non potest. Quod si tribulationes & calamitates quæ piis obveniunt in hac vita suo sensu statuuntur purgativæ, ideo tales sunt quia ipsorum emendationi

lationi interserviunt; suntquè illis pœnæ *medicinales* ad noxios humores quibus eorum animi laborant educendos; prout Augustinus ait *ib. 21. de civit. Dei cap. 13.* illis esse pœnas hujus vitæ purgatorias, non quibus affliguntur quorum vita vel non inde fit melior, vel potius inde fit peior, sed illis qui eis coerciti corriguntur: Sed cum animæ in purgatorio nullo amplius noxo ac vitioso humore graventur nec egeant emendatione quibus fiant meliores, (si enim possent emendari, utiquè etiam, juxta placita Pontificiorum, possent mereri, quod tamen de illis negant) anè nec pœnâ medicinali & purgatoriâ amplius egebunt. Ipsimet adversarij ita pœnas *medicinales* & purgatorias per consequens à satisfactoriis contradistinguunt, ut quæ satisfactionis ergo vel imponuntur vel perferuntur, *medicinales*, emendatoriæ ac purgatoriæ dici nequeant.

Et satis patiuntur) Aliud hoc est monstrum; Nam sæpè hoc sibi velle videntur Pontificii, animam in purgatorio satisfacere pro pœna temporali: Sed qui satis patitur ille non satisfacit pro pœna; eo quod juxta adversarios multum sit discriminis inter satisfactionem & satisfationem: Etenim secundum Coninck *p. 2. de Sac. disp. 10. dub. 1. n. 2. & dubio 4. n. 22.* & Puteanum *ad 3. Thomæ p. 3. de Satisf. quæst. 2. dubit. 2.* Fieri nequit ut aliquis satisfaciat pro pœnis temporalibus debitis peccatis suis, sustinendo in se hujusmodi pœnas, seu quod idem est satisfaciendo. In qua sententia Puteanus dicit est quoquè Paludanum *dist. 15. lib. 4. quæst. 1. art. 3. concl. 4.* Joannem Medinam *de Confess. quæst. 2.* Ledesinam *2. p. q. 13. art. 3. ad 2.* Et cum juxta Coninck, satisfactio pertineat ad justitiam commutativam, satisfactio ad distributivam, vel satisfactio non convenit animabus in purgatorio, vel eas satisfacere ore rotundo negandum est. Quod vero animæ illæ non satisfaciant pro suis pœnis, multa comprobant: Nam primò cum juxta Thomam & saniores Scholasticos non sit locus inter hominem & Deum justitiæ commutativæ, nec locus quoque erit apud Deum satisfactionibus hominum quæ ad justitiam commutativam dicuntur pertinere. Deinde cum juxta Coninck *V. S. n. 24.* Satisfactio nostra tendat ad perfectam reconciliationem cum Deo, & operetur suum effectum aliquo modo per modum meriti, adeoque debeat satisfaciens adhuc esse viator, nam sicut post hanc vitam

D d d d d 3

nullus

nullus est locus merito ita nec satisfactioni, eo ipso liquet nullam satisfactionem convenire animabus in purgatorio: Etenim cum sint in statu perfecto gratiæ, non possunt tendere ad perfectiorem cum Deo reconciliationem; Et cum desierint esse in via nec amplius mereri queant, nec etiam quibunt satisfacere; siquidem *ut post hanc vitam nullus est locus merito, ita nec satisfactioni*. Et confirmatur, inquit Coninck, *Quia aliàs cum anima existentes in purgatorio eliciant ferventissimos ac frequentissimos actus charitatis & contritionis, statim pro maximis penis satisfacerent, quod non fit*. Sed nequè satisfati censendæ sunt, tum quia Christus pro illis & nobis omnibus satis passus est; tum quia finguntur earum labores imminui satisfactionibus & operibus pœnalibus ac indulgentiis viventium: at satisfactiones unius pro alterius satisfatione venire nequeunt, & indulgentiæ ordinantur ad relaxationem non satisfationum sed satisfactionum; & siquid relaxaretur vel immineretur de pœna animarum in purgatorio, eo ipso satisfati desinerent; quoniam tunc minus paterentur quam ex ordine justitiæ distributiivæ pati debuissent. Cum ergo nec satisfacere ne satisfati queant animæ in purgatorio, non est cur tetro illi carceri diutiùs mancipentur.

Cum enim certum sit) Suo loco utrumque hoc commentum abundè refutavimus: Et sanè I. Omne peccatum suâ naturâ est mortale; quia stipendium peccati mors est Rom: VI, 23. II. Quæ peccata naturâ suâ sunt venialia, nullam pœnam merentur; nam ut idem actus veniam simul ex rei natura & pœnam aliquam mereatur, est contradictorium. III. Cum per Confessionem Sacramentalem, viaticum, & extremam unctionem, siquid debeant operari, sufficienter expurgetur quicquid restabat vel minimarum sordium in Pontificio moriente, saltèm ei purgatorium deberi nequit qui omnia sua Sacramenta in extremis susceperit; sed illis solum quibus non fuerit tantum otij. IV. Cum graviora remittantur fidelibus Christi merito & sanguine, non est quod imaginentur leviora ad pœnam reservari. V. Cum etiam culpæ remissio sit indemnitas & immunitas à pœna, frustra fingitur post remissam culpam partem adhuc aliquam pœnæ eluendam restare. VI. Si pœna temporalis quæ nos manet in purgatorio sit ejus ordinis pro qua omnes in hac vita semper plene

plenè satisfacere non possunt, videbitur eo ipso satisfactoria statui.

Sequitur debere in altera vita) Ex falsis & vitiosis præmissis inepta conclusio: nam id tantum posset colligi satisfaciendum ergo nobis restare in altera vita pro ijs vel debitis vel peccatis, pro quibus non sufficienter in hac vita potuimus aut voluimus satisfacere; At nulli satisfactioni locus est post hanc vitam. Deinde neque superfluit in hæcivè illis animabus ullæ sordes & maculæ peccatorum quæ debeant expurgari; Neque potest commodè dici is qui satisfatitur eo ipso vel expurgari vel expurgare pœnas sibi debitas: Nam pari ratione deberent esse purgatoriarum pœnarum damnatorum in inferno, ubi etiam satisfaciuntur; At Augustinus *lib. 21. de Civit. Dei cap. 13.* rejicit in eo Platoniorum sententiam quod pœnas omnes post mortem purgatorias non punitivas propriè facerent.

Neque enim congruum est) Misera est causa quæ meris congruitatibus nititur: Et si eo deveniatur longè minus congruum erit justitiæ divinæ pœnas illas exigere à creaturis merè innocentibus, pro quibus jam illi sufficienter fuerat satisfactum à Christo. Nec debent metuere Jesuitæ aliquid coinquinatum ingressurum in regnum cælorum si purgatorium negetur, cum sufficienter pij quilibet expurgentur ab omnibus suis inquinamentis sanguine Christi & Sanctificationis Spiritu 2. Cor: vi, 11. Et habemus nunc libertatem ingrediendi in sacrarium per sanguinem Jesu eâ viâ quam dedicavit nobis recentem & vivam per velum id est per carnem suam, inquit Paulus Heb: x, 19. 20. Adde quod illa elogia in Apocalypsi regno cælorum exclusiva (*quod inquinat & facit abominationem*) non cadant in eos qui nullum alium reatum habent quam culpæ venialis aut pœnæ temporalis, quandoquidem tales non desinunt esse & censeri, maxime stylo Pontificio, justii, perfecti & digni regno cælorum. Nec enim pœnæ temporalis reatus ulla ratione *κοινῆ* polluit vel inquinat hominem, nedum alios, nec censetur *βδελύγμα ποιῆσαι* qui tantum venialiter peccaverit.

Vel aliquis obnoxius) At si is vadem & expromissorem sufficientem nactus sit qui omnia illius debita plenè persolverit, ut factum à Christo

Christo pro nobis, carcerem amplius metuere non debet. Ibi autem nihil est pro purgatorio : Christus enim vult nos ad concordiam cum proximis hortari, ne iniquitate quâ eos premeremus ad Dei tribunal delatâ, meritas ideo pœnas referamus. Nec carcer iste debet sumi alternativè, ut fit à Tirino, *pro infernali si mortalis sit culpa, vel purgatorio si venialis*; Deus enim non est tam severus Rhadamantus ut statim conjiciat hominem in vincula & carcerem pro levi debito, si levia sunt dicenda illa quæ contrahuntur peccando contra ipsum. Nec duplicem habet carcerem, infernum & purgatorium, sed unicum, nempe illum cujus mentio fit 1. Pet: III, 19. Neque Christus intelligit alium carcerem quam eum in quem homo conjicietur ob sua debita, quæ nisi exactè & ad ultimum quadrantem persolverit, non est quod exitum vel liberationem speret. Nec diffitetur Bellarminus *lib. 1. de purg. cap. 7.* hunc carcerem esse infernum, sed diversas in eo fabricatur mansiones, alias pro damnatis, alias pro purgandis multò magis ex Judæorum somniis quam ex Scriptura; Augustinus, eodem Bellarmino fatente, id benè intelligit de pœnis æternis & gehennæ, adeoque monet illud *Donec* non significare certum tempus sed æternitatem, ut cum dicitur Joseph non cognovisse B. Virginem donec pareret filium suum primogenitum. Eadem est sententia Stellæ, Lyrani, Carthusiani, Toleti, Maldonati, Janfenij & plurimorum aliorum in communionem Pontificiam; & Stapletonus *in Antid.* ait paucissimos esse è suis qui hoc proferant testimonium pro purgatorio, agnoscitque non posse de eo intelligi nisi per quandam accommodationem, quæ quam parum accommodata sit res ipsa loquitur. Qui eum locum contulerit cum Matth: xviii, 34. sentiet non posse aliter intelligi quàm de pœnis inferni & æternis; Nam hic servus nequam ab herō irato traditur τοῖς βασανισταῖς ἕως ἢ ἀποδώ πᾶν τὸ οφειλόμενον αὐτῷ: Jam autem carceri mancipabantur jure Romano qui non erant solvendo, non ad purgationem aut solutionem debitorum, sed in pœnam non soluti, l. 1. Cod. *Qui bonis ced. poss.* & quemadmodum Tirinus observat *ad Matth: xviii, 34.* solebant jure Romano antiquo (cui etiam Judæi tempore Christi obstringebantur) debitorum à creditoribus in ergastulum compacti flagris sape & plumbatis excipi & alijs tormentis cruciari; mitius adhuc

adhuc quam quod lege XII. tabularum licebat creditoribus debitorum qui non erat solvendo in frustra concerpere. Atque ex his liquet carcerem hic intelligi à Christo non purgatorium sed merè pœnalem, ex quo nemo sit unquam egressurus, cum solvendo nemo sit eorum qui in illum conjiciuntur.

Multo minus congruit) Sed multo minus facit ad hanc rem hic locus Luc: XII, 48. Nam licet sint graviora peccata ejus qui novit heri voluntatem, quàm illius qui eam nescit, adeoque ille gravius in inferno sit puniendus, tamen non sunt ita leves censendæ hujus culpæ ut *minutis* annumerentur, quas plecti pœnis æternis iniquum sit: Nunquam aliàs fando audiveramus purgatorium pro illis esse qui non noverint voluntatem Dei & per consequens ab ejus fœdere planè alieni fuerint; Nos aliud hîc sibi vult Christus quam quod etiam ait Matt. XI, 21. 22. tolerabilius fore Tyro & Sidoni quam Chorazim & Bethsaidæ in die judicij. Unde Theophylactus *ibi*, *Sis qui nihil scit omnino dignus est plagis, quæ excusatio liberabit eos qui scienter delinquant, maximè si Doctores fuerint? Gravior est hæc condemnatio: Ignorantia juris non excusat à toto & absolutè, sed solum à tanto & comparatè ad alios. Tum si quis paucis & ad tempus tantum debeat vapulare, quo argumento evincetur id non fieri sufficienter in hac vita, sed post hanc vitam locum aliquem specialem extare eum in usum, similem ferricrepidinis insulis apud Plautum, ubi mortui boves vivos homines incurfant?*

Et colligitur ex recepta) Adjunxi meo *Exorcista* tractatum *Μαζορ*, sive *Dissertationem de superstitioso ritu precandi pro mortuis*, quâ fuse refutatur hæc instantia. Primum origo illarum precum est vitiosa ac destituta autoritate Scripturarum; Deus qui tot sacrificia sub lege constituerat, de nullis tamen præceperat quæ essent offerenda pro mortuis: Et cum Paulus I. Thess: IV, 13. quoad eos qui obdormierunt vetat nos contristari instar eorum qui spem non habent, satis testatur debere Christianos de eorum qui in Domino mortui fuerunt fœlicitate & salute securos esse: Nec enim eos amiserunt, sed præmiserunt, sicut Antiphanes Ethnicus dixit,

ὁ γὰρ τὴν θάσιν ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ἰδὼν

Eeeee

ἢ πᾶσι

ἢν πᾶσαν ἰλθεῖν ἐς ἀναγκαῖον ἔχον
 παραλυθᾶσαν.

Ipsimet Pagani hac opinione mortuos *μακάρους* vel *μακαρίδας* vocarunt; & David ubi jejuniis & precibus non potuit consequi ut filiolus suus convalesceret, Deo aliter disponente, statim eo mortuo lugere destitit, hac ratione quod ipse quidem esset abiturus post infantem, sed infans non esset reverfus ad se 2. Sam: xii, 23. Imo locum Salomonis Eccl: ix, 6. Lyranus sic interpretatur ut statuatur mortuos non habere partem in suffragijs qua vivi faciunt pro defunctis, quia non valent eis. Consuetudinem precandi pro mortuis ex parentationibus & justis Ethnicorum in Ecclesiam irrepsisse, agnoscit Polydorus Virgilius lib. 6. de Rerum inventoribus cap. 9. & 10. Et dum Bellarminus ipse paganorum exemplum urget ad hanc rem lib. 1. de purg. cap. 10. veram illius moris originem aperit. Ac sicut Tertullianus lib. de Cor. militis, agnoscit oblationes pro defunctis nullo Scripturarum testimonio niti, ita B. Rhennus ibi annotavit institutum hoc Ethnicum fuisse, & tandem à Concilio Nicæno abrogatum. Et sanè ut benè monet idem Rhennus *ibid.* opus erat olim multa Christianis indulgere, qui jam plerumque senes ex Paganismo ad nostram religionem convertebantur, difficulter ea relinquentes quibus per omnem vitam assueverant. Et non nisi per gradus eo deventum est: Primò enim quo alijs stimulus adderetur ad Martyrium cœptum fuit recitare publicè in cultu ordinario nomina Martyrum; deinde reliquis fidelibus indultum, ut ejusdem honoris fierent consortes; Constat utrumque ex Cypriano; De Martyribus sic loquitur *epist. 5. lib. 4. Sacrificia pro eis semper offerimus*; De alijs *epist. 9. lib. 1.* monet jam ante statutum fuisse ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, nec offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim (inquit) ad altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece (en quale sacrificium, qualesque preces pro mortuis) qui ab altari Sacerdotes ministros suos Levitas avocare voluit; Et ideo Victor cum contra formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam Geminium Faustinum Presbyterum ausus fuisset instituire, non est quo pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur. Ne quem verò offendat oblationum nomen; Nam præterea quod ritus erat Ethnicus, ut supra B.

pra B. Rhenanus monebat, istæ oblationes erant duntaxat eucharistica & in pauperum subsidium, quod constat ex veteribus Canonibus; quos retulit Gatianus *causa 13. q. 2.* quibus excommunicationis pœna denunciatur ijs qui oblationes defunctorum reddere noluerint, sive Clerici, sive Sæculares tantum illi fuerint. Equam quoque in eo officio conditionem fuisse aliorum ac Martyrum docet Chrysostomus *ad Act. 12. Offerunt pro Martyribus, & pro omnibus defunctis*; Illius vero honoris vel ambiendi ab omnibus, vel illis communicandi causa fuit, mos parentandi mortuis cui inter Ethnicos assueverant Christiani, cui fovendo infervierunt varia; ut 1. Præconceptæ opiniones falsæ de duplici resurrectione, ita ut nonnullis pœnalis futura sit resurrectionis mora: Huc facit dictum Tertulliani *lib. de Monogamia*; *Pro anima ejus oret & refrigerium interim adspiciet ei & in prima resurrectione consortium & offerat annuis diebus dormitionis ejus &c.* 2. Alia imaginatio falsa, quod animæ sanctorum à Dei conspectu & visione excluderentur ante diem judicij, quæ valdè latè patuit apud Veteres, quorum ad hanc rem testimonia collegit per saturam Sixtus Senensis *Bibl. sancta lib. 6. annot. 345.* 3. Metus ignis conflagrationis ultimæ, per quem omnes transituros, ne ipsa quidem B. Virgine exceptâ, statuit Ambrosius *in Psal. 37.* Sed cum Augustinus re melius discussâ, illius consuetudinis, quam palam improbare volebat vel non audebat, fundamenta infirmiora deprehendisset, prior cœpit negare orandum esse pro Martyribus, & suspicari ulitatas illas preces iis forte prodesse qui mediæ essent conditionis, nec perfectè boni nec desperatè mali.

Sed hæc hic habeo peragenda; primò ostendendum, preces pro mortuis apud Veteres, non favere purgatorio; secundò demonstrandum non esse precandum pro mortuis, ne quidem ex hypothesi purgatorij: Non favere doctrinæ purgatorij preces Veterum pro mortuis, ita ut se maturo ponant & tollant, patet ex varijs. 1. Precabantur pro omnibus etiam damnatis, saltem quo *tolerabilior fiet et evanes damnatio*, ut infirmat Augustinus *Enchirid. ad Laur. cap. 110. 2.* Precabantur etiam pro Prophetis, Patriarchis, B. Virgine, Martyribus & Sanctis, quos non int Adversarij in Purgatorium detrudere: Id patet ex omnibus fere

Eeeeeee 2

Liturgias

lib. 2. de purg. cap. 8. fabellas Falconillæ per sanctam Teclam, & Trajani per S. Gregorium ex orco revocatorum; Quamquam ipsæ preculæ Pontificiorum quandoque videntur eò se extendere; Nam in Missali post Evangelium Missæ pro defunctis, hoc habetur Offeritorium; *Libera animas omnium fidelium defunctorum ex pœnis inferni & de profundo lacu; libera eas de ore leonis, nec absorbeat eas Tartarus:* de quorum verborum sensu mirè se torquet Bellarminus lib. 2. de purg. cap. 5. Sed neque posito purgatorio pro iis qui ibi laborarent precari fas esset; Nam 1. Debent necessariò satisfati ex ordine justitiæ divinæ & ultimum minutum exactè persolvere; ergo frustra pro illis precaremur. Nam quid efficerent preces nostræ ad rescindendum immutabile illud justitiæ divinæ decretum, ad quod non valuit meritum, satisfactio & intercessio ipsius Servatoris? 2. Nullus est de quo nominatim sciamus eum esse in purgatorio, nec ne; Ergo nullus est defunctus pro quo nominatim precari liceat. 3. Inter argumenta quibus solent adversarij impetere certitudinem salutis, hoc unum est quod eâ concessâ preces erunt frustraneæ: Sed animæ in purgatorio (saltem ut multi Pontificij statuunt) sunt certæ suæ salutis. 4. Ei pro quo precamur optamus Gratiæ divinæ auxilia necessaria, quibus sufficiatur in ærumnis suis, ne cedat oneri aut tentationi succumbat, at qui sunt in purgatorio, juxta mentem adversariorum, sunt in statu gratiæ perfectissimo & extra periculum labendi, & nulli tentationi obnoxij. 5. Injuriam facere Martyri qui orat pro illo cujus orationibus nos debemus potius commendari, sæpiùs dicitant Pontificij, ex Augustino *serm. 17. de verbis Apostoli*; At secundum Adversarios orationibus eorum qui sunt in Purgatorio debemus potius commendari: Illos enim pro nobis orare ac impetrare contra Thomam asserit Bellarminus lib. 2. de purg. cap. 15. & concedit posse eos à nobis invocari saltem *extra ordinem*: ergo injuria erit orare pro illis. 6. Non debet ferventior esse nostra charitas erga eos qui laborant in purgatorio, quam Sanctorum ipsorum qui regnant in celo: At Dominicus à Soto lib. 4. *serm. dist. 41. q. 3. art. 2.* apud Bellarminum lib. 2. de purg. cap. 15. negat Sanctos in Cælo regnantes precari pro ijs qui sunt in purgatorio. Audiamus verò quibus argutiolis nosse Tirinus patrocinetur precibus pro mortuis & suo ex illis Purgatorio.

Tob. 17, 18. *Panem tantum*) Præterea quod hic liber est Apocryphus, nihil hic extat de precibus pro mortuis, nihil de eorum laboribus in purgatorio; agitur tantum, ut Tirinus notat *ibid. de convivio sepulchrali in morte amicorum Hebræorum*, quos hic nomine *justorum* intelligit ad distinctionem impiorum Gentilium inter quos tum vivebant Hebræi; Horum conviviorum funebrium, quorum non infrequens est mentio in sacris literis, varietatem & ritus descripsit Stuckius *Antiquit. Convivial. lib. 1. cap. 25*. De iisdem differit Cornelius à Lapide *ad Ierem. xvi, 5*, ubi monet dici *parentalia* Latinis, *επιδημια* Græcis, & ea statuit apparari ad consolandos propinquos mortui. Et potuit respexisse Tobias ad ritum suæ genti usitatum; Nam ut patet ex Berefith Rabba *fol. 31. col. 1*, vocant Judæi הכרה, primum pastum qui fit ab ijs in quorum domo aliquis mortuus est; prohibitum namque est ne domestici atque contubernales de suo aliquid edant, sed oportet vicinos de suo adferre & unà sumere: Ergo admonitio Tobie eo spectat I. Ut filius suus habeat rationem istius ordinis servandi cum suis popularibus. II. Ut abstineat à convivijs sepulchralibus impiorum, nec iusta celebret super eorum funeribus, quod Cornelius à Lapide & Lyrano testibus, etiam Jeremix prohibebatur loco modò citato. Agnosci-mus quidem verum esse quod monet Tirinus *ad eum* *Fabia* locum, solitos veteres non Gentes modo sed etiam Judæos *mortuorum suorum sepulchricum* potumque superponere, *Eccl. 30*. *Appositiones epularum circumposita sepulchro, vel domi saltem amicis aut pauperibus apponere*; & hæc Festum & Ovidium *Feralia & inferias* vocare, Nonum *Silicernia*, Plautum *Pollincturas*, Livium *Viscerationes*; imò id factum à Gentilibus *stultâ persuasione quasi ijs epulis egerent & rescerentur defuncti, & idem sibi etiam nostro seculo persuadere Pervanos & Japones non paucos ut Villola scribit*; Sed quemadmodum illius instituti apud Judæos, has duas admittimus rationes quas commemorat Tirinus, id factum *primò ut honor aliquis haberetur mortuis*: nam & sic inter Christianos Regi mortuo & in suo ferali lecto jam composito, idem qui viventi & donec sepeliatur honos solet exhiberi, eadem epulæ apponi; tum *ut idem epulam alicui solatio esset amicis mortuum lugentibus & ejus absentiam dolentibus*; sic duas alias eidem Tirino commemoratas merito respicimus, nempe quod id factum

Sum

Cum ut mortuis hæc eleemosyna pro ipsis facta auxilium aliquod impetraret à Deo, puta poenarum purgatorij relaxationem; item ut in eundem finem excitarentur conviva ad orandum pro defuncto; Etenim eo spectasse Judæos neque ex hoc loco Tobix, nec aliunde ex Scripturis possunt ariolari Jesuitæ; & dum probaturi ex his convivijis funebribus purgatorium, supponunt hæc convivja facta fuisse purgatorij causâ, revera petunt id in apx. & idem per idem probare annuntur. Nam purgatorium probaturi proferunt hæc convivja; rationem vero horum conviviorum reddituri adferunt purgatorium. Porro non negamus aliquid simile inter Christianos olim obtinuisse & etiamnum obtinere iisdem de causis quæ movebant Judæos ad hæc convivja; & assentimur Tirino observanti *has easdem ob causas* (non verò propter Purgatorium) *Christianos habuisse hanc consuetudinem stipēs & sportulas in amicorum funere dandi pauperibus & ad epulas vocandi cognatos & affines, quod testantur Clemens Alexandrinus, Chrysostomus & Gratianus;* Sed & benè monet Jesuita, *Consuetudinem apponendi epulas ipsi sepulchro, ut hoc quasi contactu Sanctorum cadaverum etiam ipsa sanctificarentur, quia nimis accedebat ad superstitionem Gentilium qui suorum manibus hoc fere ritu parentabant, itemque propter abusum in publico comessandi, jure merito à Sancto Ambrosio è templis & cæmeteriis sublata esse, cujus exemplum S. Augustinus, & reliqui Prælati secuti jufferunt ejusmodi epulas domi institui & esculenta pauperibus ibidem erogari.* Unde liquet obiter quo fundamento nitatur impudentissimus ille scurra, qui sub nomine *Iusti Pacij* in *Salmasium* invehitur & *Simpliciani judicij Revisionem* nuper edidit, dum ait §. 100. *cum morem etiamnum perdurare Ecclesia Catholica* (Romana scilicet) *prou* (inquit ille) *sapè vidi meis oculis in Gallia, Germania & alibi in cæmeterijs distribui panem pauperibus, quatenus meritum eleemosyna & orationes pauperum applicentur & proficiat defunctis.* Nam præterea quod nihil eorum quæ præstantur à vivis prodesse potest defunctis, siquidem debent satisfacere & usque ad ultimum quadrantem omnia luere, sicubi mos ille adhuc obtinet, Tirino teste, obtinet ex Gentilium imitatione & contra Decreta S. S. Ambrosij, Augustini & aliorum veterum Episcoporum. An verò iste impudentissimus scriptor, quem non dubito etiam jam ante *Testamentum Grotij* Belgicè *omississe*, *Grotij honori in Belgio consuluerit*, & fautorum illius,

Remon-

Remonstrantium præsertim, gratiam demeritus fuerit, videant alij.

Et 2. Macc. xii, 43. Judas) Quam parum sit præsidii in hoc loco pro Purgatorio varia docent: 1. Liber est Apocryphus, cujus unius testimonio in rebus divinis & ad fidem spectantibus standum non est. Vide ipsum Augustinum de Civit. Dei lib. 17. cap. 20. II. Hæc eadem narratio extat 1. Macc. v. sed nullâ factâ mentione Sacrificiorum, ut nec in Josepho Gurionide, ubi cæterum eadem historia refertur lib. 3. cap. 19. III. Factum Judæ ab Historici judicio est distinguendum; ille voluit offerri sacrificia quibus lustrarentur sua castra, ne illis noceret idololatria & sacrilegium quibus se nonnulli contaminaverant, idque ex analogia legis de homicidio cujus author ignorabatur Deut: xxi, 8. Jafonis vero abbreviator, Sadducæis intensus, rem aliò traxit, & interposito suo judicio suspicatus est id factum in spem resurrectionis: Non vero id insolens esse Historicis, ut aliquando ex rebus gestis colligant quod ad innitatem & bonos mores pertineat, agnoscit Bellarminus lib. 1. de purg. cap. 3. IV. Nullum Deus sub lege instituerat Sacrificium pro defunctis, nec potuisset Judas illud offerre citra crimen *ιδιολογησικείας*, quale & Gedeon commisit in suo Ephod Jud: vii, 27. V. Ipse Historicus rem factam narrat intuitu resurrectionis, non purgatorii. VI. Cum idololatræ & sacrilegi illi fuerint qui obierant, pro iis utpote in peccato mortali defunctis, precari juxta Pontificios non licuit. VII. Nequè peccatis suis solvi dici possunt mortui, qui nullis amplius peccatis sunt obnoxii. VIII. Multum hîc discrepant versio Latina & textus Græcus; nec enim Græcus habet ultimam illam pericopam Latini, quam Tirinus urget, *Sancta ergo & salubris cogitatio est pro defunctis exorare ut à peccatis solvantur*; sed in Græco hæc leguntur, *ὅτι τὴν τεθνηκότων τὴν ἐξίλασμον ἐποίησατο τῆς ἀμαρτίας ἀπολυθῆναι*, quibus verbis significatur Judam de mortuis propitiationem fecisse, ut à peccato solverentur, nempe non ipsi mortui sed residui milites. Deniquè cum juxta textum Græcum *ὅσα καὶ εὐσεβῆς ἢ ἐπινοία* dicatur, quâ expenditur *τοῖς κατ' εὐσεβείας κοιμημένοις κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον*, optimam gratiam eis esse repositam qui cum pietate obdormierint, illinc po-

F f f f f

tius

tiùs sequitur nullas pœnas eos manere qui piè & in Domino moriantur. Quibus observationibus concidit quicquid huic narrationi Apocryphę Tirinus inædificare conatur : Addo Munsterum, Tirino ibi agnolcente, censuisse hanc coronidem non esse genuinam hujus capituli partem, sed per audaculum quendam textui insertam vel assutam. Frustra verò Munstero Tirinus opponit ritum Judæorum precandi pro defunctis; nam multa alia superstitiosa cœperunt Judæi usurpare postquam excisi sunt, quæ ante Christi tempora & quamdiu stabat Synagoga majoribus eorum in usu non fuerant.

1. Cor. xv, 29. *Quid facient*) Nihil attinet varias interpretationes hujus loci commemorare, ex Commentatoribus repetendas; Saltem nihil est hîc præsidij pro hac causa; Sive id intellexeris de iis qui super mortuis, id est super tumulis mortuorum in cœmiteriis baptizabantur, in spem resurrectionis & testimonium suæ communionis cum jam vitâ functis, martyribus maximè; Sive de iis qui vicarium suscipiebant Baptismum in locum eorum qui nequibant baptizari, quod Pontificii, utpote proprium Marcionitarum & hæreticum, ut ex Ambrosio, Irenæo, Tertulliano, ostendit Cornelius à Lapide, probare nolint, nec putent prodesse laborantibus in purgatorio; Sive de iis qui Clinici vel Lectularij dicti jamjam morituri baptizabantur, ut censet Epiphanius *her. 28*; Sive de iis qui mortuorum cadavera lavabant, ut Act. ix, 37; Sive, quod non improbat Emmanuel Sà, de ipsomet Baptismo quem qui suscipiebant, eo ipso mortuorum resurrectionem profitebantur, scilicet in aquam mersi velut in sepulcrum, & deinde velut resuscitati emergentes. Atque hunc sensum Cornelius à Lapide ibi ex Chrysostomo ait esse simplicissimum & planissimum: hoc enim, inquit, propriè significat vox baptizantur; innuit etiam τὸ pro mortuis: Dum enim Sacramentum Baptismi impenditur corpori, corpus consecratur immortalitati, ait Tertullianus. Quare cum eo ipso Cornelius à Lapide Tirinianam explicationem, tam de Judæis qui purificantur ad Sacrificia & preces pro mortuis offerenda, quod faciebant quoque Cerinthus & ejus symmystę, quam de Christianis qui metaphorico Baptismo pœnitentię, afflictionum, lacrymarum & orationum sese immergunt, ut mortuis in purgatorio detentis, suffragentur & epitentur, non est quod illi refutandę diutiùs immoremur: Suprà enim

enim ostensum nulla Sacrificia Judæis fuisse præscripta pro mortuis, & tam parum prodest Mævij pœnitentia Titio jam defuncto, quam si pro illo non baptizato Mævius baptizaretur; imò non posse suffragia viventium prodesse laborantibus in purgatorio visum suo loco; nec intendit Paulus hoc argumento probationem purgatorii sed resurrectionis.

Et cum latro in cruce) Mirum est adversarios quærere suppetias suo purgatorio ex eo loco per quem funditus evertitur: nec enim ratio reddi posset cur deterior esse debeat conditio piorum aliorum in Domino morientium, quàm hujus latronis cui tam expressè dicitur, Hodie mecum eris in Paradyso. Nam ex hoc latrone *Martyrem facere & Baptismo sanguinis ablutum*, ut *ibi vult Tirinus*, nihil aliud est quam suaviter delirare: cum martyrium non faciat supplicium sed causa, & ipse latro supplicii sui rationem justam esse profiteatur *ibid. com. 41.* id non facturum si Martyr Christi fuisset; nam ut causa Martyrium faciat, debet esse iniqua supplicii causa. Imò si martyr fuit iste latro, non debuit metuere pœnas purgatorii ut ex illis se olim liberari peteret. Neque hic est ulla precatio pro mortuo, sed hominis adhuc viventis pro se ipso; neque deprecatur purgatorium aut ejus pœnas, sed tantum condemnationem æternam quam sentiebat à Christo rege & judice summo olim contumacibus & impœnitentibus decernendam esse: atque à judicio civili quod justè in se exerceri fatebatur, cogitatione sua transibat ad judicium æternum; videbaturque Christo occinere illud ipsum Canticum, quod apud Pontificios decantatur in funeribus; *Libera me Domine de morte aeterna, in die illa tremenda, Quando cœli movendi sunt & terra Dum veneris judicare secula per ignem, &c.* Quare Christus securum eum præstitur de die judicij, pollicetur quod eo ipso die sit secum futurus in Paradyso.

Nonne Matth: 211, 32.) Agnoscimus remissionem peccatorum fieri & in hoc seculo & in futuro, cum illa ipsa sententia absolutoria quæ conscientis nostris per spem adoptionis ad justificationem intimatur, sit palam pronuncianda coram toto orbe ad nostram glorificationem. Sed neque ex hoc loco, neque ex ullo alio, efficient adversarii quædam peccata remitti nobis in hoc seculo, quædam in alio; cum mens Chri-

F f f f f f 2

sti alia

si alia hic non fuerit quam dicere hoc peccatum nunquam iri remissum, sed graviter puniendum & in hoc & in futuro sæculo, ut Chrysostomus interpretatur. Quod si, ut placet Grotio, Christus *de industria* utrumque sæculum nominavit, *ut Iudæis auferret eam quæ sibi blandiebatur adversus gravissima delicta persuasionem*, existimando illa sibi remittenda fore post hanc vitam, unde illud Judæorum axioma, *Omnia Israëlita partem habet in futuro sæculo*, potiùs negaverit esse locum remissioni ulli post hanc vitam, quam contrarium supposuerit. Nec potest id favere Purgatorio, ubi nulla amplius remissio locum habet nec pœnæ nec culpæ: non hujus, quia nulla vel levissima culpa superest in illis animabus; non illius, quia debent illæ animæ satisfacere & persolvere usque ad ultimum quadrantem.

Et quando alioqui vel ubi) De hoc loco supra dictum. Cum non sint solvendo qui in hunc carcerem conjiciuntur, nusquam & nunquam novissimum quadrantem quibunt reddere, cum ne primum quidem exsolvere possint.

Nonne S. Paulus) Cum Bellarminus qui *lib. 1. de purgat. c. 5. multus* est circa hunc locum, agnoscat eum esse *ex difficillimis* totius Scripturæ, eo ipso ostendit non satis firmam esse probationem quæ ex illo deducitur pro purgatorio: Eam saltem non videbat Cottonus Jesuita qui volebat ex Diabolo sciscitari inter alia plura, *Quis evidentissimus Scriptura locus ad probandum purgatorium & invocationem Sanctorum*, ut refert Thuanus *Hist. lib. 132.* In hoc verò nihil esse pro purgatorio multa ostendunt. I. Ignis hic est metaphoricus, ut aurum, cœnum, stipula, &c. quæ per ignem probantur: non vero proprius qualis fingitur in purgatorio; licet ignis propriè dictus & corporeus in animas naturæ spiritualis & immaterialis agere nequeat. II. Hoc igne probatur opus uniuscujusque: cum tamen omnes non subeant purgatorium, neque illud destinetur probandis vel exurendis hominum operibus, sed animabus eorum torquendis & puniendis. III. Tirinus ut vim faciat ex hoc loco, duas habet falsas hypotheses, quas sui sodales rejiciunt, nempe ignem hunc quo cœnum & stipula ardebunt esse purgatorij, & diem Domini de-judicio particulari non minùs quam universali esse intelligendum; Utrumque negat Bellarminus

larminus V. S. Multis enim probat diem Domini esse hoc loco diem ultimi iudicij; ut Theodoretus, Theophylactus, Anselmus & alij statuunt; & negat ignem istum de pœnis purgatorij posse sumi, quia ignis purgatorij non probat opera eorum qui edificant aurum & argentum, & sequeretur omnes homines etiam sanctissimos transire per ignem purgatorij & salvari per ignem; nam, inquit, per hunc ignem de quo loquimur omnes transeunt. Unde concludit his verbis: Superest ut dicamus hic Apostolum loqui de igne severi & iusti iudicij, qui non est purgans & affligens, sed probans & examinans. Cornelius à Lapide similiter ad hunc locum; Ignis de quo Apostolus hic loquitur propriè est ignis conflagrationis mundi; patet quia eris in die Domini id est iudicij extremi &c. Quod vero Tirinus fuorum sententias contrarias in unam conflaturus ignem hîc propriè dictum accipit, verum & materialem, partim purgatorij in iudicio particulari cujusque, partim conflagrationis in fine mundi & iudicio ultimo, subsistere nequit; quia Paulus loquitur de igne cujus examen teneantur omnes subire, nec ignes geminos nominat sed unum; & valde iniquè ageretur cum iis qui jam tormenta purgatorii subiissent, si iterum deberent ardere in die iudicii: Sed mens Apostoli plana est, diem & tempus ostensurum (nec enim habet textus Græcus versio-ve Syriaca, diem Domini) quid quisque doctorum in Ecclesia superstruxerit fundamento, ubi nempe eorum doctrinâ igne spirituali & mystico verbi divini probabitur. Nam quod nimis leve ac vile fuerit hunc catinum non sustinebit; manente solum eo quod solidum ac pretiosum est: sua ergo laus & merces manebit eos qui solida ac pretiosa superstruxerint; sed nullum operæ pretium referent qui vilia & leviora: licet & hi quod retinuerint fundamentum sint servandi, sed difficilius & quasi per ignem; ut cum Judas dixit epist. suæ comm. 23. nonnullos metu esse servandos quasi ex flamma eriperentur. Quod si velint adversarij omnia loca Scripturæ in quibus ignis fit mentio ad purgatorium suum traducere, sanè argumentorum copiâ & numero pugnare poterunt, non pondere.

Num: 2. PURGATORIUM UT & INFERNUM damnatorum esse in visceribus terræ docui controv. IV. n. 16. Et quæ sunt creatura sub terrâ, quæ

Ffffff 3

Apoc:

Apoc: v. 13. *dicunt laudem Deo & Agno*, si non animæ in purgatorio adhuc detentæ? Nam licet acerbissimis ignium tormentis pleræquæ torqueantur, 1. Cor: III, 13. hæc tamen tormenta nec organa illis lædunt, nec ratio: nem perturbant, nec mentem à justo iudice alienant. Quin potius assidue illud ingeminant animæ, *Influs es Domine & rectum iudicium tuum*, Psal: CXVIII, 137. & illud Mich: VII, 9. *Iram Domini portabo quia peccavi*, &c. Nec fugiunt pœnas absolutè & efficaciter, sed solum ineffaciter & ex hypothesi, ferè ut Christus in horto, Matth: XXVI, 39. Et omnes certè sunt de suâ salute. Eccl: XI, 29. *In fine hominis denudatio operum ejus.*

CENSURA. *Purgatorium ut & Infernum*) Videat & benignus lector quæ ibi annotavimus; De inferni loco nolumus esse solliciti, cum satis sit hominibus piis nosse quod sit infernus & pietatis studio ac fide rectè in Christum vitare ejus supplicia: Cum vero Bellarmino iudice *lib. 2. de purg. cap. 6.* nihil Ecclesia de finiverit de purgatorii loco, videat Tirinus, videat Bellarminus ipse quo jure id tam audacter audeant definire. Cautior est nuperus Justus Pacius qui *Revif. sua n. 98.* sic loquitur; *De loco purgatorij, quemadmodum & de modo purgationis non est meum curiosè inquirere, nec simplicium id curat cum penitus non esse velit.* Malè metuo Jesuitis, ne dum purgatorium volant ingredi, Tartaro tam proximum & ejus incalescens igne, in hoc incidant.

Et quæ sunt creatura) Bellarminus *lib. 1. de purg. cap. 8.* negat hunc Apocalypseôs locum favere purgatorio; nam, inquit, *possunt hic per creaturas intelligi res inanimata, ut ignis, grando &c. quæ in Psalmo 148. ad Deum laudandum invitantur, præsertim cum Iohannes addat ea quæ sunt in mari*; ac prosopopoejam esse in Johanne monet Ribera *ad eum locum.* Et cum Tirinus ibi ex Gregorio & Ruperto annumeret his creaturis dæmonas & damnatos in inferno (*coguntur enim omnes, extortâ confessione vel saltem concessione, tam Christum quam Deum pro Domino suo agnoscere & revereri*) non erat cur animas fingeret in purgatorio, de quibus hoc Johannis dictum necessariò intelligeretur; præsertim cum sit ejusdem generis cum loco Pauli Phil: II, 10. ubi similiter per inferna, intelligit creaturas *in inferno damnatorum* existentes.

Nam hic

Nam licet acerbissimum ignium) Averem audire ex Jesuitis quomodo ignis materialis agat in Spiritus immateriales, qui sunt extra sphaeram activitatis suæ: Item quænam sunt illa animarum separatarum organa quæ hoc igne non læduntur; Et quomodo illæsis planè suis organis, acerbissima tamen tormenta sustineant, cum vix dolor esse queat sine læsione organorum quibus excipitur: Et quæ fiat quod non omnes animæ, sed tantum *pleraque* ex illis in purgatorio ejus tormenta sustineant, quo-ve privilegio quædam ibi instar Salamandarum vivant illæse in medio igne; Et qua ratione ignis ille ejusdem naturæ & fervoris cum infernali, cujus etiam structores sunt ipsi dæmones ex doctrina Pontificia, non eandem læsionem efficiat in purgatorio ac in inferno, cum utrobique acerbissimos cruciatus inferat.

Quin potius assidue illud) Hæc dicuntur à piis cum in hac vita illos Deus exercet & emendat variis tribulationibus, non ab animabus in purgatorio: Tirinus ipse *ad Mich: vii, 9.* id tribuit Ecclesiæ sustinenti pœnas captivitatis Babylonicæ: Et allatis exemplis Heli, Ezechie, Maccabæi, Mauritij Imperatoris, monet ita *Sanctos omnes volenti libentique animo pœnas calidus immixtas excipere & exorbere, suis peccatis eas ascribentes.* Et ita faciendum ægrotis suadet Basilius in *reg. fustius expl. interr. 55.*

Nec fugiunt pœnas) Non video quomodo hoc dicat Tirinus si vera sint quæ in Papatu feruntur de animarum illarum gemitibus horrendis sæpius auditis, de quæ earundem apparitionibus ad plures à quibus Missarum & Peregrinationum suffragia enixè petierunt, quibus levamen aliquod in suis tormentis consequerentur, ut majori cum instantia Epulo non petierit Lazarum ad se mitti, qui saltem aliquod ei refrigerium adferret.

Et omnes certa sunt de sua salute) Neque id probat locus Syracidis, de quo aliàs dixi nempe *ad cont. præced. n. 4.* nequè id certum est apud omnes Pontificios; nam juxta Bellarminum *lib. 2. de purg. cap. 4. docent quidam Catholici varias esse in purgatorio pœnas, & unam esse omnium maximam, incertitudinem salutis;* hos inter numera Dionysium Carthusianum & Michaellem Baijum. Imò si benè Pontificij certitudinem

itudinem salutis hac expugnant machinâ quod per eam tollatur piarum precum usus, non erit quod animæ in purgatorio debeant amplius Deum precari aut quisquam pro illis, quandoquidem jam certæ sunt de sua salute. Sed nequè Ecclesia Romana videtur de illis hanc habere certitudinem, siquidem eorum nomine cantillat *suam Libera* quod supra retulimus, & disertè in Missa pro defunctis, petit eas liberari *de panis inferni, & de profundo lacu & de orc leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum.*

Num: 3. Sed licet DEUM LAUDENT, aliosquè frequentissimos ac nobilissimos virtutum, tam moralium quam Theologicarum actus eluciant, tamen NIHIL per illos ibi MERENTUR: ut nec demereri possunt, aut peccare. Eccl: IX, 10. *Nec opus, nec ratio, nec scientia est apud inferos, &c.* Nec habent ultrâ mercedem, vers. 5. Item cap. XI, 3. *Ubiusquè ceciderit lignum ibi manebit.* Sap: IV, 11. *Reptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Ioh: IX, 4. *Veni nos in quâ nemo potest operari.* Gal: VI, 8. *Quæ seminaveris homo hac & metes, scilicet propria corporis prout gessis.* 2. Cor: V, 10.

CENSURA. Sed licet Deum laudent aliosquè) Difficile foret Jesuitis specialiùs edere, quos actus virtutum non Theologicarum modo sed & moralium eliciant istæ animæ; quia actus virtutum moralium, nec non fidei & spei inter Theologicas, pertinent ad *viam* hujus vitæ quam jam absolverunt. Sed nequè esse meritorios tales actus si-cubi eliciuntur ab hominibus qui nondum sunt in patria, non satis convenit placitis adverbiorum. Quod si nequeunt mereri, nec etiam poterunt satisfacere, contra quam vulgus credit in Ecclesia Romana. Interim sicut admittimus neminem mereri in purgatorio, cum purgatorium esse negemus; item non necessariò esse meritorios actus elicitos virtutum Theologicarum & moralium; ita non videmus facere ad sententiam Tirini loca sibi citata & desumpta ex Bellarmino *lib. 2. de purgat. cap. 2.* Si locus Eccl: IX, 10. convenit animabus purgatorij, ergo nec illis convenit amplius ratio vel scientia, ut possint scilicet eos è suis nosse qui sunt in terris & ab illis petere suffragia quibus liberentur; Imò cum illi de quibus agit Salomon nullam amplius habeant partem in hoc sæculo, & in iis quæ sunt sub sole

sub sole, nullam quoque partem habeant in suffragiis viventium ut per illa juventur vel liberentur: Locus Eccl: xi, 3. non agit de meritis vel demeritis mortuorum, sed de constanti & immutabili eorum statu, saltem ut Tirinus ibi interpretatur, sive ad Austrum id est salutem, sive ad Aquilonem id est damnationem ceciderint. Quæ doctrina etiam evertit Purgatorium; neque enim post mortem, juxta ipsum Tirinum, locus erit penitentia, inquit S. Hieronymus, Olympiodorus, Gregorius, Bernardus, D. Thomas, & alij. Quod vero putat Tirinus etiam sub Austro comprehendere purgatorium, ut olim comprehendebatur limbus Patrum, quia quicumque in hæc loca concedunt sunt in statu gratia & salutis, eo absurdus est, quod cum purgatorium & limbus sint ipsius inferni contignationes, longè propiùs spectent Aquilonem damnationis quàm Austrum cæli & fœlicitatis æternæ. Adhæc cum arbor quæ ceciderit in purgatorio vel limbo ibi non maneat, non possunt hæc loca ad Austrum pertinere, cujus status non minus quam Aquilonis fixus est & immobilis. Philo Sap. iv, 11. ut *ibidem* Tirinus observat, vel ad literam loquitur de Enoch, vel ad illius translationem alludit: Is autem non fuit translatus in Purgatorium, sed assumptus ad Deum; & plerique è Pontificijs qui volunt Eliam & Enochum mortali adhuc esse circumdatos corpore, & olim occidendos ab Antichristo, statuunt quoque eos adhuc esse in statu merendi; nominatim Viegas in *Apocal. cap. 11. Comm. 5. sect. 4. n. 4.* unde sequeretur raptum Enochii nihil contra merita illius efficere. Joh: ix, 4. non agit de meritis vel demeritis post hanc vitam, neque Christus in universum negat homines ubi hinc excesserint ullius operationis esse capaces, cum suæ operationes remaneant beatissimis & damnatis spiritibus; sed tantum statuitur tempus hujus vitæ operationibus nostræ in illa vocationis esse destinatum, quibus vacare post mortem nemini integrum sit; quod pertinet Pauli exhortatio de tempore redimendo quia dies mali sunt Eph: v, 16. Nihil etiam facit ad causam Tirinianam locus Gal: vi, 8. Sed cum tempus hujus vitæ ad rationem spectet quæ fit cum dolore & lachrymis, necesse est piorum messem post mortem fieri cum cantu & gaudio Psal: cxxvi, 5. quod tormentis Purgatorii nequaquam convenit. Huc potissimum facit quod Paulus eo loco du-

Gggggg

plicem

plicem tantum melle post mortem proponit pro duplici satiatione, alteram de carne, *quales*, inquit Tirinus, *illa solet proferre fructum, nempe corruptionem, miseriam, interitum & mortem sempiternam*, alteram de spiritu, *vitam & gloriam aeternam*: Status Purgatorij ad neutram referri potest; Quare cum nondum metat homo in purgatorio, necesse est eum ibi posse mereri, si quidem in melle demum mentum cessat. Denique cum 2. Cor: v, 10. agatur de præmijs vel pœnis æternis, ille locus purgatorio non quadrat; Imò eo quod quisque in proprio corpore debet referre secundum quod fecerit bene vel male, necesse foret non solum animam plecti pœnis purgatorijs sed etiam ipsum corpus, si quidem ex pœnæ necessariò sint homini propter sua peccata infligendæ: Nam sicut tandem corpus fiet particeps vel præmij in cœlis vel pœnæ in tartaro, id exigente Justitiâ divinâ, ita deberet quoque fieri particeps pœnarum purgatorij, cum iniquum sit solum animam luere quod homo totus in corpore & anima peccavit.

Num: 4. IUVARI posse à vivis Primò, per SACRIFICIUM Missæ; Secundò, per ORATIONEM; Tertiò, per IEIUNIA, ELEEMOSYNAS, & corporis AFFLICTIONES, colligitur ex I Cor: XII, 12. ubi dicitur, inter membra unius corporis esse communionem bonorum, & à se mutuò juvari quotiescunque, egent. Ps: CXVIII, 63. Particeps ego sum omnium timeptium te. Quæ ratio etiam evincit, juvari posse Indulgentiis per modum suffragij. Et hæc eadem etiam probantur ex suprà n. 1. recentibus exemplis S. Scripturæ, orantium, sacrificantium, & se affligentium pro juvandis defunctis. Quomodo dicantur mortui non habere alitè partem in hoc seculo, &c. Eccl: IX, 10. ibidem explicui.

Etiam elatio funeris ac sepultura, quatenus est genus eleemosynæ & opus misericordiæ & causa quod pro illis oretur, non parum prodest defunctis. 2. Reg: II, 5. & Tob: XII, 12.

CENSURA. *Iuvari posse à vivis*) Post eversum Purgatorium possem hæc omnia sicco pede transire; & supra ostensum nihil opis & auxilij, posito etiam Purgatorio, posse viventes præstare ijs qui in illo laborant. Sed ne aliquid videar intactum reliquisse etiam ad hæc operæ pretium erit aliquid annotare: eo magis quod isthoc hamo Clerus Pontificius ingentes illas corrasit opes, quas inde melius dixis Patrimonium Diaboli & superstitionis, quam Patrimonium Christi, ut eas

ut eas vitiosè admodum appellat D. Voetius in quodam *Manuscripto* quod publicè sibi & suis Collegis tribuit, quo illas Reip. ademptas Ecclesiæ Reformatæ & sibi vindicet, forte eo titulo quem Galli dicunt *Droit de retrait lignagier*. I. Cum satisfati debeant animæ in Purgatorio nihil potest eorum laboribus detrahi per labores vel preces viventium: Hoc dicere mihi videtur Tirinus ipse ad *Ecccl: ix, 10*. *Post subductos & signatos semel in morte calculos nulla supererit ineunda de novo ratio dati vel accepti, sed solummodo mercedis accepta perfructio vel debiti exactio & persolutio; Quod* i tantum detrahendum foret animarum illarum laboribus quantum præstaretur à vivis in earum gratiam, tum novas ad huc deberent cum Deo subducere rationes dati & accepti; quibus tamen post mortem locus non est. II. Cum quicquid operum pœnaliū plures homines susceperint in hac vita vix possit comparari tormentis & laboribus unius lei in Purgatorio, parum utique proderit misellis animabus, hic vel ille labor in earum gratiam susceptus. III. Cum nemo sit viventium qui usit confidere se suis missis, orationibus, eleemosynis & corporis afflictionibus evasurum Purgatorium, multo minus debet sibi persuadere quod per similia alijs inde liberandis prodesse queat. Etenim verosimile non est Deum à quoquam talia admissurum pro alijs nisi in quantum pro seipso non amplius illis indiguerit: Huic enim de alijs sollicito merito dicat aliquis *Medice cura teipsum*; præsta prius ea per quæ ipse vitas purgatorium, tum cogitabis de alijs inde extricandis. IV. Antiquitas Catholica huic doctrinæ ex diametro repugnat: Sufficiat nihi dictum Hieronymi ad *Gal. 6*. quod Gratianus retulit in suum Decretum *causa 13. q. 2. can. 20*. *In præfenti saculo scimus sive orationibus, sive consilijs invicem posse nos coadjuvari; Cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum*. V. Cum nec vivis profint missæ & indulgentiæ, uti suo loco visum, & de exercitatione corporali, dicat Apostolus eam ad pauca prodesse *1. Tim: iv, 8*. non est quod missis, indulgentijs, corporis afflictionibus & macerationibus alios qui jam recesserunt juvari posse statuamus. VI. Absurdè aliorum eleemosynæ & macerationes censentur in solutum imputari animabus in Purgatorio, quibus nihil profuerint ad illas pœnas vitandas, merita

& satisfationes Christi: Imò mirum est illud statui ab adversariis qui nolunt nobis à Deo imputari justiciam & merita Christi ad salutem. VII. Si propter dictum Pauli I. Cor: XII, 12. & communionem quam Sancti inter se retinent, viventium suffragia profunt mortuis, ut eorum pœnæ imminuantur, utique magis illis prodesse deberet meritum & intercessio Christi capitis, ut penitus inde eximantur. Nec ulla est ratio cur magis cedant in levantem mortuorum afflictiones viventium, quam mortuorum labores possunt cedere in viventium subsidium. Quapropter sicut nemo potest suis laboribus vel precibus in purgatorio efficere ut aliquis viventium eò non veniat, ita nemo viventium suis precibus vel laboribus efficere poterit ut aliquis ex Purgatorio liberetur. Membra ejusdem corporis sibi mutuo possunt compati, sed tamen dolor pedi inflictus non sanabit dolorem brachij. Huc trahi nequit dictum Psalms Psal: CXVIII, heb. cxi, 63. quo tantum David profitetur se cum bonis & pijs in bene agendo societatem intimam colere; Nec mortuos spectat sed viventes: Et cum Tirinus *ibi* fingit Davidem velle esse participem *meritorum Sanctorum*, supponit quod falsum est dari merita in Sanctis, quæ nec in seipso David agnoscebat Psal: CXLIII, 2. Deinde nec meritorum communicio facit ad sublevandas animas Purgatorij: Nam illz plus habent meritorum, quàm viventes: per illa tamen non liberantur. Nec viventium opera possunt illis applicari ulla ratione. Non per modum Meriti, quoniam sibi quisque meretur non alijs; atque inde est quod Tirinus ipse *Cont. xxiv. n. 2.* in thesauro Ecclesiæ reponebat Sanctorum bona opera non secundum *rationem merendi*, sed tantum quoad *vim satisfaciendi*: ut nihil dicam quod satis est meritorum animabus in Purgatorio, nec ea amplius crescere vel decrescere possint: Non etiam per modum Satisfactionis; quia sic nihil illis prodesse, quandoquidem non censendæ sunt in Purgatorio satisfacere sed satisfati. VIII. Ineptè dicuntur Indulgentiæ mortuos juvare per modum *suffragij*; Nam cum non aliter distribuantur in Papatu quam per modum jurisdictionis, quandoquidem earum erogandarum facultas in jurisdictione Ecclesiastica fundatur, nec alio modo possunt prodesse vivis vel mortuis. Sed quid *suffragiorum* nomine hic à Papillis

Papistis designetur, haud facile est assequi : Nam suffragium propriè, Græcis *ἰσχυρος*, potestatem aliquam ponit in suffragatore : ita suffragijs eligitur Magistratus, aut aliquis alius ad munus publicum; ita per suffragia iudices vel absolvunt vel condemnant; & tamen isti homines modum jurisdictionis & potestatis distinguunt à modo suffragij. Hac etiam locutione Deus constituitur incertus quid faciat de animabus Purgatorij, ejusque authoritas valdè coarctatur : Nam qui ex alienis suffragijs pendet in hoc vel illo, *αὐτοεπάτωρ* dici non potest; & mirum est quod animulæ ex Purgatorio sæpius ad nos non commeent suffragia nostra expetituræ; sed fortè sibi metuunt à lege Julia de ambitu. Mirum etiam est plus potestatis inesse viventibus ut suffragijs suis liberationem animarum in purgatorio consequantur, quàm sanctis cœlitibus, qui ad hæc comitia vocari non videntur. Mirum est quoque orationes pro mortuis *suffragia* vocari, cum jus suffragandi non exercent qui alium commendat & pro ipso precatur. Mira pariter est ratio ferendi suffragij & inter homines inaudita, per missas, per jejunia, per opera pœnalìa, per eleemosynas : Largitionibus enim suis nemo propriè suffragatur, sed tantum redimit aliorum suffragia; Imo cum statuat Coninck *Disp. 11. de Sacram. dubio 7. n. 54.* suffragia Ecclesiæ prodesse laborantibus in Purgatorio per modum impetrationis & satisfactionis, (quanquam nec inter Pontificios ipsos id est extra dubium) eo ipso ostendit quam inepta sit hujus nominis suffragiorum ad ista usurpatio. Nam suffragium est collativum vel dignitatis in comitijs, vel absolutionis in judicio, non impetrativum aut satisfactorium. Sed id frequens est in Papatu ut ex mala Grammatica pessimam Theologiam faciant. Mitto quæ inter ipsos adversarios disputantur de numero & præcellentia suorum suffragiorum, de suffragatorum conditione, num debeant esse in statu gratiæ nec ne, de modo quo istis suffragijs juvantur animæ in Purgatorio, de quibus omnibus nihil certius habent quàm omnia incerta & dubia esse. Hoc tantum moneo, non debuisse Tirinum his suffragijs Indulgentias annumerare, cum Coninck *V. S. n. 50.* quatuor tantum enumeret genera suffragiorum, Sacrificia, Preces Sanctorum, Eleemosynas & Jejunia; Bellarminus *lib. 2. de purg. cap. 16.* tria tantum, Missam, Ora-

Gggggg 3.

tionem.

tionem & opera pœnalia; neuter indulgentiarum meminerit.

Et hac eadem etiam) Quam aliena sint quæ attulit Tirinus ad hanc rem n. 1. ibi visum, nec repetitione opus est. Dictum Eccl: ix, 10. eo restringere quod post hanc vitam nihil *meritorium* possit exerceri, ut conatur *ibi* Tirinus, est nimis violentum; & modò vidimus quanto opere obstent purgatorio ipsi quæ *ibid.* annotavit.

Etiam elatio funeris) Ut honestè sepeliantur mortui exigit humanitatis ratio & spes resurrectionis; Laudeque dignum fuit Tobiz facinus cap: 1, 21. 11, 7. quod popularium suorum cadavera etiam clam sepeliret, ut illud laudari à personato Raphaële minus sit mirum XII, 12. Benè quoque factum à civibus Jabes Galaad quod Saulem Regem suum sepeliverunt 2. Sam: 11, 4. 5. Sed nec vola nec vestigium extat in illa sepultura precum pro mortuis: Nec potuissent hi cives precari pro anima Saulis, hominis reprobis & in æternum damnati, ut expressè affirmat Tirinus *ad 1. Reg: sive Sam: xxxi, 4.* apud quem omnes SS. Patres id disertè affirmant, ut SS. Hieronymus, Ambrosius, Bernhardus, & Doctores recentiores &c: Et cum se Tobias 11, 9. ex sepultura mortuorum pollutum profiteretur, nihil minus cogitavit quam pro mortuis precari eos sepeliendo; quandoquidem Judæus nemo se accingere debet ad preces nisi ab omni immunditie legali & contactu morticinij perpurgatus fuerit. *Proinde ista omnia* (ut benè monet Augustinus *de cura pro mortuis cap. 2.*) *id est curatio funeris, conditio sepultura, pompa exequiarum, magis vivorum solatia sunt quam subsidia mortuorum.*

Num: 5. Etiam IUVARI posse PRECIBUS SANCTORUM in cœlo existentium, ut est Ecclesiæ traditio, patebit ex dicendis controv: xxx. n. 8.

CENSURA. *Etiam juvari posse*) At suo loco ostendimus Dominicum à Soto contrarium statuere, nec immeritò; Etenim si conjunctis suffragijs hîc agerent Ecclesia Militans & Triumphans, omnes liberarentur ex purgatorio, nisi Deus se planè immitem & inexorabilem præberet. Nec ulla est ratio cur minus hîc tribuatur Sanctis cœlitibus in perfectione summâ agentibus, quàm hominibus peccato-

peccatoribus adhuc in luto versantibus; At si etiam orent Sancti cœlites pro animabus Purgatorij minus præstant quàm viventes; quia illi non aliter nunc agent quam per viam Impetrationis, at hi etiam agunt juxta Jesuitas per viam Satisfactionis.

Num. 6. ANIMAS piè defunctorum ante Christi ascensionem non fuisse in cœlo (ut vult Bucerus, Calvinus, & Beza) sed in loco subterraneo, quem vocamus LIMBUM PATRUM, & SINUM ABRAHÆ, colligitur ex Gen: xxxvi 11, 35. Descendam ad filium meum in infernum; & 1. Reg: xxxviii, 25. Anima Samuelis (ut dicitur Eccli. xlvi, vers. ult.) de terrâ ascendit. Luc: xvi, 23. Divus Epulo ex inferno vidit Lazarum in sinu Abrahæ. Zach: ix, 11. In sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. 1. Pet: iiii, 19. Ijs qui in carcere erant spiritibus predicavit, &c.

Bucerus in Matt: 27. Cal. in Psychopannychiâ Beza l. Majest.

CENSURA. *Animas piè defunctorum*) Sed hoc commentum sufficienter profligavimus *Cont: 17. n. 16.* ut hîc actum agere opus non sit. Nam omnia quæ hîc congerit Tirinus ibi sunt ordine refutata; excepto argumento desumpto ab apparitione Samuelis de qua diximus *precedenti Controversia n. 1.* Neque debuit anima Samuelis necessariò fuisse in Limbo ut appareret Sauli, cum juxta Delrium etiam quæ beatæ sunt in cœlo possint apparere viventibus æquè ac Angeli. Parabola Lazari & Epulonis Luc: xvi, 22. non est in omnibus circumstantijs urgenda: Nam æquè facîle colliges inde animas à suis corporibus separatas habere linguas & digitos & in damnatis adhuc vigere sollicitudinem salutis alienæ, ac Tirinus illinc vult colligere spirituum beatorum & miserorum viciniam & mutua colloquia. Sed de sinu Abrahæ & Spiritibus in carcere & voce *hinc* vide: quæ annotavimus ad *Controversiam iv.*

Num: 7. Idem dicendum de loco PUERORUM sine Baptismo defunctorum, patet ex dictis *controv: 17. n. 16. & controv: xi. n. 10.*

CENSURA. *Idem dicendum de loco*) Verè idem: quia utrumque æquè falsum: Nam & nos istum Limbum puerorum sic antè evertimus, maximè *Cont: xi. n. 10.* ut nullâ theologicâ ratione defendi possit. Quàm ineptum quoque sit hoc nomen, quod propriè simbriam notat & infimam vestis partem, ei rei significandæ cui adhibetur nemo non videt.

Num: 8.

Num. 8. PŒNAS damnatorum IN INFERNO, non esse, (at tunc
 Calv. l. 3. Calvinus, Beza, & plures horum sequaces) nudum terrorem & anxietatem conscientiarum, cogitantis Deum sibi esse iratum & infestum; sed COMBUSTIONEM IN STAGNO IGNIS ET SULPHURIS, constat ex
 Inst. c. ult. & in BUSTIONEM IN STAGNO IGNIS ET SULPHURIS, constat ex
 Pſychopœ- Esajæ xxx. v. ult. Preparata est ab heri Tophet, profunda & dilata. Nutrimenta ejus
 anghiâ. ignis & ligna multa, fluvius Domini sicut torrens sulphuris succensens eam. c. xxxiii, 14. Quis poterit habitare cum igne devorante? cum ardoribus sempiternis? Deut: xxi, 22. Ignis succensus est, &c. Pſ: x, 7. Pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur, &c. Pſ: xx, 10. Pones eos ut clibanum ignis, &c. Pſ: cxxxix, 11. Cadent super eos carbones, in ignem deicies eos, &c. Iudith xxvi, 21. Dabit ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant usque in sempiternum. Eccli vii, 19. Vindicta carnis impij, ignis & vermis. Ef: ult. v. ult. Vermis eorum non morietur, &c. Iob: x, v. ult. Terra miserie & tenebrarum, &c. Matt: iiii, 12. Paleas comburet igni inextinguibili. cap: xiii, 42. In gehennam, in ignem inextinguibilem: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non exstinguitur. Matt: xxv, 41. Ite maledicti in ignem æternum. Lucæ xvi, 24. Crucior in hac flamma. Apoc: xiv, 10. Cruciabitur igne & sulphure, &c. c. xx, 9. Missus est in stagnum ignis. cap: xxi, 8. Pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure.
 De amplitudine inferni vide Apoc: xiv, v. ult. Stadia mille sexcenta.

CENSURA. Pœna damnatorum in inferno) Qui nesciverit gehenna nomen metaphoricè desumptum à valle filij Hinnon ubi Idololatrarum suos Molocho liberos offerebant, id discat ex Buxtorfio in Lexico ad vocem גהנון. Interea tamen I. agnoscimus animas separatas impiorum suis pœnis gravissimis esse obnoxias, non damni tantum sed etiam sensus, quæ in conscientiarum torturis & lancinatione jugi, uti patet ex earum præludijs in reprobis, revera sitæ sunt, & quas exprimit Scriptura per vermem qui non moritur & ignem qui non extinguitur; cum vivicomburio, eo præsertim qui exercebatur ab Idololatris in valle Hinnon, quæ etiam Tophet dicebatur, ut observatum Tirino ad Esa. xxx, 33. non possit supplicium gravius & magis durum excogitari. Ita enim, ut Trinus ipse loquitur ad Lucæ xvi, 24. Scriptura se accommodat captui nostro, quia supplicia animarum non nisi per symbola corporea capere possumus. Agit quoque Tirinus ad 4. Reg: xxi, 10, de Topheth & gehenna, & horridis illis sacrificijs Idololatrarum, qui Molocho per sædam molliem semen humanum, per abominabilem Idololatricam filios suos filiasque in holocaustum vivas offerebant; (Id verissimum esse, licet contrarium conetur stabilire Gaffarellus Curios. Inaud. lib. 1. cap. 10. fusc ostensum

ostensum à Seldeno *de Dijs Syris Sym. 1. cap. 6.* refutatis etiam quæ ille objicit in contrarium) monetque ei loco fuisse nomen Topheth, à *tubibus tympanisque interim perstreperantibus ne miserorum puellorum ejubatus audiri possat à parentibus vel affinibus*, (an nomen *Hinnon* propriè sit sumendum, an verò appellativè à *ונו* gemuit aut rugijt, ut illa vallis sic dicta fuerit à rugitu seu lamento puerorum dum exurebantur, ut Seldenus statuit, relinquimus in medio) & agnoscit esse inde *gehenna* nomen desumptum ad infernum designandum; nam (inquit) *crudelis illa lanterna & horrendum incendium typus erat tormentorum infernalium; ita: S. Hieronymus Abulensis & alij.* Nec dubium quin pariliter internus dicatur stagnum ignis & sulphuris non semel in Apocalypsi, per allusionem ad supplicium quo Sodomam & Gomorrham Dominus olim delevit, quòd etiam colligitur apertè ex epist. Judæ com. 7. Sanè Hieronymus *ad Esa: 30.* metaphoricè putavit fumenda quæ de igne & sulphure ibi leguntur. Nec dubium quin Deus sæpè ad iram & vindictam suam denotandam, metaphoram ignis adhibeat, quomodo Persarum reges ignem curabant sibi præferri in majestatis suæ symbolum, & vulgo inter homines nihil terribilius dicitur igne si fuerit inimicus, ut eo nihil favorabilius si amicus fuerit. II. Agnoscimus post resurrectionem etiam vel ignis propriè dicti tormentum vel saltem ei planè analogicum & æquè acerbum impiorum corporibus fore destinatum, quo perpetuò urentur nec tamen consumentur; quod confirmant pleraque testimonia hic Tirino citata; ut in illa speciatim inquirere operæ pretium non sit. Sed putamus sobrietatis esse Christianæ, nolle definire quis & qualis futurus sit ille ignis; unde pabulum accipiet; an fumum excitabit nec ne; an sit futurus idem qui noster elementaris an alius; abinam sit arsurus; quomodo qui in illo ardebunt habeant pro sua portione tenebras externas, id est, ignem qui urat nec luceat, cum in cælo Empyreo sint pij possessuri ignem intelligibilem qui lucebit nec uret, & sexcenta istius generis de quibus homines stultè curiosi solent disputare; immemores ejus quòd Chrysoctomus *homil. 31. in ep. ad Rom.* suadet, *ut non tam quæramus ubi sit gehenna, quam quomodo illam effugiamus.* Imo id ipsum homines latere satis expressè dicitur *Job: xxxviii, 17.* Interea tamen extra mundum non esse quærendum,

H h h h h

dum,

dum, nec metueñdum Lutheranis Doctõribus ne pereat incendio univ-
 versi, merito arbitramur ; cum potiùs per incendium univèrsi inferior
 hæc mundi pars, si ita perire debeat, sit evasura in stagnum ignis &
 sulphuris (cujus præludium præcessit in Pentapoleõs everfione) in
 quo impij sempiternos perferant cruciatus, & se in æternum mori
 sentiant. Porrò quoniam Calvinus hic à Tirino post suum Bellarmi-
 num *lib. 4. de Eccl. cap. 9. var. 3.* & Cochletium Carmelitam contra
 Polyandrum, obliquè suggillatur, quasi infernum solis pœnis spirita-
 libus conscientia defraiverit, quæ sententia videtur fuisse Origenis
lib. 2. ἀπὸ ἀρχῶν; sufficiat monere non solum Mortonum Anglum
Apol. de notis Eccl. cap. 29. & Polyandrum Belgam contra Cochletium,
 sed etiam Brochmannum, licet Calvino minùs faventem *loco de inf. q. 5.*
 Calvinum hic sufficenter liberare : Disertè enim Brochmannus
 agnoscit injuriam Calvino in eo fieri, *ut qui velit quidem gehennæ penas
 nonnullam consistere in conscientia cruciatu, sed ita ut addat impios penas
 etiam corporeis affligendos* : quâ de re legi poterit *lib. 1. Inst. cap.
 11. §. 28.*

De amplitudine) Primùm an in centro & medietullo terræ, ubi
 Pontifici collocant infernum, tantum spatij possit extare, videant
 Geometræ : Deinde ex isto spatio colligitur satis illud amplum fu-
 turum ad hoc ut damnatorum corpora non debeant se mutuo pene-
 trare, quod suspicati sunt nonnulli Scholastici, ἐμβαλεῖσθαι in ea quæ
 non viderunt Col: 11, 18. Adhæc cum mille sexcenta stadia effici-
 ant, ut vult Tirinus *ad Apoc: xiv, 20.* capacitatem in longum, latum
 & altum leucarum horariarum sexaginta quatuor, si id ad inferni di-
 mensiones spectat, nulla fuit ratio cur Lessius apud eundem Tiri-
 num *lib. 13. de pers. divin. cap. 14.* ei longe minus spatium concede-
 ret, probans esse una tantum esse leuca, capere tamen posse plusquam octin-
 genta millia millionum corporum, consignato singulis corporibus spatio sex pe-
 dum quadratorum. Sed Tirino verisimile est, multo plures fore damna-
 torum milliones, maximè si (quod cum Cornelio à Lapide & quibusdam alijs
 ipse etiam Lessius opinatur) demones quoque omnes corporibus isthæc ignis
 circumdantur. Ita stulti isti homines suaviter delirant & quæ febri-
 cantes somniarunt consignant chartis : Huc revera nihil facit locus
 Apoc:

Apoc: XIV, 20. qui tantum describit verbis allegoricis cladem inferendam hostibus Ecclesiæ, tantam nempe futuram ut eorum sanguis *redundet in capacissimum & rapidissimum flumen*, ut habet Viegas ad 14. *Apoc. comment. 3. sect. 1. n. 5.* Haud adsimiles extant locutiones Psal: LXVIII, 24. & CX, 6. 7. Et Tirinus ad hunc ultimum locum hæc annotavit; *Tanta edetur strages hostium ut ex sanguine occisorum fiat torrens, ex quo victor Christus affatim bibere possit in via, quâ hostes persequetur vel quacunque incedet; Simile habes Nam: xxIII, 24. Deut: xxxII, 42. & Psal: LxvII, 24.* Ita Maldonatus, Varabius, Iansenius. Nemo tamen illis in locis inferni capacitatem commentus est. Quod verò mille sexcenta stadia commemorantur in Apocalypsi, id sit Judice Viega V. S. *posito numero certo pro incerto: Idem censent nostrates Belgæ. Mihi tamen non displicet conjectura Ampliff. Launzi in Comment. suo nondam edito in Apocalyps.* qui suspicatur servari in hoc numero rationem numeri quaternarii, quoniam illa vindicta sit exercenda in hostes Ecclesiæ per quatuor mundi plagas; quarum unicuique competant stadia quadringenta. Quam autem sit hic intricatus Ribera, videatur in ipsius Comment. ad Apoc: 14. n. 95. & seqq.

Num: 9. *ÆTERNUM DURATURAS* has poenas, contrà Origenem, a, & sectas quasdam Anabaptistarum b, patet ex Iudith XVI. Esaia ult. Mârth: III. & XXV. Marc: IX. & Apoc: XIV. jam citatis. Item Psal: XLVIII, 20. *Vsqûe in æternum non videbit lumen.* Psal: XCI, 9. *Vt intereat in seculum sæculi.* Dan: XII, 2. *In opprobrium, ut videant & sentiant semper.* 2. Thef: I, 9. *Pœnas dabunt in interitum æternas, &c.* Peccatum enim mortale cùm sit contemptus Dei saltem indirectus & interpretativus, ratione malitiæ suæ meretur puniri poenâ quovis tempore finito longiore, ac proinde æternâ: maximè cùm (ut in inferno) nunquam retractetur.

a. S. August. de Hæres. c. 43.
b. Bællinger lib. 2. contrà Anab. c. 15.

CENSURA. *Æternum duraturas*) Poenas futuras non tantum sed sensus, contra Socinianos meritò pertendimus. Eas verò fore æternas, Scriptura Sacra evidenter demonstrat locis hîc Tirino citatis nominatim Apoc: XIV, 9. 10. & XX, 10. adeo ut Smalcus qui contra Frantzius, ut Brochmannus observat *loco de inferno quæst. 3.* cœtera testimonia eludere conatus erat, hic manus det, nihilque

H h h h h h 2

habeat

habeat quod reponere possit. Merito ergo Origenes visus est *miseri-*
cordior Augustino *lib. 21. de Civit. Dei cap. 17.* dum impiorum
 & dæmonum pœnas, *lib. 1. dei ἀρχόν*, in æternum negavit
 duraturas : oportetque eos ex Anabaptistis, qui eandem cum
 illo insaniam insaniunt, evidenti Scripturæ reluctari, neque
 satis nosse gravitatem peccati, quod in Deum infinitæ Majesta-
 tis commissum, pœnam suo sensu infinitam eo magis meretur, quod
 quamdiu à Deo remissum non fuerit, licet actu transierit, ejus ma-
 litia & reatus moraliter remanere intelligitur. Id de peccato in ge-
 nere debet sumi, nec restringi, ut fit à Tirino, ad *peccatum mortale*, cum
 mortalis sit quælibet *ἀνομία*. Ineptè verò faciunt qui hîc misericor-
 diam Dei celebrant, in præjudicium suæ justitiæ ; In loco Esaiæ xxiv,
 22. nihil est præsidij pro hac præpostera misericordia ; nam hæc vi-
 sitatio post multa sæcula regum & populorum qui fuerint adversarii
 Ecclesię, potest commodè intelligi de visitatione Gratię per Christum,
 quâ Gentiles, antea in tenebris jacentes justo Dei judicio, fuerunt ad
 Evangelium evocati, ut satis convenienter censent *Belgæ & Deo-*
datus : Alij tamen cum Hieronymo & Salsbout malunt eam *intelli-*
gere de visitatione pœnali post multa sæcula continuatura, id est,
 in æternum.

CON-

CONTROVERSIA XXX.

De

COELO ET SANCTIS.

Respondente

ANTONIO GREVENSTEIN,
Bloxilâ-Transilulano.

Nam: **A** NIMAS SANCTORUM simul ac corporibus ,
1. exuta & plenè purgata sunt, cœlum ingredi, Deum
videre, & verè beatas esse, etiam ante universale jus-
dicium, negant Armeni & Græci, Corn. Agrippa,
Lutherus, Calvinus & Anabaptistæ. Sed probatur ex
2. Cor: v, 1. Si terrestris domus nostra dissolvatur, habemus ex

Deo domum non manufactam æternam in cœlis. vers. 8. Voluntatem habemus peregrinari
à corpore, & præsentem esse ad Dominum. Phil: 1, 23. Desiderium habens dissolvi
esse cum Christo: Luc: XXIII, 43. Hodie mecum eris in Paradiso. Apoc: VII, 15.
Sunt ante thronum Dei in templo ejus. Ephes: 1v, 8. Ascendens Christus in altum, &c.
Act: vII, 55. Ecce video cœlos apertos, &c. Heb: xII, 22. Accessistis ad Ecclesiam
primitivorum in cœlis, &c. Quod si vetet hominibus Lev: xIx, 13. Non mora-
bitur apud te opus mercenarij tui usque manè, cur ipse differat mercedem laboris
Sanctorum suorum? Et nonnè angeli mox à fine viæ suæ Gen: 1, 1. sem-
per vident faciem Patris? Aut fortè pronior est Deus ad puniendum quàm ad
remunerandum? Nam impios statim à morte conjicit in ignem gehennæ,
Luc: xVI, 22. Mortuus est dives & sepultus est in inferno, in tormentis, in
flamma.

Objectiones solvi Matth: xx, 8. ubi merces jubetur operarijs reddi si-
mul omnibus ad vesperam. Heb: xI. vers. ult. *Vt non sine nobis consum-
marentur.* Apoc: vI, 9. *animæ Martyrum sunt sub altari.* Et quid alioquin opus
iudicio universali?

CENSURA. *Animas Sanctorum simul*) Missio quod hic iterum de
animarum purgatione ingerit Tirinus, habet nos *ὁμοίως* in reje-
ctione erroris illius qui negat *animas Sanctorum cœlum ingredi, Deum vi-*

H h h h h h 3

dere &

Agrippa
l. 3. de oc-
culta Phi-
losophiâ.
Luth.
prelect. in
Genes. &
alibi.
Calv. l. 3.
Inst. c. 20.
& 25.

dere & verè beatas esse ante universale iudicium. Sed ex hujus erroris rejectione apud Adversarios liquet 1. Patres Veteres etiam consentientes in aliquo dogmate pro norma fidei non esse habendos, quandoquidem hunc errorem errarunt Veteres plerique omnes, uti patet ex eorum testimoniis huc facièntibus quæ collegit Sixtus Senensis *lib. 6. Bibl. Sancta annot. 345.* & fufius ac solidè est demonstratum à R. D. Joh. Dallæo Ecclesiaste Parisiensi, amico nostro summo, in erudito suo opere, cujusmodi sunt omnia illius, *de Usu Patrum lib. 2. cap. 4. 11.* Nec esse Papas extra errandi periculum, quandoquidem Johannes xxii. si non absolutè negavit immortalitatem animæ, quod tamen verosimilius est, saltem in hoc errore versatus est, uti liquet ex Adriano Pontifice, in *quæst. de Confirm. & confitetur Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 14.* hac demum adhibitâ excusatione, *Iohannem hunc revera sensisse animas non visuras Deum nisi post resurrectionem; ceterum hoc sensisse quando adhuc hoc sentire licebat, sine periculo hæresis; nulla enim adhuc præcesserat Ecclesia definitio.* Quam calva & diluta sit hæc excusatio Bellarminiana nemo non videt, cum ipso iudice *lib. 1. de Sanct. Beat. cap. 2.* jam diu ante contrarium statuisset Innocentius III. *cap. Apostolicam, Extra de presb. non baptizato & ibid. cap. 4. & 5.* veritatem conetur ex Patribus Græcis & Latinis continuâ successione demonstrare. Interea tamen hæc eadem excusatio Bellarminiana indicat potuisse meliori titulo citra hæresim adhuc illius Johannis tempore, negari invocationem Sanctorum, quæ eorum beatitudine negatâ vel dilatatâ in diem iudicij, nullo modo procedere potest.

Negant Armeni & Græci) Quid Græci, quid Armeni, quid Cornelius Agrippa *lib. 3. de occ. Philosophia cap. 21.* hîc sentiant, nostra non refert: Hic sanè communia facit receptacula animarum fidelium & infidelium in quibus putat fidem Christi multis Paganis & Saracenis post hanc vitam predicari, quo ferventur: quod absurdius est quàm ut ullâ ratione defendi possit. Græcos quod attinet, Nilus Thessalonicensis *lib. de purgat.* videtur ab hoc errore se & suos purgare: nam statuit *ὅτι αἱ τῶν ἁγίων ψυχὰς καὶ μὲν ἐν αὐτῷ συνιπιδάμναι πνεύρον, τῆς αἰωνίου ζωῆς ἰσθμὸν ἄξιαι;* & urget ex Evangelio Lucæ quod Lazarus *ἄμα τὸ ἀποθανεῖν* simul ac mortuus est, delatus fuerit ab Angelis in

lis in sinum Abrahamæ; per sinum verò Abrahamæ significari τὴν ἀρετῶν κατὰ σπονδὴν ἐν τοῖς Ἰουδαίοις λέγει τῷ Θεοφίλου, *supremum illum statum in beata requie piorum*. Anabaptistæ sive Sociniani dum animas separatas negant capaces ullius operationis, uti demonstravimus ad Cont. xxviii. n. 1. periculosius adhuc errant iis quos hîc Armenorum & Græcorum nomine ex suo Bellarmino traduxit Tirinus. Lutherum quod attinet, eum excusat & liberat ab hoc errore Joannes Gerhardt loco *de Morte* §. 305. allato testimonio ex ipsius *Comment. in Gen.* ubi ad totum hominem ita somnum mortis refert, *ut ipsa interim anima non dormiat sed vigilet & patiatur visiones & loquelas Angelorum & Dei*. Videantur quoque ejusdem Lutheri *Postilla majores in Epist. dici S. Stephani*. Calvino verò nostro liberando sufficere posset docta illius diatriba *contra Psychopannychitas*, ubi verba Apostoli 2. Cor. v, 1. urgens, sic inter alia loquitur; *Hæc verba sine interprete loquuntur nos sensuros Dei presentiam cum ab hoc corpore separabimur, jam non per fidem ambulaturos, sed per speciem*; Item, *Electi Dei qui ex hac vita transferunt Deo fruuntur ad satietatem citra fastidium*. Quoad loca Institutionum quæ in ipsum citantur, nihil habent quod fidem adstruat calumniæ; *Lib. 3. cap. 20. §. 20.* soli Christo tribuit ingressum in Sanctuarium ceu Sacerdoti qui pro nobis intercedat, non quo neget Sanctos videre faciem Dei in cœlis, sed quo illis abrogét officium Mediatorium ac Sacerdotale, in quo per Pontificios collocantur. *Lib. ejusdem c. 25. §. 6.* ita nolit disputari de intermedio animarum statu, scilicet quoad earum locationem & modum operandi, ut tamen disertè illis tribuat quod concesserint *in beatam quietem, ubi cum felici latitia promissionem futura gloria expectant*, scilicet per corporum suorum resurrectionem; cum paulò ante dixisset, quod *nisi etiam anima corporibus suis exuta retinerent suam essentiam, ac beata gloria capaces essent, non dixisset Christus Latroni, Hodie mecum eris in Paradyso &c.*

Sed probatur ex 2. Cor. v, 1.) Quàm firmiter thesim Tirini veram & orthodoxam hæc loca comprobant, tam potenter evertunt Purgatorii figmentum, de quo in superiori Controversia disputavimus: Paulus tempus intermedium non agnoscit, inter destructionem hujus tabernaculi & glorificationem nostram in cœlis, ubi Domino *presentes*

sentēs simus & fruamur ejus gloriā : id enim nobis obvenire statim à morte, ita insinuat Apostolus, ut Tirinianam exceptionem, si nihil purgandum superfit, planè nesciat; Et de se omninò confidebat se hac corporis compage dissolutâ fore cum Christo Phil: 1, 23. qui sic ipsi moribundo dicturus esset Intra in gaudium Domini tui. Promissio pariter facta Latroni Luc: xxiii, 43. non de statu modò sed de loco intelligenda, nullam admisit moram; quæ quomodo quadret Pontificiorum sententiæ de descensu animæ Christi ad inferos triduo mortis, & fidelium exclusione è regno cœlorum ante Ascensionem ipsius viderint ipsi : Et sine mora cœlo excipiendum Spiritum suum persuasissimum habuit Stephanus Act: vii, 55. Neque dicerentur Heb: xii, 23. Christiani accedere πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων, nisi jam ἡλελωμένοι censerentur qui nos præcesserunt, & epoptæ facti in spiritibus suis Mysteriorum gloriæ ad cœlestem illam panegyrim pertinerent. Porro comma 22. citatum hîc Tirino non habet nos venisse ad Ecclesiam primitivorum in cœlis, sed ad Ecclesiam primogenitorum, (quod sunt suo sensu omnes fideles, nostri tamen respectu speciatim qui vixere sub V. T.) quorum nomina scripta sunt in cœlis, quod convenit etiam piis in terris adhuc agentibus Luc: x, 20. In duobus alijs testimonijs minus est ad hanc quæstionem efficaciz; quia visio Apocalyptica non necessariò ad solas animas est restringenda; & dictum Pauli Eph: iv, 8. non debet intelligi de Patrum animabus ex limbo eductis, ut vulgus Pontificiorum statuit, sed de hostibus nostris spiritualibus devictis & triumphatis : Agitur enim de captivitate quàm Christus captivam in sublime deduxit, ut olim Imperatores triumphantes & in Capitolium ascendentes post se ductabant in vinculis hostes devictos & subjugatos. Illis autem locis quibus præsentanea glorificatio sanctarum animarum confirmatur, nequicquàm tenebras offundere conantur Sociniani. Absurdè Volkelius lib. 3. de relig. cap. 35. domicilium cœleste cujus fit mentio 2. Cor: v, 1. interpretatur de corpore glorioso quod sumus consecuturi in Resurrectione, quandoquidem de eo agit quod illicò post dirutum hoc ergastulum per mortem, sumus consecuturi, & ubi ἰκοιµούσιν ἐν τῷ σώματι. Domino aderimus & sequemur agnum quocunq̄e iverit, Quod verò promissio

promissionem factam Latroni, sic explicat Smalcius *contra Frantzium* apud Stegmannum *Antiphosini disp. 56. quaest. 1.* quasi τὸ *Hodie* spectet tempus quo id promissum fuit Latroni, non verò quo promissio executioni danda erat; à Grotio Socinianorum aliàs propugnatore strenuo, cum indignatione meritò respuitur *ad Luc: xxii, 43.* his verbis, *Pessimè fecerunt qui hanc vocem aut cum λέγω conjunxerunt quod aperte improbat Syrus, aut σήμερον interpretati sunt post resurrectionem.* Et sanè quædam exemplaria habere ὅτι σήμερον μετ' ἐμῆ ἔσθ Bezaè observatum, & ita Syrum interpretem legisse certum est: **Quamvis** autem introductio in regnum secundum totum hominis sequatur resurrectionem, nihil impedit quominus fiat illicò post mortem piorum secundum animam. Æquè absurdum est quod idem reponit Smalcius ad locum Pauli Phil: i, 23. eum loqui non de anima sua solum, sed de se toto: Etenim satis noverat Paulus hac dissolutione, quæ fieret morte (eam enim opponit mansioni in carne) non collocatum se iri illicò propè Christum nisi animæ respectu. Ad locum Heb: xii, 23. nihil reperio à Socinianis hætenus annotatum. **Quod** verò fusè disputat Volkelius *lib. 5. de verâ relig. cap. 25.* *Spiritus à corpore sejunctas personas non esse quæ aliquid agant & sentiant,* partim verum, partim falsum est: Cum enim entitatem habeant incompletam & partialem, personæ non sunt; sed cum existant adhuc neque in nihilum redigantur, sunt capaces suarum operationum & functionum intellectualium & spiritualium, ad quas non egent organis corporeis. Nec obstat huic veritati, ut putat hæreticus, dictum Pauli I. Cor: xv, 18. 19. 30. 31. 32. cum Apostolus resurrectionem sibi sumpsisset comprobendam, partim argumentis directis & immediatis, partim indirectis & mediatis per ipsam animæ immortalitatem; **Quare** cum asserit, si mortuorum resurrectio desperanda sit nihil esse cur de pietate laboremus aut tantas calamitates veritatis causâ sustineamus, imò Christianos omnium miserimos fore, non supponit hominem esse felicitàtis omnis incapacem ante resurrectionem corporis; sed hoc sibi vult, negatâ alterâ vitâ post hanc (ut patet ex com. 19.) cujus sumus capaces tum per animæ immortalitatem, tum hac positâ per resurrectionem corporis, frustra fore pietatis studium & tolerantiam crucis, nihilque miserius fu-

Iiiii

turum

turum Christiano; prout profanus quidam Princeps dicebat Capucino alicui Nudipetalia sua sacra commendanti, ipsum valde deceptum iri si non fuerit Paradisus.

Quod si vetet hominibus) Inest & huic rationi suum pondus; quod tamen elevatur à Pontificijs bifariam; I. Dum volunt fideles V. T. non consecutos fuisse *ἁγαθῶν* cœleste statim ab obitu suo, sed multis demum post sæculis, nec antequam Christus ascenderet in cœlum; II. Dum pertendunt multorū sub N. T. posthabitā ratione, quod magis est, meritorum suorum quæ crepant plenis buccis, differri glorificationem & mercedem multos in annos post ipsorum obitum, quos interea magnis cum tormentis debent transigere in purgatorio. Quod si Angeli, ô Tirine, *mox à sine via sua semper vident faciem Patris*, cur non procedit argumentum vel respectu fidelium V. T. vel eorum respectu quos sub Novo coniicis in purgatorium; cum viam suam in morte finierint & absolverint? Quod ex parabola Luc: xvi, 22. colligis Deum non esse proniorem *ad puniendum quam ad remunerandum*, ostendit tam æquum esse ut Lazarus ipse statim à morte cœlo & beatitate supremā donatus fuerit, ideinque omnibus piis nunc eveniat, ac statim à morte impij in ignem gehennæ conjiciuntur.

Objectiones solvi) Neque hæ tanti sunt. Nam *ad Matth: xx, 1.* bene observat Tirinus Christum ibi *potius agere de militante quam triumphante Ecclesia*; & *per primos oportere intelligi Iudæos, per novissimos Gentiles & Christianos*, ut factum à Vasquez, Ianssenio, Hesselio, Molina & Franc. Luca, unde & *murmuram quod cum primi essent & vocatione & operâ & publicâ estimatione, non tamen præponantur alijs longè quoad hæc omnia posterioribus*: Sed præterea, cum mors fidelium sit communis eorum velpera, statim ubi ea advenit mercedem æternam consequuntur, etfi alii citius alii seriùs vocati ad Christum & in vineam emissi fuerint; eundemque omnes accipiunt denarium, quia scelicitas æterna rependitur non ex meritis & labore sed ex gratia & dignatione divina. Heb: xi, 40. non vult Apostolus negare, ut pertendit *ibi Tirinus*, contra omnia quæ modo proponebat argumenta, fideles sub V. T. defunctos ad gaudia cœlestia animæ respectu admissos fuisse ante Ascensionem Christi, ita ut miseres post mortem adhuc quàm ante fuerint,

fuerint, sed tantum τελείωσι id est perfectam consecrationem, justificationem & redemptionem hominum non contigisse sub Lege, quod nobis qui ad tempora V. T. non pertinemus pessimè cēssisset, hac ratione ab eo beneficio excludendis; verùm illam, cujus spe se sustentabant, obvenisse demum per Christum manifestatum in carne, ut æquè, imò cognitionis respectu, magis ad nos quàm ad illos pertineret: quò & referri potest ipsiusmet Christi dictum Matth: XI II, 17. Quoad locum Apoc: VI, 9. ut iniquè admodum Tirinus *ibi* exagitat Calvinum quasi faventem Psychopannychitis quos tam solidè refutavit, ita certum est eo probari animarum existentiam & operationem post mortem; quandoquidem quiescentes sub altari, id est, quiete cœlesti & æternâ fruētes sub Christi beneficio, (ut hoc nihil faciat ad Martyrum sepulturas vel reliquias sub altaribus in templis Christianorum) expetunt tamen & expectant avidè diem judicij ad gloriæ & fœlicitatis suæ perfectionem & complementum. Quàm aberraverint à scopo Veterum plerique qui per altare hoc terram intellexerunt, & animas piorum in subterraneis specubus ideo delitescētes imaginati sunt, nemo est hodie qui neget aut dubitet. Quod verò Volkelius *lib. 5. cap. 25.* hanc visionem per meram prosopopoejam interpretatur, ei similem quâ sanguis Abel dicitur ad Deum clamasse, est valdè iniquum; Cum non hoc tantum sibi velit hæc visio allegorica, sanguinem martyrum vindictam expetere, divinam sed etiam animas eorum tantisper dulcissimâ & gratissimâ frui quiete in Dei contemplatione, donec numero electorum completo sua corpora recipiant & Deus se accingat ad diem ultionis. Nec tamè eo quod jam provisionaliter & in particulari singuli mortuorum sunt judicati, & eorum spiritibus adjudicata est vel merces indebita vel debita pœna Heb: IX, 27. tollitur judicium universale & publicum quod expectamus in consummatione sæculi, quo solemniter & definitivè reddetur integris personis secundū id quod fecerint benè vel malè: Subordinata non pugnant.

Num: 2. SANCTOS non supra convexum cœli; sed IN ipso COELO EMPYREO cum Christo degere, docui Eph: IV, 10. Psal: X, 5. Dominus in cælo sedes ejus. Psal: CII, 19. In cælo paravit sedem suam.

Delineationem & descriptionem cœlestis palatij habes Apoc: XXI, 2. &

Iiiii 2

seqq.

seqq. & cap. XIII, 1. &c.

CENSURA. *Sanctos non supra*) Optimo jure Tirinus *ad Eph: 17, 10.* Thomæ, Anselmi, Paludani, Cajetani, Suarezij & Cornelij à Lapide respuit commentum, quo *volunt Christum toto corpore versari in spatio inani quod est supra cælum, solis verò pedibus insistere convexa superficiei cæli empyrei.* Nam spatium imaginari ultra convexam superficiem supremi cæli repugnat naturæ loci & spatij, quod cum debeat esse finitum, corporeum, divisibile & mensurabile, nequit concipi citra contradictionem vacuum & infinitum. Et qui spatia imaginaria, vel ante, vel extra mundū imaginantur, quæ Deus occupet, ut facit aliquando D. Voetius, æquè insaniunt ac si quis sibi imaginaretur tempus successivum ante & extra res creatas & in abyssu æternitatis. Nec favet illi imaginationi dictū Pauli, tum quia etiam *super turrin vel arborem ascendisse dicimus, non solum qui verticem transcendit sed etiam qui altiores ramos vel gradus conscendit etsi infra verticem hæreat,* inquit Lëssius *lib. 3. de summo bono cap. 8.* tum maximè quia Christus dicitur Paulo ascendisse super omnes cælos visibiles, ut Sanctuarium illud *ἀχειροποίητὸν* subiret in quo jugiter intercedit pro nobis *Heb: 1X, 24.* Atque hoc demum sensu dicitur factus excelsior cælis *Heb: VII, 26.* & cælos penetrasse *Heb: 1V, 14.* prout scilicet velum primum & secundum penetrabat summus Sacerdos quoties in Sancta Sanctorum debebat ingredi. Aliàs Christum suum corpus intulisse in sacrarium illud cæleste quod Scriptura vocat cælum cælorum, paradysum, domum Patris nostri, sinum Abrahamæ, regnum nobis à jactis mundi fundamentis præparatum, tertium cælum, non solum liquet ex communi Symbolo omnium Christianorum & historia Ascensionis Christi, sed disertissimè etiam docetur *Act: III, 21.* videlicet cælos ipsum capere debere usque ad tempus restitutionis omnium. Atque hic duos debemus annotare errores eorum qui se vocitant Lutheranos, in quos inciderunt cum nimio æstu suæ Ubiquitati voluerunt patrocinari. Primus est cælum Beatorum, quod Theologi Scholastici vocarunt cælum Empyreum, in quod Christus dicitur ascendisse, locum non esse creatum & corporeum supra hos cælos aspectabiles situm: Alter est cælum Dei & cælum beatorum, non idem esse; Brochmannus patrocinator primo errori *loco de Servatore cap.*

toræ cap. 1. sect. 16. n. 3. & *ibid.* quæst. 3. Secundo verò loco de *Vita æterna* cap. 2. quæst. 3. & 4. Sed utrique huic dogmati erroneo facile est obviam ire per Scripturas : Primus, quem videntur ex Eugubino defumpſisse, facile concidet si meminerimus, 1. Motum localem cujusmodi fuit ascensio Christi in cœlos, necessariò à loco ad locum fieri, ejusque terminum non esse simpliciter gloriosum aliquem statum, sed locum in quo gloriosus ille status obtineatur; 2. Corporibus Christi & beatorum excipiendis requiri necessariò corporeum locum, cum si non sit ubi sint, necesse est ut non sint, juxta doctrinam Augustini *Epist.* 57. 3. Civitatis illius cœlestis Deum disertè *τελειτην* & *δημιουργον* appellari Heb: xii, 22. 23. unde ejus creatura & opificium cenſeri debet; 4. Ipsummet Cl. Brochmannum fate-ri animas beatorum & corpora glorificata *alicubi* esse ex Joh: xiv, 2. loco & spatio valde remoto à sede damnatorum ex Luc: xvi, 26. At quod *alicubi* est, est in loco corporeo & creato; unde sequitur cœlum beatorum talem esse. Nec debuisset vir doctissimus profiteri se nescire *ubi sit illud πῦρ Beatorum.*, cum illud tam disertè exprimat Scriptura, nempe cœlum, prout ab his inferioribus & terrenis distinguitur, & in quibus quamdiu versamur, peregrinamur à Domino nostro Jesu Christo, qui tamen vult ut ubi ipse est nos unà secum simus. Nec tanti sunt quæ in contrarium opponuntur: Angeli qui in terris ministrant infantibus, in cœlis esse dicuntur Matth: xvi, 11, 10. non quamdiu illis ministrant, cum non sint ubique diffusi, sed in quantum è cœlo, quod est proprium eorum domicilium & ubi jugiter appa- rent coram Deo ut ejus capeſſant mandata, in terras emittuntur ad illa sua ministeria obeunda Heb: i, 14. Moſes & Elias in transfiguratione Christi aliunde venerant scilicet è cœlo, cum exhibuerunt Apostolis in monte Tabor specimen gloriæ quâ ibi fruuntur: Quod tunc verò fuerint in cœlo, non dicit Scriptura. Est quidem illa Patris domus in qua plures sunt nobis paratæ mansiones, *ἀρχιερροποι- ντος* 2. Cor: v, 2. Heb: ix, 24. hoc est, non humanæ structuræ & fabricæ, cujusmodi erat tabernaculum Moſaicum Heb: ix, 11. sed tamen verum illud Tabernaculum quod nos manet in cœlo, Deus ipse fixit & non homo Heb: xi, 2. Unde etiam illa domus *αἰωνιῶ-*

& æterna à parte post dicitur, quod verè marmorea nullius everſionis ſubſit periculo. Quapropter quæcunque ſit tandem futura ſæculi conſummatio, cœlum Emphyteum nullam in ſe mutationem patietur, cum eoſque non pertigerit vanitas illa quam peccatum creaturis affricuit & à qua ſe optent liberari, de qua Paulus Rom: VII, 20. 21. Nec propriè abolendi ſunt coeli & in nihilum redigendi, ſed tantum renovandi 2. Pet: I, 11, 13. ut inde non debeant metuere Lutherani, Cœlum Beatorum, ſupra coelos hos viſibiles ſitum, everſum iri in fine mundi: & ſemper ſupererunt ſpatia propriè dicta, diſtincta & à ſe invicem remota, in quibus beati ſuâ gloriâ fruuntur & damnati ſuas poenas ſentiant. Alter error æquè parum poteſt ſuſſistere; nam ſervatâ diſtinctione quæ eſt inter cœlum Deum, cum videlicet id nominis de ipſomet Deo ſumitur metonymicè, ut Dan: IV, 26. Matth: XXI, 25. Luc: XV, 18. & cœlum Dei, hoc ſanè nihil aliud poteſt eſſe quam ſupremum illud cœlum Beatorum, in quo Deus ſe fruendum exhibet Angelis & Sanctis, & quod, licet ipſe ſit ubique enter, præſenter, potenter, nobis tamen in Scripturis deſcribitur tanquam ipſius Thronus, Sedes Regia, Sanctuarium, ex quo preces noſtras exaudit & habenas tractat univerſis; quoſpectant etiam loca ex Pſal: X, 5. & CIII, 19. quæ Tirinus in indice annotavit; Non quod hæc non faciat intimè præſens nobis & omnibus rebus Jer: XXI, 23. etenim dixere Ethnici ipſi, *Jovis omnia plena*; Sed quod etiam dum hæc facit præſentiſſimè vult mentes noſtras ad ſupercœleſtem illam ſedem elevare, ut ubi eſt theſaurus noſter ibi ſit cor noſtrum. Atque hoc Dei cœlum diſtinguendum à cœlo Deo, aliud eſſe nequit quam ipſa Patris cœleſtis domus, in qua plures ſunt manſiones, & in quam Chriſtus ivit paraturus nobis locum Joh: XIV, 2. At Deus habitat æternitatem & lucem inaccessam Eſa: LVI, 15. 1. Tim: VI, 16. Cum Deus, ut ſcitè Tertullianus, ante creationem mundi fuerit ſibi locus, mundus & omnia, & abſurdè atque ἀδωλογῶς D. Voetius in *problem. Theol. Sylabo* paradoxorum pleno, ſtatuat Deum ante creationem mundi *alicubi* fuiſſe, (quoniam ante creationem mundi nullum *ubi* erat, nec Deo competit *alicubi* ſive aliquod *ubi*, vel *ubietas*, ſed abſoluta *ubiquitas* & immenſitas, ut ſit circulus perfectus cujus centrum ubique & ſemper, circumferentia

ferentia nusquam & nunquam) revera habet & semper habebit Deus in seipso æternitatem & lucem inaccessam quam inhabitet; sed id non impedit quo minus gloriæ suæ, ut Creaturis intelligentibus communicandæ, speciale habitaculum sit cælum Empyreum & Beatorum, quod se habeat ad residuum mundum ut se habebat ad atrium & locum Sanctum in Templo, ejus Oraculum sive adytum, ubi erat specialis illa שכינה, sive præsentia Dei in propitiatorio, ex qua dicebatur sedere inter Cherubinos gloriæ. At cælum Dei ubique extenditur, sicut etiam in eo sint dæmones & damnati. Sed id est valde paradoxum, cum ne quidem cæli cælorum Deum capiant 1. Reg: viii, 27. unde liquet ne quidem coelum Dei commensurari ipsius immensitati, & disertè coelo Dei ejecti sint Dæmones Luc: x, 18. & alienum sit à stylo Scripturæ Dæmones & damnatos & infernum coelo Dei includere, quod nihil aliud esset quam summa imis permiscere, & quæ toto coelo, quod ajunt, differunt, inter se confundere. Deus sanè, qui in Scripturis quandoque Coeli nomine exprimitur, est indistanter præsens dæmonibus & damnatis; sed hi non sunt in Deo tanquam in suo ubi, nec usquam dicuntur esse in coelo Dei, ex quo sunt exclusivissimi, ut hac voce Plautinâ utar, Apoc: xi 1, 27. xxii, 5. Interea non video quid emolumenti captent Lutherani ex illa subtili distinctione inter coelum Dei & coelum Beatorum, quæ potius evertit quàm comprobat ubiunitatem: Nam Christus non ascendit in cælum Dei, quo sensu illud sumunt isti Doctores; æquè enim in illud ascendisset cum descendit ad inferos, ac cum ascendit in coelos, nec ascenditur localiter in coelum quod ubique est; sed ascendit in coelum Beatorum, quod juxta ipsos non est ubique: Quare Brochmannus ipse pro eodem habet coelum Beatorum & coelum in quod ascendit Christus, eo quod *loco de Vita at. cap. 2. qq. 5. 6. 7. 8.* vult naturam coeli beatorum intelligi ex iis quæ disputavit de coelo in quod Christus ascendit, *loco de Christo servat. cap. 1. sect. 26. num. 3. q. 1.* Sed coelum beatorum est aliud à coelo Dei quod est ubique, uti pertendit idem Doctor *de Vita at. cap. 2. q. 3. & 4.* Ergo coelum in quod Christus ascendit non est coelum Dei, nec potest inde quicquam haberi quod Ubiunitati patrocinetur.

Delineatio-

Delineationem & descriptionem) Sed cum illa delineatio sit allegorica, nihilque habeat quod propriè ad hanc nostram Theologiam Elencticam spectet, non est quod in illa explicanda hìc immoremur; nec planè indigna sunt lectu quæ post cæteros ad utrumque hoc caput Tirinus annotavit.

Num: 3. Magnitudo GLORIÆ & deliciarum cœlestium colligitur ex Esaiæ LXIV, 4. *Nec oculus vidit, nec auris, &c.* Rom: VI II, 18. *Non sunt condignæ passionēs, &c.* 2. Cor: IV, 17. *Momentaneum, &c.* Psal: XXXV, 9. *Inebriabuntur, &c.* Essentialis beatitudo Sanctorum sita est in clarâ visione Dei. Psal: LXXIX, 8. *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Psal: XV, vers. ult. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, &c.* Psal: XXXV, 10. *In lumine tuo videbimus lumen.* Ioh: XIV, 21. *Manifestabo ei meipsum; Matth: V, 8. Ipsi Deum videbunt.* 1. Ioh: III, 2. *Videbimus eum sicuti est.* 1. Cor: XIII, 12. *Facie ad faciem.* Matth: XVIII, 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris, &c.* Hinc consequitur amor quo plenè ac indivulsè uniuntur Deo. Gal: I, 20. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Cant: II, 5. *Amore langueo.* cap. V, 6. *Anima mea liquefacta est.* Psal: CXVIII, 81. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Inde perpetuæ laudes, benedictio & glorificatio. Dan: III, 57. *Benedicite omnia opera Domini Domino, &c.* Psal: CII, 1. *Benedic anima mea Domino, &c.* Apoc: VII, 12. *Benedictio et claritas, &c.* Inde satietas & gaudium & pax & quies æterna. Matth: XXV, 21. *Intra in gaudium Domini tui.* Psal: XV, vers. ult. *Adimplebis me lætitiâ, &c.* Esaiæ XXXV, 10. *Lætitia sempiterna, &c.* Apoc: XXI, 4. *Absterget Deus, &c.*

CENSURA. *Magnitudo gloria & deliciarum*) Loca quæ hìc citantur satis sunt apposita, sed quo major est illa gloria eo minus proportionis ad illam habent nostra opera, quod etiam docet palàm Apostolus Rom: VI II, IV, 2. Cor: IV, 17. ut frustra Pontificij de suorum meritis ex condigno glorientur. In his autem deliciis vitæ æternæ nihil corporearum & crassarum voluptatum debentur imaginari, ut faciunt Mahumetani apud Euthymium Zigabenum *Panopl. contra Saracenos*, & Judæi, quorum hi nescio quas ex Leviathane occiso & fædito à Deo, item ex Behemoth & aliis sibi pollicentur epulas, de quibus Buxtorfius consulatur *Synag. Iud. cap. 36.* Scriptura palam nos abducit à talibus cogitationibus Matth: XXI, 30. Rom: XIV, 17. 1. Cor: VI, 13. Apoc: VII, 16.

Essentialis Beatitudo) Hæc est communis sententia non modo Scholasticorum

Iasticorum in communione Pontificia sed Theologorum Reformatorum, uti patet, missis cæteris, ex Synopsi Leidensi *disp.* 52. & Wallzo in *Loci Comm. de vita æterna*, formalem beatitudinem consistere in Dei visione, non utique corporea, ut Vorstius imaginabatur, sed intellectuali, quæ non fiat per aliquam speciem intelligibilem ex Deo expressam & mentibus nostris impressam, ut sit principium quo intellectionis nostræ; sed per ipsammet Dei essentiam; Quæ loquutio sanè debet intelligi: nec enim significat modum vel medium quo Deo fruimur; nam id pertinet ad lumen gloriæ; sed significat objectum quo visio nostra intellectualis terminatur & in quod tendit, id est, principium quod nostræ intellectionis sive rem cognitam & intellectam. Non tamen placuit hæc doctrina D. Voetio, homini verè paradoxo & undique ex paradoxis confuto, qui in *Syllabo prob. Theol. tit. 2. de summo bono sive beatit.* hoc problema quasi contra Pontificios concludit negativè, *An ad beatitudinem requiratur comprehensio & visio Dei per essentiam?* id est, num ipsius essentiæ divinæ comprehensio & visio sit formalis beatitudo nostra. Sed cum Deus sit nostra Beatitudo objectiva Psal: XVI, 5. LXXIII, 28. unde eleganter & nervosè Augustinus *lib. 1. Confess. cap. 1. Fecisti nos ad te & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te;* ac *lib. 19. de Civit. Dei cap. 26. Vt vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est;* & Boethius *lib. 3. de Consol. phil. prosa 10. multus est ut probet veram beatitudinem in summo Deo sitam esse;* ita formalis nostra beatitudo in Dei ipsius visione & fruitione debet consistere; quod similiter passim docet Scriptura Psal: XVI, 11. XVII, 15. Matt: V, 8. Joh: XVII, 3. 1. Cor: XIII, 2. ut reliqua mittam Tirino hîc citata: Nolim tamen urgeri locum Psal: 79. Heb: LXXX, 8. qui ad favorem Dei in communi potest referri; vel Psal: 35. Heb: XXXVI, 10. qui tantum agit de lumine & gratiæ & gloriæ quo Deo fruimur; vel Joh: XIV, 21. qui agit de cognitione Christi salutaris etiam obscura, quæ obtinetur quoque in hac vita; vel 1. Joh: III, 2. cum possit restringi ad Christum incarnatum, cui similes quoque sumus evasuri etiam quoad corpus ut docemur Phil: III, 21. Jam verò Deum videre eoque frui nemo censetur in patria, nisi qui ipsius essentiam videt eaque fruitur, cum

Kkkkkk

nihil sit

nihil sit Deus quod ejus essentia non est; quare ad eam sive comprehensionem sive apprehensionem Paulus collimabat Phil: 111, 12. Neminem verò offendat *comprehendendi* verbum quo hic utuntur Scholastici, cum eorum sensu nihil oblit incomprehensibilitati essentia: divina: si quidem illis comprehensio non significat inclusionem comprehensi in comprehendente, sed *nihil aliud nominat quam retentionem alicujus rei que jam presentialiter habetur, sicut aliquis consequens aliquem, dicitur eum comprehendere quando tenet eum*, ut monet Thomas 1. 2. q. 4. art. 3. ad 1. & 1. q. 12. art. 1. Quare commodius se loqui putant qui Beatos apprehensores potius dixerint quàm comprehensores: Ex qua observatione intelligendi sunt illi è veteribus quos citat Cl. Gomarus p. m. *Operum suorum p. 1. diff. de vis. Dei ad versum 18. cap. 1. 1ob. Nam & Augustinus etiam dicit ep. 112. Attingere mente Deum magna est beatitudo, comprehendere autem est impossibile.* Nec Voetius poterit D. Gomarum in suas partes pertrahere, cum Gomarus disertè statuat quod *Beatitudo in Dei fruitione & visione consistit non absolute (& sane nostra sive apprehensio sive comprehensio erit finita & inadæquata) sed quatenus capere potest Creatura rationalis; item quod beati visuri sint essentiam Dei eaque fruituri in gloria qua Deus se toti homini patefaciet & communicabis, adeo ut futurus sit hac ratione, ut Paulus loquitur, omnia in omnibus, hoc est beatorum summum bonum & beatitudo.* Non sunt autem tam gravia quæ in contrarium possint objici quin ad illa sit parata responsio ex Leidenibus & Wallæo.

Hinc consequitur amor). Et bene; nam ut ignoti nulla cupido, ita summi boni cogniti tam ardens est amor in Patria quàm clara cognitio: Et revera qui Deum non diligit Deum nescit. Ex Deo viso & amato ineffabile manat gaudium quod in juges Dei laudes erumpit. Ut non sit hîc opus se immergere in Scholasticorum tricas, in quo horum trium formaliter consistat Beatitudo, Visione-ne, Amore, an Gaudio, cum uno verbo controversiæ hæ decidantur, si dixeris Beatitudinem *precise* sumptam pro adeptione & apprehensione summi boni in sola visione consistere, sed sumptam pro omni actu qui in illa complenda & perficienda requiritur simul constare *aggregatè* his tribus; prout Poëtarum Orion à Jove, Neptuneo & Apolline

Apolline genitus fingebatur : Nam Apollo qui Deus fuit Sapientiæ , notitiam potest notare , Amorem Jupiter , cui ille valde fuit obnoxius , & Gaudium Neptunus , quem Tritones tubâ canentes in lætitiæ Symbolum perpetuo comitantur . Et inde liquet obiter non fuisse Christum simul viatorem & comprehensorem , ut volunt Scholastici , eo quod cum beatitudine comprehensorum nequeat conciliari profunda illa tristitia quam aliquando in anima sua sensit Matt: xxvi, 38. Interim loca quæ hûc protulit Tirinus , dum nimis festinat , pleraque minus vel apta sunt vel expressa ad eam rem de quâ agitur : Testimonium Gal: II, 20. non est de amore sed de fide quâ Christus habitat in cordibus nostris Eph: III, 17. Quæ extant Cant: II, 5. v. 6. Psal: CIII, lat. 102. 1. & 118. Heb: CXIX, 81. Dan: III, 57. Viatorum quoque sunt non tantum Comprehensorum ; imo hoc ultimum ex Cantico Sociorum Danielis non Canonicum est sed Apocryphum . Ad amorem pertinet expressè locus 1. Cor: XIII, 8. 13. Ad laudes Apoc: IV, 8. v. 8. 9. VII, 12. Ad gaudium cœtera quæ in Indice leguntur .

Num: 4. Accessoria BEATITUDINI (etsi rideant hæretici ,) sunt præmia quædam singularia excellentioribus virtutibus proposita , quæ DOCTORES AUREOLAS vocant , vocabulo desumpto ex Exodi xxv, 25.

Aureola Prima, est MARTYRUM. Apoc: II, 10. *Esto fidelis usque ad mortem , & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc: VII, 9. *Amicti stolis albis , & palma . &c.* Matth. x, 32. *Qui me confitebitur coram hominibus , &c.* Secunda est VIRGINUM. Apoc: XIV, 3. *Cantabant canticum , &c.* I Cor: VII, 34. Tertia DOCTORUM. Dan: XII, 3. *Qui ad iustitiam , &c.* Matth: v, 19. *Qui fecerit & docuerit , &c.*

CENSURA. *Accessoria beatitudini*) Nolamus incidere in eum errorem quem Hieronymus & Augustinus ex illo *de hæres. ad Quod vult Deum* tribuit Joviniano , nempe omnes beatos fore æquales in gloria : Noster Calvinus , ut cœteros nostræ communionis mittam , contrarium statuit *lib. 3. Inst. cap. 23. §. 10.* Quare non negamus sic eandem fore omnium in cœlo essentialem beatitudinem , quoniam Deus erit omnia in omnibus , delectatio in volunta-

K k k k k k 2

te, mel

te, mel in ore, melos in aure, jubilum in corde, ut nihilominus sit aliqua discrepantia & varietas circa accidentalia, prout nec stellæ omnes, licet naturæ & essentia ejusdem, sunt tamen ejusdem magnitudinis & splendoris. Id quippe conveniens est ut sit aliqua diversitas in donis gloriæ, prout est diversitas in donis gratiæ; ac sicut se Deus habet variè in talentorum suorum distributione, ita etiam se habebit variè in eorum remuneratione quibus illa concredita fuerant; Omnes pariter introducuntur in Domini sui gaudium, Matt: xxv, 21. 23. sed tamen cum aliqua disparitate fortis, cum unus allegoricè præficiatur decem Urbibus alter quinque Luc: xix, 17. 19. Eo maxime pertinere videtur locus Danielis xii, 3. Erunt tamen suâ conditione contenti, nec supererit in perfectissimo statu locus vel indignationi vel invidia: Singulorum vasa in hoc mare felicitatis projecta æquè plenè adimplebuntur, licet capacitatis inæqualis sint inter se. Ut verò in his acquiescimus, sic merito Pontificiorum degmata de Aureolis coronæ aureæ beatorum quorundam imponendis pro auctario, rejicimus; I. Quatenus eas superabundantibus meritis & operibus supererogationis putant deberi: cum *dona sua Deus coronet in cælo non hominum merita*, ut suo loco visum ex Scripturis & Augustino. II. Quatenus hoc nomen Aureolæ ex V. V. desumptum Exod: xxv, 25. huic rei inepte adhibetur; Quid enim limbus aureus circumpositus tæniæ palmari mensæ Sanctæ, de quo Moses, ad Beatitudinis accidentalium in Cælo? Tum malè Latinus Interpretes Hebræicum *כתר* reddidit *coronam aureolam*, cum limbum vel coronam ex auro significet. Et si quid sit necessarium in hoc argumento, tam necesse erit omnes in cælo qui coronam adipiscuntur has quoque referre aureolas, quam in mensæ fabrica necessariò priori tæniæ hic limbus aureus addebatur. Sed plura, ante notavimus exempla in quibus Papistici Doctores ex mala Grammatica pessimam Theologiam fecêre. III. Quatenus ista distribuuntur à Scholasticis tam confidenter ac si Agonothetæ supremo essent à consilijs, & Magistri Cæremoniarum constituti in aula cœlesti: Sanè Paulus qui & Martyr fuit & Virgo & Doctor, triplicem aureolam non præstolabatur, sed unicam anhelabat justitiæ coronam 2. Tim: iv, 8. cui in man-

cissimam

tissam illi videbantur accessuri quos erudiisset ad salutem; unde Philippenses suum gaudium & suam coronam appellat Phil: IV, 1. IV. Quatenus ea Scripturæ testimonia ad hanc rem proferuntur quæ illi comprobandæ neutiquam inserviunt. Martyres quod spectat si votum Martyrii ipsi æquipollet martyrio, ut Baptismo votum baptis- mi, nam etiam Martyrium est baptismus sanguinis, omnibus fide- libus debetur hæc aureola; cum nemo verè Christianus non debeat esse paratus mori pro Christo si eò vocabitur. Apoc: II, 10. non agitur de aureola quæ coronæ adijecitur, sed de ipsa corona vitæ quæ non solis Martyribus promittitur, sed omnibus constanter in Christi fide & officio perseverantibus: Similia extant communia omnibus pijs I. Cor: IX, 25. 2. Tim: II, 5. Jac: I, 12. Apoc: VII, 9. stolæ albe: non aureolam denotant, sed ipsam essentialem beatitudinem & gloriam animæ, quæ erit communis omnibus, iudice ipso Ribera ad Apoc: VI, n. 46. & ad VII, ejusd. libri n. 18. Imò ipse Tirinus ad Apoc: VI, 9. sic loquitur, *Quomodo non sunt gloriosi qui induuntur stolis albis id est lumine gloria, visione & fruitione Dei, ut omnes Interpretes Orthodoxi exponunt? & pater ex supradictis (nempe Apoc: III, 5.) & ex capite seq. v. 9. & 13: Stola enim præsertim alba & splendida symbolum est gloriæ, facultatis & dignitatis.* Non ergo stolæ loco hic ipsi citato pertinent ad aureolam, ut neque palma quæ illis adjunguntur, cum eodem Tirino iudice ibi tribuantur multitudini salvandorum, idque in Symbolum victoriæ quam omnes tenemur referre de mundo, carne, Satana & peccato ut coronemur. Sic & Confessio ad quam nos hortatur Christus Matt: X, 32. non Martyrum solorum est, cum & usus inter Chri- stianos obtinuerit Confessores à Martyribus distinguendi, sed omni- um omnino verè fidelium, qui ad illam ex vocationis suæ officio tenentur, juxta dictum Pauli Rom: X, 10. Virgines quod attinet ip- sa virginitas per se physice considerata nec virtus est nec vitium; nec virginitati Aureola promittitur in cælo I. Cor: VII, 34. sed vita minus impedita in terris: Quam autem huc non faciat locus Apoc: XIV, 3. ostensum ad *Cont. IX, n. 7. pag. 397.* Quoad Doctores agnos- cimus ex locis Tirino hic citatis, suos singulari præmio non esse fru- strandos. (ut nec Martyres Christi) si modò non scenum & stipulam,

Kkkkkk 3

sed au-

sed aurum & gemmas inædificaverint fundamento, & sedulam deriderint operam ne dum alijs concionantur ipsi reperiantur ἀδουμάδι, instar fabricorum eorum qui Arcam Noë ad ipsius & suæ familiæ salutem extruentes, in diluvio tamen perierunt: Sed quale sit futurum hoc speciale præmium θεῶν ἐν γῆνασι κείται, neque hominum est temerè definire.

Num: 5. QUATUOR DOTES corporis gloriosi habes 1. Cor: xv. 42. *Seminatur*, &c. Et rursus de IMPASSIBILITATE, Ef: XLIX, 10. & Apoc: VII, 16. *Non esurient*, &c. Apoc: XXI, 4. *Mors ultra non erit*, &c. De CLARITATE, Sap III, 7. *Fulgebunt iusti*, &c. Dan: XII, 3. *Fulgebunt tanquam splendor firmamenti*, &c. Matth: XIII, 43. *Sicut sol*, &c. De AGILITATE, Sap: III, 7. *Tanquam scintilla discurrent*, &c. Ef: XL, v. ult. *Assument pennas ut aquile*, &c. De SUBTILITATE & vi penetrandi alia corpora, habes exempla in corpore Christi, supra contr. XXI, n. I. *Erunt sicut angeli Dei*, Matth: XXII, 30.

CENSURA. *Quatuor dotes corporis*) Hic iterum se prodit Scholastica illa luxuries ingeniorum quæ se ingerit ubique, & abdita quæque non miratur modo, quod factum oportuit, sed curiosè importunitate rimatur & audet definire. Ex Paulo agnosco 1. Cor: xv, 42. & 43. corpora piorum in resurrectione fore incorruptibilia, gloriosa, spiritualia, & omni eâ infirmitate quâ nunc circumdantur caritura; Sed ut quatuor illæ dotes quas enumerat Tirinus cum alijs Scholasticis, ex Paulo necessariò colligantur non video: nec in illis quatuor sistit Damascenus lib. 4. *Orthod. fidei cap. 18.* licet noster cum testem citet ad 1. Cor: xv, 44. Et metuendum est ne dum audaciùs has dotes omnes assignare volumus corporibus glorificatis, januam aperiamus errori turpissimo Socinianorum qui fingunt alia planè corpora à nostris nos in resurrectione consequuturos. Damasceno imposuit quod non satis est assequutus quid Paulò esset corpus spirituale. Id sanè non est corpus naturæ spiritualis & Angelicæ; sic enim non corpus esset sed spiritus, quæ duo nequeunt idem esse, cum oppositæ sint species substantiam creatam primò & immediatè dividentes; Sed est corpus non amplius obnoxium necessitatibus & affectibus

tibus vitæ animalis, & in templum Spiritus Sancti ut ab ipso regatur
 & repleatur penitus consecratum. Sic enim ipse Paulus hominem
 ψυχικόν & animale[m] opponit homini πνευματικόν & spirituali 1. Cor:
 II, 14-15. Sunt corpora glorificata *impassibilia*, id est talia quæ nec
 corruptioni, nec dolori, nec fami, nec siti, nec morti, nec frigori, nec
 calori obnoxia sint futura, ex Apoc: VII, 16. & Esajæ XLIX, 10. licet
 Tirinus & Cornelius à Lapide id vaticinium nonnisi anagogicè ad fœ-
 licitatem patriæ trahant, & litteraliter interpretentur illud de conditi-
 one fidelium viatorum, quos Deus pascit in hoc deserto mannâ suo
 donec subeant terram promissionis; Sunt eadem corpora *lucida & sul-*
gentia, ex Dan: XII, 3. Matth: XII, 43. quandoquidem & suo sen-
 su hæc conditio conveniebat primo homini, quem Deus coronaverat
 honore & gloriâ; unde Judæorum dicitur *Malleolum Adami obscu-*
rassè spheram Solis, apud Menasseh Ben Israël *de fragil. humana, parte 1.*
S. 4. n. 4. Attamen locum ex Sap. III, 7. bis perperam huc citavit
 Tirinus; nec enim agit ille author de dotibus corporis glorificati,
 sed de temporali liberatione promptissima & expeditissima bonorum,
 etsi aliquandiu pressi calamitate & calumnijs fuerint; Si tamen quis
 maluerit eum trahere ad fœlicitatem cœlestem, nihil aliud denotave-
 rit, quàm bonos ubi Deus veniet orbem judicatum, splendorem ci-
 rissimum consequuturos utut lordidati in hac vita fuerint; Dicam am-
 plius; Sunt & *agilis* corpora glorificata, utpote inertis pondere & sa-
 burrà quâ nunc gravantur sublevata, juxta quam conditionem sine re-
 luctantia sunt rapienda sursum in occursum Christi 1. Thess: II, 17. non
 tamen scintillarum instar tenues in auras abitura, ne quis hûc Philonis
 dictum temerè rapiat: pennas verò aquilinas Esajæ XI, 31. ipse Tirinus
 ibi ad auxilia gratiæ refert, non ad dotes gloriæ. Sed ut corporibus glo-
 rificatis tribuat *ea subtilitas & vis penetrandi alia corpora*, quam hic com-
 memorat Tirinus, id nullis fidiculis vel ex Pardo vel ex alio aliquo
 Scriptore sacro expriment Jesuitæ; ut nec in eodem errore cum illis
 conspirantes Doctores Lutherani, quos inter Brochimannus eum magis
 acriter quàm nervosè propugnat loco de Vita et. cap. 2. q. 10. Quam id fal-
 sò velint tribui corpori Christi satis superque ostendimus Cont. XXI. n. 1.
 Non plus est ponderis in *jeaγγίλια* que promittitur pijs Mat: XXI, 30.

Luc: XI.

Luc: xx, 36. Erunt enim *πίσαγγελοι* ratione status & fœlicitatis; non ratione essentia & naturæ; atqui penetratio corporum per Angelos non pertinet ad eorum fœlicitatem, sed ad eorum naturam; est enim communis bonis & malis. Nostri verò corporibus Deo gloriam dabit sed non auferet naturam, ut nec fecit corpori Christi, quod solidum, quantum, extensum, visibile & palpabile remansit post resurrectionem; Et ut nolint tum Lutherani tum Jesuitæ assertiri Grotio *ad Matt: xxii, 30.* inde colligenti cessaturum inter beatos discrimen maris & fœminæ, quod nec Angeli sexu sint discreti, (quem errorem jam olim damnavit & justè refutavit Hieronymus inter eos quos carpsit in Johanne Hierosolymitano, scribens *ad Pammach*, nec alio sine Grotius interpolavit quam ut velificaretur placitis suorum Socinianorum, *Carnis* resurrectionem negantium, nam nec Angeli quicquam habent carnis & sanguinis; ita etiam debent æquo ferre animo, quod nolimus illam *ίσαγγελια* eo usque extendere, ut ex corporeis naturis faciamus naturas Angelicas & Spirituales.

Nam. 6. Cum verò corpus humanum non sit utile animæ, nisi propter sensuum usum, frustrà illud resumetur, nisi etiam in alterà vitâ foret eorum SENSUUM OBLECTATIO. **VISUS** pascetur aspectu corporum beatorum, & palatij amœnissimi ac præstantissimi, Apo: xx. & xxi. Et quando volent, etiam aspectu horrendi damnatorum carceris & tormentorum infernalium. Isa: ult. versu ult: *Vsq̄ ad satietatem visionis omni carni.* Apoc: xiv. 10. *Cruciabitur igne et sulphure in conspectu angelorum sanctorum, et ante conspectum igni, &c.* Multo magis patet Sanctis theatrum reliquum mundi & totius universi, I Cor: iv. 9. *Spēctaculum facti sumus, &c.*

AUDITUS pascetur suavissimâ melodîâ Ps: cxlix. 6. *Exaltationes Dei in gustare eorum, &c.* Apoc: xiv, 3. *Cantabant canticum, &c.*

Suavissimum **ODOREM** spirabunt tum corpora Sanctorum, tum regio tota cœlestis. Es: xxxv, 1. *Florēbit quasi lilium &c.*

PRO GUSTU serviet mensa cœlestis. Luc: xii, 37. *Facies illos discumbere, &c.* Luc: xxi, 29. *Vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Item *fructus ligni vite per singulos menses*, Apoc: ult. vers. 2. Denique Luc: xv, 15. *Beati qui manducabit panem in regno Dei.*

Quoad **TACTUM** Ps: xxiv, 9. *Torrente voluptatis tue potabis eos.*

CENSURA. *Cum verò corpus humanum*) Nusquam magis mihi videtur

videtur Jesuita infaniſſe quam hoc loco, ubi ſenſuum oblectationes pro corporibus glorificatis colligit ex iis Scripturæ testimoniis, quæ loquutionibus metaphoricis & figuratis à ſenſibus deſumptis intellectuales & ſpirituales Beatorum delicias explicant : Non *tactui* ſed animo proponetur torrens ille voluptatis de quo Pſal: xxxv. Heb: xxxvi, 9. Etenim cum illæ deliciæ, Tirino *ibi* iudice, etiam *hic per ſpem & praguſtum quendam percipiuntur, ut ſubinde Martyribus & alijs quibusdam accidit*, mentis debent eſſe non ventris aut eorum quæ infra ventrem; adeoque ad corporeum tactum non pertinent. Similiter epulæ quæ in cælo beatis inſtruentur, non palato & *gustui* deſtinabuntur, ſed cogitationi & menti; nam Deus ipſe erit portio poculi noſtri Pſal: xvi, 5. nec fructus arboris vitæ ventri ſed menti proponentur Apoc: xxi, 2. Aliàs enim Regnum Dei non eſſe elcam vel potum, ſatis liquet ex Rom: xiv, 17. Nemoque eſt tam puer in ſacris litteris qui neſciat nonniſi figuratè ſub convivij inſtructiſſimi & opipari imagine deſcribi fœlicitatis æternæ delicias, ut intelligatur eas non ſpectare ad ſenſuum titillationem, ſed ad animæ repletionem; Ipſemet Tirinus *ad Apoc: xx, 1.* per fluvium & lignum vitæ nihil aliud vult intelligi quam *exuberantiam bonorum & voluptatum ex clara Dei & Chriſti viſione ac fruſtione in Sanctos omnes emanantium.* Idem dico de odore ſuaviſſimo ex corporibus glorificatis prodituro : Nemo enim hæcenus quod ſciam id inter dotes corporum glorificatorum retulit, aut ſibi perſuaſit illa futura ſimilia corpori Alexandri cujus ſudor erat gratiſſimi odoris : *Quin* locum Eſaiæ xxxv, 1. ipſe Tirinus *ibi* interpretatur de Gentilitate ad Chriſtum ejuſque cultum converſa, in quo *inſtar lilij* florere debebat, *miro vita & puritatis nitore*, qui ſanè nares non ferit. Nec muſicam debemus neceſſariò concipere pro *auditu* in cælis quâ aures demulceantur, ex locis hîc Tirino citatis; Saltem alienus eſt Pſal: cxlix, 6. cum exultationibus ſive laudibus Dei quas habere debent pij in ſuo gutture conjungantur gladij bipennes, quibus nempe omnis vis inimica veritâti & impietati debelletur; quod ad viatores pertinet, non ad comprehenſores : *Quoad* locum Apoc: xiv, 2. 3. & Apoc: v, 8. non diſſiteor per citharas quibus inſtruantur beati, ſi-

Llllll

gnificari

gnificari eos tanquam sacros in Dei templo cantores ad Dei laudes z-
 ternum celebrandas esse constitutos; sed ipse Tiranus *ad Apoc: 7, 2.*
monet quod citharæ symbolo adumbratur perpetuum Beatorum gaudium &
jubilus, continua Dei laudatio ac summa inter omnes consonantia & concor-
dia: & ad Apoc: xiv, 3 nonnisi alligoricè & mysticè vult sumi quæ ibi
 de citharædis leguntur. Quæ habet de visu pascendo *aspectum corporum be-*
atorum & palatij celestis amantissimi ac præstantissimi, addam & ego contem-
 platione Christi in carne manifestati & gloriosi *1. Joh: III, 2.* tolerari
 possunt; non ita verò reliqua quod beati *quando volent* visum oblectabunt
 ex suppliciis damnatorum; quasi fessi unâ semper actione & occupatione,
 ad talia diverticula debeant devenire; quin hoc spectaculum potius *nau-*
seam excitaret juxta versionem Junij Esa: *LXVI, 24.* quàm delectatio-
 nem; nec quia dicuntur impij torqueri in conspectu Sanctorum & An-
 gelorum *Apoc: xiv, 10.* verosimile est subinde Beatos eo suos oculos
 inflexuros, ut oblectationem, quam solidam habebunt in Deo, inde
 quærant. Quod item subijcit *multo magis patere Sanctis theatrum reli-*
quum mundi & totius universi, cum grano salis est sumendum: Nam
 si hoc sibi vult animas beatas nihil latere eorum quæ fiunt in mundo,
 ut illis omniscientiam tribuat, fallitur, cum nullam amplius partem
 habeant in iis quæ fiunt sub sole: Si id ad aspectum corporeum post
 resurrectionem refert, debet scire visui corporeo in Beatis suam
 remansuram activitatis spheram, extra quam non feratur, sicut sua
 competit ipsismet Angelis, utpote naturæ finitæ, extra quam nec
 sunt, nec operantur. Neutri sententiæ favet locus Apostoli *1. Cor: iv,*
9. qui spectaculum erat mundo & hominibus hujus sæculi, non bea-
 tis in coelo; nec non Angelis cominùs in Ecclesiæ cœtu versantibus
 ob ministeria sibi commissa & observantibus omnia *1. Cor: xi,*
10. non verò hoc eminùs è cœlo contemplantibus: Neque hæc à
 nobis ideo disputantur quo negemus omnem corpoream & sensitivam
 operationem Sanctis fore tribuendam post resurrectionem; Sed *1.*
 negamus ad operationes propriè corporeas & sensitivas esse trahen-
 da quæ de operationibus spiritualibus & intellectuibus sub illarum
 metaphora dicuntur in Scripturis, ut hic factum valdè ineptè à Ti-
 rino. *11.* Arbitramur planè Sanctos spiritu & corpore, mente & vo-
 ce Deum

ce Deum glorificaturos, adeoque sensus magis spirituales, cujusmodi sunt *visus & auditus*, suas quoque habituros functiones, non minus quam ipsam linguam; sed quoad reliquos tres magis corporeos, eorum organa videntur superflua ad integritatem & ornatum, ut sunt mammae in corpore virili, non ad operationem & usum: neque id desideraturos Beatos, quorum mens in objecto gratissimo, Deo nempe, defixa, plus habebit solidae voluptatis quam omnes sensitivæ operationes simul possent producere; quas ea ratione suspendi & impediri minus mirum est; quandoquidem vel in hac vita jucunda aliqua mentis operatio vehementior, ita sæpè animam abstrahit à sensibus, ut patet non solum in extasi sed etiam in contemplatione intentiori, qualis erat Archimedis cum Syracusæ caperentur apud Plutarchum in *Marcello*, ut sensuum cessent operationes etiam circa propria sua objecta, licet adsint & præsentia sint. Sæpè viri litterati ita suis incumbunt meditationibus, ut vel in ipsa mensa se mensæ affidere oblivisci videantur, adeo eorum animus non est in patinis sed in studiis & libris.

Num: 7. SANCTOS à nobis HONORANDOS, COLENDOS, & ADORANDOS, omninò negant cum Gnosticis, Eunomio, Vigilantio, Mahomete & Wiclefo, omnes nostri hæretici: sed probat S. Scriptura, Rom: II, 10. *Gloria et honor omni operanti bonum.* Cum enim adoratio, cultus seu honoratio sit submissio sui erga alterum ex recognitione excellentiæ illius, debetur pro ratione diversæ excellentiæ diversa honoratio seu adoratio. Pro divinâ, debetur adoratio supremi ordinis, quam *LATRIAM* vocamus. Pro naturali vel politicâ, seu civili, adoratio *CIVILIS* & naturalis. Sic adoramus seu honoramus eos qui de magistratû sunt, qui nobilitate, fortitudine, sapientiâ præcellunt &c. Pro supernaturali excellentiâ in gratiâ & gloriâ, debetur adoratio seu cultus supernaturalis, quem vocamus *DULIAM*, & est media inter *latriam* & adorationem *civilem*. Atqui hæc supernaturalis excellentia reperitur in Sanctis; ergò supernaturali *dulia* colendi à nobis sunt. Sic *Abraham* Gen: XVIII, 2. *Lot* Gen: XIX, 1. *Ioſue* cap. v, 15. *Manne* Iud: XIII, 20. *Balaam* Num: XXII, 31. *Angelos* adorant; & *Saul* animam *Samuelis* 1. Reg: XXVIII, 14. *Abdias* Bliam 3. Reg: XIII, 7. & filij Prophetarum *Eliseum* 4. Reg: II, 15. *Nathan* propheta Prophetam *Davidem* 3. Reg: I, 23. Et licet Sancti nobis præſentes non adsint, ſciunt tamen n. 6. & gratum habent ſibi exhiberi honorem, quod hæc viâ ſentiant, Dei dona à nobis magni fieri. Dein excellentia virtutis meretur

LIIII 2

etiam

etiam honorem in absentia : nam & ad solam principum mentionem caput detegimus.

Quâ ratione Matth: IV, 10. & Deut: VII, 13. Dominus Deus adorandus & illi soli servendum, & I ad Tim: I. 17. dicatur *Soli Deo honor & gloria*, & Apoc: XIX, 10. & c. XXII, 9. Angeli recusent adorari, ut & S. Petrus à Cornelio Centurione Act: X, 26. ibidem exposui, ut & Esth: XII, 12. quare *Mardocheus* genua coram Aman flectere recusavit.

CENSURA. *Sanctos à nobis honorandos*) Sophisticè & perverse agit à limine Tirus; siquidem & honorandos & colendos Sanctos confitemur, negamus adorandos, ne quod Creatori soli debetur in Creaturam transferatur : Colendos eos censemus cultu *dilectionis & societatis* non servitutis, ut loquar cum Augustino *lib. 20. contra Faustum c. 1.* eosque statuimus *honorandos propter imitationem, non adorandos propter religionem*, ut idem habet *lib. de vera Rel. c. ult.* Gnosticis verò, Eunomio, Vigilantio, nemo veterum exprobravit quod Sanctorum cultui religioso sive adorationi obstreperent ; Gualterus Jesuita *Chron. sua sac. 2. in coll. vet. hares. cum modernis cap. 6.* Gnosticorum varios errores nobis conatur per impudentiam summam asserere, nihil tamen habet quod huc trahi possit. Agit idem *secul. 4. coll. Hares. cap. 17.* de Eunomianis quos etiam Eudoxianos vocat (& qui fuere propago Arrianismi, ut patet ex Basilij disputationibus contra eos, & Historia Ecclesiastica Philostorgij, ejusdem secte hominis, quam juris publici fecit ante aliquot annos C. V. Jacobus Gothofredus) sed nihil illis tribuit quod ad hanc controversiam spectet. In Vigilantium suo more acerbius invectus est Hieronymus, sed tantum abest ut vitio ei verterit quod Martyres negaret adorandos, ut è contrario id tanquam grande crimen amoliretur ; *Quis ô insanum caput martyres adoravit, quis hominem putavit esse Deum ?* Mahometem ipsimet potius ad stipulatorem habent suæ superstitionis ; nam ut ostendimus *ad Cont. preced. n. 1.* Mahometani suos habent Sanctos plurimos quos colunt & invocant. Nec difficile esset syncretismum Pontificiorum hac in parte cum Ethnicis, cum Collyridianis, cum Arrianis & Nestorianis ostendere, iis fervientibus eosque colentibus & adorantibus quos natura esse Deos, vel certum erat, vel ipsimet saltem negabant.

Sed probat S. Scriptura Rom: 11, 10.) Inepta probatio; nam hic honor, de eo

de eo intelligitur qui à Deo confertur in benè operantes, quique manebit in æternum etiam cum nemo erit vel possit esse qui eos religiosè colat & adoret; Hoc sensu dixit Christus Joh: xii, 26. Si quis mihi ministraverit honorabit eum Pater. Deinde aliud est Sanctos honorari eorumque nomen & memoriam esse in pretio & benedictione, quod judicamus necessarium, aliud est eos religiosè coli & adorari, quod idololatricum statuimus: Sic etiam Epiphanius *har. 79.* disputans contra Collyridianos qui B. Virgini religionis cultum & adorationem deferebant, ita loquitur; *ἐν τιμῇ ἕσω μαρία, ὁ δε πατρὸς καὶ υἱὸς καὶ πνεῦμα ἅγιον προσκυνέισθω: ἢ μαρίαν μηδεὶς προσκυνέτω.* In honore esto Maria, Pater verò & Filius & Spiritus Sanctus adoretur: Mariam nemo adoret; Item, *Quamvis Maria καλλίστη καὶ ἅγια καὶ ἱερωμένη fuerit, non idcirco tamen est adoranda;* Item, *Ejusmodi mulierculus (quæ nempe hunc cultum religiosum B. Mariæ priores invexerunt) Hieremias os obstruat nec amplius terratum orbem conturbent, neve istud jactitent* *τιμῶμεν ἢ βασιλίαν τῆ ἑράνης, honoramus reginam cæli;* nec frustra est quod Inquisitores Hispani in *Indice suo expurgatorio* ex indice operum Augustini hanc sententiam deleri præcipiunt, *Sancti imitandi non adorandi.*

Cum enim Adoratio, cultus) In his multa veniunt enotanda, & certa ab incertis distinguenda: Equidem verum est cultum ratione objectorum esse distribuendum in civilem, qui debetur creatæ excellentiæ, & divinum qui naturæ increatæ debetur: Sed 1. Cultus ille Civilis valdè catachresticè *adoratio* appellatur; licet enim signa externa reverentiæ, ut corporis inclinatio, capitis apertio, genuflexio, plerumque sint communia utrique cultui religioso nempe & civili, tamen sic inualuit usus inter homines, ut *Adorationis* nomine nonnisi cultus religiosus intelligatur. Quantum sui odium excitaverit Alexander dum voluit adorari, quam cordatè Conon Tisaphernem accusaturus apud Regem Persarum eum tamen adorare noluerit, notum ex *Q. Curtio & Æmilio Probo*: Et Theodosius ut liquet ex *l. 2. Cod. de Stat. & imag.* quæ fusiùs refertur in *Cod. Theod. lib. 15. tit. 4.* (quod etiam observatum est à Johanne Filescio Theologo Parisiensi in *sua diss. de Idolol. Politica*) voluit statuas & imagines suas

suas erigi præsentè iudice, sine adorationis ambizioso fastigio (vel fastidio) ut excedens cultura hominum dignitatem supremo Numini reservetur. Nec solum apud veteres Theologos id frequentissimè legitur solum Deum adorandum, quod cultum quidem Civilem Antiquitas nosset distinguere à religioso & divino, sed adorationis nomen huic soli tribueret; sed etiam id ipsum docet perspicuè Scriptura Matth: 1v, 10. Apoc: XIX, 10. XXI, 9. II. Vitiosè Tirinus triplicem facit cultum, 1. Divinum, qui Latria dicatur; 2. Civilem; 3. Supernaturalem quem Duliam vocat. Nam in eo recedit à communiori suorum sententia qui duplicem tantum cultum commenti sunt Latriæ & Dulia: Deinde quoniam cultus qui legitime debetur Sanctis & Angelis, Societatis nempe & dilectionis, religiosus dici non potest, cum pertineat tantum ad actus religionis imperatos Jac: 1, 27. non verò ad elicitos, quorum non est aliud objectum præter Deum, ut Scholastici quoque statuunt, juxta illud Lactantij lib. 1. cap. 20. Religio & veneratio nulla nisi unius Dei tenenda est, & hoc Augustini in 83. quæst. q. 31. Religio est quæ superioris cujusdam naturæ quam divinam vocant curam ceremoniamque adfert; necesse est eum Civilem dici, quippe ipsis exhibendum in Civitate Dei, propter gradum quem in illa nostri respectu consequuntur, ut in Civitate mundi colimus & honoramus qui nobilitate, fortitudine, ætate, sapientiâ, eruditione, dignitate nos superant; Eò pertinent verba Augustini contra Faustum lib. 20. cap. 1. Colimus Martyres eo cultu dilectionis & societatis quo & in hac vita coluntur Sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate passionem paratum esse scimus; sed illos tanto devotius, quanto securius post incerta omnia superata; quanto etiam fidentiore laude prædicamus jam in vitâ feliciore victores quam in istâ adhuc usque pugnantes. Tum si cultus Sanctis exhibendus medius sit inter civilem & divinum, ut vult Tirinus, medietatem habebit vel negationis, vel participationis extremorum. Sed neutrum dici potest: Non prius; quia sic neque excellentiæ creatæ ut civilis, neque religionis ut divina rationem haberet: Non posterius; quia si de civili aliquid participaverit, non specie sed tantum gradu differet ab eo; si de divino, Idololatricus erit, cum nihil de cultu divino sit communicandum Creaturis.

III.
Cum

Cum Adversarij excogitarint quoque cultum hyperdulæ B. Mariæ tribuendum & humanitati Christi præcisè consideratæ, (quamvis hæc non possit ita præscindi ullâ cogitatione ab ejus persona ut particulare objectum ab ea distinctum constituat adorationis & cultus) non debuisset Jesuita esse contentus hac sua trichotomia, sed quadrigam Adorationum potuisset huc invexisse. IV. Et si nolimus negare Augustinum quandoque usum esse distinctione Latræ & Dulæ ad exprimendam distinctionem nostram inter cultum religiosum & civilem, tamen usus & proprietas linguæ Græcæ hanc distinctionem non admittit. Nam Græci interpretes V. T. vocant opera λατρευτὰ ea quæ Sabbatho facere non licebat, cum tamen ea die speciatim cultui Dei esset vacandum: Et Scriptura passim δουλείαν Deo vindicat, id non factura si cultum denotaret divino inferiorem. Idololatria quoque in eo carpitur Gentilium quod δουλείαν exhibuerint iis qui naturâ Dii non erant Gal: IV, 8. Et eundem cultum ut sibi non debitum recusabat Angelus à Johanne, eo quod συνδουλός suus esset. Quare non defuerunt in Papatu qui illam distinctionem rejicerent, ut Martinus Perezus p. 3. de traditionibus confid. 7. & Ludovicus Vives ad cap. 1. lib. 10. de Civit. Dei. Quorum hic, λατρεύω ἐστὶ δουλείω, quasi servio teste Suida: Item Valla docet λατρείαν & δουλείαν idem esse & utrumque significare servitutem, quod ex Suida ostendit, qui & ait λατρείαν δουλείαν ἵναί ἐστι μισθῶ, servitutem esse mercenariam; nam apud Xenophontem in tertio Cyripadia loquitur maritus, ἐγὼ μὲν ὡ κύριε κἄν τῆς ψυχῆς φριαίμην ὥστε μήποτε λατρεύσαι ταύτην, hoc est, Ego yetò Cyre vel anima redemerim ne unquam hac serviret; Tum uxor, ἑαυτὴ ψυχῆς ἀν φριαίτῳ ὥς μὴ δουλεύειν, suâ ipsius animâ emerit ne serviat; Quin & in Sacris litteris λατρεύειν de servitute dicitur, ut in Levitico, Omne opus servile non facietis, λατρευτῶν. Et iterum de semine tuo non dabis servire Principi λατρεύειν: & in Iobo mendica λάτρεϊς dicitur. Principi quoque Poëtarum Apollo λατρεύς cognominatur, quod mercede conductus operam suam addidisset Laomedonti ad Urbis mœnia reparanda; Et adulatio verè servile vitium, cui nomen Latinum à δουλείᾳ, Gallicè flatterie dicitur, ἀπὸ τῆ λατρεύειν. V. Concidit tota hæc strues distinctionum si ad praxim Pontificiam attendamus: Nam primò

primò dum in exercitio religionis *δουλείαν* se profitentur deferre Creaturis, non possunt esse immunes à crimine *הי קנה*, id est . cultus peregrini & illiciti, uti Hebræis appellatur : Etenim in eo paria faciunt cum Gentilibus qui olim *ἰδουλεύσαν τοῖς μὴ φύσᾳ ἔσι θεοῖς*, Gal: iv, 8. & Sanctis atque Angelis eum cultum deferunt, quem illi ipsi respuunt ceu uni Deo reservandum, ut in Angelo Apocâlyptico videre est. Adhæc cum apud Puteanum in 3. Thom. quæst. 25. art. 2. Suarez. disp. 51. sect. 2. ad hanc partem D. Thoma & alij innumeri recentiores statuunt, *latriam & duliam itemque hyperduliam ad unam eandemque planè speciem adorationis pertinere, & orationem quâ Deum & Sanctos invocant univocè eandem esse, hac distinctione non amplius est opus, sed agnoscendum unius ordinis & generis esse in Papatu cultum religiosum Creaturarum & Creatoris. Præterea profitentur omnem illam adorationem quam Creaturis deferunt in ipsum Deum tendere, tanquam in ultimum suum objectum; imò se in Sanctis & Creaturis Deum adorare: Hinc paradoxa Jesuitarum, Vasquesij nominatim, de Adorabilitate cujuslibet Creaturæ vilissimæ, etiam festucæ & radij luminis sub quo Dæmon appareat, relativè ad Deum. Atqui adoratio quæ tendit in Deum est adoratio divina & latriæ; Quare talem oportet esse in Papatu adorationem Creaturarum eo ipso quod tendat in Deum & ultimatè in illo terminetur. Præsertim evidens est Pontificios cultum divinum & *λατρείας* deferre Creaturis: Nam 1. Creaturas colunt cultu formaliter & elicite religioso; at is nequit esse alius quàm divinus & *λατρείας*: Unde Augustinus de vera relig. cap. ult. Non sit nobis religio humanorum operum cultus; meliores enim sunt ipsi artifices qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus. Item, Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si piè vixerunt, non sic habentur ut tales quarant honores, sed illum à nobis coli volumus quo illuminante latantur meritis sui nos esse consortes; Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem: Si autem malè vixerint ubicunque sint non sunt colendi. Item, Hoc etiam ipsos optimos Angelos & excellentissimos Dei Ministros velle credamus, ut unum cum ipsis colamus Deum cujus contemplatione beati sunt &c. Quare honoramus eos charitate non servitute &c. Rectè itaque scribitur hominem ab Angelo prohibitum ne se adoraret, sed*

unum Deum sub quo ei offeret & ille conservus; Et tandem, Religet ergo nos religio uni omnipotenti Deo, quia inter mentem nostram quâ illum intelligimus Patrem, & veritatem id est lucem interiorem per quam illum intelligimus, nulla interposita Creatura est. 2. Concilium Tridentinum conceptis verbis definivit sess. 13. cap. 5. can. 6. Sacramentum Eucharistiæ, *latria cultu etiam externo & qui vero Deo debetur esse adorandum*; ut hic obtineat quod Propheta negat possibile, nempe hominem sibi facere Deum; etenim Sacrificuli volunt censerī Creatores sui Creatoris; unde versus iste, *Qui me creavit sine me, creatur mediante me*. 3. Crucem, non solum primam illam in qua Christus pependit, sed quamlibet illius imaginem, esse adorandam *Latriâ* disertè asserit Gretserus *lib. 1. de Cruce cap. 49.* dicitque hanc esse communiorem sententiam, quam comprobatur testimonio Thomæ, Gregorij de Valentia & aliorum. Idem multis conatur demonstrare Puteanus *in 3. Thoma q. 25. art. 4. ac ibid. art. 3.* idem statuit de imaginibus Christi, hoc maxime argumento, quia idem est motus in imaginem & rem imaginatam: Nihil verò magis movit Thomam ut crucem *latriâ* colendam statueret, quàm quod *latriæ* cultus debeatur ei in quo spes reponitur, uti fit à suis in cruce; *Cantat enim Ecclesia, inquit, ô crux ave spes unica, Hoc passionis tempore, Auge pijs justitiam, Resque dona veniam*: Adeo oblita est Ecclesia Romana eius quod habet Ambrosius *de obitu Theod.* *Invenit ergò titulum (nempe Helena) Regem adoravit, non lignum utique, quia hic Gentilis est error & vanitas impiorum, sed adoravit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo.* 4. Nonnullas habent reliquias pretiosiores, cujusmodi sunt Christi preputium & sanguis qui passim ostentatur, quas *latriâ* esse adorandas, adoratione quod magis est indistinctâ ab adoratione Christi, asserit Bresserus *lib. 6. de Consc. cap. 23. concl. 3. n. 34.* 5. Ad *latria* cultum speciatim pertinere *Sacrificium* & quæ eò spectant, *Templa, Altaria, Sacerdotes*, asserit Bellarminus *lib. 1. de Beat. Sanct. cap. 12.* *Vota* similiter esse *actus latriæ* & religionis, nec non & *Iuramenta* docet *Thomas 2. 2. q. 89. art. 4. & 5.* At omni hoc cultu coluntur Creaturæ in Papatu. Sacrificia solemnia quæ restant sub Novo Testamento, spiritualia sunt precum & gratiarum actionis: Atqui hæc quotidie offeruntur Sanctis. Missa similiter quæ Pontificijs augustissimum est *Sacrificium* in eorum honorem & cultum celebratur; Hinc alia est

M. 111 111 111 111

Missa

Missa Sancti Rochi pro peste, alia Sancti Johannis pro morbo comitiali, alia S. Huberti pro canibus, alia S. Eligij pro equis, vel S. Antonij pro porcis, & sic de cæteris. Cerei quoque qui accensi consumuntur in honorem Sanctorum ad eorum imagines vel reliquias, speciem habent sacrificij externi. Hostiam itidem suam & Sanctorum imagines thure colunt & incenso, quod tam acriter reprehendit Augustinus *de Hæres. ad quodvult Deum* in Carpocratianis, qui habebant imagines Christi & Pauli, easque thure colebant; Thurificationem enim vel ipsi Ethnici *ad latrariam* spectare intellexerunt; unde ille, *Thure Deum placat*, & Sibylla apud Ovidium *Metam.* 14. *Aneæ* dicenti,

Templa tibi statuam, tribuam tibi thuris honores,

statim respondet in hæc verba,

Nec Dea sum dixit nec sacri thuris honore,

Humanum dignare caput.

Nemoque dubitat Israëlitas tempore Ezechiz sacrificasse serpenti æneo cum illi thus adoleverunt; quod illicitum & vitiosum fuisse pius ille rex agnovit, confringendo serpentem ne ultra coleretur. Imò Pontificij se paria facere circa suas imagines cum Israëlitis serpentem æneum incenso colentibus, palam agnoscunt; Nam Gregorius II. P. R. *Epistola sua ad Leon. Isaur.* quæ extat tom. 3. Concil. Imperatori exprobrat quod imagines disturbando imitetur impietatem Oziaz qui serpentem æneum confregit; ubi doctus ille Papa Oziam ponit pro Ezechia & impietatis damnat facinus illud confracti serpentis, quod pietati tribuit Scriptura. Aras quoque & templa Creaturis dicari est in usu quotidiano apud Pontificios. Et cum Augustinus *lib. 1. contra Maxim.* pro divinitate Spiritus Sancti argumentum inde desumpsisset quod templa illius simus, etsi nulli Creaturæ templum ædificare *ex ligno vel lapidibus* liceat, Erasmus ad marginem annotavit, *Hoc nunc fit quibuslibet divis.* Notum illud Hieronymi Vidæ *in hymno magna matris Virginis,*

Nos quoque divinos ut cuique est copia honores

Largimur, tibi centum aras, tibi maxima centum

Thure carent delubra.

Nec non & istud Sannazarij ad *D. Nazarium;*

Salvo

Salve Io magni, Nova lux Olympi,
 Cui per extentas Operosa terras
 Templâ tot surgunt, Calidisque fumant
 Ignibus ara.

Et ne quis hæc excidisse putent istis per licentiam poëticam, audiatur Hermannus Hugo Jesuita facundissimus; Hic ergo *Obsid. Bred. pag. 8.* de Marchione Spinola sic loquitur; *Ex itinere per Asperum Collem tendens (ubi Augustum illud Matris Virginis Templum tot prodigijs per orbem nobile) rite obitis Christiana religionis mysterijs votisque pro exercitu ad Aram Marianam conceptis, aliâ pedites aliâ equites circumduxit; Habemus hîc & Virginis Templum & Aram Marianam. Vota etiam benè nuncupari Sanctis quia sunt Dîj per participationem, asserit Bellarminus lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 9.* Solemne quoque est apud Pontificios jurare per Deum & Sanctos: & Catechismus Romanus p. 3. cap. 3. n. 27. ita statuit illicitum esse jurare per Deos falsos, ut n. 8. definiat licere per Sanctos jurare, quod nihil aliud est quàm eos pro veris dijs habere. 6. Habent Pontificij quasdam Creaturas, uti antea monui, quibus hyperduliam deberi statuunt; At qui plusquam duliam alicui defert necesse est ei deferat latrâ, si totum Adorationis genus distributio in latrâ & duliam exhaurit. Ex his igitur satis superque patet nihil esse præsidij pro excusanda vel incrustanda Creaturarum adoratione in ejusmodi distinctiunculis, quæ plerumque tales sunt, ut de nonnullis Bellarminus ipse loquitur cap. 22. de *Imagin. Sanctorum*, ut eas vix ipsimet Doctores intelligant, nedum populus imperitus. Adde pro mantissa sequentes observationes. I. Negari non posse multiplex periculum subesse Idolatriæ in cultu & adoratione Creaturarum quæ obtinet in Papatu, ve eo quod non sit de fide, hanc numero hostiam, has numero reliquias, hunc vel illum qui Sanctus dicitur esse adorandum: Idolatra autem est qui hostiam non consecratam adorat pro consecrata, qui supposititias reliquias pro veris, qui damnatum aliquem pro beato. *Multorum corpora honorari in terris quorum anima torquentur in gehenna, jam olim Thomæ fuit observatum; nec immeritò dixit Bessarion, referente Bodino cap. 4. Meth. Hist. cum nonnullos videret Romæ canonicari sibi olim notos haud ita dignos eo. elogio, novos illos Sanctos*

M m m m m 2

suspectos

suspectos etiam sibi facere plerisque veteres: Bellarminus *lib. 1. de Sanctis cap. 9.* ideo vult Papam non posse errare in Sanctis canonizandis, quod aliàs invocarentur sæpè damnati pro beatis, & *Ecclesia patet sibi maledictionem pro benedictione*; At cum revera Papa possit hic errare, teste Cano *lib. 5. Loc. cap. 5.* qui Antoninum, Cajetanum, Thomam pro se citat, & quotquot ante 500. annos fuerunt Canonizati, hunc sint adepti honorem per Episcopos particulares qui & ipsi in eo errare poterunt, teste Puteano *in 3. Thom. q. 25. dubit. 3.* debet manere periculum cui per infallibilitatem Papæ Bellarminus occurrere volebat. Et revera plerisque præsertim è plebe circa Sanctorum reliquias & imagines, ipsas metas superare quas conantur Doctores figere, nemo dubitat, & agnoscit Vives *ad lib. 8. de Civit. Dei cap. 27.* plerisque *Divos Divasque multo aliter venerari quam Deum*, nec videri *in multo quod sit discrimen inter eorum opinionem de Sanctis & id quod Gentiles putabant de suis Dijs.* Haud ab familia extant apud Cassandrum *Consult. art. 21.* Nonne autem tutius esset his periculis prævertere, abstinendo ab omni Creaturarum adoratione, quàm tot animas, dum illa mordicùs retinetur, in ea pericula conjicere? II. Etiam id esse in confesso, omnem illum Creaturarum cultum in religione Pontificia ad ideam Ethnicismi, non ex ullo Dei verbo erectum esse: Nam Pontificij munera, & provincias, & morbos, & artificia, & elementa inter Sanctos distribuerunt, ut Ethnici quondam inter suos Divos, ut vix quicquam supersit summo Deo vel dandum vel agendum: Iisdem quoque nituntur motivis quæ Pagani proferebant; nam & hi similiter per suos divos volebant posse iri ad Deum, sicut per Comites pervenitur ad Regem, ut insinuat Ambrosius vel quisquis apud eum est author *Comm. in Epist. ad cap. 1. ep. ad Rom.* Itaque Eckius, Lutheri Antagonista acerrimus, rationem hanc reddit cur Apostoli de invocatione Sanctorum nihil præceperint, ne (inquit) *Gentiles conversi crederent se iterum induci ad cultum terrigenarum, ut pro veteri more Sanctos non ut patronos sed ut Deos adorarent, sicut Lycaonia Paulo & Barnabæ sacrificare volebant Act. 14.* Porro si Apostoli & Evangelistæ docuissent Sanctos venerandos, arroganti datum is fuisset ac si ipsi post mortem gloriam eam quaerissent. III. Malè sibi esse conscios ipsosmet Pontificios hac in parte, quandoquidem ex operibus Augustini, præter id quod supra annotavimus, In-

mus, Index Expurgatorius hoc velit quoque deleri, *Contra eos qui dicunt Simulacra non colo sed per ea ad id quod colere debeo adhortor*; item ista ex indice operum Athanasij, *Adorari solius Dei est & nulla creatura adoranda*; necnon & illud ex Polydoro Virgilio Scriptore Pontificio lib. 5. de Rerum Invent. cap. 9. *Nullius animalis effigiem colito*, quibus verbis author secundum legis mandatum exprimere voluerat: Imò sacrilegas suas manus ab ipso Decalogo Dei digito quondam scripto non abstinuerunt, sed secundum ejus præceptum plerique fecerunt juris tantum positivi & Judaici, & omnes ex libris usualibus qui in plebis manu versantur illud insolenter eraserunt. IV. Nihil post everfam Tirini distinctionem, uti jam factum à nobis, perfugij superesse Pontificijs ad excusandam suam idololatriam. Si dicant se Creaturas quas adorant non habere pro dijs, responsio erit in promptu; 1. Ordinariè apud eos Sanctos & Sanctas Divorum Divarumque nomine compellari, & eorum Canonizationes *Apotheosas* vocari, ut fit etiam à Sylvestro Petra Sancta Jesuita Romano. 2. Etsi theoreticè aliter judicent de Creaturis quas adorant, eas tamen eo ipso practicè habere pro Dijs, juxta illud Martialis;

*Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos, qui rogat ille facit.*

3. Olim Arrianos & Nestorianos Idololatriæ fuisse à Catholicis incusatos quod Jesum Christum hominem adorarent quem Deum esse negabant; quare etiam Idololatrias esse qui cultum religiosum ijs deferant quos tamen noverunt non esse naturâ Deos. 4. Mæmonidem ipsum in *More Nevochim* p. 1. cap. 36. asserere Idololatarum neminem hac opinione idolum colere quasi nullum præter illud existimaret esse Deum. Si dicant se Creaturas adorare quæ apud Deum sunt in magno pretio, cujusmodi non fuere Idola Gentium, respondebitur 1. Non minus adulterium committi cum mariti amico quam cum illius æmulo vel hoste. 2. Sanctos & Angelos quo sunt amiciores Deo, eo magis hunc sibi cultum deferri improbare. 3. Cultum Solis & Lunæ, creaturarum Deo chararum, nihilominus Idololatricum apud Ethnicos fuisse. 4. Multa fuisse idola apud Gentiles, teste Martino Peresio p. 5. de *tradit. ex Act. 17.* quæ tantum benefactorem Deum repræsentarent,

nec omnia quæ Gentes colebant falsum Deum significasse, cum an fuerit posita Athenis ignoto Deo, Conditori scilicet Cœli & Terræ. Si dicant suam adorationem Creaturarum in Deum ipsum refundi, etiam facilis erit responsio; 1. Damnari Augustino *ad Psal. 113.* eos qui sibi purgatoris videntur esse religionis cum dicunt *nec Simulacrum nec Daemonium colo, sed per effigiem corporalem illius rei signum intueor quam colere debeo.* 2. Nec alium cultum quam respectivum ad verum Deum exhibuisse Idololatrias Israëlitas tum vitulo aureo, tum vitulis Danis & Bethelis, tum Micæ theraphim; unde has imagines Gaffarelus ceulçitas Post Monachum & Genebrardum propugnat *cap. 1. n. 6. & cap. 3. n. 4. Curiosit. inaudit.* 3. Eandem excusationem calvam Ethnicos adhibuisse: Nam Maximus Tyrius *serm. 28.* asseverat Ethnicorum nomine *summum, primum, maximum Deum, Creatorem omnium & conservatorem, à se in simulachris ex auro argento & ebore factis coli.* 4. Nolle Bellarminum hanc admitti limitationem circa Imaginum cultum, *in Imagines Christi & Sanctorum veneranda sunt non solum per accidens vel improprie, sed etiam per se & proprie ita ut ipsa terminent venerationem ut in se considerantur & non solum ut vicem gerunt exemplaris, cap. 21. de Imag. Sanctorum:* Unde & *cap. præced.* respuit hoc distichon à Sabellico relatum *Æn. 8. lib. 8.*

*Nam Deus est quod Imago docet sed non Deus ipsa,
Hanc videas sed mente colas quod cernis in ipsa.*

Si denique protestentur nihilominus se bonam & synceram intentionem habere, respondebitur idem de Ethnicis dici posse; qui licet idola sibi præstituerint, animus tamen eorum fuit vero Deo cultum exhibere, testibus Fero *ad Act. 17.* Cajetano *in 3. Thoma q. 25. art. 3.* Catechismo Romano *cap. 2. p. 3. de primo præc. n. 5.* Hæc tamen intentio eos à culpa gravissima coram Deo non liberavit: nec vult ipse coli ex hominum intentione sed ex sua lege & institutione. His ita summam propositis, viam nobis complanavimus facillimam ad eorum refutationem quæ vel *ἀλασκνωσικῶς* vel *ἀνασκνωσικῶς* deinceps noster Tirtinus proposuerit; & quibus *κτῆ ποδᾶς* inhærere nobis fatis erit, ne videamur ad hanc causam dixisse, potius quantum potuerimus, quam quantum suffecerit.

Sic Abraham

Sic Abraham Gen. xviii, 2.) Nullum est horum exemplum quod faveat Idololatriæ Pontificiorum; Abraham Gen: xviii, 2. *in primo horum trium occurſu putavit omnes tres eſſe homines communas ſuos hoſpites*, inquit *ibi* Cornelius à Lapide; Quare ille cultus quo eos primum excepit merè fuit civilis; nec abiit in religioſum niſi ubi ex ſplendore, ſermone, majeſtate, aliisque ſignis atque ex Dei inſtinctu, ut cum eodem authore loquar, agnovit unum ex ijs eſſe ipſum Dei filium Angelum fœderis, uti cenſuit quoque Concilium Sirmiense *can. 14.* quem com. 20. compellat nomine Jehovæ. Neque Loth Gen: xix, 1. alio quam civili cultu excepit angelos, quos nequidem angelos eſſe norat, ut liquet ex Cornelio à Lapide: *Nota*, inquit, *Loth in hoſpitalitate humilitatem, adoravit hos peregrinos neſciens eſſe Angelos.* Vox tamen Hebraica & hic & in præcedenti loco, non *adorationem* denotat, ſed tantum reverentiam quæ inclinato corpore alteri exhibetur. Joſue cap. v, 15. adoravit Angelum non Creaturam ſed Creatorem, nempe Filium Dei, Angelum magni Conſilij, cui ſoli competit eſſe Principi militiæ Jehovæ, & ad cujus demum præſentiam calcei ſunt exeuendi, uti factum eſt à Moſe cum Jehova ipſum eſt allocutus Exod: 111, 5. Unde etiam hic quem Joſue adoravit, id non magis permiſſurus in Joſua quam alter poſtea in Johanneſi fuiſſet Angelus creatus, vocatur poſtea Jehova Joſ: vi, 2. Eundem adoravit Manoah Jud: x111, 20. Hinc nomen ſuum noluit apud eum profiteri quod eſſet *admirabile*, com. 18. Sic autem etiam vocandum filium Dei conſtat ex Eſa: ix, 6. Quare & idem Jehova dicitur ab uxore Manox com. 23. Multa etiam ſunt indicia ex quibus idem colligam de Angelo qui occurrit Balaam Num: xx11, 31. ex eo maxime, quod Balaamum ſic compellat com. 35. Abi cum iſtis viris, ſed tantum verbum quod edixero tibi illud loquitur; Iam autem ſequentia indicant Balaamum ea demum fuiſſe eloquutum, quæ Jehova ori ejus indiderat. Saul non animæ Samuelis ſed Cacodæmoni ejus formâ apparenti ſe proſtravit, ut ſuo oculo viſum; Nec Balaami vel Saulis hominum reproborum actiones lebent nobis proponi in normam fidei. Nec alter quam merè civilis fuit ille cultus Eliz & Elizai, cujus hinc Tirinus meminiſſe voluit. ſed Nathani ſe incurvaſſe Davidem falſo dicit, cum è contrario Nathan cum

than eum honorem Regi exhibuisse legatur 1. Reg: 1, 23. ut etiam habet expressè textus וישתחו לאלהי המלך על-פניו, & incurvavit se regi super faciem suam. Ita Vatablus intellexit, ita Iunius, ita Pagninus & alij.

Et licet Sancti nobis presentes) Primò id nesciunt Sancti, qui revera nesciunt amplius quid rerum hic geratur, juxta dictum Augustini cap. 13. de cura pro mort. Profecti quod sacer Psalmus personat verum est, quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me; Si ergo dereliquerunt nos patres nostri, quomodo nostris curis & rebus intersunt? Si autem parentes non intersunt, qui sunt alij mortuorum qui noverunt quid agamus quidve patiamur? Secundò, nihil minus probavit Tirinus supra n. 6. quam resciri à Sanctis quid hic rerum geratur inter nos: tum quia ibi agatur de Sanctis demum post resurrectionem, tum quia nihil eo faciat locus Pauli 1. Cor: 14, 9. ut ibi visum. Tertiò si hunc cultum soli Deo debitum sibi deferri scirent & viderent Sancti, id ferrent ægerrimè, prout nec Petrus à Cornelio, nec Angelus à Johanne völuerunt adorari; Nec enim ejusmodi cultu vitioso Dei dona magnifunt, sed ejus majestas è contrario evidenter offenditur.

Dein excellentia virtutis) Subdubitat Tirinus de omniscientia Sanctorum, itaque ad aliam confugit anchoram sed æquè intutam: Excellentia quidem virtutis id meretur ut de absente honestè sentiamus & loquamur, non tamen ut ei tanquam presenti ac audienti vel adgeniculemur, vel preces & vota nuncupemus, vel aliam aliquam cultus indebiti speciem deferamus. Quod ad Principum mentionem capita deteguntur, cæremonia est cultus civilis arbitrio hominum introducta, in qua forte Filefacus aliquam Idololatriam politicam observaret; sed à cultu arbitrario civili ad religionis cultum ex Dei verbo determinandum ratio non procedit; & nemo est sani syncipitis qui tunc Principes ipsos compellet ac si coram adessent, illisque suas necessitates per libellos supplices aperire velit.

Qua ratione) Nempe Tirinus ad Matth: 14, 10. (nam ad Deut: 17, 13. & 1. Tim: 1, 17. nihil huc faciens annotavit) se recipit intra vallum distinctionis quam supra profligavimus, inter Latriam & Dulliam: Nec Satan tam severus erat exactor istius cultus quin adorationem dulz fuisset admittiturus lubens & aliquo gradu infra latriam, si huic

si huic distinctioni locus esse potuisset ; Regulam generalem hîc nobis fixit Christus, etiam sub Novo fœdere, ex qua disertè constat Religionis cultum soli Deo deberi, ac benè procedere Catholicorum argumentum contra Arrianos & Samosatenarios pro ipsius divinitate, à cultu & adoratione ejus desumptum.

Et Apoc: xix, 10. & xxii, 9.) Prolixior æquo forem si omnes lateras Pontificiorum circa hæc duo loca vellem excutere : Tirino ad utrumque suffecit uno verbo monere, voluisse Johannem Angelum adorare *cultu dulia ipsi debito*, sed Angelum *insigni modestiâ ac civilitate* id recusasse, quia *conservus esset Johannis*; q. d. *Ego non sum te superior dignitate, cur ego me adores? Tu enim sicut ego es Propheta & Apostolus & Evangelista & pradicator verbi Dei, (hac enim omnia significat nomen Propheta) es continuus Martyr, assiduos pro Christo labores & dolores sustinens, ideoque par imo superior es Angelis, non naturâ sed dignitate & merito, erisque brevi etiam premio & gloriâ superior in caelis.* Sed mirè sibi contradicit Jesuita; Si enim ille cultus erat debitus Angelo cur illum respuisset? Aut si non debebatur propter rationes hîc allatas, cur eum Johannes illi deferre voluisset? Taceo quas hic tribuit prærogativas Johanni supra Angelos; juxta quas nullus Martyr in Metallis debuisset Angelo sibi apparenti, vel duliæ cultum deferre. Omisit aliam rationem suorum rejecti cultus quem Johannes offerebat ab ipsius virginitate desumptam: Sed forte id fecit consultò, quia censuit *in fine Chronicis & in præfat. ad Iohan. Evang.* ejus nuptias fuisse celebratas in Cana Galilææ: Neque per modestiam tantum & civilitatem Angelus respuit eum cultum ceu aliàs sibi debitum, sed eum absolutè rejicit ut indebitum & soli Deo deferendum: Neque enim rejicit secundum quid, & tantum à Johanne ob particulares rationes, sed eum rejicit totaliter ob rationes quæ omnibus piis & fidelibus conveniant; quod nempe Angeli colendi sint cultu societatis & dilectionis, non servitutis qui soli Deo debetur, cujus respectu omnes conservi sumus; Et cum sint illi Spiritus ministratorii missi *εἰς διακονίας* eorum qui sunt servandi Heb: 1, 14. nullus est fidelium qui non veniat in participium illius *συνδουλίας* propter quam nolebat hic à Johanne adorari; imo qui suo sensu æquè ac Johannes non sit di-

N n n n n

gnior

gnior & superior Angelis non naturâ sed dignitate, quippe membrum corporis Christi quem omnes Angeli debent adorare Heb: 1, 6. Quæ observatio quosdam in Papatu movit ut dicerent Angelos hominum adorationem admisisse ante incarnationem Christi, sed post eum incarnatû nostramque naturam in ipso ad illius dignitatis apicem evectam, talem honorem penitus recusasse: Sed non opus est huc devenire, aut disquirere quo sensu homines superiores Angelis statui possint, ut fit à nonnullis Rabbinis, nominatim R. Gaon apud Aben Ezra, cum Angelus hoc loco rejiciat cultum adorationis per regulam illam generalem & veritatis æternæ, quâ etiam Christus nitebatur Matth: 17, 10. Solum Deum esse adorandum. Quæ fuit quoque ratio Paulo Apostolo Col: 11, 18. rejiciendi *θρησκείαν τῶν ἀγγέλων*, quam ex Platonicis & Simone Mago hausitam sub prætextu humilitatis, hæretici commendabant; & quæ ideo condemnata fuit iterum in Concilio Laodicensi, uti constat ex Theodoretō *ad eum locum* & ipsius Concilii Laodicensi *Can. 35*. At, inquit Tirinus, Johannes *sat gnarus erat non id illicitam sibi esse*; aliàs qui bis ad eundem lapidem *impegisset?* & an ergo, inquirunt, tam malè erat versatus in hominis Christiani officio, ut nesciret Creaturæ non esse deferendum cultum soli Deo debitum? Respondent nonnulli, & ita Belgæ interpretes, impetum fuisse in Johanne infirmitatis humanæ & quod permotus lætissimo illo nuncio & perculsus simul splendore Angeli se compellantis, de repente ad illius genua conciderit, ut Cornelius ad genua Petri Act: x, 25. Et sanè cum non ita semper tam benè agatur cum mortalibus ut eorum praxis nunquam deflectat ab ipsorum theoriâ, mirum non est Johannem, qui aliàs noverat theoreticè Angelos non esse adorandos, aliquam sensitse perturbationem ad hujus conspectum, & aliquantulum ab illa theoria in sua praxi deflexisse, & mensuram excessisse in honore quem aliàs ei ceu Angelo creato exhibere volebat; Deo etiam suâ providentiâ hæc ita dispensante, ut inde magis constaret Ecclesiæ Angelos non esse adorandos. Alij meo judicio æquè commodè respondent, & hos inter est Amplifsimus Launæus in *Comment. ad Apocal. nondum edito*, magis errasse Johannem in facto & persona quàm in jure; putasse enim non fuisse hunc Angelum creatum, sed unam

sed unam ex personis Sanctæ Trinitatis, cui ille cultus deberetur; unde etiam Angelus eum instituit de sua natura & conditione, ne videlicet servus cum esset pro Domino communi utriusque sumeretur, ut olim contigit quibusdam Græcis Libertum Pompeij pro ipsomet excipere, & prout dicuntur primi Idololatæ capti pulchritudine & utilitate solis eum loco ipsius Dei habuisse. Nec mirum si bis ita hallucinatus fuerit Apostolus; cum potuerit illud ὄραμα ipsi contingere secundò aliâ aliquâ formâ quam primâ vice, ut non esset ratio suspicandi eundem esse Angelum Creatum ad cujus pedes antea perperam acciderat.

Vt & Sanctus Petrus à Cornelio) Quæcunque fuerit Cornelij imaginatio de Petro, quem eo pluris faciendum sibi putabat, quod Angelus nomine Dei iussisset ipsum evocari, id palam liquet ex textu Cornelium reprehensum fuisse quod in honorificâ Petri exceptione metas & modum non servasset, sed cultum ei exhibuisset qui aliquid divini sapere & præ se ferre videretur: Hinc se ipsa hominem profiteretur ut Adorationis cultum, ad quem profundior illa Cornelij submissio videbatur accedere, uni Deo reservandum insinuet: Nam ita Saul & Barnabas amolitur Sacrificia quæ ipsis parabant Lycaonij, confisissis ex indignatione vestibus, protestantur se homines esse ὁμοιοπαθεῖς illis, & à quibus humani nihil alienum reputare deberent Act: xiv, 14. Quæ verò ibi habet Tirinus nihil faciunt ad rhombum. Cornelius, inquit, ut Prophetam & Patrem suum Spiritualem adoravit adoratione profundâ & religiosâ, non tamen latreuticâ sed humanâ; quomodo olim Abraham adoravit filios Heth Gen: xxiii, 7. & Alexander Magnus Iaddum Pontificem Iudeorum & modo Catholici adorant Pontificem Romanum alioque Ecclesia Prælatos. Sed I. Absurdè statuitur aliqua adoratio religiosa, quæ non sit latreutica; Cum omnes actus religionis eliciti sint latreutici, & rectâ tendant in Deum. II. Absurdè in exemplum adorationis humanæ religiosâ profertur quod Abraham se prostraverit coram Hitthæis, quandoquidem merè civilis fuit is cultus; in agnitionem autoritatis politicæ quâ fruebantur. III. Præstaret Pontificem Romanum, (nam cæteri Prælati vix talia sibi tribunt) Petri modestiam imitari hunc cultum recusando, quam populum sectari impetum Cornelij in eo deferendo. IV. Non est ille

cultus dicendus religiosus sed civilis, qui in Civitate Dei deferretur verbi divini internunciis, ceu organis quæ Deus dignatur adhibere ad suorum salutem conficiendam. 5. Quamvis vellet Cornelius cultum istius tantum generis deferre Petro, tamen quia modum excedere videbatur, eum Apostolus suæ conditionis memor merito rejecit. Id ipse monet Tirinus post ea, recusatum nempe hunc cultum à Petro *quæ tam profunda prostratio Iudæis, Petri comitibus, ejusmodi caremonia insuetu, poterat quasi Latreuticâ videri ac proinde scandalo esse;* Unde colligas multo minus tolerandum esse religiosum cultum Creaturarum qui obtinet in Papatu, cum revera sit latreuticus & scandalo plurimis. Quod verò subdit Tirinus hunc honorem rejecisse Petrum ceu *Angelum potius convenientem, est ridiculum, cum ipse statuatur parem fuisse Angeli rationem cum noluit à Iohanne adorari genuflexione.* Et sanè cum dixit Petrus, *Ego ipse homo sum,* insinuavit profundum illum cultum Deo deberi, sicut antea vidimus apud Ovidium factum à Sybilla & modo retulimus Paulum & Barnabam inter Barbaros fecisse.

Vi & Esther x111, 12.) Locum illum esse Apocryphum nec in Hebræo extare est res certa; Et multi in Pontificia communionem, illa Estheræ additamenta in Canonem nolunt recipere; Hos inter nominat Bellarminus *lib. 1. de Verbo Dei cap. 7.* Lyranum, Carthusianum, Hugonem Cardinalem, Cajetanum, Sixtum Senensem *Bibl. lib. 1. & 8.* Quod verò Tirinus *ibi & ad Esth: 111, 2.* pertendit Mardocheum noluisse se inclinare Hamani, ex officio conscientiæ, ne in hominem transcriberet cultum Deo debitum, posset verum esse, etsi ex professo Haman se pro Deo coli voluerit, (quod tamen statuit Salomon Jarki) sed quia demissior cultus quem alicui Gnathones illi deferebant, saltem interpretativè divinus videbatur. In Ialkuth *cap. 3.* hæc quæstio proponitur, *Cur Mardocheus noluit ante Haman inclinare se?* Et his verbis resolvitur; *Sunt qui dicunt Haman istum Idoli sui imaginem vestibus apposuisse ut Mardocheum ad peccandum induceret; eâ de causâ noluit Mardocheus Haman adorare: Alij auctores sunt hæc verba Mardocheum habuisse, Improbo homini non possum adulari seu assensari: Sum enim è tribu Benjamin & de ea dictum fuit Deut: cap. xxx111, 12. Ad Benjamin dixit dilectus Dominus habitabit confidenter super eum, tegens eum tota die*

tota die & inter humeros ejus habitavit. Igitur fieri non potest ut ego adorem Haman ne à me rejiciam divinitatem qua humeris meis incumbit. Ut ex præcedenti patet versiculo *Querebant à Mardochoo domestici, cur Regis amicum non coleret*: At ille Iudaum se esse dicebat; Ad hæc illi objecere, atque pater tuus adoravit patrem istius Haman: Tum Mardocheus, Cum, inquit, Iacob ejusque liberi inclinarent sese ante Esau caput generis seu familia Haman, Benjaminus cujus ego sum filius nondum natus erat: *Quemadmodum ergo meus pater ejus patrem non adoravit, sic ego filium filius non adorabo.* Hæc Thalmudistarum interpretatio si valeat, efficiet agi apud Estheram de cultu civili non religioso: quanquam neque temerè deferendus cuiquam cultus civilis qui modum excedere videretur & aliquid divini præ se terre.

NUM: 8. ANGELOS & SANCTOS in cælis ORARE PRO NOBIS, nostrique curam gerere etiam in particulari, negant omnes iidem hæretici: Sed probatur, ac Primum de Angelis ex Tobia: XI, 12. *Obiuli orationem tuam Domino.* Zach: 1, 12. *Domine exercituum (inquit angelus,) usquequò non misereberis Ierusalem?* Ecce jam septuagesimus annus est, &c. Psal: XC, 11. *Angelis suis mandavit de te,* &c. Iob: XXXIII, 23. *Si fueris pro homine Angelus loquens, miserebitur ejus Deus.* Similia habes Dan: X, 20. Matth: XVIII, 10. Apoc: VIII, 8. & alibi sæpius.

De hominibus Sanctis etiam: quia in hoc sunt æquales angelis. Apoc: XI, 26. *Qui vicerit dabo illi potestatem super gentes,* &c. cap. v, 10. *Regnabimus super terram.* Ier: XV, 1. *Si steterint Moyses & Samuel coram me,* &c. 2. Mach: ult. vers. 12. 14. Onias & Jeremias pridem defuncti, dicuntur orare pro Iudæis. Apoc: v, 8. odoramenta 24. seniorum sunt orationes Sanctorum. Et verò Sanctos etiam præesse hominibus, colligitur ex Apoc: 11, 25. *Qui vicerit & custodierit opera mea usque in finem, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas virgâ ferreâ.* Sicut & ego accepi à Patre meo. 2. Pet: 1, 15. *Dabo operam, frequenter vos habere post obitum meum commendatos.*

CENSURA. *Angelos & Sanctos in cælis*) Ut Angeli & Sancti orent in communi pro Ecclesia militante, imò ut Angeli etiam bene præcentur iis quorum curam sibi habent à Deo demandatam, per nos semper licebit, modo eo prætextu non constabiliatur eorum religiosa invocatio, aut Mediatōres nostri constituantur; Nam hoc sine Platonico olim introduxisse cultum Angelorum, ut eos haberent *μεσσητεας* & internuncios ad Deum, quem rectà adire peccato-

N n n n n 3

res non

res non auderent, res est certissima; Ideo Paulus tam Eph: III, 10. tam 1. Tim: II, 5. ad unicum nos deducit Mediatorem Christum, de quo inferius plura dicemus ad n. 9.

Primum de Angelis) Tam mentitur apud Tobiam personatus ille Raphael dum tangit se Deo Tobiae & uxoris suae preces obtulisse, quam falsò se vocaverat Hazariam Chananiae filium Tob: 7, 15. & fabulabatur corde atque hepate nescio cuius piscis fugari omnes malos Spiritus, si ex illis suffumigatio fieret Tob: 71, 9. Ita sibi arrogat, loco quem citavit Tirinus, ea quae sunt Christi, ut Veterum nonnulli, nominatim Justus Martyr *in dial. contra Triph.* id totum non de Angelo Creato sed de ipsomet Christo Angelo foederis fuerint interpretati: aliud enim tribuitur officium Angelis Heb: 1, 14. Zach: 1, 12. intelligitur quoque Christus, unicus ille *mediator* Dei & hominum; nam distinguitur manifestè ab eo Angelo qui loquebatur ad Prophetam, & idem ille est qui describitur com. 8. *instar viri insidentis equum rufum inter myrtos*, quem mysticè Christum ipsum significasse agnoscit *ibi* Cornelius à Lapide. *Psal: xc 1, lat. 90.* 11. agitur de eo quod praestant Angeli nomine Dei *erga homines*, non de eo quod hominum nomine praestent apud Deum: Et cum illud dictum praesertim ad Christum spectaverit & ministerium quod Angeli erant ipsi exhibituri Matth: 17, 6. 11. si impo-
ret intercessionem Angelorum apud Deum, oportebit eos etiam pro Christo intercessisse, quod absurdum. Apud Jobum xxxiii, 23. non agitur praesertim de Angelis creatis; sed Tirino interprete Angelus *ibi* in V. V. idem est quod *nuntius, interpellator & mediator*; quod nominis & officij convenit soli Christo, qui verè unus ex mille, Eccl: 711, 29. Cant: 7, 10. Nec enim Angelis Deus subiecit mundum futurum Heb: 11, 5. Ita quoque video sentire Cl. Coccejum, *in suo erudito Comm. in Iobum.* Si tamen generalius haec sumantur, agent potius de internuncio nomine Dei ad peccatorem qui ipsi aurem vellicet & eum revocet ad poenitentiam, quam de intercessione Angelicà apud Deum pro ipso. Dan: x, 20. lego quid dixerit Gabriel ad Prophetam, & quantam sub auspicijs unius veri nostri Michaëlis, nempe Christi, curam gesserit rerum Ecclesiae in terris, sed nullam *ibi* video Gabrie-

Gabrielis intercessionem pro Ecclesia apud Deum, de qua hic disputatur. Similiter Matthi: xviii, 20. Angeli commissi custodiæ parvulorum adstant jugiter coram Deo, non hominum preces ipsi oblaturi, sed ejus suscepturi & exequenturi mandata ad eorum defensionem & punitionem illorum qui eos vel læserint vel scandalizaverint. Apoc: verò vii, 3.. ipsemet Christus est qui sub Angeli nomine describitur cum Sacerdotali habitu, quia Sanctuarium cœleste est ingressus ut jugi suâ intercessione preces nostras commendet Patri, earumque procuret exauditionem certissimam 1. Joh: ii, 1. 2. Thuribulum & thurificatio quæ illi Angelo tribuuntur, Sacerdotalia sunt, nec alij quam Christo in cœlis queunt convenire; ut planè ineptè Tirinus inde colligat invocationem & intercessionem Angelorum ac Sanctorum. Longè sanior hac in parte Viegas in 8. Apoc. com. 1. sect. 3. Hunc Angelum, inquit, licet plerique velint esse unum ex septem illis Angelis primarijs quos initio hujus operis diximus ante thronum Dei adstare, precipuos divina providentia ministros; tamen esse Christum Dominum reliqui omnes interpretes consentunt, qui quoniam Patris nuntius ac legatus ad homines fuit, Angelus testamenti appellatur Malach: 3. Et statim veniet ad templum Sanctum suum dominator quem vos queritis, & Angelus testamenti quem vos vultis; Et apud Esaiam cap. 9. Vocabitur nomen ejus Magni consilij Angelus: nec verò rectè quidam è recentioribus (is est Ribera) argumentatur Angelum istum Christum esse non posse, quod Christus nusquam Angelus absolute dicatur: Satis enim est ut è consequentibus intelligi possit Christum esse, quæ nisi Christo alteri aptè accommodari non possunt; Cujus enim alterius est universæ Ecclesia incensa: hoc est orationes Thuribulo aureo tantâ Majestatis specie Patri offerre? Cujus præterquam Christi fuit de igne quo thuribulum aureum erat impletum partem in terras misisse &c. Apparet autem Christus Sacerdotis personam gerens ut ejus pro nobis apud Patrem intercessio atque interpellatio monstretur &c. Atque ut ex his Viegæ verbis nova lux affulget ijs quæ ante ad alia loca à Tirino citata annotavimus, ita si quæ torte supersunt alia, ei innominata, quæ velint ejus sodales trahere in subsidium causæ hujus ruinosæ, facile ex antedictis poterunt refutari:

De hominibus Sanctis) Sunt beati æquales Angelis statu & foelicitate, non verò officio & ministerio circa hominum curam, his speciatim

ciatim commissam Heb: 1, 14. Quare ab Angelis ad Sanctos hac in parte non procedit argumentum. Apoc: 11, 26. non significatur commissam esse Sanctis administrationem rerum terrenarum, ut hoc prætextu à nobis veniant invocandi, sed Riberâ teste *ad Apoc: 11, v. 43. agitur de potestate quam Sancti exercebunt in die iudicij in omnes gentes, judicantes eas in Christo & cum Christo; ad quem propriè spectat regimen gentium in virga ferrea Psal: 11, 9. pijs verò & Sanctis non nisi in ipso & quatenus sunt illius membra; Quin apud Viegam Comm. 4. in 2. Apocal. sect. 6. n. 1. Beda, Primasius, Ansbertus & alij dicunt consequi Ecclesiam istam promissionem per ipsum Christum, eamque extendunt ad pios & fideles etiam in hac vita; Sed & quamvis demus Tirino, Sanctos statim postquam in cœlum sunt recepti consequi regiam in omnes potestatem quâ regnent cum Christo super terram, inde non sequeretur illis convenire administrationem rerum terrenarum in quibus nullam amplius habent partem, sed tantum eos evectos in cœlo ad gloriam summam cum Christo, qui inde ceu eorum caput omnia regit & administrat uti lubet, ac vim omnem hostilem ipsamque lunam subjicit pedibus eorum. Ineptior verò est ad hanc rem alter locus Apoc: v, 10. nam hoc convenit etiam fidelibus in terris, ut sint Sacerdotes & reges, ad Sacrificia illa Spiritualia Deo offerenda per Christum de quibus 1. Pet: 11, 5. Reges verò facti sumus, Riberâ interprete *ad Apoc: 1, n. 43. ut videlicet nulli pareremus quod regum est, sed soli Deo serviremus & propter eum hominibus ijs tantum quibus nos ipse parere voluisset, quod ex eo fit quod ipse regnat in nobis.* Per absurdè ergo Tirinus *ad Apoc: v, 10. sic ista verba interpretatur; Constituisti nos universales principes Ecclesia qui tam sacra quam profana, tam Ecclesiastica quam Politica curemus & administremus super terram; Vnde nos utpote reges seu rectores terra maximè concernunt quacunque Ecclesia militanti & reliquo universo usque ad finem mundi obventura sunt.* Nam illi 24. Seniores quibus cum 4. animalibus oculatis ista tribuuntur, non significant præcisè Sanctos in cœlo, sed in genere multitudinem electorum & fidelium tam V. quam N. T. quibus Sacerdotalis & Regia dignitas sensu merè mystico competit; ut nihil indè colligi debeat pro imaginario hoc principatu Ecclesiæ, & rerum Ecclesiasticarum ac Politicarum*

earum administratione: Quare ipse Tirinus ad Apoc: 1, 6. longè fanius loquitur: *Fecit nos regnum non terrenum sed Spirituale seu mysticum, in quo Deus regnet nunc per gratiam postea per gloriam, & consequenter fecit nos etiam reges Apoc: 7, 10. (ut legit Tertullianus & multi Græci codices) regnamus enim cum ipso & imperamus hîc vitis, & in futuro etiam morti & miseris omnibus.* Per resurrectionem huic regiæ dignitati Sanctorum nihil decedet, sed accedet plurimum; & tamen non amplius erit locus illi administrationi rerum terrenarum tam Ecclesiasticarum quàm politicarum, in qua perperam vult nunc eam Tirinus collocare. Quoad locum Ier: xv, 1. & alterum ex Maccabæis, miror talia proferri à Jesuita ex V. T. Cum enim statuat ab una parte hanc intercessionem Sanctorum pro vivis esse appendicem necessariam regiæ dignitatis & fœlicitatis quâ fruuntur in cælo, & ab altera neget in cælo fuisse animas fidelium mortuorum sub V. T. & ante ascensionem Christi, necesse est illi intercessioni nequivisse tunc vacare animas fidelium, utpote quæ exclusæ è cælo necdum admixtæ ad Dei visionem hoc officio defungi non poterant. Jeremiæ locus est hypotheticus, nec insinuat quid tempore Jeremiæ facerent Moses & Samuel in cælo, sed quàm decretum esset Deo non ultra parcere illi populo, ut quondam ei pepercit ad preces Mosi & Samuelis quam diu erant in vivis, etsi per impossibile eveniret ut Moses aut Samuel adhuc ut olim pro eo deprecarentur. Similem habemus locum Ezech: xiv, 20. Ideo Cornelius à Lapide sic παραρράζι locum Jeremiæ: *Non mireris, ô Ieremia, nec putes te à me despici eo quod te non exaudiam, quia tanta sum populi scelera, tantaque in ijs ejus obstinatio ut non Mosem nec Samuelem pro eis orantes audirem.* Tum addit; *Nota præ alijs nominantur hîc Samuel & Moses quia hi Sanctissimi fuerunt & maximam populi curam habuerunt, atque potentes apud Deum & in oratione tam efficaces extiterunt ut ejus ira resisterent orando pro populo, sibi licet ingrato & rebeli.* Quâ fronte ergo & ipse & Tirinus hinc volunt exculpere Mosem & Samuelem adhuc post obitum, & in limbi specu subterranea atque obscura degentes, solitos fuisse stare pro populo? Nulla enim tunc ipsis, secundum placita Pontificiorum, intercedebat communicatio cum Deo, nullamque habebant notitiam eorum quæ evenirent in terris, & per consequens nequiverunt de

O O O O O

illis

illis edoceri & referre ad Dominum: Atque ex his liquet quid censendum de somnio relato à Scriptore 2. Maccabæorum; nempe somnium esse, quo significabatur Deum juxta Prophetarum vaticinium per Jeremiam designatum, & propter Sacerdotium cultui suo dicatum Hierosolymæ, in Onia adumbratum, victoriam Judæis indulturum de suis hostibus. Quare non est quod Tirinus ex hac visione ita certè colligat *Sanctos jam vitâ sanctos nosse qua geruntur in terris, nostri quoque curam gerere, pro nobis orare, & cum visum Deo fuerit etiam nobis epistulari, ac proinde merito à nobis invocari & honorari*; Nam præterea quod scriptor est Apocryphus, & ea sit ratio somniorum plerumque ut allegoricè debeant intelligi, desinet esse Sanctorum intercessio in cœlis & invocatio in terris appendix Beatitudinis supremæ, si utraque ex hoc somnio colligatur pro ijs Spiritibus qui nondum consummati in Limbi carcere & tenebris attinebantur, & quibus nulla earum rationum competeat per quas Tirinus infra n. 9. vult defunctis innotescere preces & necessitates nostras; neque videmus ex hoc somnio vel Judam vel ejus commilitones ulla preces fudissè ad Oniam & Jeremiam. Apoc. v. 8. agnosco orationes Sanctorum, non viventium quas offerant defuncti Deo, sed in communi omnium fidelium in hoc stadio versantium; Siquidem ibi non triumphantis Ecclesiæ gloria præcisè describitur, sed potius Ecclesiæ militantis & Judæorum ac Gentilium ad Christum aggregatio per Evangelium, uti agnoscunt famiores ex Adversariis: Ac sicut citharæ conjunctæ illis phialis sunt propriæ viatorum, quandoquidem *in universum* (inquit Viegas ad Apoc. 5. com. 2. sect. 6. n. 2.) *divinarum laudum commemorationem significant, quas 24. Seniores duobus potissimum modis denunciant, mortificatione videlicet passionum (juxta communiorem expositionem) ex qua virtutum resultat concentus & divini verbi prædicatione; sic etiam istæ Sanctorum orationes ad quas phialæ aureæ destinantur, sunt illæ ipsæ quas Sancti in hoc mundo & pro se & pro alijs jugiter ad Deum fundere debent: Unde idem Viegas ibid, sect. 7. n. 3. id putat observandum, viginti quatuor seniores non solum citharas sed phialas etiam habuisse aureas plenas odoramentorum, quia non satis est externas Dei laudes decantare nisi etiam cor ipsum interiùs plenum sit odoramentorum, id est orationum ferventium, suavissimique*

vissimique odori; & exinde queritur plures esse in Ecclesia qui hæc inter se divellant & citharas habentes careant phialis. Ipse Tirinus ad hunc locum agnoscit has orationes esse viatorum, *qua instar nobilissimi sassis ex contusis patientia & mortificationis aromatis collecti, igne tribulationis & charitatis in altum acti, divinas oblectant nares, fetorem peccati abigunt, graveolentiam ira & vindicta divina mitigant, inquit S. Gregorius.* Cum autem hæc preces sint eorum quorum sunt phialæ aureæ ex quibus effunduntur, id est corda fide purificata & æstuantia charitate, vim sibi & textui facit Tirinus cum inde vult colligere, à cœlitibus hæc thymiamata nomine viatorum Deo offerri: Certè incensus ille Sanctorum rectà tendit ad Deum, Psal: CXL I, 2. nec diverticula quærit; Et uni Christo jugiter pro nobis intercedenti competit aureum thuribulum in quo illa thymiamata recolligantur, ut videre est Apoc: VIII, 3.

Et verò Sanctos etiam præesse) Suo loco visum quis sit sensus loci Apoc: II, 26. Gentes regendæ & confringendæ virgâ ferreâ à victoribus fidelibus in Christo & per Christum, sunt Ecclesiæ hostes qui tandem eorum pedibus subjicientur, maxime in die judicij, quo tamen cessabit imaginarium illud piorum præsidium, quod cœlitibus à Jesuitis vindicatur, ne uni Christo debeamus dicere, *o & præsidium & dulce decus meum.* Petrus verò jam metæ propinquus per eam quam fidelibus tunc scribebat epistolam, dabat operam ut etiam post suum obitum suarum adhortationum sanctorum meminisse possent: nam littera scripta manet; nihilque minus Apostolo venit in mentem quam se post suum obitum præfuturum adhuc rebus Ecclesiæ, & singulorum etiam ex ijs ad quos scribebat memorem futurum in cœlis: Nam difficile est singulos ei notos fuisse, inquit ibi Lorinus; *cujus insuper hæc sunt verba: Magis communis expositorum sententia est, significare Petram, se, quia brevi sibi ex hac vita discedendum sit, curare velle ut hoc epistolarum & monitorum in ijs tam salutarium & necessarium relinquat monumentum, ne illis usquam excidant ex memoria, sed ipso mortuo etiam atque etiam relegant & considerent ac memores sint mandatorum horum ut faciant ea.* Psal: 102. 18. *seque simul tueantur ab oppositis erroribus & valeant alios instituire;* Sed & quamvis Tirini ac cœterorum è suis prævaleret explicatio, Pe-

trum spondere illis qui tunc vivebant & quos noverat, se eorum memorem futurum in cœlo, prout etiam alij Sancti, ut Cyprianus Cornelio scribens, polliciti sunt se si priores hinc abirent, rogaturus Deum pro illis qui remanerent in vita, non indè sequeretur vel Petrum post obitum suum nosciturum quid fieret à singulis superstitionibus usque ad consummationem sæculi, vel ideo fore religiosè invocandum & eximio illo adorationis genere colendum quod uni Deo debetur.

Num. 9. Idcirco meritò à NOBIS INVOCANDI sunt; Gen: XLVIII, 16. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Et de angelis custodibus id libenter concedit Calvinus. Sed & de Sanctis hominibus idem colligitur ex Iob: v, 1. *Ad aliquem Sanctorum convertere.* Exod: XXXII, 13. *Recordare Domine Abraham, Isaac & Jacob servorum tuorum.* Ps: CXXXI, 1. *Memento Domine David,* &c. Et si viventes licitè invocantur, & invocari jubentur à Deo, Iob: ult. v. 8. *Ite ad servum meum Iob, ipse orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam,* &c. Rom: xv, 30. *Obsecro vos ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum; Quidni & vità functi?*

Et verò norunt optimè & necessitates & preces orantium. Primò, per intuitum essentia divina, in quâ tamquam speculo voluntario perfectissimè ipsis representari possunt omnia quæ ad quemque spectant. Ioh: III, 11. *Quod vidimus, testamur,* &c. Secundò, per specialem revelationem, ut Dan: x, 13. &c. Tertio, per relationem Angelorum ultrò citroque commeantium. Patet ex dictis ibidem & alibi passim. Quarto, per propriam subinde inspectionem. Neque enim Sancti compedibus vincuntur in cœlo, uti nec olim in limbo; ut vidimus in animâ *Samuelis*, I. Reg: XXVIII, 15. *Onie & Jeremie*, 2. Mach: ult. v. 12. Denique quo modo Sancti norunt conversionem peccatoris Luc: xv, 7. ut de eâ gaudeant in cœlis, & *Abraham* Ioh: vi 11, 56. *vidit è limbo diem Christi & gavisus est:* eodem modo norunt omnia ad se spectantia quæ hic geruntur in terris.

Objectiones solvi Matth: XII, 48. *Quæ est mater mea? Ioh: II, 4. Quid mihi & tibi mulier?* Matth: XI, 28. *Venite ad me omnes,* &c: & I. Tim: II, 5. *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Neque enim Sancti sunt *primarij* mediatores, sed solum *secundarij*; quo modo Moyses vocatur in Scripturâ *mediator, medius, sequester*, Deut: v, 5. Et Othoniel & Aod Iudic: III, 9. & 15. vocantur *Salvatores*. De religioso cultu angelorum vide dicta ad Coloss: II, 18.

CENSURA. Idcirco merito à nobis) De invocatione Angelorum & San-

& Sanctorum disseruimus, & in *Monachomachia nostra* p. 1. quæ inscribitur *Monachus ad Anticyras*, & *Antichristi Revel.* p. 1. cap. 27. contra Grotium qui illi Idolo pingendo novos colores excogitauerat. Sanè uni Deo Vitulos labiorum æquè debemus offerre, ac illi uni Sacrificia externa & typica minoris pretij sub Lege debebantur: Ipse solus est *καρδιοργάνος*, ipse solus ubique præsens, ipse solus omnipotens, ut & audire & exaudire possit: Nec ad alium dirigi debent preces quas inspirauerit nobis Spiritus precum, uti Spiritus adoptionis dicitur Zach: xii, 10. Rom: viii, 26. Et cum axioma Pauli sit immotum, non invocandum nisi eum in quem crediderimus Rom: x, 14. non video quâ ratione dicantur Sancti & Angeli invocandi, quin eo ipso fidei nostræ columen & objectum constituentur, quod quam sit alienum à Scriptura patebit cuius legenti locum Jer: xvii, 5. Et ne veniant impudentiores agyrtæ nobis oppositum quod extat in epist. ad Philem. com. 5. quasi ibi fides in Sanctis reposita laudetur, sciant ipsum Tirinum *ibi ὕστερον ἀπότερον* restituere, ac introducere Paulum exorantem Philemonem *per fidem quam eximiam* habebat in Christum, & *per consuetam charitatem quam passim in omnes Sanctos id est Christianos excellentissimis misericordia operibus* demonstrabat. Nihil igitur tutius quam unicum Deum in nomine Christi invocare; cum invocatio Creaturarum nullum habeat mandatum, nullam promissionem, & post omnes adhibitas cautelas, tamen remaneat adhuc obnoxia periculo Idolatriæ & cultus alieni.

Gen: xlviii, 16. Angelus) Absit ut Jacobus Angelum Creaturi invocauerit eumque habuerit pro suo Sospitatore, aut ejus benedictionem super Manassè & Ephraim implorauerit, cum nequidem aduersarij velint Sanctos vel Angelos invocandos ut Collatores benedictionum diuinarum, sed tantum ut earum Impetratores. Sed idem Jacobo est Angelus qui ipsum eruerat ab omni malo, & Deus qui eum pauerat, & Deus in cujus conspectu ambulauerant patres sui; Ut hic locus eximiam contineat Sanctæ Trinitatis demonstrationem, quam Pontificij bonæ causæ contra Samosatenianos, Arrianos & Judæos eripiunt, dum in ea volunt quærere patrociniū Angelolatriæ suæ. Hoc vidit Dionysius Carthusianus *ad eum locum*, qui hanc sibi proponit re-

O O O O O O 3

solven-

solvendam difficultatem, *Cur Iacob pueris benedicendo per invocationem nominis Dei fecit mentionem de Angelo, & quis sit Angelus iste tanta efficacia qui eruit ipsum Iacob ab omnibus malis, & filijs Ioseph benedicere potuit?* Atque utrinque quæsitum solutum iri si respondeatur quod per Angelum intelligat verbum æternum unigenitum Dei qui est Angelus magni consilij cuius incarnationem prævidit Iacob in Spiritu. Et sane in eo demum nobis affatim Pater benedixit Eph: 1, 3. Nec alius hic Angelus quàm is & quem se compellantem & securum reddentem contra omnia pericula vidit Iacob in Scalæ vertice Gen: xxviii, 13. & cuius extorsit benedictionem in sua lucta cum ipso Gen: xxxi, 26. Et hunc fuisse Dei filium jam olim definivit Concilium Sirmiense *Can. 14.* Calvinum autem uspiam concessisse Angelum custodem esse invocandum falsum est, cum nemo sciat quando præsens sit, nec apparitionibus temerè credendum, quoniam solet etiam Satan, ut incautos decipiat, se transformare in Angelum lucis.

Sed & de Sanctis hominibus) Doctrinam limbi in Papatu non posse consistere cum Sanctorum invocatione in V. T. antea fuit indicatum. Quoad Jobi locum non respondebo verba esse Eliphazi, quæ Tirino non sunt authoritatis Canonice; Etenim non magis ex Jesuitis hunc errorem meum faciam quàm ex D. Voetio, cuius hoc fuit primum paradoxum in *Coroll. Theol. disp. inauguralis repetita in Thersite*; Dicta amicorum Jobi non esse authentica & imprudenter dogmata fidei ex ijs tanquam principio infallibili probari. Quamvis enim erraverint in hypothesi, tamen in thesi vera & authentica sunt quæ habent vel Legaliter vel Evangelicè considerata, ut fusiùs ostensum à Clariss. Coccejo *ad Iobi cap. 11, vers. 14.* unde nostrates Belgæ ita in argumento Jobi loquuntur, *Sp brengen veel heerlijcke spreucken voort / maer die si qualijck op den persoon Jobs gepast hebben.* Hoc etiam paradoxo constabatur ex parte error Anabaptistarum ex Judæorum Baba Batra huic librum reijcientium, apud Sixtum Senensem *Bibb. Sancta lib. 8. nar. 10.* Et D. Voetius in illius defensione militat Socinianis idem secum statuentibus apud Volkeltium *lib. 5. de vera relig. cap. 18.* item Pontificijs, nominatim cuidam Jacobo Ianfenio apud Coccejum *ad Iobi xxxv, 4.* quem vir ille Clarissimus sic ideo compellat,

Bonum

ionum factum quod eos quos ipse Hæreticos vocat in causa de Iustificacione hominis peccatoris coram Deo, sociat cum amicis Iobi; non pudet nos hujus Societatis; nam & Apostolum non puduit verba illorum sua facere; Imo hoc paradoxon palàm est injurium Apostolis qui plurima ex illis citarunt anquam authentica & divina; Confer Job: v, 13. cum 1. Cor: III, 9. Job: IV, 9. cum 2. Theff: II, 8. Apoc: II, 16. Job: v, 17. cum Job: XII, 5. & Jac: I, 12. Job: VIII, 3. cum Rom: IX, 14. Plura poterunt observari istius generis apud eos qui sollicitè collegerunt loca V. T. in Novo citata. Quod autem ab Elihu & ipso Deo fuerunt reprehensi, non ideo factum quod eorum axiomata, ut doctè monet Soccejus *ad Iobi XLII, 7.* & sententiæ non sint veræ & divinæ, sed quod illis malè usi essent ad incrustandam causam hanc personalem obi, quod etiam annotarunt Belgæ & Genevenses. Hoc itaque mislo commento ac paradoxo suo illi Theologo Ultrajectinæ Scholæ rector, cum reliquis ipsius ineptijs quas plurimas alias fovet, ad Jobi *ocum respondebo*, non ipsum amandari ad Sanctos mortuos invocandos, sed per impossibile ad quærendum aliquem inter pios & sanctos viventes, qui suam causam contra Deum, utpote Eliphazi iudicio iniquam, velit defendere: Nec procul abit ipse Tirinus; *oca ergo, id est, si mihi ex revelatione Dei docenti neminem innocentem plecti Deo, nec dum credis ipsemet, Deum vel Angelum vel Sanctum aliquem invocare contrarium si verius sit tibi revelet. Ita S. Thomas*; Sed quam parum condidat illi explicationi de Sancto demortuo invocando, ad consequentiam revelationem veritatis, ostendunt quæ immediatè subijcit; *Vel lubet ex piorum numero saltem cita aliquem qui contrarium seu verbo seu exemplo suo nos doceat.* Exod: XXXII, 13. Abraham, Isaac & Iacob non invocantur, sed Deus; nec obijcitur Deo eorum intercessio pro viventibus, sed tantum fœdus quod cum ipsis pangere dignatus fuerat, ejus firmitate & promissionibus tum Moses tum pij omnes sub V. T. itebantur in suis precibus. Bellarminus in *Ord. disp. 4. Cont. gener.* egat ante Christi adventum Spiritus Prophetarum & Patriarcharum esse invocatos uti nunc Martyres & Sancti invocantur, *quod illi adhuc inferni carceribus clausi detinerentur*; Idem habent Becanus *Anal. V. & J. F. cap. 3. q. 6. n. 5.* & Cornelius à Lapide *ad 63. Es.* cujus verba non pigebit

pigebit hinc annotare; Abraham & Jacob nesciunt nos resque nostras quia sumus in obscuro Limbo Patrum, ubi tam egent luce & ope Dei quam nos; non ergo eos imploramus qui nostras res & arumnas nesciunt, atque satis negotij habent ut sibi consulant sibi que liberationem ex inferno procurent; Sed te, Domine, qui solus potes juvare & liberare tam Abraham quam nos; Hac enim de causa in V. T. non legimus quod viventes invocarent Patriarchas aut Sanctos degentes in Limbo; Secus est in Novo Testamento ubi Sancti triumphant in cœlis cum Christo, atque in Deo revelante nostras preces audiunt & cognoscunt, nosque & nostram salutem amant & sitiunt. Perperam ergo Heretici hunc locum torquent contra invocationem Sanctorum. Esto enim anima patrum in limbo orarent pro posteris, tamen preces & afflictiones suorum audire non poterant, quæ circa frustra posterorum opem implorassent. Ad Deum ergo recurrere eumque invocare debebant. Quoad Psal: 131. Heb: cxxxii. falso supponitur Salomonem ibi Deum obtestari per merita Davidis patris sui, quod tamen nihil faceret ad Sanctorum invocationem, sed est ipsiusmet Davidis deprecatione pro se ipso, ut Voti sui compos fieret circa Arcæ translationem quam Hierosolymas deducturus erat.

Et si viventes licet invocantur Cum ipsi Bellarmino Sanctorum invocatio sit *eximium* adorationis genus, oportebit Paulum Romanis illud detulisse, si cum se eorum precibus commendavit, eos censendus est invocasse eam invocationem quæ in Papatu cœlites coluntur & adorantur. Sanè in hac vita fideles mutuis se precibus debent juvare, cum per eandem viam tendant ad eandem patriam; & possunt ijs se nominatim commendare precibus quibuscum sensibile retinent commercium vel voce vel scripto. At cum nullum tale restet viventibus commercium cum mortuis, nec habeamus tabellarios qui Epistolas nostras ad ipsos procurent, nec ipsis tam longæ sint aures ut nos clamantes in terris è cœlo queant audire, frustra erunt qui se eorum precibus commendavolent: Et quantum sit discriminis inter invocationem Sanctorum quæ obtinet in Papatu & mutua precum inter pios officia, annotavit ipse Thomas, qui 2. 2. q. 83. art. 4. ad. 3. sic loquitur; *Eorum qui sunt in purgatorio aut vivorum nos suffragia non implorare orando*, ut nempe sit in invocatione Sanctorum, *sed à vivis petere colloquendo*: Nemo sanus erit qui adgeniculatus non dicam fratri suo, sed ejus picturæ, recitet orationem

orationem Dominicam, cum hac intentione mentali ut suo nomine ad Deum deferatur, quod obtinet in Sanctorum invocatione, cum *Pater noster* recitatur ad Sancti alicujus imaginem, ut ille Sanctus cujus imago est, eam orationem nomine deprecantis offerat Deo. Et cum invocatio Sanctorum etiam solo cordis motu peragatur, ut statuunt adversarij, nemo unquam censebitur subsidium precum fraternarum in hac vita hoc modo implorasse.

Et verò norunt optimè) Quàm hæreat aqua Pontificijs in modo illo explicando quo Sancti in cælis queant nostras necessitates & preces cognoscere, patet hic ex Tirino, qui hos quatuor distinctos annotare non debebat, si de primo, qui poterat sufficere, certus fuisset. Cum verò vocat *intuitum essentia divina*, speculum voluntarium, satis indicat ex illo intuitu non necessariò exurgere omniscientiam intuentium, ut quæcunque hîc fiunt habeant in numerato & intimos cordium recessus pervideant, & eodem momento infinitas quasi personas, varijs in locis & conditionibus, se de varijs rebus interpellantes, cognoscant, audiant & expediant. Non dubito Sanctos in cælo eâ gaudere Dei visione per lumen gloriæ quæ ipsis plenissimè sufficiat ad suam beatitudinem; sed nego vel ad beatitudinem Sanctorum facere ut in speculo isto voluntario, omnia videant quæ ipsis *possent representari* de rebus hujus mundi, vel posse fieri ut talia videant in facie divina: Si enim quæ hîc geruntur cognoscerent Beati per ideas divinas, eorum cognitio esset formaliter divina & infinita, cujusmodi in Creaturam non potest cadere; Angeli qui ugiter vident faciem Dei, nondum tamen in ea legerunt tempus destinatum iudicio universali Marc: XIII, 32. Familiarissimè Moses cum Deo in monte conversabatur & faciem rutilantem inde reportabat, non tamen ibi videbat quid fieret ad pedem montis & quomodo fraëlitæ in Idololatriam vituli incidissent.

Secundò per speculem revelationem) At hic modus est causæ Pontificiæ valdè incommodus: Si enim non innotescant preces meæ ulli cœti nisi per revelationem specialem Dei, tum Deo potiùs egeo intereffore ad Sanctos, quàm Sanctis pararijs ad Deum; quare hæc via non placet Bellarmino *lib. 1. de Sanct. cap. 20. quia si indigerent Sancti*

Pppppp

novâ

novâ revelatione, Ecclesia non diceret ita audacter omnibus Sanctis orate pro nobis, sed peteret aliquando à Deo ut eis revelaret preces nostras; Deinde non posset reddi ratio tam facile cur Sancti nunc invocentur & ante adventum Christi non invocarentur: Nam æquè poterant ipsis viventium preces specialiter revelari.

Tertio per relationem Angelorum) Atqui sic necesse esset Angelos esse nostros intercessores ad Sanctos, Sanctos ad Christum, Christum ad Deum; qui circuitus est valdè prolixus; neque totè ambages petit fiducia & pietas si telium: deberetque qui invocat aliquem Sanctum certus esse se habere præsentem cursorem Angelum, qui statim evolet in cælum vota sua delaturus: Imo oporteret hos Angelos internuncios nosse intimas cogitationes & corda hominum, ut possent hypocriticas preces à pijs distinguere, & eas percipere quæ fiunt solo cordis motu. Nec si Angeli aliquando emittuntur ad Prophetas aut ad alia opera extraordinaria providentiæ divinæ, quod solum patet ex Dan: x, 13. inde sequitur eos internuncios esse precum inter vivos & mortuos; quas potius rectà, quo citior sit expeditio, Deo offerre deberent.

Quarta per propriam subinde) Illi inspectioni propriæ advertantur omnia ea loca Scripturæ quæ testantur nihil amplius habere mortuos commercij cum viventibus vel notitiæ eorum quæ hic geruntur: Et quamvis velint Jesuitæ dictum Es: LXIII, 16. ad solos Patres in Limbo restringere, sibi que plaudat ibi Tirinus, quod Calvinus judicaverit aliò spectare Prophetam, nec locum ipsum per se inferre Sanctos vitâ functos nostri curam non habere; attamen Augustinus de cura pro mort. cap. 13. eo loco utitur per applicationem generalem ad omnes mortuos, etiam sub Novo Testamento; Si rebus viventium, inquit, interessent animæ mortuorum, ut de alijs taceam meisipsum, pia mater nulla nocte desereres, &c. Et paulò post citato Psalmi loco, Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, subiicit, Si ergo dereliquerunt nos Patres nostri quomodo nostris curis & rebus intersunt? Si autem parentes non intersunt, qui sunt alij mortuorum qui noverunt quid agamus quid ve patremus? Esaiæ enim Propheta dicit, Tu es enim pater noster quia Abraham nos nescivit & Israhël non cognovit nos. Si tanti Patriarcha quid erga populum ex eis procreatum agerem

ageretur ignoraverim &c. quomodo mortui vivorum rebus cognoscendis adjuvandisque miscentur? Quomodo dicimus ijs fuisse consultam qui obierunt antequam venirent mala quæ illorum obitum consecuta sunt, si & post mortem sentiunt quacunque in vita humana calamitate contingunt? Et Josiæ ad id alato exemplo, sic concludit, Ibi ergo sum Spiritus defunctorum ubi non vident quacunque aguntur aut eveniunt in ista vita hominibus. Adde quod cum illa, quam hîc fingit, propria inspectio sit, si detur, è raro contingentibus & semper ignota iis qui degunt in hoc sæculo, non potest sufficienter fulcire invocationem Sanctorum; nec si potest rediri ex Limbo, ut de Samuele & Onia fingitur, ideo dabitur reditus ex cælo: Quanquam ad illa Oniæ & Samuelis prætenfa exempla, suo loco abundè respondimus.

Denique quomodo Sanctis) Primò non Sanctis in communi sed solum Angelis dicitur loco citato hæc respicientia innotescere, non quod Angeli sint καρδιολογῶσαι aut omniscij, sed quod eam colligant à posteriori vel ex signis quibus ipsi homines illam testantur, vel ex sua specialiori ad hominum jam conversorum curam delegatione, adeoque nihil inde potest exsculpi pro omniscientia Sanctorum, quorum singulorum respectu obtinet quod in *Epitaphio nepotiani ad Heliodorum* de illo dicebat Hieronymus, *Quicquid dixero, quia ille non audit mutum videtur.* Deinde quod habetur de Abrahamo Joh: VII, 56. pertinet ad ipsum non degentem in Limbo, qui fando audiverit quæ per Christum jam exhibitum patrarentur inter Judæos, quod forte peroptarent Sociniani & Antitrinitarij, sed adhuc in vivis agentem, cum lumine fidei suæ corroborato per revelationem divinam sæcula ipsa penetravit atque eminus promissiones salutavit Heb: XI, 13. Adhæc si eodem modo Sancti noverunt quæ hîc fiunt, quomodo Abraham vidit è Limbo diem Christi, utique non exurget hæc eorum notitia ex Dei visione, ad quam non admissus erat Abraham in Limbo, & restabit adversarijs probandum tantum interesse Sanctis sibi speciatim revelari quæ fiunt inter homines, quantum intererat Abrahamo Patri credentium ut ei revelaretur dies Domini.

Objectiones solvi Matth: XII, 48.) Hæc duo loca ex Matth: XII, 48. & Joh: II, 4. eo tantum inserviunt ut probent non esse quod dicant

PPPPPP 2

B. Virgini

B. Virgini in ipsius cultu ordinario, *Monstra te esse matrem*; Item, *o felix puerpera, nostra pians scelera, jure matris impera Redemptori*: unde Sohnius Sylveducensis Episcopus stultè dubius hærebat inter Matrem & Filium cum hoc dictorio, *Positus in medio quo me veram nescio*; cui falsè nauta Hollandus id reposuerat eretâ notatum ad parietem Templi tunc Petriani nunc diruti, *ô groote sott / keere u tot Godt*. Etenim si Christus, ut annotat Tirinus *ad priorem locum, nullam matrem nullo fratre carnales agnoscit cum occupatur in divino Patris sui ministerio*, an putabimus eum adhuc ferulæ maternæ subesse, ut ea Regina Cœli habeatur, juxta Collyridianorum nomenclaturam, & omnia ex illius nutu pendeant, quæ revera nonnisi Filij sui intercessione & merito illam salutem adepta est? Fuerit-ne vera reprehensio quæ extat Joh: 11, 4. hujus loci non est disputare, aut ostendere quam infirmis Tirinus nitatur argumentis dum id negat; sed eo ipso quod, ut agnoscit, Christus noluerit sibi cum matre quidquam esse commune in eo negotio, satis evincitur B. Virginem nolle se immiscere iis quæ spectant ad Christi munus Mediatorium & intercessorium; Rem ipsi Matri faciemus gratam si uti jubebat Joh: 11, 5. fecerimus quæcunque *Filius dixerit nobis*.

Matth: 21, 28. Venite ad me) Ibi nihil hûc faciens annotavit Tirinus: & Christus nos tam humaniter ad se invitans, satis innuit non esse quod facilioris accessus gratiâ Sanctorum demortuorum & Angelorum quæramus intercessionem, eoque prætextu eos religiosè invocemus: Non est quod adeas vilissima quæque mancipia, cum ipse herus & filius, qui via est veritas & vita tam liberaliter te invitat: Quo spectat Augustini dictum *tract. 22. in Joh. Hoc dicit tibi Salvator tuus, Non est quo eas nisi ad me, non est quâ eas nisi per me*.

Et 1. Tim: 11, 5. Unus Salvator) Eadem fere habet Johannes 1. Ep: 11, 1. 2. satis indicans, ne quis hîc latebras quærat, eum solum esse intercessionis Mediatorem apud Deum qui fuerit Mediator Redemptionis; Nec defuerunt inter Pontificios cordatiores ut Heselius Lovaniensis, Espensæus Sorbonista & alii, qui moti Pauli auctoritate uni Christo nomen & titulum Mediatoris concedendum sunt arbitrati: Etenim observabant Pauli scopum esse se opponere Hæreticis

Hæreticis qui ex Platonis disciplina Angelos habebant pro *μοιραις* & eo respectu religionis cultum ipsis deferebant. Hoc vidit vel ipse Cornelius à Lapide *ad 2. Tim. 11, 5. n. 66.* cujus verba hæc sunt; *Adverte hîc Paulum cum Christum vocat unum Mediatorem perstringere Simonem Magum ejusque affectas qui ex Platone docebant non Christum sed Angelos vel Demones esse Mediatorez hominum ad Deum, unde toties in epistola ad Ephesios quorum Episcopus erat Timotheus ad quem hæc scribit Paulus) dixit nos N O N N I S I per Christum habere accessum ad Patrem; Quâ observatione corruit distinctio Tirini inter Mediatorem Primarium & Secundarios: Nam qui unicum ponit omnes alios tollit: aliàs etiam in ipsa divinitate supererit locus distinctiõni inter Deum Primarium & Secundarios: Nam ut Deus est unus, ita unus est mediator juxta Paulo. Tum Angelici quos Paulus impugnat eâdem potuissent distinctiõne se excusare, ac Angelos confiteri tantum secundarios Mediatorez sub Christo; quæ proculdubio fuit quoque mens eorum quos sub hoc titulo lamnavit Synodus Laodicensa cum cætera Christiani essent. Potuisset quoque hac ratione Parmenianus Donatista se ab Augustini ipsum graviter increpantis quod Episcopum fecisset Mediatorem inter Deum & populùm, criminatione extricare hujus distinctiõnis beneficio; cum primas proculdubio in hac mediatiõne Episcopo non assignasset. Sed ipsemet Augustinus hîc audiatur *lib. 2. contra Parmen. ap. 8.* *Si vero hoc ita diceret (nempe Johannes) Hoc scripsi vobis ut non eccetis, & si quis peccaverit Mediatorem me habetis apud Patrem, ego exoro pro peccatis vestris, sicut Parmenianus quodam loco Mediatorem posuit Episcopum inter populùm & Deum, quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi & non sicut Antichristum intueretur? Et amen lacus detriti fumosam aquam istorum superbiam ferunt & Spiritum Sanctum continere non possunt, ut servent unitatem Spiritus in vinculo pacis & in omnibus orationibus suis de uno Mediatore securi sint. Homines enim omnes Christiani invicem se commendant orationibus suis, pro quo autem nullus intervellat sed ipse pro omnibus hic unus versusque Mediator est &c.* Item, *Si esset Mediator Paulus essent utique ceteri coapostoli ejus, ac si multi mediatores essent nec ipsius Paulo constaret ratio quâ dixerat, Vnus enim Deus unus Mediator Dei & hominum &c.* Nec multum ponderis est in objectiuncula Tirini:*

PPPPPP 3

Stetit

Stetit quidem Moses inter Deum & populum Deut: v, 5. ut ad hunc referret verbum Dei, sed idem Mediator Dei & hominum nusquam dicitur, ne quidem typicè, nisi fortè Gal: 111, 19. quem tamen locum malimus de ipsomet Christo intelligere, ut factum à plerisque nostrorum; nec abnuunt Belgæ interpretes. Et cum noster Jesus non desinat esse unicus noster Redemptor spiritualis, etsi Orhomiel & Aod liberatores vocentur, nempe typici & temporales, ita nec desinet ideo esse noster unicus Mediator, qui in eodem genere Mediationis apud Deum nullos habet socios vel coordinatos vel subordinatos.

De religioso cultu Angelorum) Multa hac de re annotavi contra Grotium in *Antich. revel. pag. 1. cap. 27.* quæ hic repetere nolim. Satis est Paulo damnari *θρησκείαν τῶν ἀγγέλων*, quæ ut hodie inter Pontificios, humilitatis prætextu commendabatur, & quod hominibus infirmis peccatoribus ejusmodi pararij sint conquirendi per quos accedant ad Deum: Ridiculè Tirinus *ibi* negat damnari *religiosum cultum & invocationem Angelorum & Sanctorum*, sed solum *cultum & adorationem falsam & superstitiosam ac idololatricam*: nam nullus est cultus Angelorum religiosus, quem ipsum *θρησκείας* nomen indicat, qui eo ipso non sit superstitiosus & idololaticus: Nec enim Angelici eos coluerunt tanquam suprema Numina, sed demum, modo Pontificio, tanquam intercessores & mediatores ad Deum: Neque verum est quod habet Tirinus, postea in Phrygia (ubi supererant reliquæ istius insanix adhuc tempore Theodoreti, in quibusdam oratoriis S. Michaeli inscriptis) hanc superstitionem *in sincerissimum cultum Angelorum* evasisse, ut colligi vult ex celebri S. Michaëlis templo apud Collofenses, sed potius errorem incrustatum veritati & pietati prævaluisse, ut morbum sanitati. Sed hîc mihi videtur Tirinus solemnia insanire cum suo de Valentia, qui quod legisset *κατ' αὐξήσιν* damnari Petro Idololatrias *abominabiles*, inde sibi finxit dari Idololatrias non abominabiles & licitas, quæ vigerent in Papatu.

Num: 10. Neque solum in propria personâ suâ HONORANDI sunt Sancti, sed & IN cadaveribus alijsque RELIQUIIS SUIIS, (etsi rideant hæretici) fuerunt enim quasi templa & instrumenta Sanctarum animarum

marum ad omne opus bonum, & iterum cum ipsis confortia erunt æternæ beatitudinis. Sic Moyses Exod: **xiiii, 19.** honorificè secum asportat ossa Iosephi, & verisimiliter etiam aliorum Patriarcharum. Et Deut: ult. vers. **6.** Deus ipse honorificè per angelos jubet sepeliri corpus Moysis. Item tactu pallij *Elizæ* 4. Reg: **ii, 8.** & **14.** dividuntur aquæ Iordanis. Et cap. **xiii, 21.** *anastu osinum Elisei* mortuus ad vitam revocatur. Et Esaias cap. **xI, 10.** sepulcrum Christi prædicit futurum *gloriosum.* Et quanta veneratio deferebatur arcæ fœderis! **1. Reg: vi, 19.** In novo Testamento Matth: **ix, 20.** hæmorrhœissa tactu *fibria* Christi sanatur **Act: xix, 12.** *Suda-rijs & Semicinctijs Pauli* curantur ægri, dæmones fugantur, &c. Vt & **Act: v, 16.** tactu *umbra Petri.* Quæ verò reliquæ viliores umbræ? Neque Matth: **xxiii, 29.** & Luc: **xi, 47.** arguuntur Iudæi quod ornarent sepulchra Prophetarum, sed quòd imitarentur cæfores Prophetarum.

CENSURA. *Neque solum in propria persona*) Tum demum honestè habentur Sanctorum reliquæ, cum humi mandantur in spem resurrectionis æternæ, non verò cum refodiuntur ut sit in Papatu, & hinc inde disperguntur & proponuntur plebi in objectum cultus & adorationis. Quam frequentes sint fraudes hac in re inter Pontificios fusiùs enarrare non est hujus instituti; Ipsimet agnoscunt quod de nullis reliquiis certò dici possit, Hæ numero reliquæ sunt adorandæ; nullumque datur *exilicior* quo veræ & sanctæ à supposititiis & falsis discernantur. Calvinus egregium hac de re libellum conscripsit, cui tamen multa possem addere ex libro Italico qui inscribitur de Rebus Mirabilibus quæ Romæ sunt: Nobis ad finem properantibus non superest tantum otij ut hæc sigillatim queamus enarrare, & ostendere quam monstrosa debeant esse Sanctorum corpora, si omnia ea habeant membra quæ illorum esse dicuntur & ea consideratione adorantur.

Sic Moyses, Exod: xiiii, 19.) Ossa hæc Iosephi secum assumpsit Moses, non proponenda populo in cultus objectum, aut sub altari deponenda, illius pollutioni hac ratione potius quam sanctificationi inservitura; sed honestè sepelienda in terra promissa sub spe resurrectionis; Et hoc stipulatus fuerat ipse Ioseph moriens quo sic in posteris expectationem liberationis excitaret, & nihil sui inter Idololatrias remaneret.

Et Deut: ult. 6. Dom ipse) Atqui hoc ipsum valdè adversatur cultui
Reliquia-

Reliquiarum, siquidem Deus noluit sepulchrum Mosis cuiquam innotescere, ne ejus corpore Israëlitz ad idololatriam abuterentur, ut observat ipse Tirinus *ad Deur: xxxiv, s. 6.* qui etiam monet, quod factum quoque à Lorino *in epist. Iuda,* altercationem Michaëlis Archangeli cum diabolo de Mosis corpore cujus meminit Judas com. 9. inde ortam fuisse quod volebat Satan Israëlitis innotescere Mosis sepulchrum atque sic eos pellicere ad sacrarum illarum reliquiarum adorationem & cultum: Videant ergo Pontificij cui militent dum sacras, quas vocant, reliquias ubique dispergunt & popello proponunt in laqueum.

Item tactu pallij) In his nihil est præsidij pro hac causa: Nec enim vel Eliæ pallium, vel Elisæi ossa, vel simbriam Christi, vel sudaria Pauli, vel umbram Petri, licet suo tempore instrumenta fuerint moralia Miraculorum divinitus patratorum ad comprobandam veritatem Dei, quæ illi vel annunciaverant, vel porro annunciabant, legimus fuisse hominibus pijs in cultus objectum, aut inter reliquias sacras ullo modo reposita: Sepulchrum Christi (quod nihil facit ad reliquias Sanctorum) debuit esse gloriosum, non ob peregrinationes religionis ergo ad illud suscipiendas ab hominibus superstitionis, in quos doctæ & fuscè invehitur Gregorius Nyssenus dissertatione pereruditâ *Ἐπὶ τῆς ἀπίστου εἰς ἱεροσόλυμα,* sed quod licet cruciariis in suo supplicio annumeratus, tamen honoratorum & ditiorum manibus ac curâ in Sepulchro honesto & novo reconditus fuerit, at liquet ex historia Evangelica; ut nihil dicam de fructibus spiritualibus sepulturæ Christi, ipsi Tirino enumeratis Esa: LIII, 9. Et *sepulchrum* Es: XI, 10. quem locum hîc citat Tirinus, ipfomet ibi iudice, non tam locum significat in quo positum fuit cadaver Christi quam ipsam mortem, dormitionem seu requiem, qua fuit causa sepultura; Porro mors Christi, inquit, gloriosissima accidit, nam simulatque expiravit anima victrix apud inferos triumphavit (quam verè hæc dicantur non disputo) & corpus honorifice conditum sepulchro, quod etiam Angeli suâ presentia & custodia cobonestabant, gloriosum tertiâ die resurrexit. Hoc sensu sepulchrum Christi contumeliâ potius afficiunt quam honore, qui ad locum sepulturæ cursitantes, adhuc quærunt inter mortuos eum qui vivus est, imò qui suâ morte nobis factus est resurrectio & vita. Arca fœderis apud Israëlitas ad reliquias

ad reliquias non pertinuit, sed ad instrumenta cultus Levitici, & sic omnibus bonis fuit in pretio, non ratione ejus quod erat, sed ratione ejus quod significabat. Et sanè cum juxta Thomam non nisi naturæ intelligenti Honor & Reverentia debeatur 3. p. q. 25. art. 3. nullius reverentiæ & honoris capaces erunt ullæ reliquiæ, cum sint inanimes & mortuæ; ut frustra de illis colendis disputent adversarij.

Neque Matth: xxiii, 29.) Id quidem fateor; Sed quamvis non absolutè reprehendatur ornatus sepulchrorum in quibus ossa Prophetarum requiescunt, tamen nusquam probatur aut præcipitur ut ex istiusmodi sepulchris Tempia fiant, aut illa ipsa Sanctorum ossa refodiantur & in objectum cultus & adorationis proponantur Ecclesiæ. Inter sacras reliquias fuerat Serpens æneus; Sed ubi populus cœpit illi incensum facere, ut fit in Papatu reliquijs ordinarijs, licet plerumque supposititijs, abiit in Idolum: Et si quis sensus tangeret Martyres & Sanctos rerum quæ hîc geruntur, ægerrimè ferrent se & sua ossa apud degeneres posteros in Idola abiisse. Interea in Romanos optimè quadrare possit quod Christus exprobrat Judæis sui ævi; Nam dum tanto apparatu exornant Martyrum sepulchra quos eorum Patres trucidarunt, perinde faciunt, ita loquitur de Judæis Tirinus ad Matt: xxiii, 29. ac solent latronum filij, qui jugulatorum à parentibus cadavera terra mandant; & inani hoc fuco favorem vulgi & immortalē gloriam captant; nam nomina sua monumentis inscribunt, insignia appendunt &c.

Num. 11. Denique etiam IN IMAGINIBUS SUIS. Nam honor imagini exhibitus redundat in prototypon, seu in eum cujus est imago. Ps: xcviij, 5. Adorate scabellum pedum ejus. Et Cherubinos arcæ Exodi xxv, 18. adorari debuisse quoties arca adorabatur, docet S. Hieron. Et Num: xxi, 8. Serpentem aneum S. August. Nec hunc confregisset Ezechias 4. Reg: xviii, 4. nisi cultus illius in Idololatriam transisset. Nec unquam in his bicum fuit à Deo facere vel habere imagines, in profanis, sive in sacris locis. Nam & in Tabernaculo Moyse, & in templo Salomonis jussu Dei positæ sunt imagines Cherubim obumbrantium arcam Exod: xxv, 18. Item boum, leonum, &c. 3. Reg: vi. & vii. Et serpentis anei supra: Et ipse Deus artem sculpendi insudit duobus viris Beseleel & Oliab, Exod: xxxi, 2. & cap. 10.

Hieron.
epist. ad
Marcel-
lam. At-
gust. l. 3.
de Trin.

Q99999

cap: xxxv,

cap: xxxv, 31. Nec unquam reprehensi sunt Iudæi quod in nummis suis
 a *Stepha-* uterentur *imagine Cesaris* Matth: xxii, 21. Et si quæ fides sacris historijs,
anus & Christus ipse imaginem faciei suæ impressit linteo Veronicæ, Luc: xxii, 27.
Adrianus item linteo Abagari regis Edesæ: item linteamini sepulchri, Ioh: xx, 5.
Papa apud Et Hæmorrhoidis Matth: ix, 20. & Nicodemus & S. Lucas imagines Chris-
Iuonem sti confecerunt, multis exin miraculis nobilitatas.
 4. parte Quo sensu *sculptilia* prohibita fuerint Exod: xx, 4. Deut: iv, 15. & cap: v,
 decreti c. 8. & Pf: cxiii, 12. ibidem exposui, & Actor: xvii, 25.
 83. Ni-
ceph. lib. 2. biff. cap. 17. & cap. 43. & lib. 6. cap: 16. Euseb. lib. 7. biff. cap. 14. Sept: Synodus,
et. 4. Metaphrastes & alij passim.

CENSURA. Denique etiam in Imaginibus) Et fusè nos de ima-
 ginum usu & cultu disputavimus contra Grotium *Antich. Revel. p. 1.*
cap. 28. Sufficiat paucis ac strictim excutere quæ hîc habet Tirinus
 in favorem istius Idolomanie, de qua qui plura volet adeat Dissertationem Clariss. Ramburtij *de Imaginibus*, quæ tantum Gallicè proffat,
 & opus accuratum *de iisdem* R. V. Joannis Dallæi, ante aliquot an-
 nos Leydæ editum per Elzevirios.

Nam honor Imagini exhibitus) Neque Imago honoris & reve-
 rentiæ capax est, ut supra monuimus ex Thoma, neque verum sem-
 per est in prototypi honorem redundare cultum exhibitum Imagini,
 cum Deus non honoretur sed offendatur Imaginibus, in quibus tamen
 vellent homines, ut quondam in vitulo aureo, in Theraphim Micæ,
 in vitulis Jeroboami, ipsum colere & adorare; Nec cedunt Sancto-
 rum honori Imagines quæ ipsis statuuntur contra Dei mandatum &
 veterum Conciliorum statuta, quæ volebant picturas in Ecclesijs esse,
 aut in parietibus pictum extare quod colitur, ut loquebatur Conci-
 lium Elibertinum *can. 36.* Nec probat Tirinus quod intendit loco
 ex Psal: 98. Heb: xcix, 5. Etenim non adorandum ibi proponitur
 ipsum scabellum pedum Dei, sed Deus præcipitur adorandus *עלה*
ad scabellum pedum ejus; & ita exigere textum Hebraicum non so-
 lum agnoscit Bellarminus *ibi*, sed etiam liquet palam ex versu ultimo
 ejusdem Psalmi, ubi sic habetur, Exaltate Dominum Deum ve-
 strum & adorare in monte sancto ejus, quoniam Sanctus Dominus Deus
 noster.

noſter. Indè æquè conficies *montem* eſſe adorandum ac illius *ſcabel- lum*, quia ſicut ibi eſt מִתְּלֵי ita hîc eſt לֵל . Vult ergo David Deum adorandum verſus arcam, quæ ſcabellum pedum ipſius dicebatur 1. Chron: xxviii, 2. quoniam ibi ſpecialia præſentiæ ſuz favorabilis & gratioſæ in medio populi ſymbola eſſe voluerat, ſed arcam ipſam no- lebat adorari, ut nec Cherubinos arcæ impoſitos, quæ figuræ erant hieroglyphicæ officij Angelici, non verò hujus vel illius Angeli ſingularis effigies perſonales; adeoque non magis adorabiles, quam ſi quis Fortitudinis vel Temperantiæ aut Religionis Chriſtianæ ſymbolicam Imaginem ſibi ridiculè adorandam proponeret: Nec Cheru- binos remotiſſimos (cum Arca cui aderant) ab oculis populi, credidi- ſet Hieronymus in objectum adorationis fuiſſe propoſitos, qui *ad Deut. 3.* diſerte ait quod *Cultores Dei Imagines adorare non debent*: Nec, quod mentitur hîc Tirinus, is *Doctor in Epift. ad Marcellam* quic- quam habet de adoratione Arcæ vel Cherubinorum; Verba illius ſunt hæc; *Venerabantur quondam Iudæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim & propitiatorium & arca teſtamenti, Manna, Virga Aarons & al- tare aureum*: Hæc omnia p̄tetium addebant loco ſanctiſſimo; ſed nec ipſe nec ipſa debebant adorari. Et mirum eſt Jeſuitam tam aper- tè hoc loco *Adorationem* Imaginum propugnare, cum prudentiores è communione Pontificia quibus aliquid reſtat pudoris, eam apud ſe obtinere vix audeant profiteri; imò nuper adhuc perſonatus Juſtus Pacius *Revis. Iud. Simp. §. 20.* conſentit Grotio latè defendenti Im- agines non eſſe adorandas, nec id fieri in Papatu.

Et Num: *xxi, 8. Serpentem*) Auguſtinus quoque procul fuit ab illa Iconomania, qui diſertis verbis improbat jam ſuo ævo incipientes in Eccleſia *picſurarum adoratores, cap. 34. de morib. Eccl. Caſh.* Nec vult nobis eſſe religionem cultum *humanorum operum*, cum *meliores ſint ipſi arti- fices qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus, de vera rel. cap. ult.* Et Caſſander *conſult. art. 21.* probat ex ipſo in *Pſal: 113.* nondum ejus ævo Imagines fuiſſe in templis Chriſtianorum, ſaltem Africæ: Et nul- la ſunt verba apud eum *lib. 3. cap. 10. de Trinit.* quæ ad ſerpentis ænei adorationem poſſint trahi, cum eum exaltatum quidem dicat etiam in typum Chriſti, adoratum nunquam; Imò ubi cœpit coli ſuffitu &

Q99999 2

incenſo,

incenso, eo scilicet modo quo hodierni Pontificij suas colunt imagines, meritò à pijsimo rege fuit confRACTUS: Nec sanè alia ratio fuit superstitiosus illius cultus quam quod ille serpens miraculosæ sanationis quondam in deserto divinum instrumentum fuerat: Nam eum ab Israëlitis sufficientibus pro Deo habitum fuisse (quod nec de suis Simulachris vix Ethnicorum stupidissimi cogitarunt) faciliùs dixerint Tirinus & Cornelius à Lapide quam probaverint.

Nec unquam inhibiturum). Non sum tam rigidus ut cum Clemente Alexandrino, Origene, Tertulliano, tam procul erant illi Heroes antiquitatis à cultu Imaginum, ut pingendi & sculpendi artes absolute nefarias judicem; Sed id certum, Imaginum erectionem ad cultum & usum religiosum ac sacrum expressè Deum suâ lege prohibuisse & ipsos Gentiles prudentiores agnovisse castiùs, uti loquebatur Varro, Deos coli sine simulachris; quibus etiam per aliquot sæcula Romani caruerunt. Nec Cherubini erecti erant in objectum cultus, uti diximus, cum remotissimi essent ab oculis populi, sed tantum ad mysticam & typicam significationem, quæ cum umbris legalibus evanescere debebat; Sic boum & leonum effigies à Salomone factæ (quamvis non desint inter Judæos qui ipsam culpent hæc in parte) symbolicæ pariter erant & hieroglyphicæ, ferè ut Sphinges Aegyptiorum, non verò in cultus objectum propositæ, vel erectæ ad significandum id quod coli & adorari deberet. Itaque cum umbra sua pugnat Tirinus dum hæc adducit, ut & industriam sculptoriam inditam Besaleeli & Aholiabo; nec non monetam publicam effigie Cæsaris insignitam; quam non debuerunt respicere Judæi, cum usum haberet merè politicum & civilem, non sacrum & religiosum. Villalpandus tamen in *Ezech. tom. 3. p. 2. cap. 25.* probat Hæbreorum nummos, quamdiu videlicet suis duntaxat poterant uti, nullius animalis effigiem habuisse, sed ubi sub jugum Romanorum missi fuere multa coacti sunt ferre, quæ aliàs improbabant; videantur *Stemmata Babylonis, sive les Livres de Babel Jacobi Cappelli cap. 15.*

Esti quæ fides) Fabulombus relinquimus hæcæ fabellæ Imaginis Christi ad Abgarum missæ, necnon Veronicæ & S. Sudarij, & per nos hæc esto Pontificijs hæcæ nœnias inter preciosissima sua *κειμήλια*, imò sanctissima Reli-

na Religionis objecta reponere, unde precula hæc Idololatrica ad Veronicam, *Salve Sancta facies impressa panniculo, Nos ab omni macula purga vi-
riorum, Atque nos consortio junge beatorum, Nos perduc ad patriam ô felix figu-
ra, Ad videndum faciem qua est Christi pura &c.* Epistolæ Abgari ad Chri-
stum & Christi ad illum, quas retulit Eusebius *lib. 1. Hist. Eccl. 13.* à Ge-
asio & alijs ceu apocryphæ non immeritò respuuntur, maximè cù Au-
gustino teste Iesus ipse nihil scripsisse deprehendatur: Imaginis autem
Christi tum ad Abgarum missæ nec Eusebius meminit, nec Baronius *ad
ann. 31. n. 23.* antiquiorem protulit testem Evagrio Scholastico, qui vixit
500. ferè annis post Christum & cum jam inciperet Iconomania obti-
nere in Oriente. De Veronica sive Berenice nescio cur nos amandem
Irinus *ad Luc. xxiii, 27.* cum nec Evangelium quicquam de ea re ha-
beat, nec ipse *ibi.* De illa cui cum faciem Christi sanguine & sudore
nudentem absterfisset reliquit Dominus in sudario quo eum absterse-
rat sui effigiem, nec non de Christi alia imagine impressa Sindoni quo
uerat involutus in Sepulchro, agit quidem Baronius *ad ann. 34. n. 42.*
ed omni testimonio destitutus, præter unius Mariani Scoti Scriptoris
ongè recentioris & cujus fidem multis nuper elevavit noster Blondel-
us occasione Joannæ Papisæ; (quo jure nunc non dico;) nec cœperunt
hæc inter homines disseminari nisi postquam contra Dei verbum intro-
ductæ imagines in templis ceu doctores mendaciorum mendacijs de-
venerunt suffulciri, ne passim extarent qui cum Sereno Massiliensi Epif-
opo, & Leone Isaurico, Constantino Cabalino ac Theophilo Imp-
postea disturbarent; Sane nullius mulieris meminit Evangelium quæ
vultum Christi absterferit inter tortores ejus; nullius unquam quæ
Berenice vel Veronica dicta fuerit; nemo enim, credo, huc trahet So-
rorem Agrippæ regis de qua *Act. xxv, 13. 23. xxvi, 30.* Linteaminibus
involutum legimus fuisse Christum in sepulchro *Joh. xx, 5.* at ullius
Christi imaginis illis impressæ nusquam meminit Scriptura, Veterum
nemo; Paparum Iconoplastarum & Synodi II. Nicænæ, & Metaphra-
stis ac Nicephori, recentiores sunt & infirmioris fidei autoritates,
quàm ut illis permoveamur & quicquam adnittamus de illis imagini-
bus, vel ex Nicodemo Doctore Judæorum et Luca Medico pictores fa-
ciamus, ejus scilicet artis quàm Judæi planè illicitam arbitrabantur,
& quam ut vitiosam Hermogeni exprobrabat Tertullianus. De hæ-
morrh-

2999993

morrh-

morrhoiſſa aliquid habet Eusebius *lib. 7. cap. 14. Lat. hist. Eccles.* quod ſequiora ſæcula in rem ſuam rapuerunt; ſed id ſando tantum acceperunt Eusebius, mulierem hanc Ethnico plane more, ἀπαράλλακτος ἰθαυῖ στυνδαῖα, ſtatuum poſuiſſe Chriſto ſervatori in memoriam beneficii ab eo accepti cum ſanata fuit & herbam aliquam ſub ea colligi ſolitam miræ virtutis: Verum nequeam commodioribus verbis de illa re diſſerere quam quibus utitur Carolus Magnus *lib. 4. de imag. cap. 15.* Recitatâ enim huius ſtatuz hitoriâ ſic loquitur: *In quo quidem factis, ſi tamen factum eſſo credatur, nulla imaginum adoratio commendatur; Si ergo illa mulier feminei ſexus facilitate & quadam animi levitate percepto ſanitati beneficio, utpoſe Domini ſemper præſentiam querens eumque ubique eſſe poſſe ignorans, imaginem erexit, qui tam vacors perceptis fidei chariſmatibus, eumque ubique eſſe non neſciens, ut ejus habere queat præſentiam, idcirco imaginem eriget eamque adorabit? Eſt illa mundo necdum ab idolorum cultibus liberata, viſis mortuorum quorundam hominum in urbibus ſtatuis ob quatuordecim annorum memoriam ſive cultum erectis, ſimiliter prout valuit agere ſtaduit, qui ſana mentis ejus actibus aſſenſum præbebit, & Dominum non in manu factis ſed in celo vel potius ubique eſſe credens talia agere curabit? Aut ſi forte illa ſuperſtitioſo ritu habuit Zelum Dei ſed non ſecundum ſcientiam, qui Catholicus in fide roboratus ex ejus actibus in hac parte exempla ſumet hiſque ſimilia faciet? Aut ſi forte illa rudimento converſionis ſuz que necdum ſolido cibo veſci poterat ideo tenero cibo utebatur, ut ad percipiendum cibum paulatim viribus ſumptis creſceret, ſcilicet ut per rem viſibilem ac tractabilem ad inviſibilem & ineffabilem Dei cultum accederet, qui ejus in hoc factis imitatus effectus ſperet à ſolidi cibi fortitudine ad infantia denno cibos cupiat eſſe redactus? In miraculo igitur quod in herba fit, ſi tamen factum fuiſſe credatur, qua ut ille faſſus eſt cunctis agritudinibus medetur, haudquaquam poterit illorum aſſertio quodammodo ſulciri: quoniam non ut herba aut imagines adorentur id factum fuiſſe pertiberetur, ſed ut infidelium mentes ſperetis vanitatibus idolorum ad vera fidei rudimenta converterentur, quoniam ſecundum Apoſtolum ſigna non pro fidelibus ſed pro infidelibus data fuiſſe creduntur. Hæc de Panæadis ſtatua, de qua ſuas conjecturas retulerat Eusebius & ſimul mentionem fecerat herbæ juxta illam creſcentis, (nam in loco ſacro nec ad cultum repoſita fuerat,) quæ miræ eſſet efficaciz ad morbos ſanandos, Magnus ille & incly-*

Inclutus Imperator qui suâ autoritate puritatem in Gallijs & Germanijs 800. post Christum anno propugnabat, & Concilij Nicæni 11. de Imaginum cultu decreta respuebat & refutabat.

Quo sensu sculptilia) Scilicet ad Exod: xx, 4. Tirinus variè se conatur expedire. 1°. Vult Sculptile idem esse quod Imaginem Dei falsi & ficti; sed absurdè cum generatim imago & similitudo quælibet prohibeatur rerum quæ sunt in cælo, vel in terris, imò ipsiusmet Dei Deut: iv, 15. Secundò dicit *seclusâ adoratione & periculo Idololatria, non vetati usum imaginum seu Dei veri seu Creaturarum.* At semper illud periculum est præsens si imagines erigantur ad cultum & pro cultus objecto vel primariò vel secundario habeantur, juxta illud Augustini ad Psal: 113. *Quis adorat vel orat inuens simulacrum, qui non sic afficitur ut ab eo se exandari patet, ac ab eo sibi præstari quod desiderat speret?* Ad hæc si sepositâ adoratione & cultu non vetantur imagines, ergo earum saltem adorationem hoc præcepto prohiberi, debent Jesuitæ agnoscere; quod cum sit juris naturalis & perpetui, ut fatetur Cornelius à Lapide ad Deut. 5. obligat in æternum. Cur igitur Imaginum adorationem hæc audet propugnare Jesuita? Aut cur eo processerunt Pontificij insolentia, ut hoc mandatum in Horis suis & alijs libris Ritualibus expungerent, nisi quia sentiebant non posse suam praxim cum illo subsistere? 3°. Profert Imagines Cherubinorum & Serpentis ænei Deo jussu factas. Sed non ideo concedendum hominibus eos posse solvere legem, quia Legislator ipse aliquando de illa tantillum remisit: Neque hæc fuit in lege immota constantia dispensatum à Deo; cum Cherubinaliæ - ve in templo imagines merè symbolica & mystica significationis, ut & Serpens æneus in deserto, non objicerentur populo ad cultum, uti jam ante monui. 4°. Dicit Deum ipsum varias induisse imagines cum Sanctis voluit apparere. At id licet ita se habeat, & Deus n præludium futuræ incarnationis quandoque humanâ formâ Prophetis visus sit, sed in visionibus merè extaticis, id non facit tamen facultatem hominibus eum pingendi; cum ab apparitionibus istius modi constantia simulacra illi ponenda, contra expressum suum mandatum, non sit argumentandum: Et quantopore veteres detestati sunt omnes Dei imagines, etiam cum cœperunt circa alias insanire, vel

ex. Con.

ex Concilio 11. Nicæno posset demonstrari; Nec ausus fuit definire Bellarminus, num Imagines Dei probaret aut improbaret sua Ecclesia. 5°. Agnoscit Judæis quidem illicitum fuisse habere ulla statuas, ad cultum scilicet, sed proprio decreto, non ullâ Dei lege, seu naturali seu positivâ; Quali verò non suffecerit Judæis ad hanc rem secundum præceptum Decalogi, quod in eum sensum acceperunt constanter non Judæi modo, ut Philo & Josephus, sed præsci Christiani, ut ex Clemente, Tertulliano, Origene, Epiphano & alijs liquiddò constar. 6°. Pertendit Christianos non ita esse obnoxios Idololatriæ periculo, nec teneri Judaicis legibus cæremonialibus & positivis. At non minus subesse Christianos periculo Idololatriæ quam Judæos, nisi pro helice sibi sumant legem Dei, est certissimum; Nec enim frustra Johannes his verbis finijt suam priorẽ Epistolam, Filioli cavete vobis ab Idolis. Hanc verò legem cum ad Decalogum pertinuerit nemo sanus dixerit cæremonialem fuisse aut Juris tantum positivi, quod fusiùs demonstravi contra Grotium in *Antich. Revelato*. Ad Deut: 17, 15. & v, 8. nihil plane Tirinus annotavit. Ad Psal: 113. Heb: cxv, 4. pertendit Gentiles sua simulachra ut Deos adorasse; Sed quàm id sit falsum ex Augustino ipso & Maximo Tyrio supra annotavimus. Quin ipsemet agnoscit ex Gyrado, Sapientiores inter Ethnicos Deum verum in statuis adorasse & nihilominus fuisse Idololatrias: Cujus rei non potest alia reddi ratio, quàm quod Imaginum cultus sit planè illicitus; Quare quicquid alij de Imaginibus sentirent, illi saltem sapientiores quos facit Tirinus Idololatrias, eodem planè loco eas habebant quo haberi suas volunt Pontificij: Nam quod ibi fingit Jesuita Sapientiores illos habuisse tamen suas Imagines pro Dei corpore, tam falsum est quam verum pleròque è Philosophis Deum simplicissimæ naturæ & plane ἀσωμάτῳ credidisse. Ad Act: xvii, 25. non vult Pauli censuram de Gentilium templis & simulachris, ad sua templa & imagines! extendi, quamvis par sit utrobique ratio; adeo ut si Apostolus Romam reverteretur & alterum ibi populam lapideum videret, nihil eam à veteri Roma discrepare deprehenderet. Quoad nos Deo Optimo debemus summas gratias quod procul ab illa superstitione & Idolomania, queamus ipsi servire

servire in Spiritu & veritate: Ipſi autem Patri, Filio & Spiritui Sancto, uni & vero Deo, cujus ope, lumine & auxilio, supremam manum huic operi tandem adhibui, ad Veritatis quæ secundum Pietatem est, elucidationem & confirmationem, sit Laus, Honor & Gloria in Sæcula Sæculorum; Sint, ô Pater Misericordiarum, accepti sermones oris mei, & meditatio cordis mei coram te; Concedona quicquid hic ex infirmitate, & ignorantia & ἀλλοτρίᾳ humanâ peccavi: Da, ut quod superest vitæ eidem Veritati διὰ δόξης & ατιμίας. (prout tibi hæctenus placuit me flagello lingnarum maledicarum & mendacium exercere) asserendæ & propugnandæ alacriter & fortiter consecrem; Perge tuam benedictionem in tenues meos labores effundere, ut cedant semper ad Ecclesiæ tuæ ædificationem, Juventutis Academicæ emolumentum, Orthodoxæque propagationem in ævum; donec me ex hac Arena in cœlestem recipias Panegyrim & ad te assumas cum his dulcissimis verbis,
Benè est serve bone & fidelis; fidelis fuisti in exiguo, super multa te constituam; ingredere in gaudium Domini tui.
AMEN.

Rrrrrr

A D D E N.

A D D E N D A

A D

T O M U M P R I M U M.

PAg. 5. 21. post illud verbum inculperat, adde; Et sanè cum olim in *Disp. mea ad Conf. Belg. 7. th. 2.* negavi dari *Ideam* de Deo in mente nostra post Clariss. Revium, eam deinum intellexi, ut *ibid.* expressè loquor, quæ sonaret speciem Dei intelligibilem, *quæ illius quidditas & essentia* repræsentaretur; quod moneo, ne ut video fieri à quibusdam, etiam à D. Voetio, mens mea aliò trahatur. Aliàs enim nobis esse congenitam ideam aliquam de Deo & ipsius existentia, si-ve *κοινὴ νοῦν* & *πρῶτη* illius veritatis, tota illa Disputatione cum Theologis Orthodoxis contra Socinianos propugno, uti video factum quoque ab ipso D. Voetio in *Sel. disp. de Atheis. pag. 140.* Imo persuasissimum habeo Socinianos velle conscientiam hominis extinctam, & abolitum omne discrimen naturale turpis & honesti, & inductam penitus legem illam naturaliter Gentilium cordibus inscriptam cujus meminit Paulus Rom. II, 14. qui illam notitiam Dei *ἰμπερὶν* si-ve innatam de ponte dejiciant; quo tamen nonnullorum conatus hodiè videntur spectare, dum æmulis vel aduersarijs suis vehementiùs ac fervidiùs se opponunt: Et sine dolore non vidi Celebrem aliàs & Veteranum Philosophum, dum suas Disputationes *de Deo*, quas mihi necdum visas fateor, studet vindicare, longius circa hæc abduci quam fortè prius animo destinaverat; Nihil dicam de altero ipsius *paradoxo* (sic enim illud ipse vocat) *Vindiciarum illarum pag. 28.* quo statuit *Corpus unum esse posse in pluribus locis*, id est ut ipse se explicat, posse *Deum corpus aliquod, puta humanum, dimidiare, postea partes à se invicem se junctas conservare, spirituum effluxum impedire, & animam in utraque parte corporis dimidiatis conservare.* An D. Voetius qui faces illi diffidio subdit, & ut solet unguis est in eo ulcere, huic Acutissimo cœtera Philosopho, quem suis artibus istis Controversijs Cartesianis implicuit, hoc paradoxon suggesserit, nescio; id scio primò ipsum

D. Voc-

D. Voetium deterius adhuc monstrum in sinu fovere, dum pertendit cum Becano Jesuita posse dari Creaturam quæ sit *Vbique*, in *Syll. Probl. Theol. tract. 2. tit. 3. de Attrib. Dei respect. sub. 6. fol. E. recto*. Secundò, neque hoc novum inventum posse ullo modo cum saniori ratione & Orthodoxa Theologia conciliari: Nam fingamus Titij caput esse Romæ vivum & truncum similiter vivere Lutetiæ, tum sanè ut cœtera infinita mittam absurda & contradictoria quæ inde sequerentur, ut v. g. quod Titius viveret corpore & anima, nec tamen esset persona, quod sibi ipsi posset occurrere circa Alpes si Deus moveret truncum ex Gallia Italiam versus & caput ex Italia versus Galliam, quod posset simul idem Titius quantum ad caput Romæ sublimes habere de rebus vel Theologicis vel Philosophicis cogitationes & discursus, & quantum ad truncum qui remansisset Lutetiæ in cœno voluptatum corporearum volutari, & Titiolum aliquem generare sibi similem, id est capite diminutum, qualem oporteret me fore si talia mihi imaginarer; inde saltem sequetur animam rationalem fore divisibilem à se ipsa, nec ullum *ubi* definitivum habituram, si tota Romæ & Lutetiæ nec tamen in spatio interjacente fuerit: Quid ergo querimus de Bellarmino & alijs Pontificijs, qui volunt animam Christi per triduum mortis simul & paradysum subijisse & ad tartara descendisse? aut cur non pari ratione poterit corpus Christi in diversis hostijs juxta eosdem existere? Sed hoc misso, de quo vide quæ dixi hoc *tom. 2. ad Com. 21. n. 1.* id mihi in eodem Celebrissimo Philosopho, nulla ratione probari potest, quod ex professo, uti dixi, omnem Dei notitiam naturaliter omnibus insitam vel innatam impugnat, *Vind. earund. p. 9. & seqq.* & quo ille suæ hypothesei inferviat, 1°. Negat *p. 11.* peccatum originale naturale dici posse si sumatur naturale *pro eo quod vi generationis debetur*; cum tamen vi generationis univocæ in statu naturæ corruptæ necessariò debeatur, quoniam caro est quod ex carne natum est; 2°. Negat itidem *pag. 9.* quod planè Pontificium ac Socinianum est & commentitio statui puræ naturæ Scholasticorum confirmando destinatum, justitiam originalem fuisse primo homini connaturalem ac congenitam, atque per generationem si permansisset in officio ad posteros propagandam;

R Y Y Y Y 2

3°. Afferit

3°. Afferit ibidem iustitiam originalem naturalem fuisse quoad substantiam, quia viribus natura temporis progressu ab Adami posteris parari potuisset, supernaturalem verò quoad modum, quia Adamo uno temporis instanti infusa fuerit, quæ alioquin non nisi multorum annorum decursu parari potuisset; quod novum philosophema quantum repugnet faniori & Orthodoxæ Theologiæ, constabit ex ijs quæ hic disputavimus contra Tirinum *Cont. xi, n. 3.* & confido animadversuros eos quos illa cura propiùs tangit. Hic sufficiat observasse argumentum quo *ibidem* Vir ille Clarissimus, negat notitiam Dei insitam, quia deberet esse vel infusa vel acquisita, planè esse elumbe & indignum tanto nomine; cum sit instar habitus principiorum, uti benè dicitur ipsi D. Voetio, qui nec infusus est adinstar habituum virtutum Theologicarum in fidelibus, nec crebra actuum repetitione acquisitus ut habitus ordinarij intellectuales & morales; sed simpliciter naturalis, id est connatus & congenitus homini; ut verè dixerit noster Molinæus *pag. 8. de cognit. Dei; Insitum esse omni homini sensum aliquem divinitatis constat experimento, & omnium Gentium testimonio, inter quas nulla est tam fera aut tam barbara, apud quam non sit recepta quadam religionis forma, eaque gravissimis pœnis sancita; Hac enim est non scripta sed nata lex (verba Ciceronis usurpat) ad quam non docti sed facti, non preceptis instituti sed à natura imbuti sumus; Inde in sceleratissimis quibusque conscientia aculei, quæ fontes ad Dei tribunal invitos pertrahit, & efficit ut pessimus quisque Deum judicem maxime perhorrescat &c. Inde est quod videmus homines profanos qui rebus prosperè fluentibus, omnem de Deo cogitationem excusserant, in subitis periculis exclamare illud, Deus mi &c. Et quamvis idem Molinæus *ibid. p. 60.* (de quo ipse viderit) videatur assentiri ijs è Scholasticis qui negant parum prudenter hanc propositionem *Deus est esse* per se notam, cum tamen fateantur per se notam esse hanc aliam, *Deus est colendus*, quæ illam priorem necessariò præsupponit, tamen non est censendus insitam illam Dei cognitionem vocasse in dubium: Dari autem communes ejusmodi de Deo notiones, quæ actu insunt homini eo ipso quod homo est, licet non se exerant antequam usum habeat rationis, prout ei actu inest ratio etiam in cunis, cum etiam tum sit animal rationale licet nondum actu & de facto ratio-*

cinctur,

cinetur, aut prout ei actu & revera inest habitus corruptivus peccati originalis licet nondum in peccata actualia erumpat, constat ex ipsa conscientia, quam habitum naturalem & innatum, contradistinctum ab infuso & acquisito, faciunt plerique Theologi, tam nostrates quam Pontificij; constat item ex primis principijs practicis legis naturæ, quæ per se nota faciunt omnes Saniores Philosophi; constat quoque ex justitia originali quæ erat habitus non superadditus instar vestis vel fræni, ut volunt Pontificij, ad concupiscentiam homini naturaliter instam coercendam, sed planè connatus & connaturalis ipsi homini primo, & per generationem ad suos posteros propagandus; constat denique ex labe originali, quam habitum esse naturalem & connatum atque per generationem propagatum, nemo nisi Pelagianus aut Socinianus negaverit; Sunt autem ejusmodi habitus naturales & innati principijs naturalibus superadditi ad faciliùs operandum, planè similes litteris quibusdam furtivis quæ chartæ puræ sic committuntur, ut licet actu & revera ei insint, non tamen ante apparent vel legi possunt quam illa charta aut igni apponatur, aut in aquam demergatur: Sic enim ita insunt naturaliter ejusmodi habitus congeniti hominum mentibus, eo ipso quod homines sunt; ut tamen ad actus suos eliciendos non priùs excitentur quam homines cœperint actu cogitare, & pro natis occasionibus ab illis insitis *trivialis* ad actua-lem *divinam* & discursum transire; Malè certè me habet quod Vir ille Celeberrimus eousque illis Controversijs implicetur artibus D. Voetij, qui jam olim hoc animo destinaverat, litteris huc scriptis 21. Jan. 1645. in hæc verba; *Fertur nunc advenisse N. N. Veteranus & exercitatus philosophus Peripateticus, quem ad primam philosophia cathedram N. N. invitarunt. Ille ubi arma sua expedire cœperit, non dubito quin de tripodibus C. propediem cantaturi sint triviales ex suo Virgilio, Conticuere omnes &c.* Nulla est fabula in qua iste homo non velit Davus esse, ut oleum addat camino. Sic egit cum Cl. D. Deusingio, collega meo honorando, quem iterum, (parum motus illius *Protestatione* ad suum *Tribunal*) conatur in scenam retrahere in *Paralipomenis* suis: *Quam enim libenter paverit oculos suos illâ lite, & unguis fuerit in eo ulcere, colligo ex ejusdem litteris huc quoque scriptis 17. Junij 1644. in hæc*

Rrrrrr 3

verba;

verba; *Prodiit apologia Deusingij contra D. N. N. Ita necessitatem ei imponi edendi iudicia Facultatum Theologicarum & excerpta ex ipsius thesibus.* Urgebatur ergo D. Voetius quantum in se erat horum iudiciorum evulgationem, (prout & ante fecerat contra me) tantum ut ægrè fieret D. Deusingio, quamvis talia iudicia hypotheticè data, semper admittant exceptionem illam vulgarem, *Qualick gebiecht / quatich geabsolbreit / quâ etiam D. Deusingius semper usus est: de quo penes alios esto iudicium.*

Pag. 13. L. 15. post illa verba apud Becanum de Deo cap. 6. 4. 3. adde; Neque ex alio quam ex isto Jesuita D. Voetius habet crudum illud suum paradoxon, in Syllabo, fol. E. 2. recto, Per absolutam Dei potentiam creari posse Creaturam qua sit ubique: id est revera quæ sit Deus: nam ubiquitas nihil aliud est quam ipsa immensitas divina comparatè ad Creaturas, quæ omnes Deo sunt indistinctè præsentès: unde illud Trismegisti, Deum esse circulum, cujus centrum ubique circumferentia nusquam: Nec video quî D. Voëtius, ex hac sua hypothese possit solidè ubiquitatem Lutheranorum refutare, siquidem non repugnat omnipræsentiam & ubiquitatem subjectivè & formaliter tribui Creaturæ: Quod si dixerit se tamen negare corpus humanum (quale est corpus Christi) posse esse ubique, id non sufficiet sustinendo argumento nostrorum qui naturam finitam & creatam, quæcunque demum sit, negant infinitæ illius perfectionis esse capacem: Nam si hæc in ullam naturam creatam potest cadere, præsertim humanæ Christi naturæ competet, quæ est Creaturarum omnium nobilissima, dignissima, perfectissima. Eadem ferè ab surditate laborat quod ibidem statuit Deum extra cælum esse in spatijs imaginarijs & ante mundi creationem alicubi fuisse; quod fuit Marcionitarum olim & nostro sæculo Vorstij delirium. Tam absurdè vel ante mundum vel extra mundum, concipias spatia imaginaria, quam temporum successiones & distinctiones ante & extra res temporarias & finitas; Illa spatia, si dentur tantum in imaginatione D. Voëtij, sunt cerebrina commenta; Si revera dentur vel, erunt ipse Deus, & tum absurdè Deus concipietur per ideam spatij imaginarij, vel erunt aliquid reale extra Deum; & tunc dabitur aliquid Deo

coact-

coeternum, & aliud actu infinitum præter ipsum; Adhæc Deus non potest dici esse *alicubi*, idest habere aliquod *ubi*, cum ubietas ipsi non conveniat, sed immensitas & ubiquitas: & ante Creationem mundi nullum erat *ubi* quod Deus repletet sua præsentia, sed *sibi erat & locus & mundus & omnia*; ut dicit Tertullianus *contra Prax. cap. 5.* Est totus extra mundum, non positivè per repletionem spatiorum imaginariorum, sed negativè, quatenus mundus quippe finitus, eum nec includit nec capit: aliàs enim vere dixit Theophilus *ad Antiochum lib. 1.* ὁ θεὸς τόπος τῶν ἄλλων καὶ ἑαυτῷ τόπος ἔστι. Sed castiget hunc errorem Tertullianus *lib. 1. contra Marc. cap. 15.* *Si spatium vacat super caput Creatoris, ergo & Deus ipse in loco est, & mundum in loco fecit, & erit jam locus ille major & Deo & mundo; quia majus est id quod capit eo quod capitur; Imò & erit ille locus Deus, non tantum quia Deo major, sed etiam quia innatus & infectus & per hoc æternus, & Deo par in quo semper Deus fuerit; sed de hoc paradoxo aliquid dixi tom. 2. cont. 21. n. 1.* Et tamen ex inepto & ridiculo illo imaginariorum spatiorum commento, ex diametro pugnanter cum spatij conditione & natura, quæ exigat ut sit mensurabile, extensum & finitum, ut optimè Cartesius philosophatur, alia pendet imaginatio D. Voetij, quod mundi unitas per rationem naturalem non possit demonstrari; Putat enim in imaginarijs illis spatijs extra hunc mundum, infinitos posse Metrodori mundos consistere: quanquam implicet contradictionem duos mundos simul existere, cum spatium inter utrumque nec finitum possit dari nec infinitum. Ejusdem est furfuris quod idem D. Voetius *ibid.* paulò antè *sol. E. 1. recto*, statuit *Vocabulum corporis latèri significatione non posse tribui Deo, si nempe corpus accipiamur pro vera rei substantia, mera phantasmata aut nuda accidentia opposita*; Non disputo an illa significatio sit in usu, aut Vorssius hoc prætextu incrustare potuerit quæ perperam docuerat contra Dei simplicissimam & plane spirituales naturam: Sed pertendo eum qui neget Deum posse dici corpus, si nomen corporis nihil aliud sonet quam veram rei substantiam, mere phantasmata aut nuda accidentia opposita, impie Deum suâ existentia spoliare & ex illo merum phantasma constitvere, atque suum illi profana voci calculum addere, revera nihil timere qui Deum timet. Longè sanior Augustinus, *de*
hæres. ad

hæres. ad quod vult Deum cap. 86. Nam postquam monuerat Tertullianum qui animam facit corpus effigiatum, etiam statuere Deum corporeum esse licet non effigiatum, sic loquitur; Nec tamen hinc hæreticum creditur factum; posset enim quoquomodo putari ipsam naturam substantiamque divinam corpus vocare, non tale corpus cuius partes alia majores alia minores valeant vel debeant cogitari qualia sunt omnia que propriè dicimus corpora, quamvis de anima tale aliquid sentiat; Sed potuit, ut dixi propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil non est inanis non est corporis vel anime qualitas, sed ubique totus & per locorum spatia nulla partitus, in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet.

Pag. 517. ad finem adde; Eorum autem qui de propagatione peccati originalis differuerint hoc tempore, neminem vidi qui id fecerit obsecurius & magis intricatè quam D. Voetius, in *Selectis suis Dissert.* nuper editis: Putaverat se cum Archimede circuli quadraturam reperisse (de qua alibi non desperat) ac aliquid novi & hæctenus inauditum in Scholis Theologicis circa hanc rem excogitasse, dum $\mu\epsilon\tau\alpha\lambda\lambda\alpha\varsigma$ $\phi\alpha\upsilon\tau\alpha\sigma\iota\alpha\varsigma$ alios omnes refutat, nominatim Martyras, Zanchios, Polanos, Alfringios, (in aliorum enim evertendis & fundendis statuis æs Corinthiatum meditatur ex quo suam conficit) & tamen postea omnium aliorum testimonijs annititur suum $\nu\upsilon\pi\epsilon\mu\alpha$ confirmare, in quo explicando sic multa dicit ut nihil dicat; Ejus enim est facundia; ita Divinum habet ingenium, ut illi tribuitur in sua effigie (an citra Idololatriam participatam, viderit ipse; reliqua ei certius conveniant, quod mera sit virtutis imago, nam *Fallit nos vitium specie virtutis & umbra*, & plurimi hodie *Curios simulant dum Bacchanalia vivunt*) ut quò plura loquitur, licet summo perè verbosus, minus intelligatur. Sed censuram specialem errorum quos etiam hic errare videtur debemus differre in aliud tempus: ut videlicet quod in *Syllabo* asserit ab una parte *sol. Dd. 2. recto*, Peccatum originale esse plenam & omnimodam privationem imaginis divine; directè contra Scripturam, quæ etiam in homine sub peccato imaginis divinæ reliquias agnoscit; nec sane totalis & omnimoda privatio iustitiæ originalis quam invenit peccatum, debet omnimodam imaginis divinæ privationem inferre; aliàs homini peccatori nec ratio, nec immortalitas animæ, nec conscientia lex esset tribuenda; & ab alia parte

alia parte, alio in loco, periculosa loquutione & quam Pelagiani facile in suam rem vertant, statuit per peccatum nullam potentiam primam vel secundam homini perijisse. Nam cum perierit homini per peccatum potentia bene agendi, illud tam crudum effatum citra granum salis non fuisset proponendum; Credo quod id intelligat de potentiis naturalibus animæ ad illius essentialem constitutionem spectantibus; posset tamen facile trahi ad potentiam bene faciendi connaturalem primo homini, quæ ad illius moralem perfectionem pertinebat. Sufficiat monuisse illum agendo de Propag. pecc. orig. præsertim pag. 1099. nonnulla ex ijs propagare quæ merito in Jesuita Tirino hic rejecimus.

Pag. 555. lin. 4. post extingunt, adde; Sic expressè loquor ne videar paradoxo D. Voetij assentiri, quod in *Thes. suis inaug. præct. cor.* 4. primum emisit, deinde ne se errasse confiteretur vehementer propugnavit cum multis alijs similis farinæ placitis in *Thersite sect. 2. cap. 7.* videlicet in *temptationum paroxysmis habitum fidei non minus, sed actum tantum impediri*; cum maxime ejusmodi paroxysmis fidei habitus debilitetur & languescat, ac præsertim in illis debeant pij cum Apostolis dicere, Domine adauge nobis fidem.

A D D E N D A

A D

TOMUM SECUNDUM.

Pag. 49. 30. post currunt, adde; Hoc est unum ex multis alijs crudis paradoxis quæ D. Voetius in paradoxa sua *disputatione inaugurali* susceperat defendenda, & quod, ne sine ratione illud emisisse crederetur, verbosè studet incrustare & propugnare in *Thersite Heautontim. sect. 2. cap. 6.* Sed perperam! Quamvis enim Deus non cognoscat universalialia uti nos per abstractionem & præcisionem dianoeticam & discursivam, dubio tamen procul & nostras omnes abstractiones earumque modos omnes & ipsamet universalialia, quomodocunque dicta & considerata, cognoscit perfectissimè & noëticè, etiam in

s s s s s

suo esse

suo esse formali, per omniscientiæ suæ plenitudinem, quâ sic novit universalialia cum singularibus, ut tamen uno & simplicissimo actu utrorumque naturam etiam relativè & oppositè ad se mutuo, adeoque universalialia præcisè & abstractè considerata, & quicquid habent universalialitatis, plenissimè & inconfusè intelligat: Ac sicut uno absurdo dato multo plura sequi oportet, non potuit D. Voetius hoc paradoxon suum tueri, nisi negato (an satis Theologicè & Christianè viderint alij) isto axiomate certissimo ac verissimo *Quod homo potest sine mendacio cognoscere id Deus potest*; Nec ipsum sufficienter excusat quod non valeat argumentum à modo sciendi hominum ad modum sciendi Dei, quia hoc assertum non est de modo sciendi, sed de ipsamet cognitione & scientia, prout perfectionem sonat, quæ cum cadat in hominem, Deo vel eminenter vel formaliter tribui debet: Mirum est hunc ἀφιλόσοφον Philosophum, dum in has latebras se voluit recipere, non meminisse sui Aristotelis, benè statuentis modum sciendi cum ipsa scientia confundi non debere.

Pag. 85. 27. post dicturi, adde; Si præfertim eo adigamur importunitate D. Voetij, qui ut jam diu lites quærit contra me & totus est ex paradoxis confusus, ita non solum affirmativè concludit hoc problema, *An Deus possit absolutè præterire & reprobare quasdam Creaturas racionales absque antecedente & præviso peccato*, Diss. de potent. Dei pag. 426. sed etiam me speciatim canino dente impetens quod tritam viam & hætenus receptam in Ecclesijs nostris insistentem, Diss. de jure & just. Dei pag. 357. operosi illius voluminis quod nuper emisit, & quod reverè crambem receptam dixeris, I. *Sententia hujus superlapsaria* (verba sunt illius) *innoxiam & sanctam veritatem nullo Scripturæ dicto, nullo sanioris Philosophi axioma aut ratione hætenus expugnatam aut expugnabilem*, asserit; quæ est hominis ἀβιάδεια. II. Pertendit Synodum Nationalem Dordracenam, ita *communem sententiam de electione ex lapso genere humano*, maximè *Laicorum gratiâ proposuisse*, ut tamen non condemnarit eam quæ *supra lapsum ascendit*; quasi illius positio hujus rejectio non sit, aut in Ecclesia D. Votij alia debeat esse fides Laicorum quam Clericorum, aut fas sit Professore Ultrajectino aliam hæc in re doctrinam inculcare junioribus ab ea cui tenentur subscribere cum ad

cum ad sacrum Ministerium promoventur; III. Minatur Rev. & Doct. editores Operum Summi Theologi & Præceptoris nostri Fr. Gomari, habituros fortè occasionem accuratissimos ejus de hac questione conceptus cum cygnea cantione paucis diebus ante obitum ad calamum dictata evulgandi & ab impugnationibus seu insultationibus cujusdam malevoli, si quidem ulterius se prodar, vindicandi. Ut quem hic impetat os maledicum extra me quærere non debeo, sic pauca annotare ad mei defensionem operæ pretium est: 1. Semper me abhorruisse à Supralapsariorum sententia, etiam priusquam in hac Academia docerem, mea scripta contra Grotium, ut alia taceam, satis testantur, ut mirum non sit quod eandem sententiam hîc retinuerim: 2. Cum absolutè & citra restrictionem aut retentionem mentalem, subscripserim Decretis Synodi Nationalis Dordracenæ, contra boni viri officium effem facturus, si aliam quam quæ ibi proponitur doctrinam, vel defenderem vel approbarem; 3. Cum æquè meus Præceptor fuerit Celeb. Gomarus ac ipse D. Voetij, ejus honos & fama non minus semper mihi fuit & erit in pretio quam ipsi Voetio, sic tamen ut contra meam conscientiam & consensus Orthodoxi solemnes & publicas formulas in ejus verba singula jurare non teneam: Tritum illud & notum omnibus *Amicus Plato, Amicus Aristoteles, sed magis amica veritas*; 4. Non video cur recedendo à Supralapsariorum dogmate magis impugnem Celeb. Gomari sanctam memoriam, quam multorum aliorum, quos agnosco idem cum ipso sensisse quamdiu re per Adversariorum importunitatem nondum ad examen satis revocatâ, securius & minùs accuratè loquebantur. 5. Impingerem etiam in autoritatem publicam hujus Provinciæ, si quod ab illa decretum fuit hac in re priusquam huc venire, vel refugerem, vel non ex officio conscientie propugnarem. 6. Quicquid ergo hîc vel dixi vel feci vel scripsi, non malevolentie aut animo insultandi debet adscribi, ut iste homo calumniatur, sed solius veritatis studio; quod & ab alijs in Fœderato Belgio Theologiæ Professoribus itidem factum fuit, nominatim à Leydenibus in sua *Synopsi Diss. 24. th. 21. & seqq.* & à Clariss. Wal-læo Leydeni Professore, qui Synodo Dordracenæ quâ Theologiæ Professor interfuit, quo tempore D. Voetius in minoribus adhuc

S f f f f f 2

subsellijs

subsellij confidebat; Is verò Celeb. Wallæus fufam habet in *Lu. suis Comm. edit. in 4. pag. 373. & seqq.* dissertationem de *Electivnis Objecto*, in qua non solum multis impugnat Supralapsariam prædestinationem, sed etiam pertendit sententiam eam quam secum propugno, ut certiozem & verbo Dei convenientiozem Synodum Dordracenam approbasse. 7. D. Voetius equidem fecit quod potuit ut Gomarianorum operum Rever: ac Doctissimis editoribus persuaderet promulgationem eorum quæ Vir Celeberrimus ad hanc rem fuerat commentatus paullò ante suum obitum; habemus penes nos ipsiùs D. Voetij epistolam ad Clar: Schoockium scriptam III. Nox Jan. 1642. quæ sic inter alia habebat; *Vnum addo, ad dissertationem de Objecto Prædestinationis addendam appendicem Apologia generalis probas sententia, dissimulatâ hypothesi & particulari rerum illic gestarum historia.* At sicut non successerunt quæ agitabat consilia de Magno aliquo in Rep. Viro, ad hanc rem præoccupando, quorum potest convinci suis ipsius litteris scriptis 7. Id: Apr. 1642. ita Reverendi illi Viri prudentiores fuerunt quam ut hac in parte obsequerentur ejus calidioribus consilij, quæ non tam ad famam Celeb: Viri vindicandam quam denigrandam & turbas in hac Provincia excitandas suumque livorem in Celeb: Altingium exercendum, spectabant: Quare quæ hic habet D. Voetius de *cycnea cantione*, de qua hætenus nihil audiveram & fortè figmentum est Voetianum, non alio spectant quam ad ignem gladio fodicandum, à quo Reverendi & Doctissimi illi Viri, Studiosissimi pacis Ecclesiasticæ nec non communis illius nostri Præceptoris Famæ, quæ plus damni quam splendoris inde acciperet, & memores Decreti hac in re Jll. ac PP. Ord. Gron. & Omlandiz, quæ sunt pietate & prudentiâ, faciles abstinebunt. 8. Hic Celeb: Gomari nomen non jactat D. Voetius, quod ejus sit multum studiosus, sed quo mihi inde si posset aliquam invidiam conciliet; Quasi verò mihi magis nefas sit recedere hac in parte à sententia Celeberrimi Viri ut ei adhaerescam quæ juxta Dei verbum ab omnibus Ecclesijs & Academijs tenenda decernitur in Synodo Dordracena, etsi nunquam nominatim & ex professo publicè in ipsum disputaverim, quam ipsi D. Voetio in ea quam supra citavi Epistola obelo conficere ejusdem Gomari the-

ses de Dni

es de Dei Decretis, in quibus cum Vorstio facere ipsi visus est; nec non quod alibi occurrit de scientia media, quod sine cautela, inquit hic Aristarchus, prodire nolum, ne Pontificij pariter ac nostri in εὐρημα hoc incurrant. Quin in alia Epistola scripta ad eund. D. Schoockium 3. Kal. Apr. 1643. sic loquebatur; De Editione Operum D. Gomari non possum non vobis & publico gratulari. Vnum monui R. Ministrum ex tribus editoribus qui mihi hic adsuit, ut supprimeretur disputatio de Decretis Dei, ne scandalum inde oriatur apud nostros, Lutheranos, Pontificios &c. Quaso hac prima cura sit; De Sabbatho non usquequaque per omnia feliciter θεολογῆς &c. Ita licuerit D. Voetio pro sua pansophia censuram stringere in suum Præceptorem, sed Maresio nefas fuerit, communiorem Ecclesiarum nostrarum sententiam citra malevolentia criminationem tueri: Dicam amplius; licuerit D. Voetio scribere Satyram quam inscripsit *Lachrymas Crocodili* (ad tales pronus est, ad lachrymas Pœnitentiæ pumiceos habet oculos,) in R. D. Bursium & librum ipsius *de Sabbatho* quem honorifico suo testimonio publicè muniverat D. Gomarus ὁ μακαρίτης, copticis & maledicis dicterijs potius lacerare quam refutare, adeoque per Bursij latus viventem adhuc Cel. Gomarum procaciter impetere; sed vertetur crimini Maresio quod postquam Gomarus excessit è Scena, ipso non nominato, communiorem & sanio rem Ecclesiarum nostrarum sententiam tuitus sit. Saltem reverentior semper ero Maximi illius Theologi, quam ut eum producam ad falsum testimonium dicendum, uti factum à Voetio, cum ejus autoritate & nomine in suo Thersie abusus est, ad turpem suffulciendum errorem & plusquam Pontificium, quod bona opera sint causæ per se, propriè dictæ ac physicæ & influentes in ipsum effectum vitæ æternæ; quam tamen sententiam Cel: Gomarus ex professo eousque rejicit & impugnat, ut nullo modo patiat, multo minùs sensu illo crudo Voetiano, bona opera dici causas vitæ æternæ. Denique quam frustra nitatur D. Voetius Clariss: Gomari nomine, in hoc errore supralapsario, duo indicant; Primum, quod Celeb: ille Vir non nisi pe scientiam mediam illud suum dogma tueretur, quam ex professo & multis impugnat ipse D. Voetius. Alterum, quod censeret suam illam sententiam planè irreconciliabilem cum ea quæ in Synodo fuit definita; cum tamen D. Voetius ali-

cujus novæ distinctionis nondum natæ beneficio eas inter se ferruminare queat; Si qui Theologi Celeberrimi tentarunt aliquam conciliationem inter has opiniones, id fecerunt potius ad excusandos Supralapsarios quam ad eos propugnandos, & in ejusmodi conciliatione magis video conatum charitatis quam *καληροφρονας* veritatis; Ut ut sit mihi nec grave nec difficile erit hanc veritatem contra eum tueri, & thraſonicas ejus voces si in illis pergat comprimere: Nec est quod alterius demortui cynos in me immittat, cum ipsiusmet antelibus, imò pantheris & leonibus etiam par esse possim.

Pag. 329. lin. penult. post illud confundi non debet; adde; Errat enim proculdubio D. Voetius cum in Paradoxorum suorum Syllabo, fol. 77. 2. verso, concludit istud problema affirmativè, An rectè electi dicantur justificati antequam sint nati? Ut enim dici nequeunt vocati priusquam nati fuerint, sic nequeunt censerī justificati, priusquam vocentur, Apostolo tam expressè justificationem vocationi succenturiante Rom: VIII, 30. Quos vocavit hos & justificavit. Nec potest D. Voetius recurrere ad Decretum divinum de nobis justificandis, tum quia pari ratione diceremur etiam glorificati esse priusquam nati simus, tum quia decretum de nobis justificandis non debet confundi cum nostra actuali justificatione, etiam activa quæ fit in tempore, tum quia ipse D. Voetius ibidem negat justificationem activam eandem esse cum decreto justificationis & consequenter factam ab æterno: Imo ibidem quod magis est, hoc aliud problema concludit negativè; An nullo modo nobis remissa peccata antequam credimus? Quamvis enim nescias an velit affirmare aliquo modo nobis remissa esse peccata priusquam credamus, an vero negare ullo modo ea nobis esse remissa antequam credimus, tamen putem magis hoc posterius sibi velle; ut cum in eodem opere fol. K. verso hoc problema concludit negativè; An corpus Christi in Missa non creetur à Sacerdote; Licet enim Latinis auribus videatur affirmare quod Sacerdos in missa creet Christi corpus, eum tamen id ipsum negare vellem mihi persuasum est. Sed citius Augiæ stabulum repurgaveris, quam illius Theologi isthæc propositiones & dictata, aut inter te aut cum Dei verbo conciliaveris. Possent forte aliquis suspicari in his & similibus quæ subinde noto ex hoc Syllabo, mendas esse Typothetarum, A.

um, A. pro N. ponentium & viceversa. Sed cum ipse ibi errata præcipua enotaverit *necessario corrigenda*, hæc non fuisset omisurus quibus propositiones falsæ & suæ menti contradictoriè oppositæ tam frequenter ei attribuerentur: quare dubitari nequit quin novorum paradoxorum laudem & subtilitatem in illis ex professo captare voluerit.

Pag. 337. 6. post effectum, adde; Et cum de eo præmonitus fuisset à D. Schoockio priusquam prodirent opera Cl. Gomari, litteris suis esponforijs scriptis 17. Julij 1644. obstinatum in errore retinebat unimum his verbis; *Securum te esse jubeo, sive enim D. Gomarus p. m. mutaverit sententiam sive non mutaverit*, (potius dixisset, sive ego falso eum producerim, sive non) *parum hoc me afficit; cum certo mihi constet Theologos quam plurimos bonâ fide à me citatos, ita sentire & loqui* (quod est falsissimum) *quidem convenienter sacrilisteris, & usu Logicorum ac Philosophorum rectè loquentium: Si quis sint qui aliter sentiant fruantur suo sensu; Si quid insuper moliantur securus expectabo, & ubi prodierit deliberabo quid factò opus sit.* Ita est hic homo obfirmatus in imaginatione suæ infallibilitatis, ut nalis absurda absurdis contegere ne perpluant, quam crassissimum errorem, & Reformato Theologo plane indignum deponere: Sed ut solet sibi contradicere, ita immemor fuit sui hujus asserti, cum in *Diffiniis selectis*, quæ Selectarum absurditatum Cento dici possent, non solum asseruit de Pot. Dei p. 430. *Peccatum posse remitti per solam condemnationem Dei, nullâ factâ reali mutatione in peccatore*, quod videtur (nisi fanè imatur, de formali remissionis non etiam de illius adjuncto) est bonorum operum necessitatem proscribere, & Sanctificationem à Justificatione non distinguere modo, quod necessarium, sed plane separare, quod illicitum est, verum etiam disserendo de *Propag. pec. orig. pag. 1099.* affirmavit generationem & quæ eò spectant non esse peccati originalis *causam per se aut propriè dictam sive principalem sive instrumentalem, sed esse causam per accidens, hoc est propriè antecedens, ad quod necessariò necessitate consequentia sequitur peccatum originale, seu esse medium sive causam sine qua non transluceretur ad Titium aut in illo existeret.* Taceo quod non facile D. Voetius conciliabit hoc suum effatû cum asserto illius Philosophi (quem in *Ashillè* suû jam olim præelegit contra Cartesiû, uti constat ex illius Epist. ad D. Schoockium scripta 21. Jan. 1645.) qui in nupero scripto adversus suum

suum collegam emisso, pag. 11. disertè negat peccatum originale dici posse naturale, *si naturale pro eo quod vi generationis subiecto debetur accipitur*; de quo viderint omnes Theologi qui peccati originalis propagationem debent tueri; Taceo quod hîc idem sit D. Voetio, causa per accidens contradistinctè à causa per se & propriè dicta ac causa sine qua non; cum tamen in suo *Thersite* inde Sophisticè voluerit colligere Theologos Orthodoxos adstipulari sibi statuenti bona opera esse causas proprias, physicas & per se vitæ æternæ, quia aliqui dixerint ea esse salutis viam, medium & causam sine qua non; Taceo quod in *Thersite* p. 161. viam qua itur & medium per quod transitur, annumeret causis propriè dictis, saltem instrumentalibus, & causæ sine qua non veram & propriam tribuat causalitatem, hîc autem causæ sine qua non, nec non medio transitionis, cujusmodi via est, propriam causalitatem tam principalem quam instrumentalem abrogat; Taceo quod generationem velit tantum se habere antecedenter non verò efficienter ad peccati originalis positionem & propagationem, cum certissimum sit & de fide illud non propagari in natura corrupta aliter quam ex constanti illa lege generationis univocæ quâ simile debet sibi simile generare; Id solum nunc moneo nullam subesse Voëtio rationem cur aliter debeant se habere bona opera ad vitam æternam quam vult se habere generationem (licet perperam hac in parte) ad peccatum originale, nempe ut non sint causa per se aut propriè dicta sive principalis sive instrumentalis vitæ æternæ, sed tantum, loquor cum ipso, causa per accidens, hoc est propriè antecedens (quamvis etiam sanior philosophia posset inter antecedens & causam per accidens multum distinguere) ad quod necessariò necessitate consequentiæ (non efficientiæ vel consequentis) sequatur vita æterna; seu esse *medium* per quod itur ad vitam sive causam sine qua non (contradistinctam à causa propria, physica & per se, sive principali sive instrumentali) Titius vitam æternam consequeretur. Huc licet conferat Doctor iste Angelius omnes suas Scoticas subtilitates, semotis λόγους & παθήσι, ut ipse alibi amat loqui, nunquam sibi persuadebit nedum alijs amplius conferre bona opera ad vitam æternam, quam putat & pertendit (licet perperam) generationem conferre

conferre ad peccatum originale hominibus in natura corrupta, communicandum & conferendum.

Pag. 683. 9. post repositum fuerat, adde; Quamvis enim Sacerdotibus Deo ministraturis nefas erat vinum vel ficeram bibere, ex Levit: x, 9. tamen nulla ratio suadet eos vino abstinuisse vel cum panes propositionis unâ absumberant, vel cum ex oblatis Deo cum vis domesticis vescerantur.

Pag. 1019. l. 11. post illa verba præ se ferre, adde; Porro non potest D. Voetius ullum patrocinium quærere suo paradoxo de Christo Mediatore non adorando, quod iterum nobis fusè reponit in numero suo grandi opere *Select. disput. pag. 520. & seqq.* inde quod solus Deus sit adorandus; nisi se recipiat in castra Stancari & Pontificiorum, qui negant Christum Divinitatis suæ respectu Mediatorem esse; quem errorem profligavimus *tom. 1. Cont. 4. n. 11.* Cum enim Divinitas sit de Mediatoris conceptu, ita ut Mediatorem nequeas vel dicere vel concipere, nisi qui & quâ sit noster Immanuel & Jeroova Justitia nostra, tam necesse erit eum quâ Mediatorem adorari, quam necesse est eum etiam quâ Deum Mediatorem esse: Et qui neget Iesum quâ Iesum, fidei, fiduciæ & adorationis nostræ objectum esse, aut adorandum Regem Judæorum, etiam quâ talis Rex est, uti factum à Magis, is mihi videtur distinctiuncularum ineptiarum subsidio, Christianum nomen velle egerare, Scripturis sacris salam renunciare, & ea obtrudere quæ sine grandi scandalo, quæcumque verborum lenocinia ad id excogitentur, in Ecclesia pronulgari non possunt; Eadem sane est ratio Mediatoris quâ Mediator est, quæ Creatoris quâ Creator; Creatorem verò quâ Creatorem esse adorandum, (etsi absurdè negent non nulli propugnatores sententiæ Voetianæ, & negare necessariò debeant, quamdiu suæ hypothesi servire volunt,) disertè docemur 1. Pet. iv, 19. ubi occurrit illa particula *ut, quâ, vel quatenus, vel tanquam, vel ut,* in qua errori suo latebras quærunt. Tum Mediatorem quâ Mediatorem, vel nullo cultu lebemus prosequi, vel cultu merè civili, vel cultu religioso & divino: Prius dici vel cogitari citra impietatem manifestam nequit; Secundum admitti non potest, cum etiam hoc respectu habeat excellen-

TTTTT

tiam

tiam increatam, neque sit noster conseruus ut Angeli; Quare tertium necessario est admittendum. Gradus enim in cultu religioso fingere, ut Christo quàm Mediatori non latria debeat, sed ad summum hyperdulia, nimis evidenter Papisticum foret; Distinguere vero inter adorationis ac fidei objectum ultimum & non ultimum, ut fit etiam à D. Voetio, quid aliud est quam Socinianis & Pontificijs veritatem prodere & arma subministrare? Illis, quibus eludant omnia Catholicorum argumenta pro Mediatoris diuinitate desumpta à cultu & honore ei debito; His vero, quibus suam in creaturarum cultu excusent Idolomaniam, quod Creaturas sibi non præfigant pro objecto primario & ultimo sui cultus, sed tantum secundario nec ultimo. Corrasit quidem in hanc rem D. Voetius multorum testimonia, sed quibus, suo more, ut pueri nolis sonantibus, affingit quod cantillat, sæpè præter eorum mentem & sententiam, si excipias Pontificios Scriptores, ut Suarezium & Smigleium Jesuitas, quibus Christus quàm Deus Mediator non est: Crimine ab uno disce omnes, donec plenior hac de questione diatribam, quam jamdiu habeo paratam, emiserò: Cameronem inter alios obtorto collo trahere conatur in suam opinionem pag. 134. qui tamen expressis verbis, in Resp. ad quæst. ex Ep. ad Heb. cap. 1. operum suorum Theol. tom. 3. p. 172. & 173. (quem locum citat ipse D. Voetius) contrarium statuit. Quærebatur à Camerone, An Adoratio Angelorum sit satis firmum argumentum diuinitatis Christi, cum respectu naueris Mediatoris possit & debeat adorari? Respondet autem in hæc verba; Certè Christo adoratio debetur vel ob naturam diuinam vel ob officium Mediatoris; Sed ista tamen non sunt ita distinguenda ut eorum utrumlibet putemus seorsum posse considerari; Postquam enim Dei filium idem homo est & Mediam noster, neque natura diuina seorsum, neque humana seorsum consideranda est; Sed neque inter adorandum, Christus, qui idem Deus & homo est, excutendus est officio Mediatoris atque ita à nobis considerandus nudè, sed ut Propbeta, ut Sacerdos, ut Rex Ecclesia: Actus enim adorandi unus cum sit, ista omnia coniunctim respicit in Christo: Quod si quis hic quærat, Num adoratio Christi non conueniat quàm Mediator, etiamsi idem non sit Deus, facile est respondere, hanc hypothesim jam nullam esse, quia non modò ejus rei est quæ non est, sed quæ

quæritur

omnino esse non possit; Non est enim muneris Mediatorij ea ratio, ut eo quisquam fungi possit qui non sit idem Deus, propterea quod obire id manus infinitam sapientiam & potentiam requirit. Non enim Christus Mediator est ut Moses, qui servus idem fuit, nec quicquam aliud quam internuncius, si proprie loqui volumus, & hactenus Mediator; at Christus Mediator fuit ut Dei filius, Heb. 3. Itaque non alieno, sed suo nomine edidit miracula, quæ alij ejus nomine edunt, & quod summum est, Spiritum Sanctum mittit, & animam idem ponit ac resumit: Si tamen fieri posset (quod omnino fieri non potest) ut qui Mediator est verè & proprie, idem non esset Deus, profectò Mediator non esset adorandus, & ratio idonea est, quod hic cultus merè divinus & religiosus est. Ut autem in hoc Cameronis dicto plane acquiesco, sic obtestor conscientiam & ipsius D. Voetij & omnium Lectorum, num jure recenseri potuerit Camero ita loquens inter eos qui profano illi Paradoxo assentiuntur, Christus quæ Mediator non est adorandus: Sed ita solet Vir ille falsò magna nomina venditare apud pübem Academicam, ne sòlus delirare videatur. Condonet ipsi & hæc & reliqua ipse noster

Jesus; Ei vero qui & qua nos redemit per sanguinem suum, ac fecit nos Deo nostro Reges & Sacerdotes, sit honor, gloria & robur in sæcula seculorum.

T t t t t 2

Nomina

**Nomina Addenda Indici Authorum,
Primi Tomi, pag. 643,**

<i>Aben Ezra.</i>	<i>Cyrillus Hierosol.</i>	<i>Menardus.</i>
<i>Ad portum.</i>	<i>Facundus.</i>	<i>Mollerus.</i>
<i>Anonymus contra</i>	<i>Corionides.</i>	<i>Musar.</i>
<i>Prædestinatos.</i>	<i>Græci interpretes Scripturæ.</i>	<i>Officium Mozaricum.</i>
<i>Arius Montanus.</i>	<i>Historia Eccles. Leodiensis.</i>	<i>Scioppius.</i>
<i>Blandrata.</i>	<i>Index Expurgatorius.</i>	<i>Seder Olam.</i>
<i>Canisius.</i>	<i>Index Libr. prohib.</i>	<i>Seiffellenfis.</i>
<i>Codex Iustin.</i>	<i>L'empereur.</i>	• <i>Thomsonus.</i>
<i>Codex Theodos.</i>	<i>Lindanus.</i>	<i>Tuschus.</i>
<i>Confessio Bohemica.</i>	<i>Lutberus.</i>	<i>Wiekus.</i>
<i>Tabularum.</i>	<i>Malvenda.</i>	<i>Vulgata Versio.</i>
<i>Waldensium.</i>	<i>Mercerus.</i>	
<i>Cyrillus Alexand.</i>	<i>Menno.</i>	

**Nomina Addenda Syllabo Hæreticorum,
Sectariorum & Errantium Primi
Tomi, pag. 648.**

<i>Audiani ;</i>	<i>Cerinthiani :</i>	<i>Iudæi ;</i>
<i>Porphyriani :</i>	<i>Præcifixæ :</i>	<i>Saturniani.</i>

Index

*Index Controversiarum & Questionum
hoc altero volumine agitararum.*

C O N T R O V E R S I A XIII. prima hujus voluminis, est De **LIBERO ARBITRIO HOMINIS, & Æterna Dei PRÆSCIENTIA, PRÆDESTINATIONE ac REPROBATIONE.** pag. 1.

Ibi Quæritur,

- N. 1. **A**N bene definiatur Liberum Arbitrium, naturalis facultas qua homo possit omnibus ad agendum prærequisitis possit agere vel non agere? Neg. contra Iesuitas, Socinianos & Remonstrantes; atque liberi ipsius arbitrii & voluntatis natura explicatur. pag. 1. & seqq.
2. An ad Liberum arbitrium sufficiat libertas tum à servitute & coactione, tum à necessitate intrinseca & physica? Aff. contra eosdem, & de liberate ac necessitate fusius disseritur, ac necessarium in multis cum voluntario componitur: atque demonstratur positivam indifferentiam non esse essentialem libero arbitrio. p. 10.
3. An homo per peccatum amiserit liberum suum arbitrium ad bonum in genere moris? Aff. contra eosdem, & calumnia atque ἀλιψία Tirini retentur ipseque cum suis committitur. p. 18.
4. An super sit homini in statu natura lapsa libertas Indifferentia positiva ad opera Moralia qua verè bona sint? Neg. contra eosdem & ostenditur quod etiam ad moralia qua tantum habeant bonitatem politicam & secundum quid, major sit difficultas quam ad vitia. p. 22.
5. An ad bonum supernaturale residua sint ulla vires naturales in homine? Neg. contra eosdem, ac Tirinus in hoc asserto impudenti cum Bellarmino & alijs è suis committitur, multisque ostenditur nihil verè boni hominem agere nisi ex speciali Dei gratiâ, omnisque liberi arbitrii cooperatio & collateralitas cum gratia evertitur. p. 30.
6. An Liberum arbitrium quale defenditur à Iesuitis, Socinianis & Remonstrantibus, possit conciliari cum præscientiâ Divina certitudine & infallibilitate?

T t t t t 3

Neg.

- Neg. contra eosdem, & vera conciliatio proponitur, atque certitudo praescientia divina de omnibus futuris etiam contingentibus accuratè contra Socinianos defenditur.* p. 45.
7. *An omnes actiones creatae, in genere entis, etiam quoad singulas circumstantias sint praedeterminatae à Deo? Aff. contra eosdem.* p. 57.
8. *An Praedestinatio aeterna ad gloriam, facta sit ex meritorum vel fidei praerogativa; an vero sit certorum quorundam hominum Adami lapsu in peccatum & miseriam prolapsorum, reliquis omnibus praeteritis, certissima ordinatio ad salutem & omnia media quibus salus in Christo venit obtinenda? Prius Neg. & Aff. posterius contra Iesuitas, Remonstrantes Socinianos & alias Pelagii reliquias; atque ibi de nomine Praedestinationis differitur; quomodo absoluta & efficax tam Electionis quam Reprobationis respectu dici possit, ostenditur; Decreta conditionata resutantur, ac hominem lapsam esse objectum Praedestinationis; juxta Synodi Dordracena definitionem, ex Scriptura & ratione contra Superlapsarios demonstratur; nostraeque Ecclesiae à calumnijs Tirini expediuntur.* p. 62.

CONTROVERSIAXIV. est de GRATIA DEI. p. 137.
Ibi Quæritur,

- N. 1. **A**N Gratia propriè sit donum spirituale distinguendum à Natura? Aff. contra Pelagianos Gratiam cum natura non debere confundi; sed Neg. contra Iesuitas Gratiam propriè dictam esse donum spirituale; quare vox Gratia explicatur & Iesuitarum Pelagianismus retegitur. p. 137.
2. *An Gratia bene distinguatur in gratis datam & gratum facientem? Explicatur illa distinctio, ac varij errores Tirini circa eam enotantur; & hujus subdivisio in habitualem & actualem expenditur.* p. 140.
3. *Quid sit Gratia preveniens & excitans, quid ad jnvans & cooperans? Expl. & varij errores in Pelagio, Tirino & alijs Iesuitis notantur.* p. 145.
4. *An Gratia Dei trahenti & excitanti consentire vel non, sit penes nostrum liberum arbitrium; an vero per Dei gratiam sic determinetur insuperabiliter, ut actum suum suspendere & in oppositum ferri nequeat? Neg. prius, & Affirm. posterius, contra Iesuitas, Socinianos, Remonstrantes, & alias Pelagii reliquias.* p. 152.
5. *An*

5. *An voluntas humana propriè cooperetur gratia; an vero ad primas ejus motiones se habeat mere passivè? Aff. posterius, & prius Neg. contra eosdem.* p. 155.
6. *An citra specialem Dei gratiam, homo peccator aliquid verè boni prestare possit? Neg. contra eosdem.* p. 159.
7. *An solis natura corrupta viribus quispiam possit singula præcepta moralia implere, & Deum diligere super omnia? Neg. contra Pelagianos & Iesuitas.* p. 163.
8. *An quod homo ex se minus boni possit, procedat ex innata liberi arbitrij mutabilitate, instabilitate & impotentia eodem modo semper agendi, qualis fere in alea; an vero id sit tribuendum nativæ ejus corruptioni? Neg. prius & posterius Aff. contra Tirinum ac Iesuitas, quorum crassus Pelagianismus hic etiam retegitur.* p. 165.
9. *An homo solis viribus natura quispiam possit circa supernaturalia seu credenda seu agenda? Negat Tirinus contra Pelagianos & Massilienses; sed ejus mala artes aperiantur, syncretismus cum illis hæreticis retegitur, & necessitas gratia firmius adstruitur.* p. 170.
10. *An homo natura viribus possit se disponere ad Dei Gratiam? Neg. contra Iesuitas, Remonstrantes & alias Pelagij reliquias; & Tirini latebris excussis, propius in illud Iesuitarum axioma Facienti quod in se est &c. inquiritur.* p. 179.
11. *An detur in omnibus adultis Gratia Universalis qua sit sufficiens ad salutem? Neg. contra Tirinum ejusque sodales, ac Gratia distinctio in sufficientem & efficacem, etiam contra Lutheranos & Remonstrantes rejicitur.* p. 185.
12. *An Auxilia sufficientia Gratia etiam maximis peccatoribus, impenitentibus, excoctis & induratis semper præsto sint in hac vita? Neg. contra Tirinum ejusque symmysas, quorum syncretismus cum Pelagio & Pelagij reliquijs iterum retegitur.* p. 190.
13. *An Infantibus in utero & æmendibus gratia-sufficiens tribui possit? Absurdè affirmat Tirinus, qui variè notatur.* p. 125.
14. *An conversi ad fidem, citra gratiam justificantem & charitate destituti, aliquid possint circa bonum morale & supernaturale ac resurrectionem à peccato? Affirmat perperam Tirinus, qui ideo multiplicem censuram incurrit*

- incurrit. p. 197.
15. *An conversus ad fidem citra gratiam justificantem diu nequeat omnia precepta implere, & omnia peccata mortalia vitare, & omnes tentationes superare? Assertio Tirini hac in re absurditatis multiplicis infirmatur.* p. 202.
16. *An homines in statu gratia possint perseveranter omnia precepta implere, omnia mortalia peccata vitare, omnes tentationes superare? Neg. contra Tirinum & reliquos Iustitianos ac Perfectistas; & Præcipua obiter notantur.* p. 206.
17. *An Auxilium specialis gratia ad omni modam perfectionem sit debitum p̄s, & illi nunquam denegetur? Neg. contra Tirinum qui secum variè committitur.* p. 211.
18. *An peccata venialia aliquamdiu p̄i possunt vitare; & num B. Virgo semper ea vitare potuerit? Neg. utrumque contra Tirinum, rejectâ distinctione peccatorum in mortalia & venialia.* p. 215.

CONTROVERSIAXV. est de JUSTIFICATIONE.

Ibi Quæritur,

(pag. 217.

- N. 1. **A**N nomen Iustificationis, cum potissimum agitur de nostrâ coram Deo, alio sensu in Scripturis sumatur quam forensi? Neg. contra Pontificios. p. 217.
2. *An formalis ratio Iustificationis nostræ in dono quodam reali & intrinsecè inherente consistat? Neg. contra eosdem.* p. 221.
3. *An formalis ratio Iustificationis nostræ sita sit in non imputatione peccatorum ex Dei favore? Aff. contra eosdem, & Tirini calumnia de peccatis non imputatis & tamen nec remissis nec deletis retunditur; & ostenditur illam peccatorum non imputationem, eorundem esse remissionem gratitatem ex imputata justitia Christi.* p. 231.
4. *An in sola remissione peccatorum Iustificatio nostræ coram Deo consistat? Aff. contra eosdem Pontificios, & Tirino ostenditur inter peccatorum non imputationem, eorundem remissionem, & justitiæ Christi imputationem nihil esse discriminis.* p. 239.
5. *An Iustificemur formaliter per Iustitiæ Christi nobis gratuito imputatam? Aff. &*

Aff. & probatur contra eosdem, nec non Socinianos, Remonstrantes, aliosque Iustitarios. p. 241.

6. *An formaliter justificemur per essentialem Dei justitiam? Neg. contra Osiandrum.* pag. 247.
7. *An justificemur solâ fide justitiam Christi apprehendente & nobis in remissionem peccatorum applicante? Aff. contra Pontificios, & fidei justificantis inseparabilitas à bonis operibus asseritur.* pag. 248.
8. *An formaliter justificemur per infusam animæ gratiam habitualem & justitiam inherentem? Neg. contra Pontificios.* pag. 263.
9. *An fides, spes, Dei timor & amor, pœnitentia, propositum Baptismi vel præteriti Sacramenti pœnitentia, aut vita in melius emendanda, dispositive se habeant & eodem modo ad justificationem? Neg. contra Pontificios.* pag. 266.
10. *An solo peccato originali infectis Baptismus vel illius votum, sufficiat ad justificationem; & num aliqua fides vel actualis vel habitualis infantibus sit tribuenda? Neg. prius contra Pontificios; posterius contra eosdem, Lutheranos ac alios, & varia σφάλματα Tirini subnotantur.* p. 271.
11. *An quilibet in sua religione servetur; an verò sic requiratur ad salutem fides in Christum, ut hac ad id sufficiat? Neg. prius & posterius Aff. contra Libertinos; ac refutatur Curcellæus post multos à Pontificijs salutem Ethnicorum sine Christi cognitione propugnans; agiturque de fidei objecto & creditu necessarijs ad salutem.* p. 278.
12. *An fides salvifica complectatur specialem fiduciam & persuasionem remissionis peccatorum, & salutis in Christo? Aff. contra Pontificios & alios Dubitantios.* p. 290.
13. *An nemo possit esse certus certitudine fidei divina tam in præsens quam in futurum de sua justificatione & salute absque speciali revelatione? Neg. contra eosdem, quorum certitudo conjecuralis evertitur.* p. 296.
14. *An nemo possit esse certus de sua salute certitudine fidei humana moraliter infallibili citra specialem revelationem? Affirmans Tirinus quasi contra nos multifariam reprehenditur, & iterum salutis certitudo ex fide divina adstruitur.* p. 307.
15. *An non alia detur certitudo justitiæ & salutis quam humana & fallibilis,*
V V V V V
qua

- qua tamen tollat anxietatem & actualem formidinem de opposito?
Neg. contra Tirinum, cujus ἀβλεψία & contradictiones propalantur. p. 310.
16. An certi possimus esse certitudine fidei nos vera fide in Christum esse donatos, adeoque & à parte ante esse electos, & à parte post perseveraturos in fide? Aff. contra Tirinum & alios omnes Dubitantes ac ebucinatores Apostasia Sanctorum. p. 315.
17. An vera Iustitia qua est in Christo sit amissibilis? Neg. contra eisdem & Sanctorum perseverantia propugnatur. p. 317.
18. An quolibet peccato mortali vel graviori pereat iustitia Evangelica & fidei? Neg. contra Iesuitas & fidei salvifica inamissibilitas propugnatur. p. 325.
19. An vera fides possit separatim à charitate & alijs Christianis virtutibus existere? Neg. contra Pontificios. p. 326.
20. An fides & justificatio sit tantum Prædestinatorum ad salutem? Aff. contra eisdem & obiter notatur discrimen Prædestinationis à Iustificatione. p. 328.
21. An æqualis sit Iustificatio Evangelica omnium verè fidelium? Aff. contra eisdem admissa tamen Sanctificationis inæqualitate. p. 329.
22. An pro legitimis habenda sint causa quas proferunt Iesuite inæqualitatis Iustitia? Neg. contra Tirinum, & de inæqualitate gratiæ Sanctificantis obiter differitur, ac ostenditur quandam bona opera noxia dici possint. p. 332.
23. An bona opera sint necessaria ad salutem non tantum ut signa præsentis fidei, sed etiam ut causa meritoria & efficientes salutis ac vite æternæ? Neg. contra Pontificios, & periculosus cujusdam Theologi error hac in re retegatur. p. 333.
24. An omnes causas & effectus iustitiæ & gratiæ sanctificantis bene Tirinus proposuerit? Neg. contra ipsum, ejusque recapitulatio expenditur ac ipse secum committitur. p. 342.

CONTROVERSIA XVI. est de MERITO. pag. 348.
Ibi Quæritur,

- N. 1. **A**N dentur merita de condigno, eorumque conditiones bene à Tirino assignentur? Neg. utrumque contra Pontificios, & vera conditiones operis meritorij recensentur. p. 348.
2. An dentur merita de congruo? Neg. contra Pontificios quorum instabilitas hic demonstratur. p. 359.
3. An bonitas operum qua fiunt à fidelibus eorum perfectionem aut vim meritoriam adstruat? Neg. contra eosdem & Tirini mala fides ostenditur. p. 362.
4. An Merces propriè dicta promittatur in Evangelio fidelium operibus? Neg. contra eosdem. p. 367.
5. An bona fidelium opera de condigno mereantur vitam aeternam? Neg. contra eosdem. d. 368.
6. An fideles quovis actu supernaturali seu elicito seu imperato mereantur non solum gloriam caelestem, sed etiam augmentum gratiae justificantis & charitatis? Neg. contra eosdem. p. 376.
7. An possit fidelis sibi mereri vel donum perseverantiae, vel saltem omnia auxilia gratiae ad perseverantiam necessaria? Neg. contra eosdem. p. 377.
8. An homo ullo modo post grave peccatum possit mereri à Deo reparationem gratiae, sive restitutionem in integrum, saltem improprie de congruo? Neg. contra eosdem, & multiplex Tirini absurditas retegitur. p. 378.
9. An bona temporalia cadant sub meritum, saltem de congruo? Neg. contra eosdem. p. 381.
10. An Pij possint mereri aliis, saltem de congruo? Neg. contra eosdem ac Tirinus secum committitur. p. 382.
11. An ex bonorum operum meritis, nascatur fiducia apud Deum? Neg. contra eosdem. p. 384.
12. An fiducia possit collocari ab homine pio in suis bonis operibus? Neg. contra eosdem & Tirinus fit heautontimorumenos. p. 389.
13. An liceat bene facere intuitu mercedis aeternae? Si merces propriè dicta intelligatur, Neg. contra Pontificios; Si improprie dicta & gratuita, Conceditur, & Calvinus ab Adversariorum calumnia liberatur. p. 393.

CONTROVERSIA XVII. est de ORATIONE,
 JEJUNIO & ELEEMOSYNA. pag. 395.
 Ibi Quæritur,

V u u u u 2

N. 1. An

- N. 1. **A**N necessariò orandum? Aff. cum Tirino cujus *επιτομαχία* hic ostenditur, VVicleffo ab ejus calumnia vindicato. p. 395.
2. An oratio cum sit impetratoria ex Dei promissione & liberalitate, sit etiam satisfactoria & meritoria? Neg. contra Pontif. ac calumnijs Tirimiani, quasi omnem fructum precum tollamus, itur obviam, & aliquid de operibus laboriosis inferitur. p. 398.
3. Quae conditiones requirantur in Oratione ut certo sit impetratoria? Expl. & varia hallucinationes Tirini indicantur. p. 401.
4. An Horarum Canoniarum institutum in Papatu sit pium & laudabile? Neg. contra Pontificios; & in earum originem inquiritur; Preces tamen publica ex formulis receptis contra Brownistas & Independentes defenduntur. p. 406.
5. An publicè orare & laudes Dei decantare sit tantum Clericorum & Monachorum? Neg. contra Pontificios. p. 411.
6. An meritò carpant Protestantes in Officio Pontificio quod celebretur lingua ignotâ, non sine perpetua *βαρλολογία*, idque in expiationem peccatorum? Aff. contra eosdem. p. 414.
7. An jejunium in abstinentia à certo cibi genere fitum, quâ habet rationem operis poenalis, sit à Deo mandatum, atque satisfactorium pro peccatis? Neg. contra eosdem. p. 417.
8. An Iejunium, quâ spectat ad Dei cultum, sit satisfactorium, meritorium, & impetratorium? Neg. contra eosdem. p. 420.
9. An Iejuniorum leges figere ita sit potestatis Ecclesiastica, ut omne pretium eorum refundatur in virtutem obedientia qua debetur Ecclesiae? Neg. contra eosdem. p. 424.
10. An delectus quidam ciborum, sive abstinentia à carnibus, & subinde ab ovis & lacticijs, benè servetur in jejunijs? Neg. contra eosdem, indicatâ origine illius superstitionis. p. 428.
11. An benè jejunium ad certos & statos anni dies adstringatur? Neg. contra eosdem. p. 440.
12. An ad Eleemosynas & alia opera Misericordia ex precepto tenemur? Aff. ac ostenditur nihil inde exculpi posse pro causa Monachorum. p. 443.
13. An Eleemosyna sint satisfactoria pro peccatis & meritoria vita aeterna, alio-

na, aliorumque beneficiorum impetratoria? Neg. contra Pontificios. p. 444.

CONTROVERSIA XVIII. est de SACRAMENTIS
& alijs CÆREMONIIS Ecclesiæ. pag. 452.
Ibi Quæritur,

- N. 1. **A**N Sacramenta sint signa non solum significativa justitiæ & obsignativa promissionum divinarum, sed etiam causativa seu effectiva ipsiusmet iustitiæ & Sanctitatis, Legalis quidem & externa sub V. T. Spiritualis vero & interna sub Novo? Neg. contra Pontificios: ac obiter contra Lutheranos ostenditur Sacramentorum genus esse Signum; Swenkfeldiani vero Anabaptista & Sociniani minus honorificè de Sacramentis sentientes, notantur. p. 452.
2. An verba Sacramentalia sint circumstantium & percipientium instructiva, ac suo sensu Concionatoria? Aff. contra Pontificios, quorum errores de consecratione Sacramentali reteguntur. p. 468.
3. An Angelus possit esse Minister Sacramentorum? Neg. contra quosdam Pontificios, quibuscum Tirinus hic committitur, Luthero liberato ab ipsius calumnia. p. 472.
4. An soli Ministri Ecclesiæ evocati ad præconium verbi divini, debeant administrare Sacramenta? Aff. contra Pontificios, & eorum exceptiones refutantur; simulque Sacri Ministerij in Ecclesiâ necessitas contra Anonymum quendam Scriptorem nuperum defenditur. p. 473.
5. An existentia aut operatio Sacramentorum pendeat vel ex probitate vel ex intentione Ministri? Neg. prius contra Donatistas & Anabaptistas: VVicleffo, VValdensibus & Albigenibus à criminatione Tirini liberatis; ac ibi obiter de Ministro Hæretico disseritur: Posterius vero Neg. contra Pontificios qui variè inter se committuntur. p. 478.
6. An alia specificè sit efficacia & vis Sacramentorum N. T. quam V. adeo ut illa conferant gratiam Sanctificantem ex opere operato? Neg. contra Pontificios, & demonstratur obiter baptismum Iohannis ejusdem esse ordinis cum nostro. p. 485.
7. An Sacramenta V. T. à nostris differant modo operandi? Neg. contra Pontificios.

VVVVVV 3

ficios;

- ficios, & de utrorumque discrimine ac convenientia agitur. p. 496.
8. An per Baptismum, Confirmationem & Ordinem imprimatur anima aliquis character indelebilis, qui maneat etiam in inferno? Neg. contra Pontificios, quorum inepta contentiones de imaginario hoc charactere referuntur. p. 502.
9. An septem sint Sacramenta N. F.? Neg. contra Pontificios; & asserto numero eorum binario, expenduntur qua Pontificij de suorum septem collatione differunt. p. 510.
10. An sit relictum libertati Ecclesia Caremonias sacras instituere, Sacramentis & eorum celebrationi ut partes cultus divini, adjicendas? Neg. contra Pontificios quorum operosa Caremonia merito rejiciuntur. p. 514.
11. An ejusmodi caremonijs ab hominibus institutis & adjectis ad Sacramenta, ulla vis insit satisfactoria, meritoria, impetratoria; & num tales Caremonia ad cultum Dei essentialiter vel integraliter pertineant? Neg. utrumque contra Pontificios. p. 518.
12. An signum crucis, aqua lustralis, lucerna in templis, cera benedicta, (sive Agnus Dei) panis benedictus, & similes quisquilia qua Sacramentalium nomine veniunt in Papatu, sint Caremonia vel licita vel efficaces? Neg. utrumque contra eosdem. p. 520.
13. An ulla vel physica vel moralis efficacia illis Sacramentalibus sit concedenda ad effectus spirituales? Neg. contra eosdem. p. 529.
14. An imaginaria haec Sacramentalia, etiam quadantenus ex opere operato suos effectus producant? Neg. contra Tirinum. p. 531.

CONTROVERSIA XIX. est de BAPTISMO. pag. 534.
Ibi Quæritur,

- N. 1. **A**N Baptismus debeat administrari in aqua pura, ac juxta formulam à Christo prescriptam, in nomine S. S. Trinitatis? Aff. contra Socinianos; Protestantes à Tirini calumnijs, Reformati à Lutheranorum accusationibus liberantur. p. 534.
2. An Baptismus sit necessarius ad salutem tum necessitate secundam quid & precepti, tum necessitate absoluta & medij etiam in Infantibus fidelium? Aff.

lium? *Aff.* prius contra Catabaptistas & Socinianos; posterius *Neg.* contra Pontificios, & notatur cacoethes nobiscum litigandi in Lutheranis. p. 537.

3. *An* Martyrium suppleat vices Baptismi & remittat omnia peccata, tam quoad culpam quam quoad pœnam? *Neg.* contra Pontificios. p. 545.
4. *An* Baptismus externus per veram pœnitentiam & votum Baptismi suppleatur? Concesso utcumque posteriori, prius *Neg.* contra Pontificios secum hic dissidentes, nostrique ab eorum calumniis vindicantur, ac simul ostenditur quo sensu vera Pœnitentia cerèd promittatur remissioni peccatorum. p. 548.
5. *An* Baptismus possit à quolibet etiam non baptizato nec Christiano, imò & à muliere, legitime ac valide conferri? *Neg.* contra Pontificios & ipsi ex parte assentientes Lutheranos. p. 551.
6. *An* fidelium infantes possint & debeant baptizari? *Aff.* contra Anabaptistas, Socinianos & VVeigelianos. p. 556.
7. *An* ulla fides actualis detur in piorum infantibus baptizandis; an vero per baptismum habitus fidei, spei & charitatis, illis infundatur? Prius *Neg.* contra Lutheranos; Posterius contra Pontificios. p. 562.
8. *An* Baptismus auferat ex homine quicquid inest illi peccati, non tantum quoad reatum & obligationem ad pœnam, sed etiam quoad labem, maculam & culpam? *Neg.* contra Pontificios. p. 564.
9. *An* efficacia Baptismi, sive obsecratio remissionis peccatorum per ipsum, se quoque extendat ad peccata sequentia? *Aff.* contra Pontificios, & Calvinus à Tirini calumnia liberatur. p. 564.
10. *An* Baptismus Iohannis fuerit Sacramentum proprie dictum, à Deo immediate institutum, re & substantiâ idem cum nostro? *Aff.* contra Pontificios. p. 567.

CONTROVERSIA XX. est de CONFIRMATIONE. pag. 570.

Ibi Quæritur,

- N. 1. **A**N Confirmatio Pontificia sit Sacramentum Novi Fœderis? *Neg.* contra Pontificios. p. 570.
2. *An*

2. An Imaginarij hujus Sacramenti Minister sit solus Episcopus? Absurda huic quaestioni perperam Tirinus respondet affirmativè, cum Pontificij ipsi hinc dissentiant. p. 576.
3. An spurij hujus Sacramenti materia sit oleum cum balsamo? Neg. contra eosdem, & de unctione baptismali disseritur. p. 577.
4. An forma qua à Concilio Florentino huic falso dicto Sacramento assignatur sit legitima & Sacramentalis? Neg. contra eosdem. p. 581.

CONTROVERSIA XXI. est de SACRAMENTO EUCHARISTIÆ. pag. 583.

Ibi Quæritur,

- N. 1. **A**N idem numero Christi corpus quod in celo est, possit simul physicè & indistanter præsens esse Eucharistia ubique celebratur? Neg. contra Pontificios; atque agitur de reproductione, replicatione, penetratione dimensionum, rei corporea ubicatione spirituali, etiam contra Ubiquitistas. p. 583.
2. An velit Deus Christi corpus physicè & indistanter præsens sistere symbolis Eucharistia, ut oraliter à dignis & indignis promiscuè sumatur? Neg. contra Pontificios & Lutheranos. p. 598.
3. An corpus Christi debeat esse præsens Eucharistia indistanter per Consubstantiationem aut Transsubstantiationem? prius Neg. contra Lutheranos, posterius contra Pontificios. p. 641.
4. An accidentia panis & vini post consecrationem existant sine subjecto? Neg. contra Pontificios. p. 645.
5. An per Concomitantiam sub unaquaque specie Sacramentali, imò sub specierum illarum singulis particulis, sit totus Christus vivens ac gloriosus? Neg. contra eosdem. p. 653.
6. An corpus Christi in Eucharistia possit loco moveri, videri ab Angelo & anima separata, videre & agere in alia adjacentia, non tamen ab alio agente naturali corrumpi, ladi, vel alterari? Affirmans Tirinus multarum absurditatum & contradictionum cum suis rem peragitur. p. 658.
7. An Sacramentum Eucharistia in solo usu & sumptione consistat? Aff. contra Pontificios

Pontificios & assertio atque adoratio Eucharistia apud eos refutatur. p. 661.

8. An ad Eucharistiam panis azymus necessario requiratur? Neg. contra Pontificios, atque de Græcorum sententia contraria & ultimo Christi Paschate differitur. p. 666.
9. An vino Calicis aqua sit admiscenda? Neg. contra Pontificios & Aquarios. p. 671.
10. An consecratio fiat vi illorum verborum, Hoc est corpus meum? Neg. contra Pontificios. p. 674.
11. An ordinatio formaliter Sacerdotalis requiratur ad Eucharistia celebrationem? Neg. contra eosdem, & VVicleff ac Lutherus adversus Tirini calumnias defenduntur. p. 675.
12. An in sacra Cœna utrumque symbolum sit percipiendum à communicantibus, sive quod idem est, An sit communicandum sub utraque specie? Aff. contra Pontificios. p. 677.

CONTROVESIA XXII. est de SACRIFICIO
EUCCHARISTICO. pag. 695.

Ibi Quæritur,

- N. 1. AN definitio Sacrificij quam proponit Tirinus sit legitima, aut Eucharistia conveniat? Neg. utrumque contra Pontificios, & Sacrificij conditiones pressius expenduntur, nullumque in Ecclesia Christiana dari Sacerdotium, nisi mysticum & commune omnibus pijs, demonstratur. p. 625.
2. An quodlibet opus bonum, aut quodlibet Deo oblatum sit Sacrificium propriè dictum? Non malè id negat Tirinus, sed cum umbra sua pugnat, armaque nobis suppeditat contra se. p. 703.
3. An Mors Christi fuerit sacrificium propriè dictum? Aff. contra Socinianos. p. 705.
4. An præter sacrificia spiritalia, restet in Ecclesia Christiana sacrificium aliquod reale, externum, propriè dictum & incruentum quotidie Deo offerendum? Neg. contra Pontificios. p. 712.
5. An tale sacrificium propriè dictum, externum & incruentum, Christus obtulerit &

X x x x x

- lerit & instituerit in ultima Cæna, quotidie in Missa offerendam?
Neg. contra eisdem. p. 716.
6. An huic Imaginario Sacrificio, propter reproductionem corporis & sanguinis Christi sub sensibilibus speciebus panis & vini, ad quam Minister tanquam ipsummet Christi instrumentum concurrat, quatenus subest intentioni offerentis, omnes conditiones legitimi Sacrificij competant?
Neg. id omne contra eisdem, ac fufius ipsi inter se committuntur. p. 737.
7. An utriusque speciei consecratio sit magis de necessitate Sacrificij, quam de necessitate Sacramenti? Neg. contra Tirinum, qui hic iterum & sibi & suis contrarius esse ostenditur. p. 747.
8. An sacra Cæna sit Sacrificium non Eucharisticum modo & Latreuticum, sed etiam Propitiatorium & Impetratorium? Neg. contra Pontificios. p. 749.
9. An Imaginarium hoc sacrificium effectum suum producat ex opere operato? Absurdè Tirinus affirmat, cum ejus quod non est nulla efficacia sit concipienda. p. 758.
10. An huic Sacrificio Imaginario competat vis non quidem peccatorum culpas remittendi, sed saltem auxilia gratia pravenientis conferendi homini si voluerit, & ex parte pœna temporalis relaxationem consequendi & alia qualibet beneficia spiritualia & temporalia impetrandi? Negatur totum contra Pontificios. p. 759.
11. An Sacrificium Missæ possit & pro vivis ac defunctis, & in honorem Sanctorum offerri, atque lingua peregrina celebrari? Rejiciuntur inepta & falsæ hæ Pontificiorum assertiones de sacrificio quod non datur in rerum natura. p. 765.
12. An Apostoli Missam celebrarint? Neg. contra Pontificios. p. 766.

CONTROVERSIA XXIII. est de POENITENTIA.

pag. 769.

Ibi Quæritur,

- N. 1. **A**N Penitentia sit nova legis Sacramentum propriè dictum? Neg. contra Pontificios: ubi fufè de potestate Clavium & illius exercitio, ac auriculari confessione differitur. p. 769.
2. An Baptismus sit & possit dici penitentia Sacramentum, etiam respectu peccatorum quæ ipsum sequuta sunt? Aff. contra eisdem. p. 782.
3. An

3. *An Penitentia, ut est sacramentum, Minister sit Sacerdos; Forma absolutionis verbum; Materia, Contritio, Confessio & Satisfactio? Neg. contra eosdem, & qua sit horum trium usus vel necessitas explicatur.* p. 784.
4. *An quod deest ex contritione ad remissionem peccatorum suppleatur imaginario hoc Sacramento, absque quo longe intensior & acrior requiratur? Neg. contra Pontificios.* p. 792.
5. *An per serjam contritionem sine ulla mora peccatum omne deleatur? Hoc Tirini assertum non modo explicatur, sed & in illius caput revolvitur.* p. 797.
6. *An Attritio à Contritione distincta, per se disponat ad remissionem peccatorum, imò accedente Sacramentali absolutione eam conficiat? Neg. contra Pontificios.* p. 801.
7. *An Confessio & enumeratio peccatorum apud Sacerdotem sit juris divini? Neg. contra eosdem.* p. 803.
8. *An remissa culpa remaneat debitum luendæ adhuc pœna temporalis, vel in hac vita vel in futura? Neg. contra eosdem.* p. 808.
9. *An reatus pœnarum temporalium vel in hac vel in futura vita debiturum possit ab hominibus redimi? Neg. contra eosdem.* p. 812.

CONTROVERSIA XXIV. est de INDULGENTIIS.

pag. 818.

Ibi Quæritur,

- N. 1. **A**N Ecclesia Ministris competat facultas remittendi suis Indulgentijs pœnas temporales peccatis debitas in foro poli? Neg. contra Pontificios, atque de Indulgentiarum istarum nomine & origine disseritur. p. 818.
2. *An detur in Ecclesia specialis thesaurus ex Satisfactionibus Christi & Sanctorum conflatus, ad tales Indulgentias? Neg. contra eosdem.* p. 828.
3. *An Indulgentie vivis sint applicanda per modum Absolutionis, defunctis per modum Solutionis, & in utrisque infallibiliter? Neg. contra eosdem.* p. 831.
4. *An Indulgentia sine rationabili causa concessa, valeant quidem in foro fori, non in foro poli? Tirinus ineptum problema affirmativè concludens mul-ti fariam corripitur.* p. 835.

Xxxxxx 2

CON-

CONTROVERSIA XXV. est de EXTREMA
UNCTIONE.

pag. 837.

Ibi Quæritur,

- N. 1. **A**N Extrema unctio sit Sacramentum Ecclesia? Negatur contra Pontificios, ejus origo ostenditur, & quam nihil ad eam faciat locus Iacobi v, 14. luculenter demonstratur. p. 837.
2. An rectè sentiant Pontificij de materia & forma imaginarij istius Sacramenti? Neg. & propius utraque expenditur. p. 845
3. An ista Unctio Papistica quicquam efficiat ad gratiam sanctificantem, remissionem peccatorum, & alleviationem spiritualem infirmi, aut ejus sanationem corporalem? Neg. contra eosdem. p. 849.
4. Quo jure hac unctio ad solos infirmos, baptizatos & ratione utentes restringitur? Nullo: & Veterum testimonia de isto ritu obiter excusantur. p. 852.

CONTROVERSIA XXVI. est de ORDINATIONE.

pag. 856.

Ibi Quæritur,

- N. 1. **A**N solemnis Ordinatio ad Ministerium Ecclesiasticum sit Sacramentum propriè dictum? Neg. contra Pontificios; & Melancthonis ac Calvinii mens de eo explicatur, de impositione manuum differitur ac notantur Independentes. p. 856.
2. An Episcopi jure divino sint majores presbyteris? Neg. contra Pontificios & Hierarchicos; ac simul de Diaconis, Subdiaconis minoribusque Ordinibus in Papatu differitur. p. 862.
3. An per ordinationem conferatur & gratia gratum faciens & potestas perpetua spiritualis, quam significet caracter; item, An illius ordinationis Minister sit solus Episcopus? Neg. totum contra eosdem. p. 869.
4. An Cælibatus sacris ordinibus jure annectatur? Neg. contra eosdem. p. 873.

CONTROVERSIA XXVII. est de MATRIMONIO.

pag. 874.

Ibi Quæritur,

N. 1. An

- N. 1. **A**N Conjugium Christus in Sacramentum N. F. constituerit? Neg. contra Pontificios & discrepantes eorum hac de re sententia annotantur. p. 874.
2. An persona contrahentes habenda sint pro Materia & Ministro hujus Sacramenti? Neg. contra Tirinum hic planè discordantem à suis, & quid sit de Parochi opera & presentia necessaria disquiritur, & asseritur Hierologia Conjugij contra Independentes. p. 885.
3. An Polygamia simultanea sit legi natura & Evangelica penitus contraria? Afirmatur contra Turcas, Iudeos, Ochinum, Anabaptistas, Grotium & alios, & de polygamia olim sub V. T. usurpata differitur. p. 888.
4. An Matrimonium fidelium sit ita insolubile, ut adulterij saltem causa quoad vinculum dissolvi non possit? Neg. contra Pontificios. p. 892.
5. An Matrimonij Impedimentum dirimens, sit reclamatio parentum, votum castitatis, cultus disparitas, consanguinitas & affinitas sola prohibita Beuv. xviii.? Aff. de primo & ultimo, Neg. de secundo & tertio contra Pontificios; & de his omnibus fusius differitur. p. 921.

CONTROVERSIA XXVIII. est de ANIMARUM
IMMORTALITATE, CORPORUM
RESURRECTIONE & EXTREMO
JUDICIO. pag. 918.

Ibi Queritur,

- N. 1. **A**N Anima hominum sint Immortales? Aff. contra Sadduceos, Atheos, Anabaptistas, Psychopannychitas, Socinianos, & varia Tirini castigationes notantur. p. 918.
2. An sit futura Resurrectio corporum? Aff. contra Sadduceos & Atheos, & Socinianorum gravissimi in hoc articulo fidei errores castigantur. p. 930.
3. An sit futurum Extremum & universale judicium? Aff. contra Atheos: Tirinus castigatur, ac Pontificij & Fanatici quidam in Anglia circa locum hujus Iudicij notantur. p. 935.
4. An detur particulare illico post mortem anima cujusque judicium? Aff. contra Sadduceos, Socinianos, Anabaptistas & similes; atque Tirinus

X x x x x 3

non uno

non uno modo castigatur, omnisque hac ipsius doctrina in Pontificios retorquetur. p. 934.

CONTROVERSIA XXIX. est de PURGATORIO & INFERNO. pag. 941.

Ibi Quæritur,

- N. 1. **A**N detur Purgatorium Pontificium, & num sic orandum pro mortuis? Neg. Vtrumque contra Pontificios & penitus in originem & naturam utriusque erroris inquiritur. p. 941.
2. An Purgatorium & Infernus sit in centro terra? Negatur contra eosdem, atque refutantur qua habet Tirinus de animabus non refugientibus tormenta Purgatorij, & ea absque læsione & perturbatione ferentibus. p. 962.
3. An anima in purgatorio mereri vel demereri possit? Negat Tirinus, sed non satis convenienter suis & suorum placitis. p. 966.
4. An anima laborantes in purgatorio Missis, Precibus, Iejunijs, Eleemosynis aliisque afflictionibus corporeis, item Indulgentijs nec non & elatione funeris juvari possint à vivis? Nuga sunt Pontificia qua speciatim excutuntur. p. 968.
5. An itidem possint juvari precibus Sanctorum in Cælo? Ridiculè id asserere Tirinum ostenditur. p. 972.
6. An anima piè defunctorum ante Christi ascensionem fuerint in cælo? Aff. contra Pontificios. p. 973.
7. An detur quoque Limbus puerorum sine Baptismo decedentium? Neg. contra eosdem. p. 973.
8. An pœna animarum separatarum in Inferno sint corporea & ab igne aliquo physicè & propriè dicto? Neg. contra Pontificios, & Tirini calumnia in nostros refutantur, & ejus audacia in definiendis Inferni dimensionibus castigatur. p. 974.
9. An pœna Inferni sint duratura in aeternum? Aff. contra Origenistas & Anabaptistas, & Socinianorum periculossimus error retegitur. p. 977.

CONTROVERSIA XXX. est de COELO & SANCTIS. pag. 979.

Ibi Quæritur,

N. 1. An

- N. 1. **A**N sanctorum anima simul ac corporibus sum exuta in cœlum ad Dei visionem recipiantur? Aff. contra Psychopamychitas, Anabaptistas, Socinianos, & multos è Veteribus; nostri à calumnijs Tirini liberantur, atque ostenditur quantum hic peccent Pontificij. p. 979.
2. An Sancti degant in ipso cœlo Emphyrao cum Christo, qui eò ascendit nobis paraturus locum? Aff. contra Lutheranos; multi è Pontificijs notantur; & de cœlo Beatorum fufius differitur. p. 985.
3. An Essentialis Beatitudo consistat in Dei visione & fruitione? Aff. partim contra Mahumetistas & Iudeos, partim contra quosdam Neotericos, hîc à communi Scholarum Theologicarum sententia discedentes. p. 990.
4. An positâ diversitate quadam graduum in felicitate aeterna, Aureola speciales Martyribus, Virginibus & Doctoribus sint assignanda? Neg. contra Pontificios. p. 993.
5. An inter dotes corporum glorificatorum debeat annumerari subtilitas & vis penetrandi alia corpora? Neg. contra Pontificios ac Lutheranos: & Socinianorum error notatur de alijs planè corporibus obtinendis in resurrectione. p. 996.
6. An dabitur in cœlis oblectatio omnium sensuum externorum? Id temerè asserens Tirinus ad lineas revocatur. p. 998.
7. An Sancti sint religiosè colendi & adorandi? Negatur contra Pontificios; ac de adoratione Creaturarum, & latria & dulia distinctione, alijsque eo spectantibus differitur. p. 1001.
8. An Sancti demortui & Angeli orent pro nobis in particulari? Neg. contra Pontificios & Sanctis mortuis cura rerum terrenarum abrogatur. p. 1019.
9. An Sancti & Angeli sint à nobis invocandi, & num defuncti cœlites optimè norint necessitates & preces orantium? Neg. utrumque contra Pontificios, quibus hîc aquam herere ostenditur ac unicum esse Mediatorem demonstratur. p. 1026.
10. An reliquie Sanctorum sint colenda & adoranda? Neg. contra Pontificios. p. 1036.
11. An Imagines ulla sint ad cultum erigenda, aut colenda & adoranda? Negatur contra eosdem, quorum turpis Idolomania hîc fufè reze-gitur. p. 1039.

Index alter, continens præcipua nomina
 Authorum & librorum quorum fit men-
 tio in hoc opere.

A.

Abelardus.
 Aben Esra.
 Abrabanel.
 R. Abraham Bar David.
 Abulensis.
 Adrianus PP.
 Æmilius Probus.
 Agrippa.
 Alanus.
 Albertus.
 Alcoranus.
 Aldegondius five Mar-
 nixius.
 Alensis.
 Alexander ab Alexandro.
 Alexander I. PP.
 Alexander Sardinus.
 Algerus.
 de Aliaco.
 Almayn.
 Alstedius.
 Altingius.
 Alvarez.
 Ambrosius.
 Amestus.
 Amphilocheus.
 Amyraldus.
 Anastasius.
 Ansbeyus.
 Andradus.
 Angelus de Clavasio.
 Anonymus Anglus de Re-
 prob. absoluto decreto.

Anonymus auctor Brevis
 Disquis. Soc.
 Anonymus de Die Domi-
 nico.
 Anonymi Cralla Pæ-
 riles.
 Anonymi lib. Ad Leg. &
 Testim.
 Anonymi Tradit. Cath.
 Anon. auctor Theol.
 Moralis Iesuit.
 Anselmus Cantuar.
 Antiphanes.
 Apollonius.
 Apologia August. Confes-
 sionis.
 Apulejus.
 Arabs interpres Scripturæ.
 Arator.
 Aretius.
 Arias Montanus.
 Aristides.
 Aristophanes.
 Ariminensis.
 Aristoteles.
 Arimacanus.
 Arminius.
 Arriaga.
 Arnaldus.
 Aruobius.
 Articuli secreti ad Edict.
 Nannes.
 Athanasius.
 Athenagoras.
 Athenæus.
 Aubertinus.
 Averroes.
 Augustinus.
 Augustana Confess.
 Avitus Viennensis.
 Aureolus.
 Aufonius.
 Auvreus.
 Azorinus.

B.

Baïm.
 Balens.
 Balsamon.
 Bannez.
 Barboza.
 Barclajus.
 Baronijs.
 Barradius.
 Bassilius.
 Batelevius.
 P. Baunny.
 Bayonensis.
 Beganus.
 Becmannus.
 Beda.
 Beletus.
 Belge interpretes. Scrip.
 Bellarminus.
 Bennis.
 Berezith Rebba.
 Bergius.
 Bergemensis.
 Bernardus.

Benedicti Ioh.
Bernardus.
Beroaldus.
Bertius.
Bertramus.
Bessarion.
Beza.
Biel Gab.
Blondellus David.
Boderianus.
Bodinus.
Boëthius.
Boëmus Aubanus.
Bonaventura.
Bonfrerius.
de Bonnyers.
Bradwardinus.
Brentius.
Bredembachius.
de Brez.
Bresserus.
Brochmannus.
Bucerus.
Buchananus.
Budæus.
Bullingerus.
Burchardus.
Burgersdicus.
Buxtorfius.

C.

Cajetanus.
Calixtus.
Calvinus.
Camero.
Campanella.
Canisius.
Candelabrum aureum.
Canonissa.
Canon Missæ.
Canones Apostolorum.

Canus.
Capitularia C. M.
Cappellus Iacobus.
Cappellus Ludov.
Capreolus.
Cardin. Declarationes ad
Conc. Trid.
Carolus Magnus.
Carranza.
Caricifius.
Carivvichtus.
Carthusianus.
Casabonius.
Cassalius.
Cassander.
Cassanæus.
à Castro.
Catharinus.
Catechesis Belgica.
Catechismus Rakovienfis.
Catechismus Romanus.
Causinus.
Celotius.
Chaldæus paraph.
Chamierus.
Charronæus.
Choppinus.
Christophorus de Capitefontium.
Chrysofomus.
Cicero.
Clavastius.
Clarius.
Clemens Alex.
Clemens Rom.
Clichtovæus.
Cloppenburgius.
Coarruvias.
Coccejus.
Cochleus.
Cochletius.

Cocus.
Cælestinus III. PP.
Collatio Hagienfis.
Colonense Amicid.
Concilium Africanum.

Agathense.
Ancyranum.
Aquisgranense II.
Arauscanum.
Arelatense.
Aurelianense I.
Aurel. IV.
Basilienfe.
Cabilonense.
Cabilonense. II.
apud Carisiacum.
Carthaginense III.
Carthaginense IV.
Carthaginense VI.
Constantiense.
Eliberitanum.
Ephesinum.
Florentinum.
Gangrense.
Laodicenum.
Lateranense.
Matissonense.
Meldenfe.
Metense.
Milevitanum.
Moguntinum.
Neocaesarenfe.
Nicenum 1. & 2.
Parisiense III.
Quini-sextum.
ad Saponarias.
Sirmiense.
Toletanum IV.
Tridentinum.
Trullanum.
Turonense. II.

Valentiniæ

YYYY

Valentinianum III.
Wormatiense.
Confessio Augustana.
Belgica.
Gallicana.
Remonstrantica.
Wirtemberg.

Congreg. Card. Interpret.
Conc. Trid.

Conimbricenses.
Coninck.
Corpus Canonicum.
Corpus Civile.
Corvinus.
Cottonus.
Crocus.
Casseteellus.
Cunæus.
Carcellæus.
Curius.
Cyrillus Alexandrinus
Cyrillus Hieros.

D.

Damascenus.
Damianus.
Danæus.
Dartelius.
P. Delbeek.
Delphinus.
Delrio.
Demosthenes.
Deodatus.
Didymus.
de Dieu.
Diodorus Siculus.
Dionysius Pseudareopagita.
à Dola.
Drelincurtius.

Dresserus.
Drexelius.
Duisfeldorpius.
Durandus Mimatenfis.
Durandus à Sancto portiano.
Durantius Samuel.

E.

Eckius.
Eisengremius.
Episcopus.
Epistole decretales VV. PP.
Erasmus.
Espensæus.
Erigena Ioh.
Estius.
Evagrius.
Eucherius.
Eudæmon Iohannes.
Eugubinus.
Eusebius.
Eustathius.
Euthymius zigab.
Eymericus auth. Direct.

F.

Fabianus. PP
Facundus.
Fasciculus temporum.
Faustus Regiensis
Ferus.
Fernandez de Moure.
Ferrariensis.
Festus.
Flaccus Illyricus.
Filescus.
Flodoardus.
Floydus.

Forbesius.
Franzius.
Fulgentius.
Fulgattus.

G.

Cassarellus.
Cagninus.
Galatinus.
Gallemarus.
R. Gaon.
Geladius PP.
Geladius Cyzicenus.
Gellius.
Genebrardus.
Genevensis interp. Script.
Gerhardi.
Gerson.
Gilbertus.
Gillius.
Glassius.
Glossa interl.
Glossa ordin.
Gomarus.
à Gorcum.
Gothofredus Dion.
Gothofredus Iacobus.
Gorranus.
Gontherias.
Gratiannus.
Gregorius. I.
Gregorius II.
Gregorius III.
Gregorius IX.
Gregorius Nyssenus.
Gregorius Turanensis.
Greserus.

Gregorius.
Græci Interp.
Grotius.
Gualterus.
Guido Carmelita.
Guilelmus Altisiodorensis.
Guilelmus à Gent.
Guilelmus, parisiensis.
Guismundus.
Gyraldus.

H

Haymo.
Harmenopulus.
Henricus Gandavensis.
Henriquez.
Hermannus Elugo.
Hervæus.
Herodotus.
Herveus, Gent.
Hesbustus.
Hesselinus.
Hincmarus.
Humbertus.
Hieronymus.
Hilarius.
Hobbes.
Homerus.
Horatius.
Hornæus sub nomine Honorij

Reggij.
Hosius.
Hospinianus.
Hugo Carensis.
Hugo de Sto. Vitt.
Mus.

I

Iamblichus.

Iansenius Jacob.
Iansenius Gandavensis.
Iansenius Yprensis.
Ialkuth.
Ignatius.
Index Expurgat.
Innocentius III. PP.
Iobius.
Iohannes parisiensis.
Iosephus.
Iosephus Anglez.
Iosephus Gurionides.
Irenæus.
Irenæus Philadelphus.
Isidorus.
Isyebius.
Iulius PP.
Innius.
Iustellus.
Iustinianus Ies.
Iustinianus.
Iustinus.
Iustus pacius.

K

Reckermannus.
Kemnitius.
Kimchius.

L

Lactantius.
à Lapide.
Laureus.
Ledesma.
Legenda aurea.
Leo Imp.

Leo I. PP.
Leo, X.
Lessius.
Linrensis.
Lirinenfis.
Liturgia Angl.
Liturgia Veteres.
Livius.
Lombardus.
Lopez.
Lorinus.
Loyherius.
Lucas Francif.
Lucretius.
Luiberus.
Lyranus.

M

Maccovius.
Macrobius.
Magdeburgenses.
Magirus.
Magius.
Magnefius.
Maldonatus.
Mamonides.
Major.
Mayronis.
Mantuanus.
Manuale Exorcif.
Marcus Eppesinus.
Marianus.
Marloratus.
Martinus Bractarenfis.
Marsilius.
Martialis.
Martyr.
Mascaremas.

Mafius.

YYYYY 2

Mafius.
Matthæus Anton.
Maximus Tyrius.
Medina.
Nicifnerus.
Melanchion.
Melchhiades. PP.
Menasseh Ben Iſraël.
Menander.
Menardus.
Mendoza Hur.
Menochius.
Mercerus.
Meffinghamus.
Meffrezatius.
Metaphraſtes.
Meftræus.
Milleterius.
Mirandulanus Ioh.
Minutius Felix.
Miſſale.
Molina.
Molinæus Petrus.
Moncæus.
Monbemiſus.
de Montagne.
de Monericherif.
Mortonus.
R. Moſes.
Moſes Hadarſan.
Le Moyne.
Muſculus.
Munſterus.
Mynſingerus.

N

Nannius.
Nanſea.
Navarrus.
Naxianzenus.
Nicephorus.

P. Nicolaus Dominicanus.
Perronius.
Perſius.
Petravius.
Petra ſancta.
Phædrus.
Philofſorgius.
Phocylides.
Photius.
Pierius.
Pighius.
Pius II. PP.
Plato.
Planus.
Pleſſaus.
Plinius.
Plusarchus.
Polanus.
Polyander.
Pontificale.
Porphyrius.
Poſſevinus Bera.
Poſſevini Appa.
Procopius.
Properius.
Pſellus.
Puccius.

O

Ochinus.
Ocham.
Oecumenius.
Odo Cameracenſis.
Olcho Rob.
Olympiodorus.
Onkelos.
Optatus Mil.
Ordo Baptiz. Ven.
Origenes.
Oſiander Andr.
Oſiander Lucas.
Oſorius.
Oſſatus.
Ovidius.

P

Pacardus.
Pacimontanus.
Pacius à Beriga.
Paguinus.
Palatinus Mich.
Paludanus.
Papatus Romanus.
Paſchaſius.
Paſtorale Ruræm.
Paulus III. PP.
Paulus Burgenſis.
Paulus Ictus.
Pelagius.
Pererius.
Perezius Ajala.
Petkinſius.

Q

Quignonius Card.
Quintilianus.

R

Rabanus.
Rabardean.
Rabbini.
Ramburrius.
Remigius Lugdun.
Revinus.

B. Rivin.

B. Rhenanus.
 Ribera.
 Richardus.
 Richelius.
 Rigaltius.
 Rituale Rom.
 Rivetus.
 P. Roberti.
 Robertus Sarisbur.
 Rossensis.
 Rossella.
 Roswedyus.
 Rudolphus.
 Ruperius.
 Ryerius.

S.

Sà.
 Sabellicus.
 Sadeel.
 Salazar.
 Salicae leges.
 R. Salomon.
 Salmajius.
 Salnero.
 Salvianus.
 Sanchez.
 Sasbou.
 Sayrus.
 Scaliger.
 Schindlerus.
 Scorus.
 Scultetus.
 Sedulius.
 Seldenus.
 Seneca.
 Senuertus.
 Seruetus.
 Siebertus.

Sirmoudus.
 Sixtus Senensiu.
 Sleidanus.
 Smalcinus.
 Smiglecius.
 Socinus.
 Soerates.
 Sorbonislae.
 Sotus Domin.
 Sotus Pet.
 Sozomenus.
 Spanhemius.
 Spartianus.
 Stancarus.
 Stapletonus.
 Stella.
 Stephanus Rob.
 Strabo.
 Stuckius.
 Suarez.
 Suesonius.
 Suidas.
 Surius.
 Sylvester Priërias.
 Symmachi Græca Versio.
 Synodus Dordracena.
 Synod. Scripta Remonst.
 Syrus interpr.

T

Tacitus.
 Tannerus.
 Tapperus Ruardus.
 Tarnovius.
 Terentius.
 Tertullianus.
 Thargum.
 Theodoretus.
 Theodos. Codex.
 Theophilus.
 Theophilus Inst.

ТѢТѢТѢ 3

Theophrastus.
 Theophylactus.
 Tholosanus.
 Thomas Aquinas.
 Thomas Anglicus.
 Thomjonus.
 Thuanus.
 Thyraeus.
 Tigurina Versio.
 Tiraqueillus.
 Titelmannus.
 Toleius.
 Torrensii.
 Tossanus.
 Transsylv.
 Tremellius.
 Triumphus August.
 Turrecremata.
 Turretinus.

V

Valentia.
 Valerius Maximus.
 Vandegræff.
 Varro.
 Vasquez.
 Vatablus.
 Vecchietus.
 Vedelius.
 Vega.
 Vergerius Iob. alias Petrus
 Aurelius.
 Veritates Academica contra
 Jesuit.
 Vero.
 Victor Antiochenus.
 à Victoria.
 Viegas.
 Vigilii.

Vigur

Viguerius.
Virgilius.
Vitalpandus.
Vilagagnogius.
Villeta.
Virriarius.
Vivaldus.
Vives.
Vlpianus.
Voetius.
Volaterranus.
Volkelius.

Vossius.
Vrbanus PP.
Vrbanus IV.
Vrbanus V. PP.
Vulgata Versio.
Walafridus Strabo.
Waldensis.
Walenbruchij fratres.
Wallaw.
Wesselius Groning.
Wicleffus.
Wolkehim.

Y

Ivo Carnot.

Z

Zabarella.
Zacharias. PP.
Zanchim.
Zumel.
Zwinglim.

Index

*Index tertius, continens Syllabum præcipuorum
Hereticorum, Sæctatorum & Errantium hæc
nominatorum aut refutatorum.*

A	Flagellantes.	Pelagiani.
Anabaptistæ.	G	Perfectistæ.
Angelici.	Gnostici.	Pharisæi.
Arabici.	H	Politici.
Arminiani.	Hemerobaptistæ.	Pontificij.
Azymistæ.	Heracleonitæ.	Præcisistæ.
B	Huberiani.	Prædeterminantes.
Brownistæ.	I	Pfalliani.
C	Iesuitæ.	Ppsychopannychitæ.
Canonistæ.	Iovinianistæ.	Pucciani.
Capernaistæ.	Iustitiarij Iudæi.	R
Carpocratiani.	L	Remonstrantes.
Catabaptistæ.	Libertini.	Rhetoriani.
Cerinthiani.	Luciferiani.	S
Collyridiani.	Lutherani.	Sadducæi.
D	M	Saturniani.
David Iorristæ.	Mahumetani.	Semipelagiani.
Dioscoriani.	Manichæi.	Simoniani.
Donatistæ.	Marcionitæ.	Sociniani.
E	Messaliani.	Stancariani.
Ebionitæ.	Maffilienses.	Suenckfeldiani.
Encratitæ.	Molinistæ.	Supralapsarij.
Enthusiastæ.	Montanistæ.	T
Epicuræi.	N	Tatiani.
Ethnici.	Nestoriani.	V
Buchetæ.	Novatiani.	Valentiniani.
Eudoxiani.	O	Vigilantiani.
Eunomiani.	Osandrifstæ.	Vorfiani.
Eustathiani.	P	Weigeliani.
Eurychiani.	Paulianistæ.	
F		
Familistæ.		
Fanatici.		

Errata

Errata Primi Tomi.

*Quoniam levi admodum Brachio & valde festinanter
annotata fuerant ad calcem Tomi Primi illius
errata, opera pretium fuit ea hic di-
stinctius enotare.*

In Epistola liminari, (* 8) lin. 4. Pag. lin. pro lege	
pro lactantium lege lactentium In 94. penult. αὐτονομίαν αὐτεξουσία	
prefat. (***) 3 lin 14. pro hoc suo 100. ult. tantum tantum	
lege hoc ejus, & lin. 15. pro se ex 107. II. planà, planè	
lege cum ex. 109. 5. ut omnipotentia ut ei	
	communicatur omnipotentia
Pag. lin. pro lege	ibid. 7. independentia, immen-
12. 15. quest. 4. quest. 3.	sitas, æternitas, item independ-
25. 8. Arrias Arias	entiam immensitatem æternita-
35. 21. millia mille	tem,
40. 19. linguam linguam	110. 24. quidam quædam
47. 10. iudicium iudicio	111. 21. tamen eff. tamen id eff.
52. 22. oppositum oppositam	113. 13. Phovorino Phavorino
54. 21. poterant poterant	114. 27. in his, his
63. 2. prædictionē prædicationē	120. 8. quo quæ
67. 12. quanquam quanquam	122. 2. subest subit
ibid. 29. vetustissimū vetustissimā,	124. 16. ut eam ut è contrario eā
77. 7. Scripturæ Scriptura	128. 2. εἰρηνοποιῶν εἰρηνοποιῶν
79. 10. maledictius maledictus	129. 1. quibus ejus, quibus de ejus
ibid. 16. Rom. xi, Rom. x.	136. 24. Pontificij Pontificijs
82. 1. Art: Art.	141. ult. lyncaïs lynceis
85. 29. pavendi pariendi	157. 19. præsentia præsentiam
ibid. ult. post ad extra, adde secun-	ibid. 21. professiones professione
dum quid, non fit simpliciter in-	161. 15. sint sunt
fœcundus ad intra,	165. 4. impiorum, cum impiorum
89. 23. qui parturit, quæ parturit	confundere cum
31. 33. dele tamen	ibid. 27. Atque Atqui
	168. 8.

<i>Pag. lin.</i>	<i>pro</i>	<i>lege</i>	<i>Pag. lin.</i>	<i>pro</i>	<i>lege</i>
168. 8.	<i>Cetè</i>	<i>Cetè</i>		porteret	
182. 2.	notè	nota	269. 1.	omnibus ijs Prou.	omnibus Prou.
<i>ibid.</i> 21.	habituos	habituram	<i>ibid.</i> 4.	Confilio	Concilio
<i>ibid.</i> 30.	Transubstantione	Transubstantiatione	<i>ibidem</i>	Contrversiam	Controversiã
<i>ibid.</i> 33.	recedant	re cedant	271. 2.	<i>ekervati</i>	<i>enervati</i>
188. 4.	doceant	doceat	272. 4.	presbytores	presbyteros
189. 23.	destitutis nupt.	destitutis togâ nupt.	274. 14.	<i>Chistianos</i>	<i>Christianos</i>
190. <i>ult.</i>	vountas	voluntas	<i>ibid.</i> 22.	<i>August.</i>	<i>August.</i>
198. 24.	Republicis	Rebuspubl.	<i>ibid.</i> 24.	<i>fidem</i>	<i>fidem</i>
202. 4.	ex illis	ex ipsis	275. 4.	Mauritania	Mauritania
207. 23.	<i>legati</i>	<i>legatos</i>	282. 16.	<i>post ad illam, adde si præ-</i>	<i>fertim non sit tantum ad exerci-</i>
216. 4.	<i>χειροτονια</i>	<i>χειροθεσια</i>	tium potestatis istius , sed simul		
222. 1.	primamatum	primatum	ad potestatem ipsam quæ venit ex-		
235. 25.	Dan. IV,	Dan. IX,	ercenda ;		
239. 1.	seipsum	seipsam	287. 1.	<i>ilys</i>	<i>alys</i>
243. 14.	ad parem	parem	<i>ibid.</i> 2.	<i>apsi</i>	<i>ipsi</i>
<i>ibid.</i> 23.	somnis se pasci	somnijs se pascere	288. 1.	cilium	cilio
246. 15.	probare	probant	289. <i>ult.</i>	Christus	<i>ibidem</i> Christi
249. 13.	respectu est apud,	respectu apud	stus spondet	<i>ididem</i>	
251. 24.	nescivir	nescivir	292. 1.	ipsum	istius
254. 20.	suam	ejus	300. <i>penult.</i>	& falsi	nec falsi
254. 9.	questus	quæstus	<i>ibid. ult.</i>	mir. non dest.	mir. destit.
256. 5.	iu	in	302. 24.	loco	loca
263. 30.	enim	eum	303. 28.	conserveratur	conserva-
264. 26.	probaliter	probabiliter	retur		
265. 5.	hin	hinc	306. 18.	toti Ecclesia	toti Ecclesie
266. 16.	federet	federit	310. 3.	aliquam	aliquando
267. 22.	Consilij	Concilij	312. 2.	habendum	habendus
268. 14	qua oportet,	qua sic o	326. <i>penult.</i>	omitteret	omittere
			327. 20.	aliquam	aliquem
			329. 17.	negat illis licere	negat licere

Zzzzzz

Pag.	lin.	pro	lege	Pag.	lin.	pro	lege
		licere		449.	20.	ac	ab
330.	1.	fanxijsse	fanxiffe	451.	7.	beneficientia	beneficientia
339.	22.	Contuplum	Centuplum	453.	9.	debere	deberet
341.	1.	consecuturum	consecu- turum	454.	17.	teneatur	tenerentur
				455.	ult.	esse	fuisse
344.	24	benedictinis	benedicti- onis	460.		respectu, habere eum habere	respectu,
348.	2.	quicumque	quicumque	466.	9.	obitur	obiter
359.	7.	Iustinun	Iustinum	469.	1.	hoc	hac
370.	4.	candamus	expendamus	471.	20.	immortalitalem, mor- talitatem	
ibid.	21.	societatatem	societatem	ibid.	25.	mortem	morte
397.	27.	fœtundis	fœcundis	ibid.	25.	mortem	morte
399.	8.	requiritur	requiritur	475.	3.	substractum	subtractum
401.	2.	seperantur	separantur	ibid.	4.	substractiōne	subtractione
407.	8.	redcuntem	redeuntem	485.	2.	propagati	propagatos
408.	15.	uti	uri	489.	1.	atam	latam
409.	17.	deteriorat	deteriora	ibid.	13.	habeant	habent
411.	14.	syvestre	sylvestre	498.	4.	censeamus	censeamur
412.	2.	Neque Macc.	Neque 1. Macc.	492.	ult.	illi	illis
				493.	ult.	Jesuita	Jesuitz
413.	18.	substrahunt	subtrahunt	497.	9.	pervcrsitatam	perverstita- tem
420.	13	qui	quæ				
421.	31.	repugnant	repugnat	498.	1.	comprobat	comprobet
423.	33.	quam	quæ	499.	3.	catentiam	caurentiam
424.	25.	Sixtus	sextus	500.	23.	Molerium	Mollerum
429.	pen. & ult.	plectere exercere, plectendi exercendi		509.	ante-pen.	icum	cum
				513.	25.	iplius	suorum
431.	11.	exsecrat	exsecratur	516.	11. 12.	homo peccator & corruptus non alium	peccator & gignat, ho-
434.	9.	mulieri	muliere				
ibid.	11.	authoritatum, authori- tatem				minem peccatorem non alium gignere	& corruptum
447.	1.	Deorum cultu,	Deorum	ibid.	21.	origenem	originem
		adoratores qui idolorum cultu		517.	21.	Placaus	Placæus

Pag.	lin.	pro	lege	Pag.	lin.	pro	lege
522.		<i>ide</i>	ideo	635.	19.	vinonem	unionem
539.	1.	authorum	authorem	638.	16.	<i>indepentes</i>	<i>independentes</i>
ibid.	31.	ipfi	ipfa	640.	5.	ἐθνα.	ἔθελ.
344.	8.	<i>naturalis</i>	<i>naturalis</i>	ibid.	7.	fit	fint
552.	13.	ὄδι	ὄτι	641.	10.	præsertim	consequenter
ibidem		ἀμαρ.	ἀμαρ.				
553.	2.	quis pos-	quis non posset	Aliquoties etiam hoc in tomo <i>mox</i>			
fet	amplius non		amplius	usurpavi de tempore paullo post			
556.	10.	<i>omnes</i>	<i>omnis</i>	præterito; sed in eo nihil putem			
560.	3.	Tirinus	Lorinus	subesse vitij; cum sæpè <i>mox</i> &			
563.	9.	talia	alia	<i>statim</i> idem sint, & respondeat			
568.	29.	ver	verba	utrumque Belgico <i>terstont</i> / &			
571.	33.	nostrum	nostram	Gallico <i>incontinent</i> , quod æquè			
574.	18.	luminis	lumine	respicit paullo post præteritum ac			
586.	9.	Jesuitæ	Jesuitæ	paullo post futurum, & author			
588.	28.	fronte	fronte	<i>Thejsauriling. lat. Edit. Basil. ad voc.</i>			
592.	18.	Quod enim	Dum enim	<i>modo</i> , annotat quod illud <i>Modo</i>			
594.	2.	<i>uem</i>	<i>eum</i>	significet <i>tempus præsens</i> , vel <i>mox</i>			
599.	19.	reatum	reatu	<i>præteritum</i> , vel <i>nondum præteritum</i> ,			
601.	13.	Invenialis	Invenalis	vel <i>statim futurum</i> : si quis tamen			
ibid.	29.	Kinichi	Kinichi	delicior, ubi illud in eum <i>mox</i>			
614.	24.	permittentes	permittentē	occurrit voluerit ejus loco <i>modo</i>			
619.	19.	sugg. ex quibus,	sugg. quibus	reponere, per me licebit. In			
625.	15.	media præfc.	media	nominibus proprijs etiam in Indi-			
		(quæ talia præfc.		ce aliquoties ponitur <i>Boderius</i> pro			
628.	18.	potis est	pote est	<i>Boderianus</i> , <i>Chartusianus</i> pro <i>Carthu-</i>			
629.	4.	granuiter,	gnaviter	<i>sianus</i> , <i>Gherardi</i> , pro <i>Gerhardi</i> ,			
				quod hic monuisse sufficit.			

Zzzzzz 2

Errata

Errata Tomi Secundi.

Pag.	lin.	pro	lege	Pag.	lin.	pro	lege
9.	2.	connexionē	connexionē	237.	8.	etiam oculis	etiam in oculis
<i>ibid.</i>	6.	fuerat	erat				
10.	18.	firmare	firmare	241.	24.	ut non	ut nos
13.	17.	& miseria	& à miseria	251.	9.	effectis cognosc.	effectis, cognosc.
14.	21.	futurum	futura				
33.	30.	moventi	monenti	253.	ult.	excluderet	includeret
36.	21.	<i>enarrare</i>	<i>enarrare</i>	257.	1.	addiderit	reddiderit
44.	ult.	duia	quia	260.	32.	doctrinæ, illius do-	ctrinæ iñius,
45.	4.	<i>Deo nobis</i>	<i>Deo in nobis</i>				
46.	6.	furura	futura	268.	16.	iu	in
51.	11.	video	prævideo	20.	1.	non possit	possit
93.	3.	Falsum est	Falsum	<i>ibid.</i>	31.	novæ	novæ
		denique est		278.	9.	quæ qualis	de qua qualis
115.	22.	facere	faciendi				
122.	7.	iræ	iram	285.	18.	potis est	pote est
130.	31	alicujusrei	alicujus	297.	24.	Ephelis	Ephelis
<i>Bis notantur pag. 153. & 154. semel in fine quatern. T. semel initio quat. V.</i>				297.	8.	nostra	nostra
154.	4.	<i>capido</i>	<i>cupido</i>	304.	24.	Hebraicum	Hebraicum
175.	15.	tractio est	tractio	311.	ult.	more	morte
		tam	est tam	320.	20.	Ipsa	Ipsa
193.	29.	beneplacito	beneplacito	<i>ibid.</i>	24.	Ad	At
		consilio?	cito & consilio?	332.	15.	<i>post</i> Matt: xx, 11.	<i>adde</i>
198.	14.	inhærentem	inhærente			si saltem ista Parabolâ huc debeat	
201.	18.	qualis	quale			accommodati, de quo aliàs dic-	
206.	3.	de opeccat	de peccato			tum.	
		in peccatum	in peccatum	352.	11.	alaciter	alaciter
210.	ult.	Sè	Sà	353.	16.	de deprehenduntur	deprehenduntur
213.	3.	ptecibus	precibus				
219.	1.	pluris	pluribus	355.	3.	astruere	adstruere
233.	10.	definitionē	definitionē	367.	29.	Cesté	Certé
							381. <i>penult.</i>

<i>Pag.</i>	<i>lin.</i>	<i>pro</i>	<i>lege</i>	<i>Pag.</i>	<i>lin.</i>	<i>pro</i>	<i>lege</i>
381.	<i>penult.</i>	merito	meritum	548.	5.	<i>redemptorum</i>	<i>redemptorem</i>
385.	30.	reulisse	retulisse	555.	21.	Judos	Indos
387.	23 ^o	æternè	æternæ	566.	30.	Ianuas	Ianus
398.	<i>in Marg. sic lege: Melancht. in loc. c. de Orat. Brentius in Confess. VVirtemb. cap. de Orat.</i>			572.	27.	ne	ne:
400.	7.	nostris alia	nostris, alia	574	7.	eos Christ.	eos ex Christ.
418.	27.	Ho vero cum spes	Ho-	575.	22.	ita	iter
		spes vero cum	spes	580.	11.	<i>largiens</i>	<i>largiendo</i>
440.	20.	accederent	accederet	581.	<i>ult.</i>	darante	durante
445.	9.	instituat	institat	582.	<i>penult.</i>	quonim	quoniam
448.	<i>esibi notetur per 488.</i>			583.	6.	MATTHIA VEC.	
Lin. 1.	<i>pro dignitate Dei</i>		<i>lege dig-</i>	WIRUMÆO			
	<i>natione Dei.</i>			M A T T H I A V E C.			
<i>ibid.</i>	18.	non non nostra	non nostra	Wirumæo.			
450.	2. & 4.	<i>imo & aliquoties aibi Lyntrensis ponitur pro Lin-</i>		599.	31.	patrociniaci	patroci-
		<i>trensis.</i>					nari
457.	11.	Sacramentorum	ex Sa-	609.	15.	Capernatis	Capernatis
		cramentorum	cramentorum	606.	1.	otalem	oralem
<i>ibid.</i>	21.	hominos	homines	607.	<i>penult.</i>	<i>Samaritiana</i>	<i>Sama-</i>
465.	<i>ult.</i>	confiderantur	con-				<i>ritana</i>
		fiderentur.	fiderentur.	623.	1.	queant,	queant)
474.	18.	Sed resp.	Nam resp.	626.	13.	peccats	peccatis
489.	21.	opud	opus	633.	9.	Antonium	Antoninum
494.	30.	efficaciam	efficaciam	634.	26.	super veteribus	supra vetera
499.	3.	sacrificia	sacrificia	656.	6.	rransitivo	transitivo
524.	1.	<i>onetur</i>	<i>orietur</i>	659.	21.	<i>momborum</i>	<i>memborum</i>
532.	8.	si quæ ad	si ad	663.	6.	<i>postaque</i>	<i>postaque</i>
542.	17.	Israclitarum	Israe-	<i>ibid.</i>	14.	conjicij	conjici
		litarum	litarum	667.	24.	confetebant	confe-
							rebant
				669.	11.	petuisset	potuisset
				676.	1.	imporperat	improperat
				ZZZZZZ 3			<i>ibid. ante-</i>

Pag.	lin.	pro	leg.	Pag.	lin.	pro	lege
<i>ibid.</i>	22.	antepon.	inquam	868.	1.	ducenti	ducentis
681.	22.	sufficienter.	insufficientia	<i>ibid.</i>	28.	frequentissimè	frequen- tissimè.
<i>ibid.</i>	alt.	foli	foli				
696.	23.	vidicaturi	indicaturi	876.	6.	Divitijs	Divitijs
699.	17.	Sacerdotium	Sacer- dotium	890.	18.	maledictio	maledictio
710.	8.	cruce nostra,	cruce, nostra	891.	23.	revoca	revocat
711.	29.	Heb. XIII,	Heb. XII,	911.	13.	scilicet: ex	scilicet ex
729.	16.	offerimus	offerimus	<i>ibid.</i>	22.	fornicationem	for- nicationem
743.	7.	Sacramenti	Sacrificij	226.	1.	n manus	in manus
748.	13.	facerunt	fecerunt	<i>ibidem</i>		ubi	uti
754.	29.	sic	sic	928.	4.	ces	merces
761.	22.	respdeant	respondeant	<i>ibid.</i>	5.	merin	in
787.	14.	ea	ea	934.	alt.	seritur &c.	seritur, id
788.	9.	requisitas	requisitos	959.	penult.	numera	numerat
791.	6.	conscientis	consci- entij	984.	26.	fit	fit
794.	1.	proprie	proprie	1000.	29.	omnem	ullam
796.	1	no fit	non fit	1002.	33.	natura esse	natura non esse
203.	30.	pertinens	pertinente				
820.	17.	redemptionem	re- demptionum	1004.	31.	divina	divinus
833.	14.	Detentis	Defunctis	1013.	17.	exeundi	expendi
842.	10.	Alphonfus, à Castro,	Alphonfus à Castro,	1031.	3.	Sohnius	Masius
846.	25.	supra	super	1030.	28.	commenda	commen- dare
855.	1.	dele	mino	1043.	24.	postea	illas.
857.	18.	Judæ	Juda	1059.	7.	supprimeretur	supprimeretur
862.	1.	dele	sunt	1061.	23.	dele	est
				1062.	31.	Angelius	Angelicus

In accentibus Græcis notandis & litteris Hebraicis exprimendis sphaemata etiam quedam in utroque tomo occurrunt; Sed illa ex imperitia Typothetarum qui unum correcturi vitium duo alii committunt, hæc ex defectu characterum Hebraicorum, ut sæpè cogantur ad similes cum proprijs desunt recurrere.

F I N I S



